



PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM HONORATI TOURNELY

Continuatio, ſive Tractatus

DE UNIVERSA

THEOLOGIA MORALI.

TOMUS TERTIUS

UBI AGITUR

I. De Præcipuis Præcipuorum Statuum Obligationibus.
II. De Fide, Spe, & Charitate.
III. De Præceptis ſecundæ Tabulæ Decalogi.
IV. De Præceptis Eccleſiæ.

Acceſſit Appendix de Propoſitionibus ad Moralem diſciplinam ſpectantibus, ab Apoſtolica Sede, & Clero Gallicano proſcriptis.



VENETIIS,
Apud Nicolaum Pezzana.

M DCC LV.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.





P R Æ F A T I O.

UI tot annos ſilentium tenui, æquum eſt, ut loquar aliquando, & paucis te compellem, Lector Benevole, Scilicet id a me flagitant, tum ſenſus animi bene memoris, tum hujus quantulicumque Operis ratio, & inſtitutum.

Et in primis quidem, quod, quæcumque in lucem emiſi, Opuſcula tanta cum benignitate ſuſceperis, gratias & habeo, & ſemper habebo ſingulares. Invita pene Minerva Scriptor, ut eſſe ſolent complures, ſentiebam, indulgentia mihi opus eſſe non mediocri; ſed non mei aſſentator non ſenſeram, quanta indigerem. Ab eo mentis errore levavit me experientia. Ea duce plenius intellexi illam partem Theologiæ, cui ab inſtituendis moribus, Moralis diſciplinæ nomen inditum eſt, campum eſſe tam patentem, ut vix peragrari, tam obſitum vepribus, ut vix inoffenſo pede decurri, tam hirſutum lapidibus omnimodæ molis, ut vix, ac vix quidem recto tramite ſulcari poſſit. Sed, & id inter cetera dolendum maxime, quod unaquæque ejuſdem campi portio ſuis obnoxia ſit difficultatibus, quarum dum aliæ aliis ſuccedunt, poſteriores prioribus arduitatis palmam præripere videntur.

Eſſet tamen hoc tolerabile, ſi uno quodam mentis intuitu deprehendi poſſent calculi omnes, qui moram injicere nati ſunt. Sed heu! cui tandem memoriæ tot caſuum myriades ſimul obverſari poſſunt? Sane, ut clavus clavum trudit, ſic idea ideam propulſat. Hinc, qui plura ſcribunt, principiorum, quæ alibi poſuere, male tenaces, contradictoria identidem loquuntur, adeo ut non unum eumdemque auctorem, ſibi ſimilem, ſed duos, qui contra ſe invicem dimicent, pervolvere tibi videaris. Accedit, quod ut diverſi homines non æque iiſdem moventur argumentis, ſed, quod hunc convincit, ab iſto quaſi frivolum exploditur; ſic nec ſemper Theologo eidem paris videatur momenti ratio, quæ olim quacumque exceptione major apparuerat. Senſit hoc cæcus ille oculatiſſimus Proſper Fagnan, cum in hæc poſt Socinum erupit * verba; *Quaſi impoſſibile eſt, Doctorem non eſſe ſibi contrarium aliquando.* * Fagnan in c. *Ne innitaris, De Conſtit.* *nu.* 138. Socin. Conſil. 150.


Flebile hoc malum, ut ab operibus meis, quantum liceret, averterem, nullam publici juris editionem feci, quin ei ſedulam admoverim manum, & ſingulas cujuſque voluminis partes ſecum invicem conferre conatus ſim. Qua in re quam operoſum præ ceteris mihi negotium fecerit Tractatus de Juſtitia, facile conjectare poterunt, qui norunt, in eo legibus leges, deciſiones deciſionibus tam ægre conciliari, ut niſi, quod

a 2 peri-

periculosæ plenum est aleæ, a trito sapientum tramite recedere velis, pugnantia loqui videare.

Ubi tantum incommodum pro virili amotum putavi, aliud erat, quod torquebat animum, meo quippe munere non omnino functus, nec omnibus numeris absolutum, sed mancum opus, & mutilum exhibuisse videbar. Hæsi diu meruens, ne meo labori jure ac merito illud Horatianum objiceretur; * *Infelix operis summa, quia ponere totum nescist.* Sane quomodo non aliorum obtrectationes, & murmura pertimescat, qui honesta lectorum siti non depulsa, sed lacessita, quot præbuit, tot fere desideranda reliquit? Nec spernenda quidem, aut inutilia deerant. Enimvero quis eum consulentium, seu pœnitentium crimina dignoscat, nisi peculiarium cujusque status obligationum instructus norit quis charitatem, quis justitiam peccando læserit, sic ut alteri non, alteri restitutionis onus incumbat, ne id sibi ponderis imponat, quo alios inscienter, sed non impune levavit? Decalogi præcepta, quæ totius Religionis compendium, & cujusvis Christi fidelis munera, & officia continent, de quibus, qui hanc provinciam susceperunt, tam late disserunt, & quæ miram quæstionum, & casuum praxi inservientium segetem pariunt, num æquum erat, ne summis quidem labiis degustare? Præterea, quæ Ecclesiæ vel traditione edoctæ, vel sancto Spiritu afflatæ, vel locis, temporibus, & personis consulenti, suis mandare peropportunum visum est, omnino prætermitti non decebat. Dein ut luxuriantes etiam in gravi hac disciplina animi compescerentur, neve, ut multi autumant, liberum cuique esset undequaque percurrere, sed in scopulosa difficilique scientia se versari intelligerent. Propositionum erronearum seriem cum earum censura subnectere non abs re erat; unde, syrtibus, in quas præclara quidem, sed liberiora ingenia suo marte ducta impegærunt detectis nos cauti alienis periculis efficeremur. Hæc sunt, amice Lector, quæ in prioribus voluminibus omissa, in hoc tertio adjecta invenies. Interim vale, & virum in tui gratiam jam dudum fatiscentem sub onere prius redama.

* De Arte Poet.



I N-

INDEX

Capitum, Articulorum, & Quæstionum.

CON-


bona

CON-

Mo-

FINIS INDICIS.

TRA-



TRACTATUS
DE
PRÆCIPUIS PRÆCIPUORUM
STATUUM OBLIGATIONIBUS.



Uem nunc aggredimur Tractatum ; is profecto nec cæteris , quos hactenus publici fecimus juris , Tractatibus difficultate cedit , nec iisdem vincitur utilitate . Arduum est , fateor , varia variorum Statuum munia indagare , & animo complecti , sed multo magis arduum est , eos , quorum leges & onera non intellexeris , tuta manu in via salutis dirigere . Sunt equidem ex iis , qui ad sacrum Pœnitentiæ tribunal confugiunt , sunt , inquam , etiamnum , qui Confessariis, & status sui obligationes, & quo usque iisdem defuerint, plene & sincere exponant : sed , proh Deus ! quoti eorum etiam , qui potissimas in Republica partes agunt , altum & exitiale habent ea de re silentium ? Quoti nesciunt, aut nescire videntur eos unos ad vitam ingredi, qui non hanc aut illam, sed *omnem* prorsus *justitiam* implent ? Quoti, sic hominis, aut saltem Christiani peccata deponunt, ut nisi sedulo interrogentur, vix unquam peccatorum Cæsaris meminerint ? neque vero infanda hæc lues Sæcularium dumtaxat animos infecit: eadem pene est hoc in genere ratio Sacerdotum , quæ populi ; si proximi famam læserint , si ultra justos temperantiæ limites indulserint epulis , ingement , & confitebuntur , atque utinam semper . Si vero vitam duxerint in otio , si proprium status sui habitum quasi erubuerint , si commissum sibi gregem vel lacte , vel prout ferebat tempus, solidiori cibo non paverint , si parvulis non fregerint petitum panem , silebunt in tribunali , quasi videlicet a mero consilii, & *supererogationis* opere abstinuerint.

Hæc , paucula licet , quisquis, ut par est , ponderaverit, præsentis argumenti necessitatem sentiet ; susceptumque opus gratulabitur , nedum

vituperet. Supereſt igitur ut, cui in operis executione ſervierim methodo, paucis aperiam.

Omnes humanæ vitæ ſtatus ſigillatim indagare, ne cogitavi quidem; erat id ſupra vires poſitum, nec uno aut altero volumine potuiſſet abſolvi. Præcipuas ergo earum præſertim conditionum, a quibus cœteræ pendent, & diriguntur; obligationes recenſere ſatis fuit; quas ſi ſemel impleverint, qui multitudini præſunt cum in ſpiritualibus, tum & in politicis, jam multitudinem ipſam, quæ a natura habet ut præpoſitorum ſuorum imitatrix ſit, totum id, quod ſibi, ſuiſque concivibus debet, implere & adamuſſim exequi neceſſum erit. Hinc potior nobis ſermo de Clericis, ſeu Sæculares ſint, ſeu Religionem profeſſi; de Magiſtratibus, iiſve, qui populorum jura defendunt, de Villarum Dominis, &c. Agendum quidem etiam fuiſſet de legibus negotiatorum, atque in primis de mutua Patrum, ac filiorum obligatione: ſed quæ ad mercatores attinent, fuſe expendimus in primo hujuſce Operis volumine: quæ autem ad Parentes ſpectant, proſequimur Deo dante, ubi ad quartum Decalogi præceptum devenerimus.

Quoniam vero multa jam a nobis de Clericali ſtatu diſputata fuere, præſertim cum de Horarum recitatione egimus, idcirco hæc miſſa faciemus in præſenti, ſic tamen ut in eorum gratiam, qui cum junioribus Clericis ſpirituales de Eccleſiaſticis rebus collationes habent, rerum alibi dictarum apices delibemus, ut inde quoddam doctrinæ corpus effloreſcat: quæ vero obiter, & quaſi extra locum, ne exciderent, dicta fuerant, huc non pigebit revocare.

PARS PRIMA.

De obligationibus Clericorum.

Clerici nomen deſumptum eſt a voce Græca κλῆρος, quæ idem eſt, ac ſors latine; ſeu quia quicumque divino miniſterio mancipantur, non a ſe ipſis eo aſſurgere, ſed a Domino vocari, & quaſi per ſortem eligi debent; ſeu quia Deum uti nobiliſſimam ſortis ſeu hæreditatis ſuæ partem ampleɑuntur: utrumque paucis his vocibus complexus eſt Hieronymus Epiſt. 2. ad Nepotian. *Propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt: qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur a Domino.*

Multiplex eſt Clericorum genus. Alii vel Tonſura ſola, vel iis ſolum Ordinibus, qui Minores dicuntur, inſigniti ſunt; alii ſunt in ſacris. Utrique vel habent beneficia, vel non; beneficiis porro, quandoque annexa eſt animarum cura, quandoque non. His omnibus quædam onera conveniunt, quædam vero non ſunt uniuſcujuſque claſſis propria, quæ ut intelligantur, & intellecta teneantur in praxi, ſit

CA-

CAPUT PRIMUM.

De obligationibus Clericorum in genere.

QUemadmodum unicuique fideli, quo ad æternam vitam ingrediatur, duo curanda sunt, ut nimirum declinet a malo, & faciat bonum, sic & unicuique Clericorum duo prorsus sunt necessaria, ut nempe dotes quasdam aut virtutes possideat, & a certis abstineat vitiis.

Porro ex dotibus ad Clericatum necessariis, aliæ se habent, ut dispositiones prærequisitæ; aliæ ut Clericalis status perpetuæ appendices. De utrisque dicam, sed paucis; ut qui nec repetere amem millies repetita, nec me ab iis lectum iri confidam, qui tot elegantes & veterum, & recentium doctorum libros, vernacula etiam conscriptos lingua evolvere fastidiunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De dotibus ad Clericalem statum prærequisitis.

CErtas, qui ad Clericatum promoventur, ex parte corporis dotes habere debent, quas cum in Tractatu de irregularitatibus pro modulo expenderim, omittam in præsenti; unde & eas hic solum tangam, quæ mentem respiciunt; nec omnes, alioqui irem in immensum, sed præcipuas. Sit

Conclusio I. Ad Clericatum prærequiritur innocentia vitæ, vel custodita diligenter, quod rarum est, vel congrue reparata, quod rarius est, teste Ambrosio. Hæc thesis intellecta de statu Clericali generatim, & prout majores Ordines comprehendit, est certissima. Si vero de simplici etiam Tonsura intelligatur, videtur probabilior.

Probatur ex Patribus. Augustinus Tract. 41. in Joan. num. 10. hæc habet: *Apostolus Paulus quando elegit Ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait: Si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: sed ait:* Si quis sine crimine est, *sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi. Cum cœperit ea non habere homo, (debet autem non habere omnis Christianus homo,) incipit caput erigere ad libertatem, &c.* ergo ut quis ordinetur, necesse est, non quidem ut ab omni hactenus abstinuerit peccato, *alioqui omnis homo reprobaretur*, cum sine speciali privilegio venialia quæcumque peccata vitari non possunt, sed ut vel gravia evaserit peccata, vel ab iis per pœnitentiam resiliendo, incœperit *caput erigere ad libertatem* filiorum Dei.

S. Isidorus Hispalensis L. 2. de offic. Ecclesiast. c. 5. *Quod is*, inquit, *qui post Baptismum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, Lex ipsa testatur*, &c.

S. Martinus I. Papa & Martyr in Epist. ad Amandum: *Si*, inquit, *tales quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium sit, quanto magis si post ordinationem suam quisquiam in lapsum ce-*

iderit . .. omnino probibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis Mysterium nostræ salutis tractare?

Sanctus Bernardus Tractat. de conversione ad Clericos, capit. 19. quod oculis, & corde sæpius perlegi oporteat, hæc habet: *Væ Ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines, qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se Ministros gratiæ profitentur .. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus non verentur . . . . . Væ, qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, & placere velle præsumunt*; ubi Sanctus Doctor non modo thesim nostram tradit, sed & invicte probat. Scilicet enim ad Clericalem statum illud prorsus necessarium est, quo sublato subvertuntur primariæ Dei, & naturæ ipsius leges: atqui, sublata morum innocentia, quæ vel caute servata fuerit, vel seriis congruæ pœnitentiæ laboribus reparata, subvertuntur primariæ Dei, & ipsius naturæ leges. Eæ enim exigunt, ut alienæ reconciliationis negotia tractare non præsumat, qui ipse reconciliari eget; ut se in gratiæ ministrum non erigat, qui filius est iræ, &c. atqui sanctissimas eas leges subvertit, quisquis adhuc sub peccati, & diaboli jugo constitutus, inter Dei ministros, & populorum mediatores censeri ambit: ergo.

Hinc 1. *Cum in quolibet Ordine aliquis constituatur Dux aliis in rebus divinis, in quolibet quasi præsumptuosus mortaliter peccat, qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit; & ideo sanctitas vitæ requiritur ad Ordinem de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti*. Ita S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1.

Hinc 2. probabilius videtur nobis, quod docent Hallerius in Tract. de sacris electionib. sect. 4. §. 1. pag. 183. Nat. Alexander art. 5. Reg. 21. de Sacramento Ordinis, Navarrus de orat. cap. 7. num. 15. *mortalis peccati reatum indigne suscipienti tonsuram adscribendum esse*, unde quisquis in hoc statu positum se animadvertit, vel ad Confessionem recurrere debet, ut præscribunt Synodus Carnotensis ann. 1526. & Constitutiones Harduini de Perefixe, a Ludovico Card. Noalio renovatæ; vel sincero contritionis actu conscientiæ maculas eluere, ut ibidem docet Hallerius. Ratio est 1. quia, si usquam alias, tunc præcipue hominem a peccato resipiscere oportet, cum maxima Dei beneficia, præsertim spiritualia, recipere cogitat, cum novam init vitæ rationem, cum perfectionis etiam in alios diffundendæ statum ingreditur: atqui sic se habet, qui suscepta tonsura Ordini Clericali inscribitur: ergo. 2. Quia graviter peccat, qui & Deo injuriam, & Ecclesiastico statui contumeliam facit in materia, quæ pro levi haberi non potest: sed qui indigne tonsuram recipit, utriusque mali reum se facit. Est quidem in Deum injurius, quia publice protestatur se Deum, cui actu capitaliter infensus est, ut totam hæreditatis suæ partem complecti. Est etiam contumeliosus in Ecclesiam, tum quia multum eidem imminet mali ab iis, qui ipsissima sui in Sanctuarium ingressus die contaminati sunt; tum quia, ait Hallerius, *cum* Clericalis status *finis sit* ad Deum adducere, *ut loquitur Gregorius Nyssenus Orat. 1. non potest sine ejus opprobrio, quisquam eum statum ingredi aversus a Deo & alio duttore indigens, a quo ad Deum reducatur*. Jam vero Tonsuram pro re levi neutiquam haberi posse, demonstrant ipsa ejus definitio, & annexa eidem pri-

privilegia. Legatur ea de re Opusculum, cui titulus : *Eclairciſſemens de quelques difficultès* proposèes à Mgr. l'Archeveque de Rouen *sur la morale de J. C.* vel secunda Nat. Alexandri Epist. Append. 1. ad calcem tom. 2. Theolog. dogmat.

Hinc 3. colliges, quid sentiendum de quæstione in Belgio non sine animorum æstu olim ventilata: *An scilicet possit quis æquo jure ad Sacerdotium sicut ad Monachatum pœnæ loco detrudi*. Absit enim ut propter peccatum præcedens conferatur, aut recipi jubeatur eminens ille status, qui propter peccatum denegari debet. Absit ut peccati vindicta dicatur ea conditio, quæ etsi oneris multum, plus tamen honoris habet; plusque dignitatis, quam molestiæ. De quibus adi, si potes : *Tractatum de Hierarchia Ecclesiastica, Collectore Guilielmo Beyer*, Antuerpiæ 1666. qu. 10. per totum.

Hinc 4. non remissam, sed acrem eorum oportet esse pœnitentiam; qui postquam a Justitia excidere, Clero adscribi volunt. Si enim de iis, qui lapsi sunt, generaliter dixerit S. Cyprianus : *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus ; alio vulneri diligens, & longa medicina non desit ; Pœnitentia crimine minor non sit* ; quid non exigendum a futuris Christi Ministris, quibus, ut loquar cum Synodo Burdigalensi ann. 1624. *eas virtutes attribuit Apostolus, quæ ad Angelicam pene accedunt puritatem*? Certe, ait eleganter S. Hieronymus, *ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem, & mansuetudinem ; ignorat blanditias Christi, nescit seipsum contemnere, non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, & assidua meditatione correxit, heri Catechumenus, hodie Sacerdos, heri in Circo, mane in Altari*. Jure ergo sanxit Concilium Aurelianense III. *ne ullus ex laicis ante annualem conversionem ordinetur*. Hoc tamen tempus ut protrahi, sic & aliquando imminui debet, prout in simili dictum est agendo de Neophytis, part. 2. cap. 1. de irregularitate.

CONCLUSIO II. Ad Clericalem statum prærequiritur scientia.

Prob. 1. ex Scriptura. Osee 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Aggei 2. *Interroga Sacerdotes legem*: atqui hæc verba a fortiori concludunt pro novæ legis Ministris, quibus idcirco millies a Conciliis, & Patribus applicata fuere ; merito, cum præ cœteris *parati semper* esse debeant *ad reddendam satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipsis est, spe*: 1. Petri c. 3. v. 15. ergo.

Probatur 2. ex Patribus, & Conciliis. *Illiteratos*, ait Gelasius Papa, *aut aliqua parte corporis vitiatos, nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere ; quia litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis*, quo ex textu alibi intulimus defectum scientiæ competentis, non secus ac vitium corporis, veram parere irregularitatem. Concilium Lateranense IV. *Duo*, ait, *sunt nobis necessaria, vita scilicet, & doctrina : alterum propter nos, alterum propter proximos*. Synodus Toletana IV. *Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi Officium in populo Dei susceperunt*. Synodus Toletana VIII. *Nullus ad Sacra veniat indoctus. Aliter ordinaturis, & ordinandis imminet Dei, & Ecclesiæ ejus vindicta*. Concilium Aquisgranense anno 816. *Tam doctrina quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor*.

Dist. 3. Can. 1.

Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. Plura non congero in re, ne ab ipsis quidem imperitis in controversiam vocanda.

Prob. 3. ex gravibus, quæ parit Clericorum ignorantia, malis. Hinc enim fit, ut cœci cœcis ducatum præstantes, ambo lapsu communi in foveam cadant; ut populi male eruditi vias erroris ingrediantur; ut hæretici absurdiora quæque persuadeant, prout Lutheri, Calvinique temporibus misere innotuit; ut pastores suæ sibi imbecillitatis conscii, sint *canes muti, non valentes latrare*, quin & sæpius transmigrent in castra luporum, quos præ imperitia non secernunt ab ovibus; ut Sacramenta illicite, & sæpius invalide conferantur; ut derideantur Ecclesiæ Sabbata, & cœremoniæ, quia nulla probabilis earum ratio reddi potest; ut approbentur vitiosi contractus; a restitutione eximantur, qui restituere debuerant; in irregularitate ministrent, qui nullam irregularitatis adepti notionem, nesciunt an, & quando contrahatur, &c.

Nec dicas studium, & scientiam iis quidem e Clero necessaria esse, quia Beneficia curam animarum habentia intendunt, non aliis, quibus Beneficium simplex, satis fuerit.

Nam 1. docet experientia eos, qui se Beneficiis duplicibus renuntiasse profitebantur, eadem & crebro urgente vel cupiditate, vel familia, vel utraque simul, non acceptasse tantum, sed & ambiisse. 2. Scriptura, & traditio fidei, & morum regulæ, nullibi quod sciam, Clericos duas in classes distinxere, quarum altera postquam scientiæ, & studiis diu solideque vacaverit, vel nulla, vel minutiora Beneficia obtinebit, & portabit tamen pondus diei, & æstus: altera quidquid in Sanctuario pinguius est, nulla saltem onerosa conditione percipiet. 3. Novit sane Ecclesia, quid sibi debeant Sacerdotes, quid ab iis expectet: porro ad omnes indistincte per Episcopos dicit: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare*; ad omnes: *Sit doctrina vestra populo Dei spiritualis medicina*. Non ergo contra regulam generalem allegari debent inertes Præsbyteri, sed contra inertes Præsbyteros allegari debet generalis Ecclesiæ regula. 4. Sacerdos quilibet in casu necessitatis Sacramentum Pœnitentiæ administrare tenetur. Qua vero hinc se expediet via vir plane rudis? 5. Demum Sacerdoti ad solum etiam Missæ Sacrificium consecrato, quod aliquando fieri posse ob eximiam subjecti pietatem definiisse dicuntur Theologi quidam Parisienses, id saltem necessum foret ut Canones ad statum suum pertinentes, ut Missæ cœremoniarum significationem, ut denique Officii sensum, & alia id genus non pauca, comperta haberet.

Hinc colliges 1. quam graviter peccent tot nobilis aut plebejæ conditionis adolescentes, qui in Universitatibus, & in ipsis quandoque Seminariis tempus molli otio consecrant, nec alio ad studium accedunt passu, quam quo servi ad compedes. Ii nempe injurii sunt. 1. in Deum, cujus Sacerdotium temere, & sacrilege sunt usurpaturi. 2. in Ecclesiam, quam fœde inhonorant. 3. in populos, quibus nec quoad gradum; nec sæpe quoad substantiam, debita præstant aut præstituri sunt obsequia. 4. in parentes, quorum bona, ipso sæpius vultus sudore parta, in usus plane alienos impendunt, & detorquent. 5. in semetipsos, tum in præsenti vita, ubi proborum, & improborum ludibrio se se objectant; tum in futura, ubi certe, *qui ignorat, ignorabitur*. 1. Cor. 14. 38.

Col-

Colliges 2. Clericum, qui multa norit, esse posse sacerdotaliter imperitum, ut si Poetas veteres, historias prophanas, mithologiam, singulas Matheseos partes sedulo pervolverit, vixque ea salutaverit, quæ ad statum suum spectant. Discat ergo quisquis Clericalem scientiam habere volet. 1. scientiam Sanctorum, quæ in spiritualibus libris, in oratione vero potissimum comparatur. 2. Sacram Scripturam, quæ ut arma militi, sic Clerico familiaris, & obvia esse debet. 3. id quod ad dogma, & fidem pertinet, ne verba incaute proferendo, hæreses proferat, ut multis contingit. 4. Theologiam Moralem, quam in auctoribus probatis & ab utroque distantibus excessu, sollicite, & quasi jugiter, ob summam omnia retinendi difficultatem, indagabit. 5. scientiam, ut ajunt, temporis; ne vel hæreat coram mulierculis, quibus hodie de prædestinatione, & gratia loqui familiare est; vel errore, qui molles sub melle, & floribus insidias parat, imprudens circumveniatur.

Colliges 3. quod cum, qui vult finem, & media velle debeat, enixe satagendum sit Ecclesiæ Ministris, ut omni, qua poterunt, arte necessariam sibi scientiam expiscentur: & ad id imprimis opus est litteraria supellectili, ad quam, nisi aliud exigant personæ, situs, conditio, & talenta, ferme sufficiant tres quatuorve Scriptores, in quintuplici, quem modo assignabamus, rerum sciendarum ordine, ut enim bene Quintilianus: *Onerat discendentem multitudo, non instruit*. Si regerant Clerici complures, se tenuioris esse fortunæ, quam ut tot libros comparent: quæram ego, cur igitur tam laute amicos excipiant, &c. 2. pensari debet id, quod docet Augustinus Epist. 147. homines: *plus cogitando, & orando* proficere, *quam legendo, & audiendo*; quod de se confessus est Doctor Angelicus. Quisquis ergo *indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter .·. & dabitur ei*. Sed orationi studium arrectum jungat, cum Apostolus ipse discipulo suo mandet, ut attendat lectioni. 1. Timoth. 4. 3. in id enitendum est ut purificetur oculus cordis, & ebulliens e scientia plerumque imaginaria tumor comprimatur. *Qui se*, ait post Apostolum S. Bernardus Serm. 36. in Cant. num. 3. *putat aliquid scire, nondum scit quomodo eum oporteat scire .·. quid ergo dicit modum sciendi? quid? nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? quo ordine ut id prius, quod maturius ad salutem: quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, vel proximi. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum ut sciant; & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi; & turpis vanitas est .·. & sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent; & charitas est. Et item, qui scire volunt, ut ædificentur: & prudentia est.*

CONCLUSIO III. Ad Clericalem statum requiritur in primis vocatio.

Prob. 1. ex Scripturis Osee 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi .·. iratus est furor meus in eos. Usquequo non poterunt emundari?* atqui *ex se, & non ex arbitrio Summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur,*

ut solide ait S. Greg. Pastor. part. 1. cap. 1. ergo in eos irascitur furor Domini; ac proinde gravissime peccant.

Joan. 10. *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro*: & infra: *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium .·. per me si quis introierit, salvabitur. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat*. Unde sic: immaniter peccat fur, Domini gregem dilanians, mactans, disperdens: sed quisquis non intrat per ostium, seu per Christi vocationem, fur est, & latro, isque vel jam facit, vel *faciet, ad quod venit, ut mactet utique, & disperdat*, ait S. Bernardus, vel quivis Auctor Tract. de vita, & morib. Clericor. c. 7. ergo.

Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu*. Atqui propositio hæc: *nec quisquam sumit*, &c. utpote universaliter negans, nullam patitur exceptionem. Et vero respectu cujus pateretur, quæ non passa est respectu Christi? Ergo quanta quis vel scientia fulgeat, vel emineat pietate, se ipso tamen solo Sacerdotium ingredi non potest, ut qui forte ad illud vocatus non sit, sicut nec ad Apostolatum vocatus erat Barsabas, etsi ab eximia sua sanctitate Justus cognominaretur.

Prob. 2. ex selectis Patrum textibus, qui si omnes colligerentur, in æquum volumen exurgerent. Cyprianus Epist. 55. ad Cornel. *Ita est*, inquit, *aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem*. S. Cyrillus Lib. de adorat. in Spirit. & verit. *Sponte se ingerere absurdum ac turpe est*. S. Chrysologus Serm. 25. *Regnum velle servum, crimen est, adire periculum, temeritas non timere*. S. Bernardus de vita Cleric. cap. 5. *Quid istud temeritatis est, imo quid insaniæ est? ubi timor Dei? ubi mortis memoria? sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi nisi Rege introducente præsumit; tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus*. Hæc quam tetrum sit scelus eorum, qui ad Ordines accedunt non vocati, tam graphice, tam vivide describunt, ut soli lumen addere velit, qui ea discurrendo voluerit illustrare.

V. l. Hal-ler. supra sect. 5. c. 1. § 1. & seq. Prob. 3. exemplo Sanctorum, quibus usque adeo persuasum erat, & præviam ad Ordines requiri Dei vocationem, & eam ad salutem haud sufficere, quod in Juda proditore nimium innotuit, ut alii arrepta fuga sibi consulere tentaverint, prout testantur Historiæ de Cypriano, Athanasio, Martino, Gregorio Nazianz. Gregorio Magno, Chrysostomo, Fulgentio; alii reluctantes, & quasi vim passi, consecrati fuerint, ut Nicolaus Myrensis, Alexander, Anatolius, Augustinus, cujus notum id ex Epist. 21. alias 148. *Vis mihi facta est merito peccatorum meorum*; alii in dedecoram suspicionem venire moliti sint, ut Ephrem Syrus, qui insaniam, & Ambrosius, qui impuritatem ac crudelitatem simulavit; alii violentas sibi manus intulerint ut Ammonius Monachus, qui ne Sacerdos consecraretur, aures sibi præcidit, minatus se eam, qua egregie loquendo placebat, linguam præcisurum esse, nisi populus instare desineret; alii demum, ut Franciscus Assisius, Diaconatu jam inaugurati, ulterius progredi ausi non sunt. Merito igitur dixit S. Cyrillus Alexandr. Hom. 1. de fest. Pasch. *Omnes Sanctos reperio divini ministerii ingentem veluti molem formidantes*.

Prob.

Prob. 4. ratione. Vocatio est supernaturalis providentiæ actus, quo Deus aliquos præ aliis eligit, & congruis ad sacra ministeria digne, & ut par est obeunda, dotibus instruit, atque præparat: atqui hæ Dei electio & præparatio prorsus necessariæ sunt: 1. quia iis seclusis læditur suprema Dei auctoritas, multo plus quam læderetur auctoritas Regis, si quis eodem invito publicam rem administrare, populis jura dicere, exercitibus præesse, fontes vel addicere pœnis, vel iisdem subtrahere pro nutu & arbitrio præsumeret.

2. quia ex eodem defectu contingit ut male gerantur ministerii munia. *Unusquisque* enim, ait Apostolus 1. Cor. 7. *proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic*; donum, inquam, in eos ordinatum fines, ad quos is & hic homo a Deo conditi fuere; ergo, qui non ut gregi præesset, factus est, haud felicius in ejus regimine se geret, quam in corpore pes, si oculi locum tenere velit. Unde, qui in inferiori conditione debitas veræ sapientiæ laudes meruerat, experiebatur id Proverb. 30. *Postquam elevatus est in sublime, stultus apparuit*, quin etsi, (ut quandoque fit permittente Deo, qui etiam malis bene utitur) quædam exercere possit homo non vocatus, quæ & Ecclesiam Christi illustrent, & populorum saluti plurimum inserviant, non eo melior, sed forte hinc lugenda magis erit conditio ejus, ut, qui quasi excæcatus splendore bonorum, quæ parit, seu sacras habendo conciones, seu peccatorum corda in Pœnitentiæ tribunali fortiter & suaviter flectendo; vix unquam concepturus sit, quam fœde vel a primo itineris passu erraverit, prohibitum sibi tramitem ineundo. Dicet *Matth. 7.* ergo, quod *multi dicent in illa* judicii *die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus*, sanctas Evangeliis veritates nervose exponendo, *& in nomine tuo dæmonia ejecimus*, præsertim per Sacramentum Pœnitentiæ, *& virtutes multas fecimus*, obstruendo os loquentium iniqua, hæreticos reducendo ad viam veritatis, plebem veteribus odiis discissam ad pacem non sine sudore revocando? *& tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, discedite a me, operarii iniquitatis*, cucurristis in vanum, quia non miseram vos; gratuitæ erant, non gratum facientes gratiæ vestræ, nec in vestram, sed in aliorum utilitatem in ira mea vobis concessæ.

3. Et hæc probatio nova est confirmatio præcedentis; eatenus quis certi status functiones sancte & legitime implet, quatenus sic eas exercet ut placeat Deo; alioqui enim opus omne licet de se præstantissimum, aurum quidem est, sed reprobum: sed, qui contra Dei vocationem Clericalia munia exercet, Deo placere nequit. Deo enim placere non potest, qui facit, quod Deus non ab eo, sed ad alio fieri vult: sed, qui contra Dei voluntatem Clericalia munia exercet, facit id, quod non Deus ab eo, sed ab alio fieri vult: ergo se habet sicut famulus, cui præceptum est ut domi laboret, &, qui tamen vineam, reluctante hero, imo & iis plerumque exclusis, qui ab hero conducti fuerunt, colere præsumit; ergo pœnam Numer. 1. latam his verbis: *Quisquis externorum* ad Tabernaculum *accesserit, occidetur*, sibi meretur, non mercedem. Hæc multo fusius tum innumeris, qui de vocatione Clericali conscripti sunt Libris, tum apud Habertum in Tract. de Ordine, pie sed paulo magis concionatorie exposita reperies.

Quod

Quod si hinc inferas, id ergo unum superesse Sacerdoti non vocato, ut vel desperationi se dedat, vel abjecto, quem male amplexus est, statu, ad sæcularia regrediatur: duo reponit idem Theologus. 1. nec licere ad sæculum reverti, quia indelebilis sit Sacerdotii character; nec omnino spem esse abjiciendam. 2. iis tamen Clericis, qui non vocati ad sacra devenerunt, summopere timendum esse, ne in æternum pereant.

1. Quidem non omnino desperandum est, quia Deus, qui primaria intentione singulos ad certam vitæ speciem destinavit, vult secundaria intentione, ut qui vocationi suæ defuerint, suam hanc culpam seriæ Pœnitentiæ lachrymis diluant, & diluendo in Ordinem, a quo temere discesserunt, regrediantur. Unde tunc ex misericordia, ea homini largitur auxilia, quæ legitime vocatis ex qualicumque justitia debet. Et vero cum Deus hominem Sacerdotio semel inauguratum, castum, & cœlibem perpetuo manere velit, nihil impossibile jubeat, exigit misericordia ejus, ut *jubendo moneat, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvet ut possis*. Trident. sess. 6. c. 11.

2. Quia tamen vocatio Dei certas communiter dotes præsupponit, ut prudentiam ad regendum, facundiam ad docendum, &c. eæque non necessario a pœnitentia dimanant, necessum est ut Sacerdos, qui officia quædam easdem dotes præexigentia usurpavit, iisdem quam primum se exuat: id autem haud profecto facile est iis, qui ut plurimum non alio intuitu Sacerdotium ingressi sunt, quam ut hæc eadem officia consequerentur, qui quam iisdem obeundis impares sint non sentiunt, qui vix unquam coram Deo expendunt, an in ovile per ostium ingressi sint; qui etiam cum de vocatione sua dubitant, non id curant ut seriæ pœnitentiæ vacent, sed ut molestos importunæ conscientiæ remorsus excutiant: ergo merito dictum est reparari quidem posse, raro tamen, & vix reparari genuinæ vocationis defectum. Unde Auctor operis imperfecti Hom. 40. *Quis vidit aliquando Clericum pœnitentem*? Certe, ait S. Leo Epist. 85. *difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio*. Nostræ hujus doctrinæ Summam passim exhibet, qui insigne fuit Cleri exemplar Ludovicus Tronson in *forma Cleri*, consule part. 1. cap. 3. art. 7. & alibi.

Hinc colliges 1. ei, qui de amplectendo Clericali statu cogitat, serio perpendendum esse, vocatusne sit, an secus. Hic porro triplicis generis occurrunt signa, alia, quæ vocationem abesse probant; alia, quæ ipsam adesse convincunt; alia demum, ex quibus utpote ambiguis nihil certi definiri potest.

Signa non vocationis, si ita loqui licebit, paucis his expressit Hallerius part. 1. sect. 3. c. 2. §. 4. *Impurus es, & ad obeunda ministeria ineptus* ex corporis aut animi defectu; *mala arte Sacerdotium præripere tentas; ambitione duceris vel avaritia; inhias onori, non oneri, non operis aut cupidus, aut saltem patiens, non te vocat Deus, sed diabolus tentat*. Impuritas tamen seu morum corruptio, cum, ut debet, fuerit abstersa, vocationem non impedit.

Signa vocationis moraliter certa, sunt judicium directoris periti, discretionem spirituum habentis, & in Ecclesiam bene affecti; congeries qualitatum seu animi seu corporis, quæ ad obeunda sancti ministerii officia requiruntur, puta gloriam Dei, suamque, & proximi salutem, omni,

qua

qua licebit, via, procurandi intentio; Ecclesiasticæ disciplinæ, & a fortiori Ecclesiæ ipsius amor ingens, & studium; nativa aut diu comprobata in Clericalem statum propensio, summa ejus excellentiæ, & functionum æstimatio.

Dubia vocationis indicia, sunt corporis ingeniique talenta, ipsa vitæ puritas, ardens Ordines recipiendi desiderium, quod sæpe non a charitate, sed a charitatis adversaria cupiditate profluit. Puritatem morum, & naturæ talenta inter æquivocas vocationis probationes recenseo, quia priori ornatos esse oportet Christianos omnes; posterioribus vero eos, qui ad certos Reipublicæ gradus evehuntur. Et vero quot sæculares in laica professione sancti, & oculati, quos, quia sæculares permanserunt, nemo vocationi Ecclesiasticæ defuisse suspicatur?

Colliges 2. ei, qui in tanti momenti materia errare nolit, explorandam sedulo esse Dei voluntatem. 1. oratione, in qua exclamandum cum Psalmista: *Notam fac mihi* Domine *viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam*. Psalm. 142. Si enim, ait hic Augustinus, *non me docueris, faciam voluntatem meam, & deseret me Deus meus*. 2. Sapientiorum consilio, & interrogatione, juxta id Eccli. 32. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*. Certe si generaliter verum sit id S. Basilii Orat. de fœlicit. *qui nemine consultore utitur, similis est navigio rectore carenti*, quanto magis in præsenti materia. 3. plena totalique indifferentia, sic ut *pendeat inter utrumque voluntas nostra, aut saltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans semper ne forte altera pars magis Deo placeat*, prout solide docet S. Bernardus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De his, quæ ab homine jam Clerico fugienda sunt aut præstanda.

PRæsens Articulus suam secum partitionem præfert, unde. 1. de vitiis a Clerico fugiendis. 2. de virtutibus, quas præsertim exercere debet, differemus.

SECTIO PRIMA.

De his, quæ a Clerico vitanda sunt.

SIngula a Clericis omnibus vitia sedulo devitanda esse, nemo est, qui possit inficiari: neque vero minus certum est ex iis esse non pauca, quæ Clericalem statum magis dedeceant, & furorem Dei potentius inflamment, qualia sunt præsertim incontinentia, intemperantia, & præcipue ebrietas; ferale avaritiæ crimen; ambitio, simoniæ, pluriumque scelerum parens; hypocrisis, quæ etiam virtutes vertit in peccatum, & alia id genus, quæ speciali calamo perstrinxere quicumque de Ecclesiastico statu scripserunt. Quoniam vero hæc sigillatim insequi non possumus, duo nobis probasse sufficiet. 1. generaliter nullum esse peccatum, quod horrere non debeat vir Ecclesiasticus. 2. multa esse, quæ tametsi permissa Laicis, Clericis autem imputentur in vitium, qualia sunt venatio, ludus aleæ, negotiatio, & similia. Sit igitur

CON-

Conclusio I. generalis. Clerici ab omni vitio purissimi esse debent.

Prob. Si Clerici vel ab ipsa mali specie abstinere debent, si quæ levia sunt in Laicis, hæc in Ecclesiasticis sint graviora, si demum quæ tolerantur in sæcularibus, hæc in militibus sacris redargui mereantur, utique certum est Clericos ab omni vitio purissimos esse debere: atqui hæc omnia constant. 1. quidem *Clerici non solum debent abstinere ab his, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali*. Ita expresse S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3. Præiverat S. Bernardus Lib. 3. de Consid. cap. 4. his verbis: *Interroga majores tuos, & dicent tibi: Ab omni specie mala abstinete vos*. Idem habet Concilium Remense an. 1583. a Gregorio XIII. confirmatum. Et vero si id generaliter Christianis omnibus dictum sit ab Apostolo 1. Thessal. 5. quanto plus ad Clericos dictum censeri debet? 2. quæ levia sunt in Laicis, multo sunt in Clericis graviora, unde Tridentinum Sess. 22. cap. 1. de Reform. *Sic decet omnium Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant*. 3. demum redarguuntur in Clericis, quæ in aliis tolerantur, aut etiam permittuntur. *Plerumque*, ait S. Gregorius Lib. 8. Epist. 5. *quod in Laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro Ordine constitutis*. Consonat tritum id S. Bernardi Lib. 2. de Considerat. cap. 13. *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ .'. consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum est, assuescere sacrilegium*. Hinc incunctanter Petrus Blesensis Serm. in Psalm. 2. *Quod veniale est plebi, criminale est Sacerdoti. Quod erroneum est ovi, peremptorium est Pastori*.

Jam vero ut hæc emphatice, & per exaggerationem dicta non esse pateat, sufficiet perpendisse in Clericorum peccatis concurrere id omne, quo graviora effici possint. Ubi enim, qui peccat, eum offendit, cui charior est, a quo & beneficia plura, & plura vitandæ offensæ media recepit, ubi denique per peccatum efficacius subvertuntur consilia & intentiones illius, contra quem peccatur, hic necessarium est gravius peccari. Atqui hæc omnia in Clericorum peccatis concurrunt. 1. eum offendunt, cui sunt chariores, juxta id Zachariæ 13. *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, id est diligere debuerant: ergo cum profundius læditur cor amantis, gravius lædendo delinquunt, juxta id Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanimis, &c.* 2. eum ex consequenti offendunt, a quo plus recepere boni & plura proinde vitandi peccati media; cum Deus pro modo amoris sui gratias conferre soleat, & Sacerdotium vel unum, sit gratiam, quam nobis invideant Angeli. 3. efficacius Dei consilia & intentionem subvertunt, cum eo instituti sint fine ut essent sal terræ, lux mundi, magistri insipientium, dæmonis imperii destructores, &c. Verum ut ex iis, quæ mox dicta sunt, quædam magis firmentur, sit

Conclusio II. Clerici a multis, quæ in sæcularibus non culpantur, aut minus arguuntur, abstinere debent, qualia sunt 1. venatio. 2. militia. 3. ludus aleæ. 4. negotiatio. 5. gestio negotiorum sæcularium. 6. exercitium chirurgiæ. 7. popinarum ingressus. 8. luxus omnis, spectacula, comessationes, & similia.

Prob

Prob. 1. pars de venatione, ex Ecclesiæ decretis. *Episcopum*, ait c. 1. *de Clerico venat. Præsbyterum, aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet: quod si quis talium personarum in his sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus, si Præsbyter duobus, si Diaconus, ab omni officio suspendatur*. Idem sanxere tum Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. Can. 15. his verbis: *Venationem & aucupationem universis Clericis interdicimus; unde nec canes, nec aves habere præsumant*; tum Synodus Nannetensis an. 1264. ubi sic: *Quia nullum venatorem invenimus sanctum*, * *præcipimus, ut Prælati solliciti sint & intenti in puniendo Clericos venatores, & præcipue Præsbyteros & Religiosos, de quibus majus scandalum generatur*. Consonat Aquense Concilium an. 1585. ubi prohibetur, ne Clerici *ullum venationis genus exerceant.... armave ferant*; atque id etiam Regum nostrorum Capitularibus vetitum est. Et vero si Concilium Trecense vel ipsis Templi militibus, eo quod Religiosi essent, interdixit *ne in bosco cum arcu & balista jaculari*, imo ne *cum illo*, *qui hoc fecisset* gradi auderent, quanto plus censeri debet id prohibitum Clericis, qui armorum usum & consuetudinem non habent ut Templarii?

Nec dicas obsolevisse prædictos Canones, & usu contrario fuisse revocatos. Id enim, quidquid clament & reclament Clerici venatores, falsum esse constat: 1. quia doctrina, quæ Clericos venari prohibet, in omnibus Regni Seminariis docetur; 2. quia Episcopi pene omnes vetera Conciliorum Decreta in præsenti materia renovant, eaque, cum se offert occasio, servari præcipiunt; 3. quia etiamnum subsistunt motiva, quæ Patres ad prohibendam Clericis venationem impulere. Hæc enim sunt juxta Synodum Aquilejensem an. 1596. tit. 9. quod Clerici nec arma deferre, nec sine Clericali habitu prodire in publicum, nec tempus, quod studio & orationi consecrare tenentur, inter canum latratus, & incomptas obstrepentium voces, consumere & terere debeant: atqui hæc omnia, aliaque, quæ ab expertis facile intelliguntur, non minus tunc urgent, quam olim: ergo.

Hinc colliges Clericum venationi deditum, esse in statu peccati mortalis; gravitas enim peccati colligitur, tum ex gravitate pœnæ, quam lex infligit, aut minatur infligendam; tum ex inconvenientibus, quæ legis violationem comitantur; tum ex modo, quo præcepti executionem urget legislator: atqui citati textus gravem minantur pœnam transgressoribus: aliunde sua sunt pericula & inconvenientia venationi quæ fit cum armis, &c.

Hæc, ut patet, de clamosa venatione intelligenda sunt, non de quieta, quæ fieret cum rete aut laqueo. *Non* enim, ait S. Raymundus, prohibetur *Clericis ponere laqueum vel rete in silentio, dummodo tamen divinum officium*, Scripturæ sacræ lectio, Theologiæ studium, meditatio, & similia non negligantur. Idem docet N. Alexander cap. 5. de Ordine, ubi notat, quod Tridentinum dum Sess. 24. c. 12. jubet Canonicos *ab illicitis venationibus* abstinere, tacite innuat quasdam esse venationes, Clericis minime prohibitas, eas nimirum, quæ, quia sine canibus & avibus fiunt, quietæ dicuntur.

Addit

* Verba hæc de homine venationi nimis addicto interpretatur Decoq. Tract. de Jure, &c. pag. 43. Cœterum, inquit, *S. Hubertum*, *S. Eustachium*, *& alios quosdam sanctos venatores veneramur*.

Addit Sylvius in 2. 2. q. 66. art. 2. Clericum, qui raro & absque scandalo venaretur, nonnisi venialiter esse peccaturum. Haud equidem graviter arguerim Parochum, qui euniculum vel leporem suis insidiantem caulibus occiderit: sed nec diffiteri possum venationem prorsus omnem, quæ fit cum strepitu & armis, plerisque Canonibus proscribi, unde satis dubia mihi videtur Sylvii decisio. Cæterum Clericus, qui in proprio fundo venaretur, non justitiam, sed solam Religionem, & debitam Ecclesiæ legibus obedientiam læderet.

Prob. 2. pars de militia, ex Can. 6. XXIII. q. 8. ubi sic: *Quicumque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant: sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant: quod si contempserint, tanquam sacrorum Canonum contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo & sæculo militare*. Idem docet & solide probat S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. 1. *quia bellica exercitia maximas inquietudines habent: unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum*; 2. quia *non competit* Clericis *occidere, vel effundere sanguinem*; *sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo*. An autem & quando contrahatur irregularitas occasione belli, expendi, ubi de Irregularit. part. 2. c. 8. art. 4.

Prob. 3. pars de ludi aleæ: 1. ex Conciliis. Lateranense IV. Can. 16. sic habet: *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*, quod salubre Decretum cum aliis ad Clericorum mores spectantibus renovatum est a Tridentino Sess. 22. c. 1. de Reform. Concilium Senocense an. 1528. *A ludo alearum, aliisque, qui a sorte pendent, abstineant Clerici: neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant*. Mediolanense I. *Nec solum*, ajunt Patres part. 2. Clericos *ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus*. Idem docent plures aliæ Synodi, quas congerit Nat. Alexander ibid. Reg. 4.

Prob. 2. ex Patribus. *Si vos dimisero*, ait S. Basilius Homil. 8. in Hexamer. *sunt, qui protinus ad tesseras, aleasque se se conferent: juramenta sunt illic, contentionesque pergraves, ac avaritiæ partus. Spiritus malignus assistit, furorem punctis ossibus illis ludentium, insaniamque accendens*. S. Antoninus 2. part. Summæ, tit. 23. §. 6. *Quot*, inquit, *in taxillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt. Primum est amissio temporis; 2. blasphemia; 3. contumelia; 4. dissipatio substantiæ temporalis; 5. Ecclesiæ contemptus, seu inobedientia* (1) *6. est furtum; 7. est gula; 8. homicidium* (2) *9. invidia; 10. rerum in familia necessariarum penuria*, unde uxoris, puerorum, ac familiæ totius murmurationes & maledicta; 11. *jactantia; 12. mendacium, 13. neglectus divinorum*, dierumque sanctiorum profanatio major, *quam si terram colerent, quod est festa violare; &c.*

Hinc colliges 1. cum P. Antoine Tom. 2. cap. 274. mortaliter peccare Clericos, qui sæpe alea ludunt cum jactura notabili temporis, vel etiam

(1) Jam observavi in Tract. de Contract. part. 2. cap. 10. aleam saltem paulo frequentiorem ipsis etiam Laicis prohibitam fuisse per Ecclesiæ Canones.

(2) Vidimus & Laicum & Sacerdotem, quorum alter crurifragio, suspendio alter vitam absolverit ob crimina, quæ ludi amor pepperit.

etiam semel cum scandalo, vel magna pecuniæ summa; (vel *ex cupiditate lucri notabilis*, ait N. Alexander) 2. ludum in Clericis adeo indecorum longe magis indecentem esse in Religiosis, eoque plus, quo arctiorem sanctioremque vitam profitentur. Unde Lugo disp. 31. de Justit. sect. 1. n. 12. a viro gravi dictum refert, quod si *hominem Societatis* Jesu *vidisset semel chartis ludentem, judicaret eum mortalis peccati reum. Quod ego etiam*, ait idem Cardinalis, *de Patribus Capucinis, Carmelitis discalceatis, & similibus dico*.

Colliges 2. cum Haberto part. 3. de Contract. cap. ult. eos etiam Clericos, qui modice, & moderate alea ludunt, vix immunes esse a peccato saltem veniali: *Quod*, inquit, *magis indubitatum esse debet in illis Diœcesibus, in quibus statuta hujusmodi ludos Clericis absolute prohibent*. Et vero chartarum illecebræ sensim rapiunt, illaqueant, & ludendi consuetudinem pariunt. Quin & pene semper hominem ad pietatis officia segniorem efficiunt. Idem docet Pontas v. *Jeu* cas. 2. & 4. ut, quid ergo aleæ ludus quærunt, qui honestis aliis lusibus animum innocenter possunt recreare?

Colliges 3. non raro evenire ut Clerici ac ipsi Laici eos inspiciendo, qui ludunt, mortaliter peccent: atque id præsertim contigit, cum, ut ait Angelus de Glavasio, v. *Ludus*, §. 6. qui ludendo mortaliter peccant sive ob blasphemias, sive ob notabiliorem, quam exponunt summam, &c. ex eorum, qui circumstant aspectu *inducuntur efficaciter* ad continuandum. Idem docet Pontas ibid. cas. 10. idipsum nec plus docere voluit Nat. Alexander, ut patet ex cap. 2. citatæ ejusdem Doctoris Apologiæ, cui titulus: *Eclaircissemens de quelques difficultés, &c.* pag. 16.

Prob. 4. pars de negotiatione. Scilicet enim negotiatio est contractus, quo quis rem eo animo comparat, ut integram & non mutatam vendendo, aut permutando lucretur: atqui ea contractus species, & Clericis, & Religiosis stricte interdicta est. Commercium enim periculi plenum, quod hominem implicat negotiis sæcularibus, eumque a Deo avocat, non potest licitum esse iis, qui, se suasque Evangelio consecraverunt, cum vix permissum sit Laicis, ut diximus part. 2. de Contract. cap. 1. art. 8. sect. 2. atqui, ut etiam ibidem ostensum est, negotiatio quoddam est commercii genus plenum periculi, &c.

Prob. 2. ex Jure Canonico, quod Clericorum norma præcipua esse debet: *Negotiari*, ait Canon 10. dist. 88. *aliquando licet, aliquando non licet: antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto jam non licet*. Concinit Alexander III. cap. 6. *Ne Clerici vel Monachi, &c.* ubi sic: *Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur*. Idem sanxit Concilium Mediolan. I. c. 26. his verbis: *Negotiationem omnis generis omnino Clericis prohibemus*: ergo mortaliter peccant Clerici aut Religiosi negotiatores; cum gravissima anathematis censura nec decernatur, nec præparetur iis, qui venialiter solum delinquunt, prout dixi, ubi de Censuris. Hanc porro & similes pœnas nuper renovavit, qui nunc tanta cum laude toti Ecclesiæ præest Benedictus XIV. in Bulla *Apostolicæ servituti* data an. 1740. *contra Clericos sæcularibus negotiis se*, sub suo vel alieni nominis velamine, *immiscentes*.

Hic quædam notanda. 1. citatos Canones ab Haberto, & aliis passim restringi ad Clericos, qui vel in sacris sint, vel Beneficiarii. Idem docet

Lugo ibid. docet Lugo disp. 26. sect. 4. num. 25. quia, inquit, negotiatio non tam videtur indecens minoribus Clericis, ut qui ad nuptias vel statum pure laicum transire possint. Hoc & ego olim admisi, quia a *communi Doctorum sententia* recedere non amo. Multo tamen satius est, ut, qui Clerici manere volunt, ab iis omnibus abstineant, ut quæ periculum habeant, & non nihil indecentiæ. Certe citati Canones non solum indistincte loquuntur, sed & negotiationem prohibent, statim ac quis *Ecclesiasticus factus est*. Et vero ut quid Clericus esse pergit, qui mercatorem agere vult? Consonat Sylvius 2. 2. q. 77. art. 4.

Ut ut est, negotiationem iis etiam Religiosis, qui Clericalem gradum non habent, vetitam esse, pro certo habet idem Lugo; & *in hoc*, inquit, *omnes conveniunt*, idque Turrianus ad ipsos etiam Novitios extendit. Posset tamen hic alibi excusare gravis & urgens Clerici ac Religiosi necessitas. Unde excusat Lugo n. 37. eos, qui in Brasilica regione gentilium saluti allaborantes, non alia, quam negotiationis, via, habere possunt id, quo ad sui sustentationem indigent.

2. Non constat, an Clericus etiam in sacris constitutus, qui semel aut iterum negotiatur, puta libros, cruces, & similia ad revendendum emendo, mortalis peccati reatum incurrat. Negant cum aliis pluribus Salmaticenses, nec improbat Lugo ibid. n. 24. nisi tamen intersit scandalum, & negotiatio fiat in maxima summa, quia id non videtur alioqui gravis indecentia; & aliunde Canones, qui negotiatorem Clericum gravibus subjiciunt pœnis, non actum transeuntem, sed consuetudinem & habitum insinuare videntur. Idem sentit Sylvius, nisi ultra progreditur, cum ait: *SI clam & absque scandalo negotietur Clericus, non liquet esse mortale, antequam admoneatur de abstinendo*. Absit tamen ut quis licitum sibi credat, quod *non liquet esse mortale*. Unde in his omnibus, sicut & in quocumque casu dubio, pars tutior tenenda est.

3. Ambigitur an Clericis liceat negotiari per alios, qui totam præstent industriam, puta pecuniam mercatoribus in societatem conferendo. Negat P. Antoine id extra necessitatis casum fieri posse absque Rom. Pontificis consensu saltem tacito. Tum quia, inquit, est illud Ecclesiastico statui indecorum; tum quia ita sancitum est consuetudine, quæ vim legis habet; unde & reprehenderentur, qui secus facerent. Mitior hic Antonio Sylvius, fatetur tamen *hujusmodi mercimonium*, *& statum Ecclasiasticum dedecere, & vix absque aliquo Clerici peccato fieri posse*. Et id præcipue verum est, cum Clericus totam laico negotiationem non committit, sed aliquam ejus partem exercet sollicitando, dirigendo, instruendo, & quasi *superintendendo*, ut loquuntur Salmaticenses. Addit Lugo & bene, tantam esse posse hanc superintendentiam, ut ad culpam mortalem deveniat; quod sæpius evenire non diffitebuntur, qui noverint, quam inquiete temporalia inhient bona, qui postquam Deum ut hæreditatis suæ partem elegerunt, retro convertuntur.

Lugo ibid. n. 36.

4. Etsi vetet Concilium Calcedonense cap. 3. ne Clerici ulli vel Monachi, *conductores alienarum possessionum fiant*, possunt tamen & proprios agros colere, ut fructus vendant, & greges suis in prædiis alere, ut vel saginatos venumdent, vel ex lana & lacte lucrum honestum, & pie impendendum percipiant. *Si Apostoli*, ait Hieronymus relatus cap. 33. *de Consecr.* dist. 5. *habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus*

nibus suis .. cur tu in usus tuos cessura non praepares ? vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus .... texantur & lina capiendis piscibus. Idem sanxit Concilium Carthaginense IV. an. 398. relatum dist. 91. c. 3. his verbis: *Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento paret*, & c. 4. ibid. *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quaerat*. Porro necessum est, ut, quas exercebit artes Clericus, non dedeceant Clericalem statum; unde nec chartas lusorias, taxillos, arma bellica conficere potest, nec macellarium aut tabernarium agere, quod & eisdem Canonibus interdictum est, nec frequentare nundinas.

Perperam monuerim eos, qui vinum, cum abundat, vili pretio emunt, eodem pretio amicis revendendum, non esse negotiatores. Imo nec tales dici possent, si bona fide plus emissent, quia plus necessarium sibi vel Communitati crediderant, & majori revenderent pretio. Licet enim id, quo non indiges, vendere pretio currenti, solumque peccas, si emeris ea intentione ut majori pretio revenderes.

Ex dictis paulo ante colliges errasse Massalianos, qui manualia opera interdicebant Monachis. Sed nec minus errarunt Vviclefitae, qui in oppositum lapsi, nulli Religioso voluntariae paupertatis statum, sed solum manuum laborem permittebant. Adi Lugo disp. 26. n. 27.

Prob. 5. pars de saecularium negotiorum gestione: 1. ex Apostolo 2. Timoth. 2. ubi & assertio nostra, & efficax ejusdem probatio traditur: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit*; 2. ex Concilio Calcedon. cit. Can. 3. ubi sic: *Decrevit sanctum hoc Concilium, nullum deinceps non Episcopum, non Clericum vel Monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis saecularibus se miscere, praeter pupillorum, si forte leges imponant, inexcusabilem curam*; ex tot. tit. *Ne Clerici vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant*.

Quae vero saecularia negotia Clericis interdicta sint, fuse evolvit Concilium Mediolanense I. c. 26. *Qui Deo militat*, ait, *implicare se negotiis saecularibus prohibetur*; *idcirco edicimus*: *Ne Clericus sacris initiatus, aut Ecclesiastico Beneficio praeditus, coram judice saeculari Advocati aut procuratoris nomine causas agat, nisi ab aliis in judicium vocatus, suam vel Ecclesiae suae, propinquorum etiam, si necesse erit, & miserabilium personarum causas, facultate ab Episcopo prius scripto concessa, tueatur. Ne in profanis negotiis Officium Tabellionatus exerceat. Ne artem medendi faciat. Ne in negotiationibus & mercaturis se interpretem & medium interponat.. Ne aliena praedia lucri causa conducat. Ne aliorum tutelam aut curam* libere *suscipiat*. *Ne pro illis fidejubeat*, nisi id exigant pietas & misericordia, quo etiam in casu opus est Episcopi dispensatione. *Ne alicujus Principis, aut alterius, negotiorum procurator sit, sine facultate ab Episcopo prius per litteras impetrata, & singulis annis renovanda*, &c. Vide Augustinum De Lamet v. *Avocat*, ubi Advocati professionem a Beneficiario exerceri non posse ostendit.

Iis insistendum est statutis, nisi quibusdam derogaverit sana consuetudo, ut in Galliis, ubi, cum de civilibus agitur, Clerici Consiliariorum & Judicum officiis in Reipublicae bonum defunguntur.

Prob. 6. pars de exercitio Chirurgiae, ex cap. 9. *Ne Clerici vel Monachi*, ubi prohibet Concilium Lateran. IV. *Ne ullam Chirurgiae artem*

Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit. Verum de his, quæ fusiori indigent expositione videris, quæ dixi, ubi de Irregular. 2. p. c. 8. p. 151.

Prob. 7. pars de popinarum ingressu. *Non oportet*, ait Concilium Laodicenum an. 320. relatum c. 2. dist. 44. *non oportet Clericos* etiam *Ostiarios aut Psalmistas, tabernas intrare.* Lateranense IV. Can. 15. & 16. *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant ... nec ad bibendum quispiam incitetur ... Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.* Mediolanense I. c. 26. *Clerici minus honestis conviviis ne intersint ... cauponarum aditum & usum omnino eis interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa.*

Idem præcipiunt Concilia Agathense, Aquisgranense, Herbipolense, Suessionense, Londinense, Remense, & innumera Episcoporum statuta. Quam ergo fœde, quam periculose illudunt sibi tot Sacerdotes, qui tabernas sub pœna suspensionis, peculiari locorum lege prohibitas sibi, palam & temere frequentant, quasi, qui eas prohibent, Episcopi potestate sua abutantur, & id vetare non possint, imo non omnino debeant, quod omnibus pene sæculis vetuere Concilia? quasi Ministros Christi ea deceat invisere loca, quæ vix permittunt sibi homines mundanæ frugis? aliud sane judicabat Hieronymus in Epist. ad Nepotian. *Convivia*, ajebat, *tibi detestanda sunt maxime sæcularium ... Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat.* Aliud & sentiebat immanis ille Christianæ fidei hostis Julianus Apostata, qui falsorum numinum Pontifices Clericalis modestiæ æmulos esse volens sic ad Arsacium ethnicum Pontificem scribebat Epistol. 49. *Sacerdotem quemque hortare, ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat ... Et qui tibi in his rebus ... resistunt, expellito.*

Prob. 8. pars de luxu, spectaculis & similibus. De Luxu patet ex Can. 15. Concilii IV. Carthaginensis, ubi sic: *Episcopus*, & a fortiori Clerici inferiores, *vilem suppellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.* Concilium Nicænum II. *Omnis luxus & ornatus corporum, est a sacerdotali statu alienus. Episcopos ergo vel Clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet: sin autem permaneant, supplicio tradi ... a superioribus enim usque temporibus omnis vir sacerdotalis cum modesto & honesto indumento versabatur.* Et vero Cleri luxum, non Ecclesiæ curam, sed contemptum denotare, non gloriam Ecclesiastici status esse, sed opprobrium, non ædificationi esse populis, sed scandalo, solide probat auctor Formæ Cleri part. 3. c. 6.

De Spectaculis idipsum docent plura Concilia, quæ pro more adduxit Nat. Alexander Reg. 5. e multis unum adducemus. Narbonense an. 1609. ubi sic cap. 41. *Ut monemus populum, ita Clericos districte choreas quacumque ex causa ducere, aut illis interesse prohibemus: vitent tripudia, ludos publicos ... ad histriones non accedant: ne puritas Sacerdotis rerum inanium aut etiam obscœnarum aspectu polluatur .... Contra agentes pœna carceris, & alia ad arbitrium Ordinarii comprimantur.*

Cœtera non prosequimur ut quæ e prima Conclusione sponte fluant & deriventur. Unum hic monebimus plurimos esse, qui vel in ipso sacrorum

crorum Ordinum ingressu reos se faciunt gravissimæ fraudis, dum Episcopo quasi verum exhibent titulum collusorium, hypothecis realibus gravatum, multo minorem summa per diœcesanam legem constituta: & ii omnes jure communi, Parisiis & alibi vigente, suspensionem incurrunt ipso facto, nec ab ea a quoquam absolvi possunt, donec titulum legitimum assecuti sint, aut ab eo dispensati. Vide Tractatum Gallicum de Dispensationibus L. 2. part. 6. c. 3.

SECTIO SECUNDA.

De iis, quæ a Clerico præstanda sunt.

UT vitia omnia a Clericis vitari, sic & ab iis virtutes omnes constanter exerceri debent. Eos vero præcipue decent fides intensa, spes firma, charitas ardens, zelus seu studium & suæ & alienæ salutis, religionis & orationis spiritus, hospitalitas, castimonia, mansuetudo, & aliæ ejusdem generis dotes, quas sigillatim indagare non sinit angustior voluminis textura. Sed quia quædam sunt, quæ an etiam Clericis necessaria sint, ambigi videtur saltem in praxi, ea paucis expendenda credimus, ut quo gradi debeant pede intelligere possint & cujuscumque gradus Ecclesiastici, & eorum directores. Rem totam ad præcipua quædam capita revocabimus, an scilicet: primo, Clericus Tonsuram & habitum Clericalem gerere debeat; secundo, an non aliquod Ecclesiæ obsequium præstare teneantur Clerici juniores; tertio, an teneantur ad scientiam & praxim cœremoniarum; quarto, an ad officii Ecclesiastici recitationem, &c.

CONCLUSIO I. Clerici simplices Tonsuram & habitum Clericalem, qui vero sunt in sacris vel Beneficiarii vestem talarem gerere debent.

Prob. 1. pars. Eam in Tonsura & habitu Clericali formam sequi debent Clerici quicumque, quam serio & graviter præscripsere sacri Canones, quam urgent & urgere debent omnes Episcopi, quam constanter secuti sunt, qui bonum in Ecclesia nomen obtinuere: atqui quod Clerici Tonsuram, habitum statui suo convenientem gestent, serio & graviter præscripsere sancti Canones; idipsum urgent omnes Episcopi, &c.

Et quidem, quod id præcipiant Canones, res est manifesta. *Præcipimus*, ait Concilium Lateranense II. cui, præside Innocentio II. intererant mille circiter Episcopi, *ut tam Episcopi, quam Clerici, in statu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere studeant; & nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, nec in Tonsura, intuentium offendent aspectum ... quod si moniti ab Episcopis emendare se noluerint, Ecclesiasticis careant Beneficiis*. An porro nihil erit culpa, quam qui admiserint, sunt a Beneficiis arcendi? An. 1139.

Idem sanxit Concilium Lateranense IV. Can. 16. *Clerici Coronam & Tonsuram habeant congruentem .... clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda*. Concil. Tridentin. Sess. 14. cap. 6. *De Reform.* vanam, quæ a vanis Ecclesiasticis afferri solet, excusationem his explodit verbis: *Etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericis vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant*.

dant . Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas , religionisque contemptus , ut propriam dignitatem & honorem Clericalem parvi pendentes , vestes etiam deferant publice laicales , pedes in diversis ponentes , unum in divinis , alterum in carnalibus , & infra innovatur & ampliatur Decretum Concilii Viennensis, quod habes Clement. II. *De vita & honest. Cleric.*

2. Eamdem servari formam volunt , & urgere debent Episcopi . Quod velint patet ex Statutis cujuscumque Diœcesis . Quod velle debeant & urgere , patet ex Tridentino ibid.

3. Demum constans ea fuit , est , & semper erit , omnium , qui Deum timent & Ecclesiam diligunt , praxis & agendi ratio . Neque id mirum : 1. quia quisquis statum suum amat , ejusdem insignia non dedignatur ; 2. quia habitus Clericalis a multis retrahit excessibus , neque eum hactenus deposuit quisquam , ut liberius Deo vacaret ; multi vero , nisi omnes , ut ea facerent , contra quæ vel ipse habitus reclamaret . 3. quia Clericus laica indutus veste , vel hoc ipso scandalum parit , & quasi admonet se Sanctuarium non amore Sanctuarii , sed lucri intuitu fuisse ingressum.

Prob. 2. pars : 1. ex 92. Sixti V. Bulla , ubi sic habetur : *Hac nostra perpetuo valitura Constitutione præcipimus & mandamus omnibus & quibuscumque Clericis , non solum in sacris , sed etiam .. Clericali Tonsura insignitis , & nedum ecclesiastica Beneficia , qualiacumque ... verum etiam pensiones percipientibus .. Tonsuram & habitum Clericalem , vestes scilicet talares , quacumque dilatione aut tergiversatione postposita , debeant omnino assumere , & jugiter deferre , &c.*

Idem ante & post Sixtum præceperunt plura Concilia , ut Mediolanense I. Senonense I. Burdigalense ; vixque ex quo cessante persecutionum æstu laicæ & sacræ vestes discerni cœperant , amplius quidquam sacris Canonibus commendatum est : adeo ut , qui rem istam plenius investigavere , eamdem invenerint definitam ab œcumenicis Conciliis tredecim , ab octodecim Romanis Pontificibus , a Nationalibus , Provincialibusve Conciliis centum supra quinquaginta , a Diœcesanis Galliæ , Italiæ , Angliæ , Poloniæ , &c Synodis trecentis & ultra ; prout refert Collator Lingonensis Collat. 30.

Nec nocet , quod allegare solent Clerici talaris vestis impatientes : 1. quod ab ea deferenda dispensent se viri complures moribus cœteroqui recte instructi ; quod argumento est consuetudinem veteribus statutis derogasse ; 2. Deum non vestes , sed corda inspicere .

Utraque enim hæc evasio jam pridem præclusa est . Prima quidem ab Innocentio III. c. 3. seu *De consuetud.* his verbis: *Consuetudo , quæ Canonicis obviat institutis , nullius debet esse momenti* ; seu ut ait Concilium Toletanum IV. Can. 19. *Perniciosa consuetudo nequaquam est recipienda , quæ majorum statuta præteriens , omnem Ecclesiæ ordinem perturbat* . Secunda vero expressissime a S. Bernardo , L. 3. de Consider. c. 5. *solent dicere : Num de vestibus cura est Deo , & non magis de moribus ? at forma hæc vestium , deformitatis mentium , & morum indicium est . Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse , aliud videri volunt ? nempe habitu milites , quæstu Clerici , actu neutrum* .

Hinc , quidquid clament & reclament multi , colliges mortaliter peccare Clericos in sacris , aut Beneficiarios , qui sine legitima causa vestem

ſtem nigri coloris, eamque talarem ferre negligunt; quia ſanctiones crebro repetitas in materia, quam pro gravi habet Eccleſia, prætergredi, a gravi culpa excuſari nequit. Ita Pontas v. *Habit.*, caſ. 2. Sambovius Tom. 3. caſ. 47. Theologia Pictavienſis, Tom. 2. pag. mihi 534. Rurales tamen Parochos in interiori domo, breviori veſte * ſine peccato uti poſſe, cenſet idem Sambovius, niſi, inquit, aliud ferant Diœceſis leges, & ſtatuta.

* *Soutanelle.*

Dixi: *ſine legitima cauſa*. Hæc autem eſt. 1. neceſſitas ſtatum ſuum celandi, ut ii faciunt, qui apud hæreticos fidem diſſeminant. 2. iter faciendum. *In itinere*, ait Aquenſe Concilium an. 1585. *breviores veſtes permittimus, ſed ne omnino ſupra genua ſint vetamus*. Idem decernit Synodus Mediolanenſis II. ann. 1571. hac duplici limitatione, nempe ut etiam tunc talis, tamque decens feratur habitus, *ex quo eos*, qui iter faciunt, *eſſe Eccleſiaſtici Ordinis homines agnoſci poſſit*, deinde vero ut *cum eo venerint, quo pervenire contendunt, etiam locus ſit in Diœceſis* alienæ *finibus, talarem togam induant*.

Hic duo notanda. 1. multo eſſe laudabilius ut etiam in itinere, & equitatione talaris toga deferatur. Id enim minus habet pœnæ, quam exiſtiment multi; & ſi plus haberet, ſponte & alacriter ob Chriſti graviora paſſi, & Eccleſiæ amorem, ferendum eſſet. 2. etſi abſolute licitum ſit in itinere uti habitu breviori, haud tamen licitum eſſe ſine talari toga vel Miſſam celebrare, vel altari deſervire: & id multis in Diœceſibus quoad Miſſæ celebrationem ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ prohibitum eſt.


Colliges 2. eo plus in hac materia ut & in aliis peccari, quo plus a canonum littera receditur. Unde Beneficiarius, qui pallium breve, cum breviori veſte nigri coloris, gerit, minus utique peccat, quam qui, ut multi, habitum fere laicalem geſtant. Neque tamen hic ſaltem ſi, ut ſolet, res ex conſuetudine fiat, læthalem deeſſe culpam credidero.

Quod ſpectat ad juniores Clericos docet jam citatus Auctor Pictavienſis Theologiæ, eos, etſi Beneficiarii non ſint, teneri ſaltem ſub veniali Tonſuram, & habitum Clericalem gerere; quamdiu ſervant propoſitum in Eccleſiaſtico ſtatu permanendi.

Colliges 3. vere coram Deo lugendam eſſe ſortem, tot omnis pene gradus Clericorum, qui nedum Tonſuram pro Ordine, quo inſigniti ſunt, majorem aut minorem geſtent, & crines modeſte detonſos habeant; retortos econtra, calamiſtratos, & odorato conſperſos pulvere, in ipſa Dei domo, in Proceſſionibus, & ad ipſum altare præferunt, inter ipſa ſacra mundani; & quos, ait S. Hieronymus, ex aſpectu *Sponſos dicas, non Clericos*. An vero gratis dictum eſt: *Et erit, in die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina*. Sophon. 1.

Colliges 4. adſcititiam comam, nec ſine cauſa, nec niſi modeſte, ubi cauſa eſt, ferendam eſſe. Hujus quidem factitiæ capillaturæ uſum non prohibuerunt ſacri Canones, quia ne futurum quidem, præſertim apud Clericos, ſuſpicabantur. Verum ex iis, quæ jam ab Apoſtolorum temporibus contra fœminas torti, & compti capilli nimium amatrices dicta ſunt, facile colligere eſt, quo impetu in Clericos eidem obnoxios vitio fuiſſent Patres inſurrecturi: *Quanta* enim *culpa*, ajebat S. Gregorius, *hoc viros appetere, a quo fœminæ prohibentur*. Qui invictum *a pari*, vel potius *a fortiori* circa hanc materiam argumentum

 effor-



efformare volet, consulat Cyprianum *de disciplina & habitu virginum*: Tertullianum *de cultu fœminarum*? Ambrosium L. *De virginib.* e recentioribus vero J. B. Thiers in speciali ea de re Tractatu.

CONCLUSIO II. Clerici etiam simplices divinis Officiis, Festis, & Dominicis diebus interesse tenentur.

Prob. 1. ex Tridentino Sess. *de Reform.* cap. 6. ubi sic: *Nullus prima Tonsura initiatus .. fori privilegio gaudeat, nisi ... Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat*: atqui vix aliter Ecclesiæ inservire possunt Clerici juniores, quam Officia divina modeste, & assidue, quantum sibi licet, frequentando: ergo ad id tenentur. Præiverant Concilia Carthaginense IV. an. 390. Agathense ann. 506. Aurelianense I. ann. 511. &c. in quibus Clericos suis in Ecclesia muneribus frequenter fungi statutum est: quomodo autem suo quantulo in Ecclesia munere fungentur, qui ab ea dominicis etiam diebus aut festis abfuerint.

Prob. 2. quia ut sapienter monet Aquilejense Concilium: *Nihil potest videri absurdius, quam ut sæculares Officiorum divinorum tempore Ecclesiam frequentent, Clerici refugiant: illi Deum vel tacitis vocibus in Ecclesia laudent; isti ... boni aversione scandalum præbeant*, & pravo exemplo a pietate avocent populos, qui, quod superfluum sibi judicant Clerici ad plura & strictius obligari, sibi necessarium non esse facile præsumunt.

Neque vero sufficit, ut Clerici Officio prædictis diebus intersint, sed id ponderare debent Toletani Concilii 1. Can. 5. *Quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem vivit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut Castello, aut vico, aut villa, & ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur.*

CONCLUSIO III. Clerici omnes præsertim in sacris, Ecclesiæ cœremonias & scire, & adamussim observare tenentur.

Prob. 1. quia major est in nova Lege obligatio cœremonias ad cultum Dei spectantes scire & observare, quam fuerit in antiqua; cum cultus, quo sanctior est, eo scrupulosè magis quoad omnes sui partes impleri debeat: atqui seria & gravis in antiqua lege vigebat obligatio, infinitas prope Judaicæ religionis cœremonias tenendi & exequendi. Minor patet ex pluribus Deuteronomii locis, cap. 5. *Audi, Israel, cœremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie, discite ea & opere complete*, cap. 7. *Custodi præcepta & cœremonias atque judicia, quæ ego mando tibi ut facias*. Deuter. 28. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias . . . cœremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones . . . & apprehendent te*: ergo.

Prob. 2. quia cum sacra sine quibusdam cœremoniis peragi nequeant, qui Ecclesiæ ritus ignorat, alios pro arbitrio, & phantasia fingere sibi tenetur, & ex consequenti a probatiori Ecclesiæ usu recedere; atqui non potest ea inversio rerum fieri sine peccato. *Si quis*, ait Tridentinum Sess. 7. Can. 13. de Sacram. in genere, *dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Prob. 3.

Prob. 3. rationibus, quas suppeditat idem Concilium Sess. 22. cap. 5. his verbis: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur*. Hic habes primo, plures Ecclesiæ cæremonias ab ipsis Apostolorum temporibus institutas fuisse; secundo, institutionis hujus finem fuisse, ut sua rebus sacris majestas afferatur, utque fideles ex visibilibus deducantur ad invisibilia fidei mysterio: itane vero res ipsa sua origine sacras, & ad finem nobilissimum spectantes, pro nihilo ducere licet, & pro nutu vel abjicere, vel amplecti? Licet hinc populis, scandalum, & nauseam parere, quod iis in ædificationem paratum est? Licet Ecclesiæ Ministris turpem sibi imperitorum, indevotorumve notam aspergere? licet graves plerumque in Ecclesia turbas ciere, ut ii hodie faciunt, qui contra totius Ecclesiæ legem, alta voce & Orationes secretas, & Canonem recitant: qua de re legatur Opus inscriptum: *Explication litterele, historique, & dogmatique des ceremonies de la Messe*, auctore Petro le Brun Oratorii Præsbytero, ubi Tom. 4. contra corruptorem Missalis Meldensis, eiusque libellum sub hoc titulo: *Lettres sur les* Amen *du nouveau Missel de Meaux*, demonstratur eam constanter fuisse Ecclesiæ praxim, ut certa Missæ pars recitaretur *submissa voce*, id est secreto prorsus, non autem *sine cantu*, prout commentus erat fraudis & innovationis hujus Auctor nomine *Ledieu*.

Conclusio IV. Et Beneficiarii, & quicumque Clerici in sacris ad Officii recitationem tenentur.

Prob. ex iis, quæ dicta sunt Tom. 2. c. 3. alias 2.

Conclusio V. Clerici omnes ad Castitatem tenentur; sed multo strictius, qui sunt in sacris.

Prob. 1. pars. Tenetur unusquisque ad virtutes status sui proprias: atqui Castimonia est virtus, Clericalis status etiam genetrice sumpti maxime propria: primo, quia summopere decet omnes Christi Ministros eam profiteri virtutem, quam speciali ratione professus est *Christus virgo, virginis filius, virginum sponsus*, uti loquitur Sanctus Bonaventura Lib. 2. de profect. Relig. cap. 53. secundo, quia inferiores Clerici ad Ordines sacros, qua sanctiori poterunt via, gradum facere debent: *Nemo* autem, ait Urbanus II. *ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ sit castitatis*, cap. 12. dist. 32. cui consonat id sancti Gregorii Lib. 1. Epistol. 2. *Nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata*. Si ergo grave sit in laico impuritatis peccatum, utique gravius erit in Clerico: unde turpes aspectus, obscœnas vel ambiguas voces, aliaque ejusdem generis effugere debet, *quasi a facie colubri*: imo nec tuta conscientia ad Subdiaconatum accedere potest, nisi spem habeat moraliter certam servandæ perpetuæ, & omnimodæ castitatis.

Prob. 2. pars ex variis Conciliis. Carthaginense II. cap. 2. *Episcopos*, inquit, *Præsbyteros, & Diaconos ... placuit ... continentes esse in omnibus ... ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Lateranense I. Can. 21. *Præsbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi, juxta sacrorum Canonum definitionem judicamus*. Lateranense II. c. 7. *Nullus Missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis, & sacris Ordinibus dilatetur; statuimus quatenus Episcopi, Præsbyteri, Diaconi, Subdiaconi, regulares Canonici, & Monachi, atque conversi Professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati, pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant.*

Decreta hæc, quibus innumera alia possent adjungi, renovavit Trid. Synodus Sess. 24. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstanti lege Ecclesiastica vel voto ... posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari*. His præmissis sic disputo.

Ut Clerici in sacris castimoniam impense colere teneantur, tria sufficiunt. 1. ut virtutem hanc eis injungere potuerit Ecclesia. 2. ut & quadamtenus debuerit. 3. & ut injunxerit de facto: atqui hæc omnia constant. Et quidem, quod injunxerit, probant Canones citati; quod autem potuerit, & quadamtenus debuerit, paucis ostendo in hunc modum: Potuit & debuit Ecclesia id injungere, quod ad sancta ejus munia digne, sancte, & ut par est, obeunda plurimum conducit: atqui talis est Cœlibatus, seu status omnimodæ castitatis. Præcipua enim Ecclesiæ, ejusque Magistrorum Officia sunt Sacrificium altaris, Sacramentorum administratio, Oratio frequens, actus docendi, pauperum cura & sublevatio: atqui ad hæc, ut par est, obeunda plurimum conducit Cœlibatus: 1. enim Sacrificium, & Sacramentorum administratio, magnam, & si fieri possit, Angelicam puritatem requirunt: in actu autem conjugii, etsi per se non malo, certum est aliquid reperiri, quod & puritatem, & imaginationem offendat. Imo, ut docet S. Augustinus cap. 13. de bono conjug. intra conjugalis temperantiæ limites sistere *tam magnum est, ut multi homines facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi nisi prolis causa, si matrimonio copulentur*: & tamen *exigere* debitum *ultra generandi necessitatem, culpæ* est *venialis*, teste eod. S. Doctore ibid. cap. 7.

2. Oratio & doctrina mentem uni addictam Deo, & a sæcularibus curis expeditam postulant: porro, *qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*: cum a contrario, *qui sine uxore est, sollicitus* sit, *quæ Domini sunt, quommodo placeat Deo*. 1. Cor. 7.

3. Pauperum cura requirit animum liberalem & sancte prodigum; is autem

tem multo difficilius reperitur in conjugatis, qui de alenda familia, de ditandis, & nuptui dandis filiis præcipue laborant.

Objiciunt Protestantes: 1. id Genes. 1. *Crescite & multiplicamini*, quod ad omnes dictum fuit; 2. quod ex Paulo I. Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, & iterum: *Diaconi sint unius uxoris viri*: quod autem permisere Apostoli, quis prohibere possit? 3. quod idem Apostolus ibid. c. 4. *doctrina dæmoniorum* eam vocet, quæ prohibet nubere: id vero prohibent Doctores Romani; 4. quod ex Hebr. 13. *bonorabile* esse debeat *connubium in omnibus*: si autem in omnibus, ergo & in Præsbyteris; 5. quod ex cælibatu Sacerdotum innumera apud Catholicos prodeant scandala, adulteria, fornicationes: cujus rei flebile extat monumentum in Epist. S. Uldarici Episcopi Augustani, qui ad Papam Nicolaum scribit in quadam piscina Siciliæ, quo in regno rigide urgebatur Cælibatus, inventa esse capita sex millia infantium, quia omnes a Sacerdotibus nati erant; 6. addunt Armeni periculosam esse mulierum confessionem Sacerdoti cælibem agenti vitam, cum is & facilius & frequentius tentationi cedat. Verum hæc moram non faciunt. Unde

R. ad 1. verba hæc: *Crescite &c.* vel præceptum non esse, sed benedictionem; quia etiam ad pisces & aves dixit Deus: *Crescite, &c.* vel si hic subsit præceptum, debere illud referri ad tempus, quo terræ adhuc vacuæ incolas multiplicari oportuit; vel si etiamnum urgeat illud præceptum, non obligare singulos in particulari, sed solum humanum genus in communi, a quo satis observatur: alioqui Elias, Jeremias, uterque S. Joannes, S. Paulus, & ipse Christus Salvator, hujus præcepti transgressores fuissent.

Hic obiter nota heterodoxos, qui, duce, ut jactant, Spiritu sancto, profundiores Scripturæ latebras rimantur, in ea invenire quidquid sibi invenire placet: prodierunt enim ex eorum castris nonnulli, qui præeunte Bernardino Ochin, ex citato Genesis textu collegerunt polygamiam simultaneam, non licitam modo, sed & a Deo præceptam esse, hac ratione, quod qui non *multiplicat* omnibus viribus a Deo concessis, is divino mandato resistat. Qua de re videris Controversias Bechmanni Lutherani loco 16. de Conjug. Controv. 2. pag. 1073. edit. 1702.

Ad 2. sensus Apostoli est, neminem, qui duas simul aut successive habuerit uxores, in Episcopum aut Diaconum eligi debere; non autem ut eligi nemo possit nisi uxorem habens: quid enim sibi voluisset Paulus legem imponendo, quam ipse non servabat; imo & a qua simplices ipse fideles dehortabatur, cum ajebat 1. Cor. 7. *Volo omnes vos esse sicut me ipsum*?

Quod addit Bechmannus, non posse id prohiberi, quod ab Apostolis est permissum, utique falsum est: 1. quia alioqui permitti non posset, quod prohibuerunt Apostoli; & tamen credo apud ipsos Protestantes licitum esse esum sanguinis, & suffocatorum; 2. quia nonnullæ Apostolorum constitutiones pure Ecclesiasticæ erant, quæ proinde immutari potuerunt.

At, inquit idem Theologus, vult Apostolus Episcopum unius esse uxoris virum, sicut & eum vult esse sobrium, hospitalem, &c. atqui exigit S. Paulus, ut Episcopus hæc omnia habeat de facto; ergo & ut uxorem habeat actu.

R. si

R. si res ita sit non modo licitum, sed & necessarium esse Sacerdotibus matrimonium: atqui hoc & citatis supra exemplis expugnat, & ipsum Bechmani systema convellit. Is enim loco 6. Controv. 2. jam ab initio sic loquitur: *Non a nobis vituperantur Ecclesiæ Ministri in Cœlibatu viventes, si caste & sancte vivant: imo hunc statum, si quis dono continentiæ præditus in Cœlibatu vivat, Apostolus videtur statui conjugali præferre.*

Ad 3. diabolica quidem est doctrina, quæ cum Manichæis nuptias quasi a dœmone inventas prohibet: sancta autem & salutaris, quæ vult, ut Sacerdotes propter eminentiam status sui, & functionum sanctitatem cælibes vivant. Neque id est simpliciter prohibere matrimonium, sed velle ut ex hypothesi certi status, continentiam serves.

Quod addit Bechman. Apostolum loqui de doctrina *novissimis temporibus* disseminanda, ac proinde eum non carpere doctrinam Manichæorum, sed Pontificiorum; id, inquam, rideri meretur, non confutari; cum nesciat nemo verba hæc, *In novissimis diebus*, de tempore non admodum remoto sæpius intelligi in Prophetiis; qua de re totam Jacob Prophetiam legisse sufficiat. Hinc Augustinus contra Faustum: *Quomodo probibes nubere, quod de te tanto ante prædixit Apostolus? &c.*

Ad 4. matrimonium esse debet honorabile in omnibus, id est omni ex parte, ut patet ex græco textu, ubi vox *in omnibus*, est neutrius generis. Unde merito redarguitur & Genevensis versio, quæ locum hunc reddidit: *Honorable est le mariage entre tous*; & quæ ab ea non fatis distat versio Montensis: *Que le mariage soit traité de tous avec honneteté*. Melius sane & Lovanienses, & Amelotus: *Que le mariage soit honorable en toutes choses*. Adde quod si vox *In omnibus* intelligeretur de personis, non intelligeretur de singulis indistincte, sed de iis, quas Deus ad matrimonium vocat, & quæ nullo ejus contrahendi impedimento tenentur. Unde paucis Fromondus: *Non præcipit, ut omnes matrimonio jungantur, sicut nugantur Sectarii, sed ut omnes conjugati matrimonium suum honorent.*

Ad 5. qui e duodecim Apostolis unum fuisse diabolum cogitabit, non mirabitur, quod e tot Romanorum Clericorum millibus, qui Castitatem spondent, sæpius male vocati, & absque sufficienti virium suarum experimento, aliqui identidem turpiter labantur: sed quid ii sunt contra tot eunuchorum voluntariorum millia, qui angelice vivunt? An ex uxoratis Protestantium Ministris nulli justos limites transgrediuntur?

Historia infantium in Sicilia necatorum mera est fabula, & anile commentum: 1. quia rem adeo memorabilem non siluissent historici omnes, & multo minus Auctor vitæ S. Uldarici, qui de ea ne verbum quidem habet; 2. quia Uldarici tempore nullus sedit Nicolaus Papa, ad quem ille scribere potuerit; 3. quia probabile non est paucis illis annis, quibus Ecclesiam rexit S. Gregorius, paucos unius loci Clericos tot genuisse infantes, & eorum capita in eandem conjecisse piscinam quasi ex condicto; 4. quia hæc Uldarici Epistola solis innotuit Sectariis. Adde quod data facti hujus veritate, nihil hinc contra Clericos colligi posset. Unde enim constare potuit infantes illos a Sacerdotibus prodiisse, non a laicis? singuline notam aut pittacium gerebant, quo

quo patres suos indicarent ? hæc igitur narratio ejusdem est furfuris cum ea, quam refert Lutherus Tom. 7. pag. 244. Edit. Vitemb. diabolum aliquando in vicem concionatoris subita ægritudine correpti *adeo erudite, pie, & pathetice* sacram habuisse concionem, *ut animis omnium repente permotis, tota pene in lachrymas solveretur turba auditorum:* etsi enim *historiolam* hanc *verisimilem* esse credat Lutherus, quia credit *diabolum posse evangelizare, ac fungi officio ministri & pastoris;* haud scio, an id sensato cuipiam probari possit. Vide Librum cui titulus: *La Conference du Diable avec Luther contre le saint Sacrifice de la Messe*, pag. 57. edit. 1673.

Ad 6. Si valeat objectio Armenorum, pessime sibi consuluerunt tot lapsis retro sæculis sancti Antistites ac Præsbyteri, qui & voverant continentiam, & fœminarum confessiones excipiebant. Deinde quæro uter in præsentem vini lagenam avidius feratur, an qui vinum nusquam degustavit, an qui usum ejus sibi credit necessarium esse, vixque ab eo temperare potest ? utique minus sui compos erit iste, quam ille. Idem est in materia castitatis, prout supra monebat Augustinus. Vide, si habes, Opusculum, cui titulus: *Præcipuæ objectiones, quæ vulgo solent fieri .... a Mahumeticæ legis Sectatoribus, Judæis, & Hæreticis Orientalibus*. Romæ 1679. object. 19.

Hinc colliges 1. eos temere & illicite sacros Ordines amplecti, qui se ipsos non satis quoad præsens castitatis punctum probavere. Nec minus peccant Confessarii, qui fragiles adhuc, nec satis probatos admittunt.

Colliges 2. duplicis esse reos peccati quicumque sacris Ordinibus insigniti, sive exterius, sive sola etiam cogitatione, aut delectatione morosa castitatem violant: unde status sui circumstantiam aperire tenentur. Ratio est, quia non modo puritatem lædunt; sed & implicitum castitatis omnimodæ votum, quod emisere, prout docet communior Theologorum opinio, ex his S. Gregorii verbis: *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit.* *Cap. 1. dist. 28.*

Colliges 3. gravis reos esse peccati eos etiam, qui proximo temerandæ pudicitiæ periculo se exponunt, ut ii faciunt, qui contra Ecclesiæ Canones & Diœcesana statuta juniores habent ancillas, item, qui ex frequenti, eoque ut plurimum inutili cum mulieribus convictu & colloquio vel inordinata quædam experiuntur, quibus cedunt, aut facile credere possunt; vel pravam de se suspicionem, laicis scandalum ingenerant; ac ii demum, qui apud se suspectas mulieres quocumque in gradu consanguineæ sint, retinent. Jam dudum enim *interdixit per omnia magna Synodus* Nicæna Can. 3. *non Episcopo, non Præsbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt.* Quæ egregie confirmat Concilium Moguntinum ann. 812. his verbis, quæ referuntur cap. 1. *De cohabit. Clericor. &c. Inhibendum est ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & sororem: quia instigante diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earum.* Et vero, ajebat sanctus Ambrosius Lib. De Offic. cap. 20. *quid, si aliqua illarum;* quæ tecum habitant aut sæpius invisunt te præsertim solæ solum, *forte labatur?*

batur? cur alieni lapsus sustineas invidiam? quam multos etiam fortes illecebra decipit? quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni?

Ponderent igitur altaris Ministri, & id sequantur, quod ad Nepotianum scribebat Hieronymus Epist. 11. *Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, neque in præterita castitate confidas. Nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior.* De his plura & utilia vide apud N. Alexandrum Reg. 3.

ARTICULUS TERTIUS.

De obligationibus Beneficiariorum.

BEneficiariorum obligationes, præcipue ad quinque reducuntur: 1. est Tonsuræ & habitus decentis gestatio; 2. recitatio horarum; 3. residentia in loco Beneficii; 4. unius tantum possessio Beneficii, si sufficiens sit; 5. legitima ejusdem fructuum dispensatio. De recitatione Horarum dixi Tom. 2. de Tonsura & habitu, Articulo præcedenti: de cœteris hic differendum.

SECTIO PRIMA.

De Residentia.

PRæsentem quæstionem sola invexit temporum iniquitas, & effrænis quorumdam Beneficiariorum evagatio: neque enim somniarunt veteres aliquando disputatum iri, an Pastores gregis proprii curam vel deserere, vel alienis committere possent. Si qui uspiam, certe Beneficiarii tremenda hæc S. Joannis Chrysostomi verba ponderare debent: *Non temere dico, sed prout affectus sum & sentio; non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant; sed multo plures, qui pereant: in causa est quoniam res excelsum requirit animum.*

Hom. 2. in Act. Ap.

Residentia juxta vim nominis, idem est ac iterata sessio, & definiri potest: Personalis in loco Beneficii commoratio, & ibidem munerum ecclesiasticorum functio. Residere ergo nihil aliud est, ut notat Fagnan. quam deservire; neque enim residentia sic accipi debet ut otiosa sit, sed ut laboriosa. Unde non residet Episcopus, qui etiam in Diœcesi sua remanens, est canis mutus, non valens latrare, cum tempus concionandi & increpandi urget; qui de luxu, aleaque, & vitiis ablegandis parum aut nihil curat; qui Diœcesim suam raro & non integre visitat, & Confirmationis Sacramentum non ministrat in locis remotioribus. Idem dicendum de Canonis, qui Matutini tempore stertunt in lecto, aut in Choro libros legunt, & non canunt officium. Ut ergo, quæ ad residentiam pertinent discutiantur, sit

CONCLUSIO I. Beneficia quæcumque, etiam simplicia & tenuia, de jure communi residentiam exigunt. Ita omnes, & inter alios diserte P. Thomassin part. 4. Lib. 2. cap. 71. Tom. 3.

Prob.

Prob. 1. quia Ordinatio titulum supponit; is vero titulus nihil aliud erat antiquitus, quam Ecclesia, cui Clerici inscribi, & in qua consequenter servire debebant; 2. quia per annos mille & amplius Beneficiorum reditus consistebant in distributionibus manualibus, quæ nonnisi præsentibus erogabantur; 3. quia divisio Beneficiorum in incompatibilia, & compatibilia, quæ residentiam non exigunt, per duodecim pene sæcula incognita fuit, & nata videtur intra annos 1181. & 1230. 4. Alexander III. qui anno 1181. diem clausit extremum, expresse præcipit, ut Clerici, qui in Beneficiis residere nolunt, non admittantur, & admissi iisdem priventur: *nisi forte de licentia suorum Prælatorum, vel studio litterarum, vel aliis honestis causis contigerit eos abesse.* cap. 4. *De Cleric. non resident.*

Sed contraria consuetudine totius orbis, ait Decocq, multa nunc sunt Beneficia ex iis, quæ simplicia dicuntur, quæ residentiam non postulant: dixi, *multa*, nam Canonicatus eam dubio procul requirunt. Decoq. p. 638.

Conclusio II. Beneficia, quibus annexa est animarum cura, ut Episcopatus, Parochia, Vicariatus perpetuus, Abbatiæ, & Prioratus Regulares, &c. residentiam exigunt jure naturali, divino, ecclesiastico, & civili.

Prob. 1. pars de jure naturali, ex ipso hujusmodi Beneficiariorum nomine; ii enim passim dicuntur Pastores, Speculatores, Magistri, Rectores, Doctores, Lux populi, Duces cœcorum, &c. sed Pastor, Magister, Doctor, &c. jure naturali tenetur iis assidere, quorum est Magister & Pastor, quia alioqui nec pascit, nec docet. Atque hanc Pastoris obligationem manifeste edisserit Christus his verbis Joan. 10. v. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*, & v. 2. *Qui intrat per ostium, pastor est ovium; huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas ... & ante eas vadit, & oves illum sequuntur, &c.* Ergo Pastor jure naturali tenetur ab ovili suo non abesse. Ecquis mente sanus, inquit Soto, in quæstionem compellet utrum dux in bello dum geritur, & miles in acie debeat existere?

Confirm. Nam 1. jure naturali tenetur sponsus residere cum sponsa; neque, quod Deus conjunxit, homo separare potest: atqui Episcoporum & Parochorum sponsa est eorum Ecclesia, cum qua spirituale matrimonium solemniter contraxerunt, ut ait S. Pius V. in Bulla sua 64. ergo. 2. tenetur quilibet præsertim stipendio conductus, gravissima, dum potest, proximi damna avertere: porro absentiam Episcoporum & Parochorum gravissima damna consequuntur, ut docet frequentior experientia.

Prob. 2. pars de jure divino, contra Catharinum, & alios quosdam Concilio Tridentino antiquiores. Ezech. cap. 34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum...*

Pro-

Propterea Pastores audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos. Unde sic : Ad illud tenentur Pastores jure divino, cujus omissionem Deus graviter arguit, & severe minitatur puniendam : sed residentiæ omissionem Deus citatis verbis graviter arguit, atque ostendit simul eos non residere, qui in otio & mollitie circa gregem suum elanguent, quod perit, non quærunt, &c. ergo.

Idem docet Concilium Trident. Sess. 23. cap. 1. *De reform. Cum*, inquit, *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera pastoralia munera incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt : sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant* : atqui hæc verba clare definiunt residentiam jure divino præcipi : ergo.

Confirm. 1. habetur Prov. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*. Matth. 5. *Vos estis lux mundi; sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.* & ad Tit. 2. *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum* : atqui exemplum hoc præbere non possunt, quos populus vix aliquando videt.

Confirm. 2. ex Apostolo 1. Timoth. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum*, & 2. ibid. 4. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple*. Quis porro dixerit Episcopum ministerium suum implere, opus facere Evangelistæ, denique esse bonorum omnium exemplar per Vicarium suum, aut substitutum?

Prob. 3. pars, de Jure ecclesiastico & civili, tum ex toto titulo : *De Clericis non resid.* tum ex Edictis Blesensi & Aurelianensi, in quorum ultimo sic loquitur Carolus IX. *Resideront tous les Archeveques, Eveques & Curés, & sera chacum d'eux en personne son devoir ou charge, à peine de saisie du temporel de leurs Benefices*.

Obj. 1. Ille non tenetur ad residentiam, qui officium suum commodius & melius exequitur per Vicarium, aut Episcopum titularem : atqui non raro Parochus aut Episcopus officium suum plenius & melius exequitur, &c. puta si quem loco suo præficit gregi, sanctior sit, doctior, populisque acceptior : ergo.

R. neg. maj. etsi enim cessare possit ratio residendi deducta ex inconvenientibus, quæ non residentiam sequi solent (quod tamen difficile est, quia vix suppleri potest amor proprii Pastoris) sunt tamen aliæ rationes, quæ non cessant : puta quod, qui stipendio fruitur, laborare debeat ; quod cui sufficit ut per alium laboret, ei sufficere debeat, ut per alium vivat & manducet. Hinc S. Bernardus : *qui per*
Ep. 4. *vicarium inservit, per vicarium remunerabitur*. Hinc S. Damasus Papa non residentes comparat meretricibus, quæ infantes a se partos, aliis nutricibus alendos tradere festinant, ut suam citius libidinem explere possint.

Sic

Sic enim Pastores illi, ut curis sæcularibus serviant, & Magnatum favorem aucupentur, creditam sibi plebem, quam filiorum loco habere debent, aliis educandam tradunt.

Confirm. Nam 1. sine scandalo fieri nequit, ut qui aliis prælucere debent exemplo, quæ sui sunt officii, non præstent; 2. si Rex aut Respublica non patitur ut urbis præfectus alio divagetur, interim substituens, qui loco sui civitati invigilet, quanto minus id feret Ecclesia? 3. hæc propositio: *Potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte sibi retenta*, damnata est ab Alexandro VII. & merito quidem, quia turpiter & injuste Sacerdos sibi partem retinet stipendii, cum nullam solvit officii partem: atqui eadem militat ratio in causa Beneficiarii, qui retinet partem fructuum Beneficii, & in alium totum onus refundit: ergo ii omnes ex æquo ad restitutionem tenentur pro rata parte defectus sui. Vide Trident. Sess. 23. c. 1. *De reform.*

Obj. 2. Papa cum Episcopis dispensat in residentia: ergo hæc non est nisi juris positivi.

R. dist. dispensat improprie, id est, declarat jus divinum non extendi ad hunc vel illum casum. C. dispensat proprie, & eodem modo, quo dispensaret in lege pure Ecclesiastica, N. istam enim eadem tolleret auctoritate, qua condidit: sic porro residentiam nec tollit, nec tollere potest.

Hinc colliges absolutionem iis omnibus negandam esse, qui non resident formaliter, seu munia sua, ut par est, obeundo; prout tot contingit Parochis, qui vix semel in mense populum verbo Dei reficiunt; & qui hoc ipso mortaliter peccant. Imo ait Bonacina Tract. De legib. disp. 5. *Arbitror mortaliter peccare* Parochum, *si duobus vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur .. quia hæc videtur materia gravis*. Ita & Pontas v. *Curé*, cas. 1. qui casu 2. addit eum neutiquam a culpa immunem esse, qui Vicario suo, quia doctiori, totum concionandi onus dimittit. Sequitur ex dictis.

Neque vero solum concionari, sed & id fructuose, ac utiliter præstare tenentur Parochi, quod ut securius attingant, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis uti, non abstrusa & profundiora prædicare debent, sed quæ ad salutem, quæ ad mores, quæ ad susceptionem Sacramentorum, & status præsertim conjugalis, necessaria sunt: ubi de impedimentis agendum, sed caute & pudice.

Debent 2. grassantia scandala seu per semetipsos, si possint, seu per Episcopos coercere: scrutari an plebs Parochiali Missæ intersit; an paschali fungatur officio; an non vacet superstitioni, contractibus usurariis, &c. an pueri Catechismi tempore Ecclesiam frequentent; an Ludimagister recte doceat, an non mares simul & puellas instituat, quod opus periculi plenum est, & in multis Diœcesibus merito prohibitum, quandoque etiam sub excommunicationis pœna.

Debent 3. singularem pauperum curam gerere, eorum necessitatibus mederi, singulos habere pro filiis; infirmos etiam Sacramentis munitos visitare frequenter; eosdem in extremo præsertim transitu, ubi potentius insidiatur Leo rugiens, consolari, ac roborare; egenos gratis & sine stipendio sepelire, iisdemque ex intimo cordis affectu requiem æternam precari.

De-

Debent 4. pro parochianis Missam offerre Dominicis festisque diebus; neque tunc stipendium ullum recipere possunt. Ita definiit S. Congregatio apud Barbosam in Trid. Sess. 23. cap. 1. idem docet Concilium Mediolan. IV. ab Apostolica Sede approbatum. Concinunt Theologi plerique saniores; ut P. Antoine, Pontas v. *Curé* cas. 5. Sylvius, qui post Dianam principii loco statuit: *Parochum in illis diebus, in quibus Missam tenetur celebrare, ut eam populus audiat, non posse per applicationem Sacrificii eleemosynam accipere*. Adde, quod opinio huic nostræ contraria non charitatem spiret, sed fordidi & turpis lucri amorem redoleat. Imo si Parochus reditum habeat, non dico abundantem, sed pinguem, seu omnibus impensis sufficientissimum, tenetur singulis diebus pro parochianis offerre Missam, idque jure divino, prout ex decisione S. Congregationis docent saniores Canonistæ, quos inter vide Reiffenstuel in tit. *De celebr. Miss.* n. 22. Si tamen Parochus ex officio, aut obligatione, quæ Parochiæ suæ inseparabiliter inhæreat, Missam applicare teneatur, v. g. in die depositionis, Anniversario fundato, Beneficio Parochiæ suæ incorporato, non tenebitur Missæ hujus defectum per se aut per alium resarcire, quia id nullo jure constitutum est.

Hic nota ab eadem Congregatione fuisse sancitum: 1. in casu etiam legati plane insufficientis recurrendum esse ad Apostolicam Sedem pro Missarum reductione, nisi fundatione ipsa (adde & locorum usu) cautum sit, ut onus illud moderari possint Episcopi; 2. tot pro stipendio accepto Missas celebrari debere, quot præscripsit donator stipendii. Quod si is numerum non definierit, adhærendum mori civitatis vel provinciæ; 3. Sacerdotes, qui stipendium eo minus, quod ab Episcopo determinatum est, recepere, tot debere Missas, quot exegit, qui tribuit eleemosynam. Unde eleemosynam recuset, qui Missis defungi noluerit; 4. hæredes illius, qui Missas centum exigit, stipendium ab Episcopo designatum aut designandum largiri debere; 5. administratores Ecclesiarum, in quibus exteri Missam faciunt, *nullam utcumque minimam* stipendii *portionem* retinere posse ratione expensarum, quas subeunt *pro manutentione Ecclesiæ aut altaris*, pro paramentis, vino, hostia, & similibus, nisi eædem Ecclesiæ *non habeant reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint*; tuncque nec plus exigi potest, quam postulent expensæ, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeundæ, nec quidquam ex numero Missarum detrahi debet. De his plura videris apud Reiffenstuel ibid.

Debent 5. Parochi per se vel per alium excipere confessiones subditorum, quoties id rationabiliter petunt, seu ratione Festi, vel indulgentiæ, cujus participes fieri velint; seu quia gravatam aliquo peccato conscientiam gerunt. Et vero an non spiritualem gregis sui profectum pro virili procurare tenentur? An non gravem pro tota vita cruciatum sibi parant, si quis eorum culpa in peccato decesserit? Hinc continuo in statu gratiæ esse debent, ut qui singulis momentis ad administranda Sacramenta vocari possint.

Debent 6. cavere plurimum ne in matrimonium jungant vel eos, qui fidei rudimentis, Deique & Ecclesiæ præceptis non satis sint eruditi; vel vagos & advenas, de quorum statu sibi minus constet, quam necesse sit.

Quæ-

Quæres, quæ causæ a residentia excusent.

R. quinque afferri a Trid. Seff. 23. cap. 1. Eæ vero sunt *Christiana charitas*, *urgens necessitas*, *debita*, *ac evidens Ecclesiæ*, *vel Reipublicæ utilitas*.

1. Christiana charitas: potest enim Pastor a grege separari ad tempus; ut alteri Ecclesiæ in hæreseos periculo constitutæ succurrat; ut inter Magnates pacem componat; ut fidem disseminet. Sed 1. cavere debet, ne plus Ecclesiæ propriæ per absentiam suam noceat, quam alii prosit præsentia sua; imo esset contra ordinem charitatis, tantum in suos invehere mali, quantum in alios commodi. 2. quod Episcopi promiscue legationem suscipiant ad negotia temporalia, abusionis est, ait Cajetanus, quia *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*.

2. Necessitas: hæc autem vel est ab intrinseco, ut ab infirmitate; vel ab extrinseco, ut a persecutione tyranni, hostisque alicujus, qui in Episcopum particulariter defæviat. Utraque a residentia excusat, sed in quantum Pastoris absentia gregi proficua est; uti ex Cajetano, & Soto notat Vasquez in Opusc. p. 448. Potest ergo Pastor infirmus cœlum mutare, vel a persecutoribus aufugere, juxta id Christi: *Cum persequentur vos in una civitate, fugite in aliam*. Sic se gessit Apostolus, qui a fratribus *dimissus in sporta*, effugit Judæorum manus; sic & fecerunt SS. Athanasius, & Thomas Cantuariensis. Sed si ex absentia Pastoris grave populi damnum sequi debeat, tenetur ad residendum. *Matt. 10.* *2. Cor. 11.*

Hinc 1. Episcopus quem longa tenet infirmitas sine spe sanitatis, in Diœcesi sua remanere debet, ut, quantum poterit, ovium saluti provideat; imo ne quidem metu mortis undecumque hæc immineat, gregem deserere posset ad tempus, si interim fideles omni auxilio destitui deberent. Unde Aug. Ep. 228. n. 2. *Fugiant de Civitate in Civitatem* servi Dei: *quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur*; sic tamen *ut ab aliis, qui non requiruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium, id est Episcoporum, Clericorum, & Laicorum est commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent*.

2. Episcopus (idem de Parocho dixeris) fugere non potest pestis tempore; imo uterque si per alios non possit, per semetipsum Sacramenta peste infectis administrare debet. Sed si per alios id possit, per se facere non tenetur, præsertim si præcipua populi pars sana sit: quia cum sanis perinde ac infirmis debitor sit, sanis utilem se præbere debet; ab iis vero fugietur, cum scient eum pestiferorum commercio usum fuisse. *Pontas V. Curè cap. 14.*

Quod autem Pastores pestis tempore tuta conscientia fugere nequeant, patet. 1. quia tunc viget illud Christi: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus*. 2. quia hoc exemplis suis docuerunt SS. Cyprianus, Gregorius Thaumaturg. Gregorius Papa, qui dum tetra lues Romam depopularetur, nunquam abstinuerunt a prædicando, a visitandis ægris; & Narbonensis Provinciæ Episcopi maluerunt Toletano anni 693. Concilio non interesse, quam a populis suis peste laborantibus separari. 3. idem definiit Concilium Mediolan. V. sub Sancto Carolo Borromæo, cui in eumdem sensum respondit S. Congregatio, quam ea de re consuluerat, ut refert Fagnan. in cap. 17. *De Cleric. non resid.* Vetat autem mox citatum Concilium Mediolanen. ne Sacerdos *in omni Sacramento, multoque magis in ministranda Eucharistia* instrumento ullo utatur *pro digitis*. *Joan. 11.*

In Gallia tamen dari solet pestiferis Viaticum charta vel linteo involutum, ac reponitur in loco, ubi ab ægris propria manu apprehendi possit, juxta antiquum Ecclesiæ morem. Hac de re vide Librum cui titulus: *Obligatio ac modus administrandi Sacramenta tempore pestis, Auctore H. Scaille, Lovanii* 1704.

3. Obedientia debita Superiori legitime, & gravi de causa ad aliud vocanti: sed attendendum justas aliquando, & graves causas videri, quæ tales non sint. Unde juxta Pontas v. *Residence des Curès*, cas. 7. non potest quis a Parochia abesse, ut Vicarii generalis, aut Officialis munia obeat: neque enim hac nostra ætate desunt, qui id Officii præstare possint. Quod si Parochus cœteris, qui præsto sunt, ingenio præpolleat, & sapientia, dimittat Parochiam, & Canonicatum, vel æquo stipendio donetur; refert tamen Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. n. 258. declarationem sacræ Congregationis, quæ Episcopo concedit, ut per duos menses uti possit seu in visitationum cursu, seu ad alia Ecclesiæ suæ servitia, Parochi alicujus ministerio, substituto in locum ejus Vicario.

4. Evidens Ecclesiæ utilitas, ut si eundum sit ad Concilium generale vel provinciale, si annuo secessui vacandum sit per octo aut decem dies, si docenda sit Theologia vel Jus canonicum; Canonici enim, qui hæc docent, sicut & ii, qui iisdem student, etsi non resideant, fructus tamen Beneficii percipere possunt.

5. Demum Reipublicæ utilitas, quæ, ut ait Toletus, cum necessitate conjungi debet, nam Episcopus iis implicare se non debet, quæ per Laicos æque præstari possunt. Vide Pontas toto triplici titulo: *De resid.* Decoq. p. 642. & Juris interpretes in tit. 4. lib. 3. Decretal. qui est: *De Clericis non residentib.* Ad Reipublicæ utilitatem revocat Gibert. 1. administrationem justitiæ apud supremas Curias, 2. servitium Principi præstitum ab Eleemosynariis, Capellanis, Musicis, & Cantoribus. Gibert. in c. 1. l. 5. Theor. & prax. Cabass. & melius Tom. 2. Comment. Cleri Gallic. pag. 1007. & seq.

At, inquies, nullisne egent induciis Parochi; qui, quo gregi invigilant magis, eo plus fatigantur?

Ne hic videar excedere, R. cum Cabassut. ubi statim n. 4. *Si quis Parochus sine justa causa etiam minus duobus mensibus absit, peccabit mortaliter, nisi sit parvi temporis absentia, qualis esse posset quindecim, aut ad summum viginti dierum, sine justa alioqui causa, modo reliquerit idoneum substitutum.* His consonat Pontas v. *Resid. des Curès*, cas. 1. ubi a mortali non excusat Parochum, qui ut consanguineos, vel amicos invisat, toto mense abest a Parochia: secus de Canonicis, quibus, ut nullam animarum Curam habentibus, plura indulget Tridentinum. Imo ne eum quidem, cui gravior lis sequenda incumbit, vult abesse posse sine expressa Episcopi sui licentia, quod etiam, & merito sanxit Tridentina Synodus. V. Pontas ibid. cas. 2. Gibert. ubi supra. Cœterum pluries declaravit S. Congregatio Parochum prope Ecclesiam, vel saltem in loco omnibus opportuno commorari debere, prout notat Cardin. de Luca in Trid. discurs. 4. n. 11.

SE-

SECTIO SECUNDA.

De pluralitate Beneficiorum.

CErtum est apud omnes, quædam esse Beneficia, quæ simul ob incompatibilitatem teneri non possint; in hoc ordine sunt Episcopatus duo, duæ Ecclesiæ Parochiales, dignitates duæ, duo personatus, aut etiam duo simplicia ejusdem generis sub eodem tecto Beneficia, ut duo Canonicatus. Ita Cabassut. Lib. 2. Theor. &c. c. 28. n. 5. Tota igitur quæstio est de ea specie Beneficiorum, quæ compatibilia vocantur, an scilicet, & quando plura teneri possint. Sit

CONCLUSIO. Peccat mortaliter, qui plura habet Beneficia, tametsi simplicia, quando unum ad honestam sustentationem sufficit. Ita Theologi fere omnes.

Prob. 1. ex Concilio Trident. Sess. 24. cap. 27. ubi sic: *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sancte sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi: verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos non Deum decipientes ∴ plura simul Beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus ∴ præsenti Decreto, quod in quibuscumque personis quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit ut imposterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum, singulis conferatur; quod si quidem ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*

Qui porro ut argumentum hoc elevent, reponunt Concil. Trident. in Gallia quoad disciplinam receptum non fuisse; ex eorum sunt numero, qui *seipsos*, *non Deum* decipiunt. Nam 1. nunquam intenderunt Galli eas rejicere prædicti Concilii partes, quæ nullum Libertatibus nostris præjudicium inferunt, sed tantum ad bonos mores spectant, qualis est præsens definitio. 2. Concil. Trident. unanimi Cleri Gallicani suffragio, anno 1615. receptum est, ut probat Pontas. 3. si qua Concilii hujus decisio vim apud nos habere debeat, ea certe, de qua nunc agitur, quia nihil aliud agit, quam renovat vetera Conciliorum Decreta, & Regum nostrorum Sanctiones, a quibus pluralitas Beneficiorum vocatur *ambitio execrabilis*. Qui congestos ea de re Canones prope innumeros consulere volet, adeat *Corpus juris Canonici*, autore J. P. Gibert. Tom. 3. Tract. de Benefic. tit. 5. & infra citandum Opus: *De non possidendis simul pluribus Beneficiis*. V. Beneficia c. 16.

Prob. 2. authoritate, & rationibus Sancti Thomæ, qui sic loquitur Quodlib. 9. artic. 15. *Habere plures Præbendas, plurimas inordinationes continet, utpote, quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire ∴ Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatis testatorum, quæ ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius*, qui sæpe longe foret Ecclesiæ utilior, *nec unum habere potest, & multa alia hujusmodi, quæ de facili patent*; atqui multa ex his incommodis sequuntur pluralitatem non eorum dum-

taxat Beneficiorum, quæ *incompatibilia* dicuntur, sed & eorum etiam » quæ *simplicia* sunt. Certe enim, qui tribus provisus est Beneficiis » tria quotidie officia non persolvit. Unde Fundatores sua frustrantur intentione, &c.

Prob. 3. auctoritate graviorum quoquot extitere Theologorum, ut S. Bonaventuræ, Guillelmi Parisiensis, Gersonii, & Genebrardi, qui famosam Facultatis Parisiensis Decisionem refert. *Theologi Parisienses*, inquit, *post longam disputationem*, *anno* 1238. *definiunt neminem posse duo Beneficia, si unum sufficeret ad alendum eum, retinere sine peccato mortali*. Huic definitioni subscripsere Doctores omnes, duobus exceptis, quorum alter * paulo post mortuus, tertia post mortem die Guillelmo Parisiensi apparuisse fertur, & dixisse æternis se damnatum suppliciis ob Beneficiorum pluralitatem (1); cui consonat id, quod ex S. Bernardo refert D. Thomas: *Qui non unus, sed plures est in Beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis*. Antiquam Facultatis suæ decisionem, anno 1697. renovaverunt Doctores Sorbonici tredecim, & pluralitatem Beneficiorum omnino illicitam esse demonstraverunt. Vide Librum cui titulus: *De re Beneficiaria, sive de non possidendis simul pluribus Beneficiis*. Paris. 1710.

* Philip. de Greva.

At, inquies, saltem accedente R. Pontificis dispensatione, plura tenere Beneficia licitum est.

R. Cum Bellarmino in admonit. ad Nepot. controv. 6. *Sciendum pontificiam dispensationem, quando non adest justa causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli. Sine urgentissima causa, eademque Ecclesiæ necessaria, non potest citra atrocem culpam super hoc dispensari. Sed ait forte ille, cum quo dispensatum est, Papa dispensavit: ipse viderit, ego immunis sum. Hic tamen cavillus multos securos reddit, tutum vero neminem, quoniam Papa non est dominus, sed dispensator; ideoque, qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, qui ea utitur, eadem semper irretitur*. Idem docet Cardinalis Toletus, lib. 5. Instruct. Sacerd. cap. 81. pag. 857. edit. Paris. 1669. Præiverat Cardin. Cajetanus, quem cum aliis citat, & sequitur Pontas ibid.

Quæres an non possit quis multa retinere Beneficia eo, quod ipsorum reditus bene ac pie impendat.

R. Negat. cum Dionysio (Richel) Carthusiano. 1. quia pius Beneficii redituum usus non tollit alia incommoda, quæ ex pluralitate sequuntur. 2. quia Deus a nemine exigit eleemosynarum largitionem ultra vires suas, sive ultra id, quod sibi de uno competenti Beneficio superest. Qui ergo non tenetur ad succurrendum pauperibus nisi quantum potest, cur contra Ecclesiæ regulas plus vult posse, quam actu potest; meriro igitur laudatus jam Vivantius sic scribit lib. 3. cap. 17. *Quæ strictæ necessitatis non sunt, at commoditati Ministrorum Ecclesiæ inserviunt, ut vergant in utilitatem Ecclesiæ ob ministeriorum expeditiorem usum, & fructum uberiorem, ea nemo est, qui non videat pertinere ad honestam Ministrorum bonorum substentationem ∴ at eleemosynæ neque inter Beneficii onera recensen-*

(1) Historiam hanc referunt suppares Philippo de Greva, Parisiensi Cancellario, Thomas Cantipratensis, Albertus Magnus, & Durandus subinde Episcopus Mimatensis. Eamdem habes apud Dionysium Cartusianum in Opusc. de pluralitate Beneficiorum; Spondanum ad an. 1238. Vid. Opus De Vivana l. 2. c. 9. sed & vide Opusc. Larvati Abbatis Sidichembechensis cap. 14.

sentur, cum non sint jure aliquo tituli fundationisve debitæ, neque in Beneficiati sustentationem usumque vertuntur; & ad munus officiumque Episcopi eatenus pertinent, quod eas e suo, ubi & quantum potest, effundere; ab aliis, ubi e suo aut non potest, aut satis non potest, conquirere & accipere, ut elargiatur, tenetur. Ex his sequitur, eum, qui plura possidet Beneficia, absolvi non posse, nisi, quæ superflua sunt, relinquat.

SECTIO TERTIA.

De dispositione fructuum Beneficii.

Etsi, ut a Bellarmino pie notatum est, perinde sit an Clerici, qui superfluos Beneficiorum fructus legitime non impendunt, defectu charitatis, an justitiæ defectu ad inferna descendant, gravis tamen est momenti præsens quæstio, quæ expendit, an ex justitia, an ex charitate solum teneantur Clerici, quod sibi ex ecclesiasticis reditibus superfluum est, piis operibus consecrare. Si enim ad id ex justitia teneantur, tenentur ad restitutionem, cum aliter egerunt; non tenentur vero si solam charitatis virtutem læsissent. Huic quæstioni affinis est alia, an qui sufficiens patrimonium habet, e Beneficii reditibus vivere possit; tertiam adjungemus de bonis Religiosorum.

Not. 1. tria bonorum genera a Beneficiariis possideri posse: *patrimonialia*, quæ habent a parentibus, item donatione, legato, &c. *quasi patrimonialia*, quæ consequuntur ratione ministerii clericalis, dum, v. g. concionantur, psallunt, confessiones excipiunt, funera comitantur, Missam celebrant, Philosophiam aut Theologiam docent; & *mere ecclesiastica*, quæ prodeunt e Beneficio, ut Canonicatu, Pastoratu, & pensionibus pure Ecclesiasticis.

Not. 2. Beneficiorum reditus dividi in duas partes, quarum altera honestæ decentique sustentationi necessaria est, altera vero eidem superflua. In quo autem sita sit decens ea sustentatio, aliter definit cupiditas, quæ nunquam dicit: *Satis est*; aliter Christiana moderatio. Etsi autem decentia status Clericorum, suam sicut & sæcularium habeat latitudinem, & neutra consistat in indivisibili; nec proinde certa pro quocumque Beneficiato regula dari possit, hic tamen, si alibi uspiam, recurrendum est ad viri pii & prudentis judicium, qui rationem habebit tum *personæ*, plura enim debili & infirmo, quam robusto necessaria sunt ratione victus, habitationis, ac domesticorum; tum *loci*, quod enim vix Parisiis sufficit, quibusdam in Provinciis superabundat; tum *officii & qualitatis*, plus enim exigit conditio Episcopi quam Decani, plus Decani quam Canonici.

Tametsi porro alia sit Ecclesiæ, alia hujus sæculi vivendi forma, adeo ut juxta Gersonem Ecclesiastici *habentes alimenta & quibus tegantur, iis contenti* esse debeant, constat, quod decens Clericorum sustentatio ut multa excludit, sic & includit plurima, & ea præsertim, quæ ad officio suo fungendum necessaria sunt. Sic Episcopus & Prælati regulares *hospitalitatis officium prompte, benigneque exercere* debent; sic Parochus habere debet, unde libros emat, quorum ope plebem suam salubri doctrina instruat; sic & ei equum alere licet, non ut vagetur, sed ut com- *Trid. Sess. 25, c. 8. De ref.*

commodius ægros visitare, & Sacramenta deferre possit, si vastitas pagi id exigat, & viarum molestia: neque enim decet, ut Sacramenta per vias lubricas & lutosas cum periculo casus deferantur, vel ut Pastor quasi vile mancipium vias illas difficiles oberrare cogatur. Addunt alii cum P. Antoine T. 2. p. 303. ad congruam sustentationem pertinere, ut Beneficiarius modicas quasdam donationes remuneratorias facere possit. Addiderim & eum non peccare, sed mereri potius, si quibusdam, sed moderatos intra limites, donis ac muneribus eorum sibi benevolentiam conciliet, qui sibi, vel Ecclesiæ suæ gratiam præstare possint: hoc enim vel ipsis Regularibus permissum est ab Urbano VIII. per Bullam 158. 16. Octob. ann. 1640. Verum hic præcipue hanc Tridentini legem sectari debent Beneficiarii: *Ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter non solum jubet* S.Synodus, *ut Episcopi modesta supellectile, & mensa, ac frugali victu contenti sint: verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod .. non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat*. 5. Decoq. p. 32.

S.ss.25.c.1.

Sed exigitne Beneficiarii sustentatio, ut in studiis nepotes alat, ut consanguineos dotet? &c.

R. cum Petro Blesensi Epist. 102. *Terret me B. Hieronymus dicens*, quod multi, dum parentibus miserentur, animas suas perdunt; & Epist. 51. *Hodie pro filiis, quos abstulit Prælatis Ecclesiæ Deus, habere nepotes in dissipationem patrimonii Christi, & in suæ salutis dispendium, permittuntur*. Quod sic expressit Ludolphus Carthusianus:

Dum Genitor rerum privavit semine Clerum,
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

Dicendum igitur cum Tridentino ibid. *omnino* Clericis *interdici, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant. Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa*. Ex quibus sequitur Beneficiarium aliquid consanguineis largiri posse: *dummodo illud faciat* 2. 2 q. 185. *moderate, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant*. Ita S. Tho- a. 7. ad 2. mas, quem sequitur Fagnanus. *Clericus*, inquit, *potest usque ad status decentiam donare etiam consanguineis & familiaribus suis .... quod tamen limitatur; & intelligitur, si indigent, non autem ad pompam vel altum statum. Magnopere enim cavendum est, ne hujusmodi decentia status & conditionis consanguineorum longius latiusque protendatur quam ferat necessitas*. V. Pontas v. *Beneficier* cas. 15. & 16.

Non conveniunt Theologi an habenda sit nobilitatis ratio. Affirmat Navarrus, & multi cum ipso: negant alii, ut Decocq, cui satis concinit Vivantius ubi supra (1) tum quia Beneficia in favorem dignitatis mundanæ erecta non sunt; tum quia, ut ait Hieronymus: *nescit Religio nostra personas accipere; servum ac nobilem de moribus pronuntiat*. Ut ut sit, tur-

(1) Nulla, hoc est modica ratio habeatur nobilitatis, ac conditionis personæ, præcipua autem ac tota utilitatis Ecclesiæ & Officiorum adjunctorum Beneficio, *ubi supra c. 17.*

turpiter falluntur, ut notat Bannez, qui se *propter multam supellectilem, plurimamque eleganter vestitam familiam, multamque vasorum ex auro & argento copiam pluris esse æstimandos putant*. Unde S. Bernardus ad Henricum Senonensem ajebat: *Honorificabitis ministerium vestrum, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, &c.*

Not. 3. variam fuisse variis temporibus ecclesiasticorum bonorum administrationem. Apostolorum tempore *erant omnia communia, & dividebatur singulis, prout cuique opus erat*: sed temporum lapsu, cum multiplicata esset gens, non autem magnificata lætitia, excussum est sensim vitæ communis jugum, & Ecclesiæ bona, quæ ante ab Episcopo singulis distribuebantur, quatuor in partes divisa fuere, quarum prima Episcopo assignari debuit, 2. Clero, 3. Fabricæ, 4. pauperibus. Sit nunc Act. 4.

Conclusio I. Beneficiarii redituum mere ecclesiasticorum domini non sunt, sed dispensatores; unde ex justitia tenentur, quidquid ex iisdem reditibus superflui habent, pauperibus erogare, vel pios in usus expendere.

Probatur primo. Ea doctrina indubie tenenda est, cujus opposita sine gravi periculo teneri nequit: Nam opinio, quæ ecclesiæ decretis, oraculis Patrum, & Theologorum consensui repugnat, sine periculo teneri non potest: atqui talis est doctrina doctrinæ nostræ opposita.

1. Enim contradicit Ecclesiæ decretis. *Res Ecclesiæ*, ait antiquus Canon, *non quasi propriæ, sed ut communes & Domino oblatæ, cum summo timore, non in alios quam præfatos pios usus sunt fideliter dispensandæ*. Idem iisdem fere verbis repetit Concilium Parisiense VI. an. 829. idipsum tradit Alexander III. c. 2. *De donat.* his verbis: *Episcopus & Prælatus ecclesiasticarum rerum* est *procurator, non dominus*; unde sic: Si res ecclesiasticæ non deberent ex justitia pios in usus impendi, possent in alios usus *quasi res propriæ* dispensari: atqui falsum consequens ex citato Canone: ergo. 12 qu. 1. 27. & 1.

Confirm. 1. Obligatio pie dispensandi res Ecclesiæ, alterius est generis, ac obligatio res proprias pie impendendi: atqui quilibet tenetur ex charitate superfluum boni proprii pie dispensare: ergo Beneficiarii ad id ex justitia tenentur.

Confirm. 2. Procurator, qui heri sui bona contra voluntatem ejus dispensat, ad restituendum tenetur: atqui ex Alexandro III. Beneficiarii meri sunt procuratores Ecclesiæ bonorum, non domini; aliunde certum est hæc bona ab iis contra Dei voluntatem dispensari, cum in usus prophanos impenduntur.

2. Eadem doctrina Patribus, sanioribusve Theologis repugnat. S. Hieronymus in c. 3. Isajæ: *Rapina pauperum*, inquit, *in domibus Sacerdotum, qui Ecclesiæ opes sibi thesaurisant, & in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiam, suas vel suorum divitias faciunt*.

S. Bernardus, qui diu post factam, si tamen facta est, Ecclesiæ bonorum divisionem scripsit, hæc habet in Epist. ad Falconem Canonicum Lugdunensem: *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*: & Lib. de vita Clericor. *Sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum; sacrilega eis crudelitate subripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini vel possessores, ultra victum accipiunt & vestitum. Et* rursus: *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: No-*

strum est, *quod effunditis*, *nobis crudeliter subtrahitur*, *quod inaniter expenditis*.

S. Thomas in c. 12. Epist. 2. ad Cor. sic habet: Principes *non dederunt* divitias *Prælatis propter se*, *sed propter pauperes*, *& ideo non dederunt eis sed pauperibus .... Prælatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus*.

S. Raymundus Lib. 2. sum. tit. *De raptoribus*. *Dico*, ait, *Prælatos & Clericos*, *qui res Ecclesiæ ..... conferunt etiam consanguineis*, *non propter naturam sustentandam*, *sed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi ... tales*, *inquam*, *dico esse raptores*, *& per consequens teneri ad restitutionem omnium*. Hanc decisionem expressis verbis adoptat S. Antoninus, & sic concludit: Tales Beneficiarii *ad restitutionem tenentur pauperibus*, *vel in utilitatem Ecclesiæ*, *& peccant mortaliter*. Quam autem unanimis sit in præsenti materia Theologorum consensus, indicant * hæc Navarri verba: *Nemo Catholicorum*, *quos ego legerim usque ad N. affirmavit dominium* bonorum *Ecclesiæ usibus deputatorum esse penes Beneficiarios*; ... *quæ falsa & insolens Conclusio est*. Vide Pontas v. *Beneficiar* cas. 14.

3. p. sum. tit 15.

* Obiit. an. 1586. De redit. Ecclesf. q 1. moni. 40.

Reponunt e citatis auctoritatibus nihil colligi posse: 1. quia Patres eodem loquuntur modo de Laicis. Hieronymus relatus dist. 42. sub initium: *Aliena rapere convincitur*, *qui ultra necessaria sibi retinere probatur*: & Ambrosius dist. 86. c. 21. *Pasce fame morientem .... si non pavisti*, *occidisti*; & tamen Laici, qui superfluum pauperibus negant, charitatem non autem justitiam lædunt; 2. quia Patres illi ante factam bonorum divisionem scripsere, cum nondum sua pauperibus & Fabricæ pars assignata erat; ea vero divisione nunc facta, unusquisque eorum, quæ sibi obtigerunt, dominus esse debet.

Refellitur prima evasio. Patet enim ex allatis textibus, magnum esse discrimen patrimonialia inter & ecclesiastica bona, ac de utrisque eodem modo disponi non posse. *Res Ecclesiæ*, ait laudatus Canon, *non quasi propriæ ... dispensandæ sunt*; vide ut aliæ ab aliis secernantur. Deinde si Patres aliqui in ipsis Laicis quamdam admittere visi sint necessitatem superfluum suum ex justitia pauperibus erogandi, quid mirum, si strictam in Clericis admisisse dicantur?

Refellitur multipliciter secunda: 1. quia, ut notant Grandin & Habert, etsi præcepta sit illa divisio in quatuor partes, non tamen constat, quod facta sit: unde sicut debitor, qui certus est se debitum contraxisse, nec probare potest se solvisse, solvere tenetur; ita a pari in præsenti casu; 2. probabilius est divisionem hanc reipsa factam non fuisse: quia nullum extat monumentum, quod convincat bona quædam Fabricæ vel pauperibus relicta fuisse; Hospitalia enim non ab Ecclesiasticis, sed ab aliis Fidelibus fundata fuisse probantur, & innumeri sunt pauperes, qui in ea admitti non possunt; 3. quia etsi facta fuisset divisio hæc, non ideo immunes essent Beneficiarii ab erogando vi justitiæ pauperibus id, quod habent superflui, ut statim ostendemus.

Prob. 2. Conclusio nostra momentis theologicis. Beneficiarii eorum non sunt redituum domini, qui nullo titulo ipsis ut proprii conceduntur; atqui Ecclesiæ bona nullo titulo ..... Nullus enim hic occurrit titulus præter voluntatem Fundatorum, & Ecclesiæ intentionem: atqui neutro bona Ecclesiæ Clericis conceduntur ut propria. Non primo, ut pa-

ut patet ex Fundationum instrumentis, in quibus semper reperias id fuisse Fundatoribus propositum, ut Clerici bona sua haberent tum ad propriam, tum ad pauperum sustentationem, quod satis indicat vetus formula, quæ in Caroli Magni Capitularibus reperitur: *Offero atque dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum . . . . pauperum, ac Clericorum alimoniis*. Unde liquet Clericorum manus a Fundatoribus electas fuisse, ut per eas thesauros suos in æterna tabernacula reportarent. Non secundo, nam Ecclesiæ intentio non aliter, quam ex ejus Canonibus & oraculis Patrum, manifestari potest: atqui hæc clare ostendunt Ecclesiam pro certo semper tenuisse, superfluum Clericorum non in alios, quam pios usus impendi posse. Hinc constans hæc ejus assertio: *Res Fidelium, quæ Domino offeruntur, non possunt aliis, quam Ecclesiæ & Fidelium ingenditium usibus applicari, quia vota sunt Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*.

Prob. 3. facile concedunt alterius opinionis patroni, Clericos ante factam bonorum Ecclesiæ divisionem, debuisse ex justitia superfluum largiri pauperibus: atqui hæc ratio probat eamdem obligationem etiam nunc perseverare, tum quoad Beneficia plurima, quæ cum post hujusce divisionis tempus fundata sint, non alio fundari potuerunt animo, quam ut superfluum egenis daretur; tum quoad Beneficia, quæ divisionem præcessere. Nam 1. bona ecclesiastica per divisionem, si quæ facta fuerit, non mutarunt naturam: ergo sunt ut ante, res Dei: ergo non in alios, quam in pios usus impendi possunt; 2. se habent Clerici, quibus in bonorum divisione plus datum est, quam satis erat, sicut œconomus, cui dominus ob quædam agenda negotia plus dat pecuniæ, quam necesse sit, quia prævidere non potest expensas omnes faciendas: atqui œconomus ille, quod residui habet, domino restituere tenetur, nec proprietatem ejus acquirit: ergo a pari Clerici, quibus plus ab Episcopo in divisione bonorum datum esset, ad superflui restitutionem tenerentur; & strictius tenerentur, quam œconomus ille, quia Episcopus divisionem faciendo non erat dominus Ecclesiæ bonorum, sed dispensator; adeoque non magis poterat Beneficiariis concedere libertatem insumendi in usus prophanos id, quod iis post honestam sustentationem supererat, quam id ante divisionem potuisset.

Obj. 1. Beneficiarii, qui officio suo funguntur, faciunt *fructus suos* ex jure; sed, qui faciunt fructus suos, eorum domini fiunt: ergo.

R. dist. min. fiunt domini quatenus habent dominium utile partis, quæ honestæ sustentationi respondet, & administrationem superfluorum, C. quasi de iis pro nutu disponere possint, N. Itaque dominium, quod in reditus suos habent Beneficiarii, vel est utile dumtaxat, vel si proprium dicatur, est *vinculatum*, sive annexum habet vinculum & onus egenis erogandi quidquid est superfluum: sic hæres totius hæreditatis dominus fit, sed cum obligatione solvendi debita defuncti.

Obj. 2. Si Beneficiariorum superflua, pauperibus ex justitia erogari deberent, donatio eorum aliis, quam pauperibus facta, invalida esset: atqui falsum consequens; cum nec Ecclesia, nec Respublica hujusmodi donationes invalident.

R. dist. min. hæc donatio valida est, in foro exteriori, id est in eo non improbatur, C. in foro conscientiæ, N. Itaque forum exterius dona-

donationes a Clericis factas non rejicit, quia vix unquam probari potest eas ex reditibus Ecclesiæ fieri; multa enim a Clericis aliunde acquiri possunt, sive donatione, sive industria: at hæc agendi ratio nihil probat pro foro conscientiæ: 1. quia, ut loquitur Innocentius III. c. 18. *De Præb. multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debeant tolerari*; 2. quia Ecclesia hujusmodi donationes præsertim testamentarias millies improbavit, de quo vide Concilium VI. Parisiense; unde duo sequuntur notatu digna: 1. hæredem non egenum, ea, quæ a Beneficiario consequitur, retinere non posse, si sibi certo constet hæc non aliunde, quam a Beneficii reditibus proficisci; 2. eum, qui cum Beneficiario lusit, & *quæstum fecit, rem pauperum male partam restituere* debere, ut sanxit Concilium Remens. anni 1583. V. Pontas ibid. cas. 18. & Nat. Alexander Reg. 9. 10. & 11.

Habert. De just. c. 21.

Obj. 3. Beneficiarii non sunt pejoris conditionis, quam Levitæ: atqui Levitæ superfluum pios in usus impendere non tenebantur: ergo.

R. 1. neg. maj. si tamen pejor conditio possit ea dici, quæ ad bonum arctius obligat. Ratio est, quia etsi tale onus Levitis impositum non fuisse dicatur, certum tamen est ex adductis probationibus, Beneficia hac solum conditione concedi, ut sustentatio sint Clericorum, & patrimonia pauperum.

R. 2. neg. min. quia decimæ Levitis concessæ, *Domini* esse dicuntur, eique *sanctificari*: atqui bona Dei non videntur profanos in usus destinari potuisse.

Levit. 27.

Obj. 4. Beneficiarius jubetur ex Beneficii reditibus satisfacere pro debitis ante obtentum Beneficium contractis: atqui nemo satisfacit ex iis, quorum dominium non habet; 2. si residui fructus pauperibus deberentur, non possent pensiones creari super Beneficia: id enim esset pauperibus furtum facere; 3. possent pauperes superflua hæc eripere, aut saltem Beneficiarios insequi.

R. ad 1. Vel Clericus debitor habet bona patrimonialia, vel non. Si primum, debet ex iis satisfacere pro expensis profanis antea factis, & tunc neg. maj. Si secundum, potest quidem, & debet e Beneficii bonis satisfacere; sed tanquam pauper, qui ea sibi applicat, non tanquam dominus, qui de eis ad nutum disponit; unde tunc neg. min.

Grandin De Benef. p. 298.

Ad 2. neg. maj. pensio enim constitui debet in favorem alicujus ea indigentis, qui autem indigentibus præsertim Clericis succurrit, pauperibus non nocet.: Sane potior ea est eleemosyna, quæ a sanctuario incipit.

Ad 3. neg. maj. 1. quia nullus est pauper in particulari, qui jus habeat certum & determinatum in superflua Beneficiorum: porro sine tali jure nec exigere licitum est, nec in judicio agere; sic Clerici Patronis litem intentare non possunt, ut ab eis Beneficia obtineant; 2. quia honesta Clerici sustentatio non consistit in indivisibili: unde pauperes scire nequeunt quantum superflui Beneficiario cuique contingat; 3. quia extra gravem necessitatem improbari non potest, quod Beneficiarius e suis superfluis ornet Ecclesiam; iisve ad alios pios usus utatur, ut docet Navarrus mon. 26. ubi pia opera vocat, quæ ad Dei cultum, pietatem, & misericordiam pertinent. Addit idem, quod licet majoris pietatis sit adjuvare pauperes loci, in quo situm est Beneficium, possint tamen juvari etiam extranei, sive consanguinei, sive non.

Obj. 5. S. Thomam, qui sic loquitur 2. 2. q. 185. art. 5. Episcopi *ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores*; *unde si aliquid*

quid sibi retinuerit Episcopus de iis, quæ sunt aliis eroganda, non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem, quæ sunt suo usui specialiter deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de bonis propriis, ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet, quemadmodum si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Idem statuerat quodlib. 6. q. 6. a. 2. ubi posita eadem bonorum distinctione sic pergit: *In secundis bonis non committitur peccatum nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam.*

Respondent 1. aliqui S. Thomam a nobis dissentire; ægre tamen quis credat S. Doctorem Traditionis tenacissimum, ab ea in præsenti negotio deflexisse.

Respondent 2. alii ex citatis verbis ad summum sequi licitum esse Beneficiario, qui congruæ sustentationis partem extraordinaria parcimonia sibi subtraxisset, eam, in quos voluerit, usus impendere, de quo statim; non autem esse dominum illius boni, quod proprie superfluum vocatur.

R. 3. dist. ex S. Thoma, eadem est ratio bonorum Ecclesiæ, ac patrimonialium quantum ad aliquid, quatenus nempe supposita bonorum Ecclesiæ divisione, ita ut certa pars pauperibus, certa Fabricæ & Clericis assignata fuerit, Episcopus jam nihil ex justitia debet pauperibus, qui supponuntur id, quod sibi sufficiens est, recepisse, C. eadem est ratio quantum ad omnia, N. tunc enim tenebitur Episcopus ex justitia Fundatoribus debita, cultum divinum augere, quia quidquid Deo dicatum est, pios in usus impendi debet; neque hoc ullibi negavit S. Thomas. Imo notandum est eum in Summa sua theologicorum ejus Operum postremo, usum fuisse voce hac subdubia, *Videtur esse eadem ratio, &c.* cumque Quodlibeto 6. dixisset talem Beneficiarium non teneri *ad restitutionem*, verba hæc sustulit in Summa, ubi subindicavit quidem non esse faciendam restitutionem pauperibus, quia loquitur in hypothesi, quod portionem suam receperint, sed non negavit exigere justitiam Fundatoribus debitam, ut, qui augere potest Dei cultum ex Ecclesiæ bonis, eidem adaugendo incumbat.

Quæres 1. An Beneficiarius, qui parce vivendo, certam singulis annis colligit summam ex iis, quæ tuta conscientia in honestam sui sustentationem impendere posset, possit de ea pro nutu disponere, v. g. in gratiam parentum.

R. negat. cum Pontas, ibid. cas. 14. 1. quia bona hæc eo ipso, quo sunt ecclesiastica, Deo consecrata sunt, suntque pauperum aut religionis bona; ergo quacumque de causa, sive ex avaritia, sive fortuito coacervata sint, non in alios, quam in pios usus expendi possunt; 2. quia huic sententiæ favet S. Thomas ubi supra. *Si de eo*, inquit, *quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, id est ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.* Ex S. Doctor de iis loquitur, qui sibi subtrahunt id, quod impendere potuissent: atqui non permittit, ut id consanguineis detur, nisi pauperes sint.

Quæres 2. an Beneficiarius dominus sit bonorum quasi patrimonalium.

R. affirmant multi: 1. quia Beneficiarii nullo jure privantur talium bonorum dominio; 2. quia Ecclesiastici non debent deterioris esse conditionis, quam Judices, Advocati, nam dignus est operarius quilibet merce-

mercede sua: sed hi domini sunt bonorum quasi patrimonialium, quæ sua comparant industria; 3. Cantor & Musicus non tenentur ex justitia quæstus sui superfluum erogare pauperibus; quare ergo ad id teneatur Sacerdos, qui eadem, ac ipsi arte pecuniam comparat? Ita Major, Navarrus, Covarruvias, quos sequitur Grandin, qui hoc extendit, si majus solito stipendium detur, v. g. pro celebratione Missæ; quia sicut pauper fit absolute dominus eleemosynæ, quam recipit, quidni & Beneficiarius?

Grandin. p. 189.

Hæc tamen opinio, Haberto, & aliis quibusdam non placet. Quippe, inquit, bona Ecclesiæ, quæ a SS. Patribus dicuntur res Dei, nihil aliud erant primis sæculis, (quibus vix ullum sub Ethnicis Principibus prædium habebat Ecclesia) quam pecunia & alia ad victum & vestitum necessaria, quæ Clericis intuitu laboris eorum a Fidelibus subministrabantur; unde hæc non alterius erant conditionis, quam bona, quæ nunc quasi patrimonialia dicuntur: atqui tamen Clerici hisce temporibus tenebantur superfluum pauperibus erogare: ergo ad idem hodie teneri videntur.

Ratio hæc firma videtur quoad ea bona, quæ cum ratione ministerii sacri Clericis conferuntur, nec dari, nec sine simonia recipi possunt ut merces stricte sumpta: sed quia bonorum quasi patrimonialium nomen indictum est iis etiam stipendiis, quæ Clerico retribuuntur ob functiones quasdam Laicis eodem ferme modo, ac Clericis competentes, ut musicam canere, Philosophiam, Theologiam docere, non video cur Clerici bonorum, quæ hisce modis comparant, minus domini sint quam Laici.

Conclusio II. Qui sufficiens habent patrimonium, possunt eo ad victum non uti, & vivere ex bonis ecclesiasticis.

Prob. Illud Beneficiariis onus imponi non debet, quod nusquam eis imposuit Ecclesia; quo eos liberos putant SS. Ecclesiæ Doctores; quo denique ii etiam Ecclesiastici se judicant immunes, quibus nulla molliorum opinionum suspicio inuri potest: atqui sic se res habent in præsenti negotio.

1. quidem nunquam a Beneficiariis exegit Ecclesia, ut, qui ex iis divites erant, Ecclesiæ bonis parcerent, & sumptibus suis vescerentur: & id patebit ex Objectionum solutione.

2. quæstionem expresse definire visus est Apostolus, 1. Cor. 9. *Quis, inquit, militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti.* Et iterum: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? .. nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; &, qui altari deserviunt, cum altari participant?* Unde sic: 1. qui dum spiritualia seminant, carnalia metere possunt; quibus licitum est de altari vivere, dum altari deserviunt, iis de reditibus ecclesiasticis vivere concessum est: atqui Evangelii ministri sic se habent sine distinctione, juxta S. Paulum; ergo possunt de reditibus ecclesiasticis victum percipere; 2. eorum, qui militant in bello, multi sunt, qui stipendiis propriis militare possent, nec tamen militant suis, sed regiis: atqui ex S. Paulo eadem est Evangelii ministrorum conditio, quæ eorum,

qui

qui militant in bello. 3. non multum differt dives ab eo, qui potest arte aliqua victum sibi comparare: sed, qui arte aliqua victum sibi comparat, potest stipendium percipere pro officiis, quæ Ecclesiæ impendit, ut innuit ibidem Apostolus; ergo & id potest, qui dives fuerit.

3. Idem colligitur ex variis Conciliis. Sic Concilium Agathense relatum cap. 10. 1. q. 2. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum consequantur*. Sed ibi nulla fit pauperum & divitum Clericorum distinctio: ergo.

4. Illi ex bonis ecclesiasticis vivere possunt, qui de patrimonialibus bonis disponunt ad nutum, tum inter vivos, tum causa mortis, sive ea parentibus, sive aliis donando, aut relinquendo: atqui ipsimet Episcopi juxta acros Canones disponunt ∴ Minor probatur 1. ex Canone 39. inter Apostolicos: *Privatas quidem res Episcopus (si modo privatas habet) cum moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occasione rerum ecclesiasticorum intercidant res Episcopi &c.* Idem habet Concilium Antiochenum an. 341. habitum sub Julii I. Pontificatu, & Concilium Parisiense. *Decrevimus*, inquit, *ut Episcopus res sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hæreditaria successione acquisivit, secundum auctoritatem canonicam quidquid vult faciat, & cui vult conferat.... res autem de facultatibus Ecclesiæ ... non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant*.

5. Eadem est S. Thomæ sententia. *Dicendum*, inquit, *quod non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis.:.. & in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset*. Censet ergo S. Doctor Clericum propria habentem, ex bonis Ecclesiæ vivere posse, præterquam *in articulo necessitatis*. In eadem opinione sunt Innocentius, Panormitanus, Navarrus, N. Alexander Reg. 14. Pontas v. *Beneficier*, cas. 23. & alii pietate & scientia conspicui, quos referre superfluum fuerit, cum fateantur adversarii assertionem nostram Theologos inter & Canonistas communiorem esse. Quin & idipsum sentire videtur Quenellus, ut patet ex his ejus verbis: *L' ancienne Eglise n' a jamais desapprouvè qu' un Clerc abandonnat son patrimoine à ses parents, & se reduisit à la subsistence, que lui donnoit l' Eglise*. Tom. 1. Epistol. Epist. 64.

1. 2. qu. 185. a. 7. ad 3.

De coq. p. 628.

Obj. 1. Variis sancitum est Canonibus, ne quis Ecclesiæ bonis ad victum utatur, nisi cum vere est indigens: atqui vere indigens censeri non debet, qui de reditibus patrimonii sui vivere potest. Minor constat, major probatur 1. Can. *Ex his* XII. q. 1. *Ex his, quibus Episcopus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus, & ipse accipiat, ut nihil ei omnino possit deesse*. 2. ex Can. *Clericos*: 1. q. 1. ubi habentur ex Epistola S. Hieronymi ad Damasum: *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant & bibunt*. 3. ex Can. *Si quis* 1. quæst. 2. ubi hæc Sancti Prosperi, vel potius Juliani Pomerii verba referuntur: *Quia sua possidentes .... Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiunt, qui Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus*

V. Can. 22. 23. 24.

tibus debuerant, suis expensis insuper gravant. Et paulo ante: *Pastor Ecclesiæ, iis quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere*. Hæc porro verba Concilium Aquisgranense an. 816. sua fecit approbando. Eadem quoque citant Capitularia Regum Francorum addit. 3. Capitul. 113. & 114.

R. 1. Sunt, qui generatim dicant antiquæ Ecclesiæ ordinationi per usum contrarium derogatum fuisse. Ita Habertus *De justitia*, in fine 1. partis. Idem docet P. Antoine, juxta quem statuerat olim Ecclesia, ut reditus sui, quia exigui, iis solum distribuerentur, qui patrimonium non haberent; quæ disciplina deinceps immutata fuit.

R. 2. cum Pontas ad 1. verba hæc, *si tamen indiget*, non solum ad referri, *ex his quibus Episcopus indiget*, sed præcipue ad hæc, quæ sequuntur, *ad suas necessitates & peregrinorum fratrum*; ita ut sensus, sit, scopum si in eo sit loco, ubi peregrinos multos alere debet, canonicam e bonis ecclesiasticis portionem tum ad sui, tum ad eorum, qui ad se peregrinando divertunt, sustentationem percipere posse, quam tantam percipere non posset, sit hæc ad peregrinos non foret sibi necessaria. Porro Canon sic intellectus nobis non adversatur; sic autem intelligi debet: cum enim sit quadragesimus inter eos, qui Apostolici dicuntur, non debet opponi trigesimo, non ex iisdem, qui communi sententiæ favet.

Vide supra pag. 82.

Ad 2. quod desumitur ex Can. *Clericos*, dico 1. Canonem hunc nullius esse auctoritatis, utpote, qui tribuantur S. Hieronymo, in cujus Operibus non reperitur, ut fatentur omnes, & annotavere Correctores Romani.

Dico 2. cum Glossa. 1. vocem *accipiunt*, non ad litteram intelligi debere, subintelligenda esse hæc verba, *& in malos usus convertunt*; & sic, inquit, intellige sequentia capitula. 2. hic exhortationem contineri, non præceptum, nisi agatur de quarta bonorum ecclesiasticorum portione, pauperibus debita, quæ dari prohibetur abundantibus: atque hæc ultima explicatio facile textui accomodatur, si duas dividatur in partes. *Clericos illos convenit, &c.* en prima pars, quæ merum est consilium: *Illi vero Clerici, qui parentum bonis sustentari possunt, & quod pauperum est*, id est portionem egenis attributam usurpant, &c. en 2. pars, quæ præceptum complectitur.

Dico 3. cum S. Thoma, Canonem hunc intelligi debere de *casu necessitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum, & aliis necessitatibus pauperum, vasa cultui divino dicata distrahuntur, ut Ambrosius dicit*.

Ad textum Juliani Pomerii dist. peccant pauperum bona suscipiendo, & aliquid supra debitam sibi portionem exigendo; præsertim cum necessitas pauperes premit; vel peccant peccato avaritiæ, *viventes in congregatione, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes excipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant*, ut ait in Juliani verba Innocentius IV. C. peccant præcise, quia de altari vivunt. N. Itaque verba Juliani Pomerii (cujus auctoritas tanta non est, ut moram injicere debeat, cum ex alia parte occurrit auctoritas S. Thomæ) eo modo exponi debent, quo a Conciliis, vel ab Innocentio IV. exposita fuere, ita ut, quod de S. Augustino aliquando dixit S. Bonaventura, in eum cadat, scilicet, ut *plus dicens minus voluerit intelligi*: atqui Pomerium intel.

intellexere Concilia & Innocentius IV. sensu longe alio, quam eum intelligant adversarii nostri; Concilium enim Aquisgranense, eam, quam tuemur, sententiam totidem verbis tradit: *Quamquam*, inquit, *Canonicis (quia in sacris Canonibus illis probibitum non legitur) liceat proprias res & Ecclesiæ cum humilitate & justitia habere, quod Monachis ..... penitus inhibitum est, &c.* & cap. 120. *Proinde, qui & suas & Ecclesiæ habent facultates, & Ecclesiæ utilitatem interius & exterius conferunt, accipiant in congregatione cibum & potum, & partes eleemosynarum, & his contenti sint: ne plus accipientes, pauperes gravare videantur; perpendentes sententiam Prosperi* (Juliani Pomerii) *qua dicitur: Qui sua possident, & dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, non accipiunt*. Ergo PP. Aquisgranenses Pomerii verbis tantum usi sunt fine, ut ostenderent eos, qui etiam majora Ecclesiæ obsequia præbent, portione sua contentos esse debere, non autem pauperum partes usurpare, sed non negaverunt eum, qui patrimonialibus fruitur bonis, de altari vivere posse; cum econtra permittant, ut *qui suas habent & Ecclesiæ facultates*, in congregatione cibum & potum accipiant.

Ad id, quod additur, nihil juxta Pomerium erogari debere iis, qui e facultatibus suis vivere possunt, distinguo ut supra. Nihil erogari debet eorum, quæ sunt e portione pauperum; vel nihil eis erogari debet, qui avaritiæ studentes, in congregatione vivebant, ne si vixissent apud se, pauperes alerent, peregrinos reciperent. C. secus. N.

Obj. 2. S. Augustinus Epist. 185. n. 35. hæc habet: *Si privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*.

R. dist. Si privatim possidemus, id est si legitima nobis assignata fuerit ecclesiastici boni portio, jam, quæ reliqua sunt, nostra non sunt, sed pauperum. C. si privatim, id est si sæcularia habeamus bona. N. In textu enim Augustini nihil est, unde ad talem sensum determinetur. Vel disting. ut supra S. Thomas, non sunt illa nostra, cum pauperes necessitate laborant. C. non sunt nostra, id est ecclesiasticis uti non possumus, cum suppetunt nobis propria. N.

Obj. 3. Ea opinio admitti non debet, qua enervantur tot Ecclesiæ Canones, quibus prohibitum est, ne Beneficiarii de sacro censu consanguineos locupletent: atqui si Clericis liceat ecclesiasticis reditibus uti ad victum, jam facile enervantur sacri Ecclesiæ Canones. Ecclesiastici enim virtualiter ex altaris reditibus familiam ditabunt; interim vero regerent, hæc unde vivunt ecclesiastica esse, quæ autem parentibus largiuntur, esse mere patrimonialia.

R. abusum opinionis alicujus non sufficere ut hæc rejici possit, si gravibus sit momentis suffulta. Cœterum Canones Ecclesiæ ab iis non violabuntur, qui cognoscent boni proprii superfluum ex charitate pauperibus deberi, & Deum vere diligent; qui vero non diligent, tametsi opinionem nostræ oppositam speculative teneant, ab ea in praxi recedent. Et vero quoti visi sunt, qui nobiscum sentientes, de patrimonialibus perinde ac ecclesiasticis bonis pie disposuerunt? quoti vero, qui opinionem nostram rigidiorem amplexi, neutrum bonorum genus eo, quo par erat, modo impenderunt?

A P-

APPENDIX.

De obligationibus Confessariorum.

TOt ea de re prodierunt eximii Tractatus, quorum aliquot saltem, ab iis etiam, qui studio parum vacant, perlegi probabile est, ut dubius hæserim an punctum istud attingere deberem. Ancipitem movit me hæc ratio, quod æquum sit; ut sacrarum functionum Candidati mature intelligant generali saltem modo, quot, quantis, & quam raris votibus instructos esse oporteat eos omnes, qui animarum regimini se se devovent: quod ut fiat, præcipuas Confessariorum qualitates summatim indicabo. Quatuor recenset auctor Libri, cui titulus: *Institutiones Theologico-Morales ad usum Confessariorum*: Eæ vero sunt I. potestas ad solvendum; II. scientia ad discernendum; III. prudentia ad tacendum; IV. probitas ad rite administrandum. Ab hoc ordine non recedam, nisi quod terminos quosdam latiori forte sensu interpretabor. Sit igitur

Conclusio I. In Confessario non sufficit potestas Ordinis, sed requiritur insuper potestas jurisdictionis, quæ confertur vel approbatione Ordinarii, vel certorum Beneficiorum collatione.

Prob. ex Tridentino Sess. 14. cap. 7. ubi assertio nostra traditur & demonstratur: *Quoniam*, ajunt Patres, *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse, Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Quemadmodum igitur secundum legis dispositionem, qui in jure Doctor est aut Licentiatus, non potest vi horumce graduum jus dicere, nisi ei a Principe assignentur cives, in quos sententiam ferat; sic & Sacerdos tamdiu potestatem sibi vi characteris traditam exercere nequit, donec ei subditos assignaverit Ecclesia, quos vel liget, vel absolvat.

Porro subditos assignat Ecclesia ope, & ministerio primorum Pastorum, qui, sicut sæculares Principes, jurisdictionem eo & gradu & modo conferunt, quo conferre volunt.

Hinc 1. si quem pro certis tantum personis, peccatis, loco, aut tempore approbent, non poterit in præfixos sibi limites transgredi. Quapropter si approbatus ad annum, expleto anno absolvat; si approbatus in uno genere, v. g. pro peccatis non reservatis, absolvat in alio: si approbatus pro sæcularibus, absolvat Moniales; si approbatus pro certa Monialium specie, aut domo, aliam aut domum aut speciem absolvere præsumat, invalide prorsus absolvet. Idem est si approbatus hac vice, alia vice idem munus obire velit. Hæc extendenda sunt ad ipsos Regulares, etiam relative ad Moniales suo Ordini subjectas, prout declaravit Gregorius XV. per Bullam *Inscrutabili*; quæ tamen non ubique viget: bene an male, viderint alii.

At, inquies, si res ita sit, non poterit Parochus Parochum alium delegare ad excipiendas parochianorum suorum confessiones; quod tamen experientiæ repugnat.

R. Paro-

R. Parochum, alterius Parochi subditorum etiam ex alia Diœcesi confessiones excipere posse, cum id usu certo & ab Episcopis permisso constitutum est: quia tunc mutua jurisdictionis communicatione alter alterius gregem, quoad præsens punctum regere potest. Sed caute notandum, licentiam hanc ab Episcopi nutu totam pendere, quia Parochi jurisdictio, quoad proprias oves ordinaria, quoad alienas est tantum delegata: jurisdictio autem delegata a solo Episcopo, vel ordinario pendet, qualis non est simplex Parochus. Is ergo multo minus poterit eorum, qui parochiani sui non fuerint, confessiones excipere, contradicente Episcopo, etiam absque judiciario processu; quidquid in contratrium senserint auctores tum Libelli inscripti: *Consultation sur la jurisdiction & l' approbation necessaire pour confesser*, quem ann. 1735. damnavit Facultas Parisiensis; tum præcipue Opusculi cui titulus: *Projet de Requete de M. Brianne Curé de la Cathedrale de Rhodez, &c.* quod opus frivolis citationibus turgidum solide & erudite confutavit suo ann. 1742. Documento Illust. Ruthenensium Episcopus, cujus doctrinam, suam approbando fecit Clerus Gallicanus die Augusti 5. ann. 1740. ut patet ex Cleri ejusdem processu verbali pag. 192.

An Regulares intra Diœcesim Episcopi approbantis, possint etiam alterius Diœcesis, in qua approbati non sunt, pœnitentes, qui in fraudem non veniunt absolvere, controvertitur. Asserunt Sylvius, Bonacina, Gamachæus, Navarrus, & Fagnan. qui ea de re refert sacræ Congregationis decisionem innixam Clement. *Dudum; De sepult.* Alii ob materiæ gravitatem satius judicant ut Regulares parti tutiori adhæreant, ac proinde ut se præsentent Ordinario Diœcesis ei proximæ, in qua situm est eorum Monasterium.

Hinc 2. qui in decursu confessionis animadvertit pœnitentem commisisse peccatum aliquod reservatum, eumdem ad Superiores remittere debet, aut saltem ab iis reservata dimittendi licentiam obtinere. Ubi nota licentiam absolvendi a reservatis, nec extendi ad vota & irregularitates, nec ad hæresim, saltem quoties hæc publica fuerit; qua de re consulendum est Diœcesis Rituale.

Hinc 3. (& id caute notandum, quia quosdam hic errantes vidi) Parochus, qui solum approbatus erat ratione Parochialis, quod obtinuerat, Beneficii, si illud etiam sponte dimittat, nova indiget approbatione, etiam in eadem Diœcesi, prout declaravit sacra Congregatio apud Barbosam; & citatum jam ab initio Theologum, p. 23.

Hinc 4. gravi se periculo exponunt, qui a Diœcesi in Diœcesim transeuntes, Diœcesana Statuta legere differunt: sic enim fieri potest, ut temere credant sibi in una Diœcesi licitum esse, quod poterant in alia; imo ut aliquando contrahant censuras, iisque præ imperitia, quam auferre debuerant, violatis, irregularitatem. Neque vero Statuta sola quamprimum legi debent, sed & civilis locorum consuetudo; ne hic valere putes, quæ alibi valida esse cognovisti.

Conclusio II. In Confessariis requiritur scientia, eaque ratione objecti multiplex.

Prob. 1. pars, tum ex iis, quæ supra dicta sunt ubi de scientia Clericali; quæque præcipue in Confessarios cadunt; tum, quia Confessarius quilibet triplex officium habet, ducis scilicet, judicis, & medici: at-

qui 1. ut dux seu rector, cui incumbit ut gregem a lapsus & erroris via ad viam salutis revocet, necessum est ut apprime cognoscat, quid in unaquaque via pœnitentium suorum, ac eorum præsertim, quos communius dirigit, subsit erroris & mali. Atque hic tot se jam a limine offerunt scientiæ, quot in negotiatoribus usuræ & fraudes; in Clericis simoniæ; in justitiæ Ministris, Regiarum sanctionum violationes; in Principum Officiariis rapinæ & concussiones; in Pastoribus, dominis, patribusfamilias negligentiæ; in omnibus simul, Ecclesiæ præcepta non observandi inanes prætextus; 2. quia medicus nosse debet naturam morbi, vim remediorum, quænam & quando applicanda. Hinc peccatum, & peccati species, qui pœnitentium morbi sunt; item varia pœnitentiarum genera, quibus vel præterita diluat, vel arceat a futuris, probe comperta habere debet; 3. quatenus judex necessum est ut instructus sit scientia, gravitate, & vigore legum, quas, qui ejus se tribunali sistunt, transgressi fuerint. Eæ autem leges, cum aliæ omnibus communes sint, ut divinæ Ecclesiasticæ; aliæ nationales, ut Regum Edicta; aliæ certæ conditionis propriæ, ut leges mercatorum, &c. quantam, bone Deus, scientiam prærequirunt!

Hinc probata manet 2. pars, quam tamen, ne videar exaggerasse, confirmare lubet testimonio & auctoritate S. Caroli; quo nemo unquam res æquiori lance trutinavit. Hæc ille in Confessariorum instructionibus. *Confessarius Sacramenti* Pœnitentiæ *doctrinam omnem recte nosse studebit, ita ut, quæ illius ratio, qui effectus, quæ partes, quæ illarum partium vis & natura perite intelligat: quæ peccata mortalia, &, quæ venialia cognoscat. Peccati circumstantias sciat, quæ præsertim mutant speciem peccati, & quæ in confessione explicandæ sunt, quæ restituendi onus inducant. Censurarum rationem & vim recte intelliget, & quibus criminibus annexæ sunt. Casus reservatos in promptu habebit, ita ut recte sciat, qui jure Canonum Summo Pontifici, qui rursus Episcopo, qui præterea in Bulla Cœnæ Domini, quique pro varietate temporum Episcopo reservati sunt. Differentiam satisfactionum pœnitentialium etiam probe noscat, & præterea Canones pœnitentiales ... memoria tenebit casus, quibus confessio sit iteranda. Cognitum etiam habere Confessarius omnis debet, ac præterea animadvertere antequam ad audiendas confessiones accedat, quanta sit auctoritas potestasque jurisdictionis suæ: ita ut, cum norit & quos, & a quibus peccatis, censurisque absolvere possit, tum etiam caveat, ne facultatis suæ fines prætergrediatur.* Temere igitur & periculose sibi blandiuntur, qui experientiam sibi scientiæ loco esse posse arbitrantur. Experientia enim facit ut audiantur multa, non ut bene dijudicentur; cum ad id & studio, & eruditorum colloquiis, & meditatione plurima opus sit. Hinc, ut bene notat Habert in praxi Virdunensi, pejor est senis experientia sua freti, quam juvenis adhuc imperiti conditio; in isto enim satis est ut feratur, in illo evellendi vepres, & removenda tumidæ fiduciæ obstacula. *Vidisti*, ait Scriptura Prov. 26. *hominem sapientem sibi videri? magis ille spem habebit insipiens.*

Ergo, inquies, vix ullus est in orbe Christiano Sacerdos, qui digne, &, ut par est, obeat munus Confessarii; cum vix ullus sit, qui scientiam a S. Carolo requisitam possideat.

R. imprimis apud omnes sive peritos sive imperitos constare, e Sacerdoti-

dotibus plures esse, qui cœcis ducatum præstantes, in eamdem communi lapsu foveam cadant.

R. 2. non absolute requiri ut præfata omnia memoriter actu teneantur, sed satis esse ut teneantur virtualiter. Scit autem virtualiter, qui generalia omnium principia capite gerens, de communibus prudenter judicat; de arduis vero dubitare novit, seu quia ex iis, quæ olim legit, confuse colligit in proposito casu esse non parum difficultatis; seu quia intelligit relationem rei ignotæ cum alia sibi notiori Hinc ad dubium vera requiritur scientia, hinc strenue imperiti nullibi hærent, sed nodos omnes secant, vel potius nequidem animadvertunt. Porro evidens est scientiam, quæ sufficit in pago, non semper sufficere in urbe mercatoria, aulica, vel forensi, quæ casus offert admodum implicatos.

Quæres an rudis Sacerdos licite & valide absolvat.

R. 1. absolvere valide, si nihil desit ex parte pœnitentis; quia scientiæ defectus jurisdictionem per se solum non excludit; licet si quodam sit in gradu, excludere possit, inducendo irregularitatem. De quo vide, quæ dixi Tom. 2. Tractatus Gallici de Dispensat. p. 275. cœterum si pœnitens Confessarium imperitum scienter eligat, peccat mortaliter, nedum absolvatur, quia malæ Sacramenti administrationi, sine necessitate, ut supponimus, cooperatur.

R. 2. absolvere illicite, quia exponit se periculo graviter errandi: unde reus etiam videtur, cum eos absolvit, qui absolvendi sunt, non secus ac medicus plane rudis, qui dum multos occidit, quosdam quasi fortuito liberat.

Excusantur tamen a peccato, qui ad excipiendas confessiones minime destinati, (ut Solitarii quidam, & forte cantores, quibus vix per Officia diurna, ac nocturna licet vacare studiis,) hominem absolvunt seu in articulo mortis, seu quia ob pestis periculum doctior alius opem suam recusat. Addunt aliqui id etiam habere locum, si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, & venialia, quæ quandoque angunt, confiteri, assuetus.

Cœterum Sacerdos suæ sibi ignorantiæ certo conscius, ne de Prælati quidem imperio, sacrum Tribunal ingredi potest. Aliud est si a Superiore post legitimum examen approbatus, tanto muneri par judicetur: habet enim tunc fundamentum deponendi scrupulos, & nimiam propriæ ignorantiæ suspicionem.

Conclusio III. Confessarius singulari eget prudentia.

Prob. munia Confessarii sunt, ut a pœnitente integram confessionem solerter & caute eliciat; ut eum proportionatis consiliis juvet; ut salutarem imponat pœnitentiam; ut neque absolutionem neget, cum impertienda est, nec tribuat, cum negari debet; ut & a pravis habitibus, & ab occasionibus peccandi retrahat; ut infantes & senes, sanos & infirmos, tepidos & propriæ perfectionis studiosos, sua unumquemque via deducat; ut secreti fidem servet illibatam, intactam, illæsam: atqui in his & omnibus & singulis opus est prudentia singulari. Minor, quam nemo nisi hostis recti sensus inficiari ausit, confirmabitur, facta partium inductione, & explicatione.

Primo itaque Confessarius agere debet & ut integram a pœnitente confessionem eliciat, cum peccata gravia, nisi simul omnia, dimitti non

 pos-

possint, & ut eam eliciat caute, id est tum sibi pœnitenti consulendo: ergo ut plurimum necesse est: 1. ut eum deducat per varios vitæ status, quos decurrit, per varias, quibus obnoxius fuit, peccandi occasiones, per singula Dei & Ecclesiæ præcepta, per capitalia peccata, per ea item, quibus fœdari solent personæ ejusdem professionis, ac demum per circumstantias, quæ vel speciem mutant, vel intra eamdem speciem notabiliter aggravant. Ubi animadverte in peccatis exterioribus detractionis præsertim & impudicitiæ, inquirendum esse coram quot personis ea perpetrata sint: cum aliud sit hominem coram uno, aliud coram decem denigrare, &c.

2. ut quibus timet ne vocem præcludat pudor, hos sensim adducat ad sufficientem eorum, in quibus lapsi sunt, expositionem, incipiendo a cogitationibus pravis, prosequendo a desideriis, finiendo ab exteriori opere.

3. ut caute & sagaciter interroget, ne (quod contigisse scio) vel pœnitentes quædam doceat, iisdem hactenus ignota; vel ipse nativam sensualitatem, ac curiositatem foveat, aut fovere judicetur.

4. ut tamen interroget quantum satis est ad dignoscendum an pœnitens in cogitatione morosa steterit, an non ad desiderium usque progressus sit; quod item fuerit hujus vel cogitationis vel desiderii objectum.

5. ut judicet an pœnitens confessiones iterare teneatur. In his porro & innumeris aliis, quæ recensere prolixius fuerit, quanta opus est circumspectione, prudentia, attentione ad Deum, &c. merito igitur hortabatur S. Carolus, *ut nunquam ad tantum hoc officium se se Confessarius accingat, quin prius brevi aliqua oratione lucem a Domino petat, ut non solum in nullam reprehensionem vel errorem incidat, verum aliorum sordes abstergere valeat, ut se ipse non polluat ..... habeant igitur singuli Confessarii versiculos Psalm.* 50. *ut antequam confessiones aggrediantur, legant: Cor mundum crea in me Deus*, & quatuor sequentes.

Secundo satagendum est Confessariis ut pœnitentes idoneis, proportionatisque consiliis juvent: ad id autem quanta opus sit sagacitate vel hinc patet, quod vir imprudens, timoratas animas, quas sublevare & consolari debuerat, impleat terroribus, qui mentem perturbent & concutiant; quod consuetudinarios, qui terrendi erant, utpote dura cervice, & incircumcisis cordibus, reficiat & consoletur; quod scrupulosos perinde tractet, ac si effrænis essent conscientiæ; quod non moneat eos, qui moneri debent, quales sunt 1. quicumque in errore culpabili versantur, & hoc etiamsi nullus ex monitione speretur fructus; 2. qui errore quidem invincibili laborant, sed, qui vergat in damnum vel scandalum proximi, ac demum, quod moneat eos, qui moneri non debent saltem hic & nunc; quales sunt aliquando, qui matrimonii sui nullitatem ignorant; & ea comperta vel prævidentur formaliter peccaturi, vel grave innocenti proli damnum, aut proximo scandalum præbituri: unde hi sæpius non sunt monendi nisi jam obtenta dispensatione; imo nec semper, eadem etiam obtenta moneri debent, ut colligitur ex cap. 6. *De consang. & affinit.*

Tertio Confessarii salutares debent imponere pœnitentias, neque tales sine prudentia imponere possunt. Pœnitentia siquidem id habe-

re

re debet, ut & satisfactoria sit, quæ præteritas labes diluat; & medicinalis, quæ a futuris præservet. In utraque autem quædam serio spectari debent, ut quod resarcitur damnum proximo per furta, detractiones, & similia illatum; quod non præcipiantur, quæ vergerent in præjudicium, vel pœnitentis, ut quædam corporis castigationes; vel alterius, ut jejunium diuturnum, aut longæ peregrinationes respectu servi, mariti, uxoris; quod, juxta Rituale Romanum, publica *pro peccatis occultis*, *quantumvis gravibus* non imponatur pœnitentia; quod pœnitens extremum vale dicere jubeatur iis occasionibus, quibus ad peccandum abreptus est; quod labores suos offerat Deo, sæpiusque ad eum in diei decursu mentaliter recurrat. Quæ omnia fusius videris apud Loarte a cap. 21. & Garnerium in Tract. de officiis Confessarii. In his autem omnibus, quam serio ponderanda conditio, vires, locus, aliæque, quotquot concurrere hic possunt circumstantiæ.

Quarto & neganda est absolutio, cum periculose daretur, & largienda cum periculose differretur. Hic autem, si usquam, maturo rerum omnium examine indiget Confessarius; cum hinc & inde immineat periculum, seu irritum faciendi Sacramentum, seu eos novo exponendi peccato, quos tueretur Sacramenti gratia. Interim absolutionis dilatio, modo ne nimia, & salutaribus stipata monitis, minus regulariter loquendo periculi habet, quam præfestina, ejusdem largitio, quæ & Confessarios plures, & pœnitentes innumeros perdit.

Iis porro differenda absolutio, qui pro virili non recedunt a proxima peccati occasione; qui segnes sunt in deponendo mali habitu, qui, & hoc in militibus caute observandum, retinent voluntatem duelli offerendi aut acceptandi; qui sumptus superfluos, unde debitis fiunt impares, coercere nolunt; qui aliis vel amatoriis libris, vel pectoris nuditate, peccandi occasionem præbent; qui pueros & domesticos de rebus ad salutem necessariis etiam necessitate præcepti erudiri non curant, præsertim si jam moniti non acquieverint; qui ad eos, quos læserint, reconciliandi accedere nolunt; aut eos recipere, a quibus læsi sint; qui Confessario quædam ut usuraria gravibus de causis prohibenti fidem denegant.

Aliud esset: 1. si pœnitens non imperitus bona fide opinionem suam credat esse probabiliorem: alioqui cum in materia morum docti doctis quotidie adversentur, nemo unus alium absolvere posset. *Esto*, ait post alios plures Cabassut. Lib. 3. cap. 13. num. eod. *Esto*, inquam, *aget Confessarius erga alterum non secundum propriam opinionem, non tamen contra propriam conscientiam*; quia judicare debet se non posse mundum totum adigere ut sibi in omnibus consentiat. Et vero an non moleste ferret, si pari jure & potestate ab alio Confessario cogeretur ab ea opinione recedere, quam, rebus coram Deo sincere ponderatis judicat esse probabiliorem? Aliud esset, 2. si pœnitens de re ancipiti cum viris virtute atque eruditione præstantibus deliberaturum se pollicetur; & huic ob probitatem compertam, aut certa sinceritatis indicia fides haberi possit.

Quinto nec minor esse debet Confessarii prudentia erga eos, qui vel in habitu, vel in occasione peccandi versantur. Circa priores, præsertim si jam obfirmata sit mali consuetudo, cavere debet Confessarius: 1. ne eo-

ne eorum assertionibus, & lachrymis ut plurimum edoctis mentiri fidem habeat. Jactant quidem consuetudinarii firmum, quod habere se putant, non peccandi propositum, sed ei vulgo simile, quod habet nauta ingruente unda oppressus, quodque una cum ventis, & tempestate evanescit. 2. ne eos non probet sufficienti tempore. 3. ne credat multo minori probatione opus esse tempore Jubilæi, Paschatis, Missionisve aut secessus: quasi tempus, aut vox exterius sonans, per se sola cor pridem induratum convertere nata sint. 4. ne rite conversos censeat eos, qui certo tempore lapsi non sunt, quia defuerit, quæ habitum exerere solebat, peccandi occasio. 5. ne moveatur inconvenientibus, quæ dilationem absolutionis consequi possunt, ut, quod omnibus jam ad nuptias dispositis, instet vel scandalum, si Matrimonium differatur, vel Sacramenti profanatio, si ad illud accedat, quis non absolutus. Etsi enim hunc aliqui etiam severi ad casum necessitatis revocent cum Leonardo Van-Roy par. 4. cap. 5. q. 1. æquius tamen sentiunt, qui absolutionem etiam tunc differri volunt. An enim mediæ horæ spatio conversus censebitur, qui hactenus vixit in crimine? an fornicationes præternas intus, & ex corde detestari censetur, qui nuptias inhiat, ut *suæ vacet libidini sicut equus & mulus*? an contritio instar fungi nascitur in corde corrupto? an profutura judicari potest absolutio, quæ non datur nisi, quia probabilissime timetur relapsus, & quæ proinde datur homini, qui supponitur non abhorrere a peccato? 6. & id etiam curare debet confessarius, ne in longum tempus remittat eos, qui sæpius cadunt: multo quippe consultius est, ut octava quaque die ad tribunal revocentur; hac enim arte sustentantur, & ex brevi triumpho sensim assuefiunt ad longiorem.

Quæres obiter quoto tempore pœnitentes præsertim consuetudinarios probari oporteat.

R. Id nulla generali regula posse definiri, sed de arbore judicandum esse ex fructibus. Rem totam belle, & solide exprimit S. Chrysostomus Homil. 14. in 2. ad Corinth. *Verum, inquit, satis pœnas expenderunt. Quamdiu, quæso? annum unum & alterum, ac tres. Atqui temporis moram non quæro, sed animæ emendationem: hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius mutati, & res tota confecta est . . . . neque enim sæpiusne obligatum fuerit vulnus quærimus; sed an obligatio illa quidquam profuerit. Ac siquidem etiam ad exiguum tempus adhibita profuit, non jam amplius adhibeatur. Si autem nondum eam adhibuisse juvit, etiam post decem annos adhibeatur.*

Hinc absolvi possunt consuetudinarii non tantum in articulo mortis, vel instante prælio, quia in extremis dubia remedia adhibere licet, sed etiam cum extraordinaria seriæ conversionis, indicia præbent, ut cum usurarii quidquid lucri percipere restituunt; cum viri Officio suo impares; illud, etiamsi honorificum sit, & utile, abdicant; cum deditι impudicitiæ, solvunt compedes suos, & idola cordis sui generosa abjiciunt: quas quidem mali privationes congruis fructibus pœnitentiæ stipari supponimus: hi porro fructus, nisi confessiones præcesserint, aliquamdiu probandi erunt. Interim probationis diuturnitatem ex habitus diuturnitate metiri nolim cum sæpe fiat, ut, qui plures per annos in scelere volutati sunt, plenius & perfectius resipiscant, quam,

qui

qui quatuor solum mensibus passioni servierunt. Nullum porro peccatum est, quod plus exigat probationis, quam adhæsivum incontinentiæ crimen; unde videat Confessarius, ne qui ab eo per tres, aut circiter hebdomadas abstinuerit, putet serio emendatum. Plures vidi, qui duorum ad minus mensium probationem vellent, quique concessa absolutione Eucharistia non statim concederent.

Quod de consuetudinariis, idem sentiendum de recidivis, iis nempe, qui contra datam fidem, in eadem relapsi sunt peccata, nisi forte relapsi sint semel tantum ex vi occasionis vel tentationis extraordinariæ, non quæsitæ vel prævisæ; & relapsum secutus sit sincerus cordis dolor. Uno verbo generatim extra mortis articulum probandi sunt ii omnes, quorum dubia apparet contritio, & quos Confessarius prudente judicare nequit firmum, efficax & universale habere de cætero non peccandi mortaliter propositum.

De iis, qui sunt in occasione peccandi, consule, quæ dixi Tom. 2. de peccat.

Sexto, multiplici ac varia pro statuum varietate opus est prudentia; cum ut cæteros omittam, quos percurrere longum esset, aliter infantes, aliter provectæ jam ætatis viros; aliter sanos, aliter qui ad interitum vergunt, &c. dirigi oporteat. Quod ad infantes attinet, ii blando vultu, & serena fronte excipiendi sunt, ne vel deinceps tribunal refugiant, vel celent peccatorum partem. Caute interrogandi circa quasdam ætatis hujus propensiones plane carneas; Dei potius quam hominum judicio terrendi, non facile absolvendi, quia raro contriti.

Quod pertinet ad ægrotos, iis eo sedulo magis consulendum est, quod periculosior est eorum status. Hinc mature invisendi sunt, monendi, sed absque nimio terroris impulsu, ne differant confessionem, quæ, sublevata conscientia, & corpus sublevatura sit; impellendi ut domesticis rebus prospiciant; absolvendi si jam elingues dederint contritionis signa, imo etiamsi non dederint, quia cum necdum definitum sit actus Pœnitentis esse materiam Sacramenti, quod etiam Scotistæ negant, absolutio pro materia & forma saltem in tanto discrimine haberi potest. Sed de his alibi plenius: interim adi Librum, cui titulus: *Conduite des Confesseurs*, lege, & methodum Gomarii Huygens.

Quæres, quid faciendum in casu nobis olim proposito. Petrus Viaticum defert ad Joannem, qui ut exoneret se a quibusdam culpis, quæ ab ultima confessione apud alium peracta redierant in memoriam, precatur ut se Petrus audire velit. Annuit is prout dicebat, & ex brevi Joannis confessione agnoscit iterandas esse ab eo confessiones omnes, quas ab annis ut minus quadraginta emisit. Quid, inquam, juris in hoc casu, ubi vel Eucharistia conferenda est indigno, vel non sine gravi eorum, qui comitati sunt, aut in domo versantur, scandalo deneganda?

R. Difficultatem hanc ex morbi violentia, & statu dijudicandam esse: si enim eo usque morbus urgeat, ut periculum sit in mora, debet Confessarius postquam audierit graviora quædam ægrotantis peccata, eumque ad contritionem, & fiduciam adhortatus fuerit, & absolutionem largiri, & Viaticum administrare. Sin autem satis ægrotanti superest virium, ut per unam aut alteram diem differre queat receptionem Sacramenti, debet efficere Sacerdos, ut declaret moribundus se in præsenti mentem non habere liberam satis & tranquillam, ut Eucha-

ristia fructuose refici possit: eadem porro ad templum reportata, præsto aderit Sacerdos, & plenam, quantum ferent ægri vires, exomologesim elicere conabitur; hac arte, & Sacramento, & ægri famæ consuletur. Quod si forte æger, ad extremos usque halitus hypocrita, actu Viaticum petat, non poterit denegari; ipse sibi imputet.

De prudentia prout sigillum confessionis spectat, nihil loquar; cum ea pars ad Tractatum de Pœnitentia omnino pertineat.

CONCLUSIO IV. Probitas Confessario cuilibet est summe necessaria.

Prob. Nomine probitatis eam hìc intelligimus virtutem, vel potius virtutum complexionem, cujus ope Sacerdos præciso humano quocumque sui ipsius intuitu, pœnitentis salutem digne ac sancte intendit: atqui probitas eo etiam latiori sensu intellecta, necessaria est omnibus Confessariis.

1. Quidem indigent omnes ea probitatis specie, quæ proprii commodi humanum quemcumque intuitum excludat. Alioqui enim ambient divitum mensas, item dona, & munera, quæ *excæcant oculos sapientum*, & ministerii libertatem minuunt, si non auferunt prorsus; legata extorquebunt a moribundis, eaque contra Regias sanctiones invalide recipient; fœminis, quæ, ut in ipsas homo, sic naturaliter in hominem propendent, eo periculose magis, quod sub directionis, & pietatis prætextu, adhærebunt: unde non secus ac de fonte venenoso scaturiunt innumera mala, jactura scilicet temporis; visitationes superfluæ, teneriora in utroque morbi, & valetudinis statu obsequia; pallor ad ipsum ægrotantis Directoris nomen; timor ne ex ovili nostro in alienum transmigret ovis impensius dilecta; confessio pene sine verecundiæ, & doloris sensu, quia peracta apud amicum, cui sua quæcumque aperire dulce est. Accedunt quandoque murmura domus, atque etiam totius Parochiæ; despectus, & suspiciones perditorum hominum, proborum scandala, &c.

Quæres quid faciendum a Confessario pio, qui pœnitentem aliquam sibi humano quodam, nec moderato satis affectu inhærere sentit.

R. Eam breviter & asperius solito tractandam esse. Breviter, ne vel foveantur inanes scrupuli, qui alii ex aliis pullulant; vel longioris colloquii mora fit libidinis incentivum. Paulo asperius, ut sentiat se non aliter Confessario placituram, quam si Deo placere conetur. Quod si hæc non succedant, & periculum sit, ne malum augeatur in dies, multo satius, imo quandoque necessarium erit vincula adhuc lignea dirumpere; ne si ferrea evadant, frangi jam non possint.

Durior hæc in speciem agendi ratio cum iis etiam servanda est personis, quæ licet solida eniteant virtute, existimare videntur se non alio, quam hujus Confessarii auxilio ad cœlum evehi posse: extat illustre ea de re S. Vincentii a Paulo exemplum. Is enim Franciscam Margaritam de Gondiaco insignem natalibus, pietate insigniorem, sed hominis Dei directioni paulo nimis addictam, primum Directores alios experiri jussit; deinde clanculum deseruit, veritus ne ab uno homine expectaretur auxilium, quod a Deo solo expectari debet, quodque misericordiarum Pater, si enixe rogetur, per hunc æque ac per illum certissime impendet.

2. Indigent ea specie probitatis, quæ teneram charitatem, ac zelum salu-

salutis animarum importat. Est enim Confessarius pastor pœnitentium; eosque inter & Deum mediator: atqui ad utrumque hoc munus requiritur & tenera charitas, & ingens salutis animarum zelus. Pastor enim & mediator solliciti esse debent ut ovem errantem quærant, ad ovile revocent, asperam monitis tandem flectant, primo ac supremo Pastori per preces suas, & gemitus reconcilient. Hæc porro & similia num præstabit homo charitatis expers? an erit de aliena reconciliatione sollicitus, qui non est de sua? an efficaciter pro aliis apud Deum aget, qui ne pro se ipso quidem satis utiliter ageret?

3. Et ea indigent probitate, quæ facit ut Sacramenta digne administrentur, quæque consequenter peccati lethalis statum excludit. *Necesse est* enim, *ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat..... scriptum namque est* Isajæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini*, c. 33. 1. q. 1. Et vero Confessarius judicis munus exequitur, porro *judicans alium, qui* ipse *judicandus est, condemnat seipsum. Cognoscat igitur se, & purget in se, quod videt alios sibi offerre. Curet ut a se projiciat quidquid in alio damnosum reperit*. Ita ex Augustino S. Antoninus 3. part. tit. 17. c. 17. Idem docet Rituale Romanum, & alia passim.

Hinc colliges 1. cum agmine Theologorum mortaliter peccare in ratione sacrilegii, Sacerdotem, qui in peccato habituali positus confessiones excipit; imo tot admittere peccata, quot audit confessiones; sicut peccata multiplicat juxta communiorem sententiam, qui plures distribuit hostias; sicut & plures incurrit censuras, qui plures percutit Clericos. Unde necesse est, ut quantum potest fieri, aperiat Confessario, quot audierit pœnitentes. Nec satis esse videtur, quidquid existiment nonnulli, ut dicat se obvios quoscumque audiisse; cum ea declarationis species nihil exprimat clari, nisi forte Confessarius inde rem totam percipiat.

Quæres an debeat quis exprimere speciem peccati, in cujus habitu versabatur.

Negat post Ledesmam citatus auctor Instit. Theologico-Moral. pag. 290. nisi forte malus ille Sacerdos gravissimo aliquo crimine detentus esset; quale quidquid uterque sentiat, fornicationis peccatum esse arbitrarer.

Quæres iterum an etiam reus sit malus Sacerdos, qui in casu necessitatis quempiam absolvit.

R. Affirmative: etsi enim secundum doctrinam S. Thomæ 3. part. q. 64. art. 6. ad 3. Laicus vel Sacerdos, qui in necessitate baptismum conferunt, non peccent, eo quod, ne Sacerdos quidem in hoc casu *exhibet se Ministrum Ecclesiæ*, cum non agat vi consecrationis in ordinatione receptæ, *sed subvenit necessitatem patienti*: quia tamen Sacerdos etiam alias non approbatus, ex officio agit, cum excipit moribundi confessionem, non excusatur ob urgentem casum; cum in uno instanti contritionis actum elicere possit. Si tamen eo usque urgenti & repentina necessitate moveretur, ut statim in absolutionis verba erumperet, non videretur peccati reus.

Colliges 2. quod Sacerdos Pœnitentiam aut aliud Sacramentum ministraturus, *sollicite & intime recogitare debet, an alicujus peccati mortalis (quod sanctissima cautione vitare debet) sibi conscius sit. Quod si reum se esse novit, prius Sacramentali confessione se expiare studebit. Contritionem certe habere, quam diligentissime curet*. Ita sanctus Carolus in Instructionibus pro admini-

ministrandis Sacramentis. Concinit Rituale Pauli V. tit. 1. *Sacerdos*, ait, *si fuerit mortalis peccati sibi conscius, quod absit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri*: quibus ex verbis communiter inferunt Theologi, *convenire* quidem, haud tamen necessum esse, ut Sacerdos Sacramenta ministraturus actu deponat peccata; quod & confirmant, quia nec Tridentinum nec ulla alia Ecclesiæ lex requirit confessionem, nisi ante susceptionem Eucharistiæ.

Quoniam tamen rara est contritio, quæ extra Sacramentum justificet, unde & subest periculum, ne, quem remordet conscientia mortalis peccati, sacra indigne contrectet, salubriter sibi consulit, qui, cum facile potest, recurrit ad Confessarium. Imo id non pauci cum Synodis Atrebatensi, Cameracensi, & Iprensi, Adriano item, Ethica amoris tom. 3. Lib. 1. cap. 17. Geneto, Boudart, & auctore praxis & Theor. Sacrament. tom. 1. cap. 7. num. 15. plane necessarium judicant: 1. quia militat in præsenti ratio, quæ Tridentinos Patres movit ad sanciendum, sess. 13. cap. 7. ut *nullus* omnino *sibi conscius peccati mortalis, quantumcumque sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam* vel Missæ celebrationem *accedere debeat*.

2. Quia nunquam licet exponere se probabili peccandi periculo: atqui huic se periculo exponit, qui hic & nunc peccata confiteri valens, eadem non confitetur. Qui enim dubio utitur remedio, cum certo vel saltem multo certiori uti potest, ille probabili ad minus se periculo exponit: sed, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ recurrere negligit, seque solo contritionis actu contentum habet, dubio utitur remedio, cum certo, vel saltem multo certiori uti potest. Nemo enim per contritionem justificari potest, nisi perfectam: atqui perfecta contritio adeo est ardua & incerta, ut pauci admodum illam habeant, prout docet Catechismus Romanus 2. part. cap. 5. num. 31. & fatentur molliores Theologi.

3. Quia contritio non delet peccatum, nisi prout conjuncta est *voto Sacramenti*, voto, inquam, serio & efficaci, ac proinde implendo, quamprimum fieri poterit. An vero votum hoc habet, qui Sacramentum non recipit, cum facile potest? *Trid. Sess. 14. c. 4.*

Ob hæc momenta, quorum tamen tertio sua inest difficultas; secundam opinionem sequerer in praxi, cui & omnes adhærere precor. Interim si ex duobus Confessariis, quos æque pungit conscientia, alter alterius Confessionem excipere teneatur, quod deiunt alii; non est pueriliter decerrandum uter alterum prior audiat; etsi eum, qui pie magis vivit, ante audire deceat, quam audiri.

Quæres quandonam Confessarius pœnitentem adigere debeat ad iterandas confessiones.

R. Quoties prudenter de earum validitate dubitat, & a fortiori cum de ea moraliter certus est. Hinc exigendæ novæ confessiones 1. ab iis, qui de proposito peccatum aliquod celavere, nisi, quod rarum est, celaverint ad consulendum vitæ suæ, &c. 2. ab iis, qui idonei examinis defectu, quem non suppleverit charitas Confessarii, vel peccata quædam, vel eorum numerum, vel circumstantias, quæ exprimendæ erant, suppresserunt; 3. & ab iis, qui aliquid grave reticuerunt ex ignorantia mor-

mortaliter culpabili ; 4. & ab iis etiam , qui confessi sunt , quo tempore Trinitatis , Incarnationis , Redemptionis , & Dei remuneratoris Mysteria ignorabant etiam invincibiliter , quia horum explicita fides necessaria est necessitate medii ad justificationem ; prout dicam ubi de Fide. Idem dic , si quis contritionis necessitatem ignorasset ; 5. ab iis quoque , qui debito dolore caruerunt , quales reputari debent , qui paulo post ad vomitum reversi sunt ; nisi forte , ut supra dictum est , extraordinaria tentatione & occasione rapti cecSerint , casumque suum paulo post ubertim doluerint.

Porro in casibus modo recensitis , si confessio invalida apud alium Confessarium iteretur , omnia mortalia secundum numerum , speciem , & circumstantias necessarias repetenda erunt . Si vero res apud eumdem agatur Confessarium , satis erit generaliter dixisse : *Accuso me de peccatis omnibus , quæ tibi invalide confessus sum ; insuper de tali , quod de industria , vel gravi negligentia omiseram* ; *ac demum de sacrilegio in illa confessione commisso*. Limitat hoc ultimum Ethica amoris n. 2380. si Confessarius adhuc memor sit peccatorum confessorum , memor , inquam , generali modo , de quo infra .

Quæres iterum an semper subsequentes confessiones iterare teneatur , qui prævias iterare debet.

R. negat. ignoravit quis v. g. Mysterium aliquod necessarium necessitate medii , & confessus eo tempore absolutionem recepit invalidam ; post aliquot annos de eodem Mysterio instructus pluries peccata deposuit , nec tamen confessiones ante factas iteravit , quia nesciebat iterandas ; comperit tandem invalidas fuisse prævias instructioni suæ confessiones , satis est ut eas repetat ; quia validæ fuerunt confessiones subsecutæ , & peccata præcidentia indirecte deleverunt ; eadem tamen peccata clavibus subjici debent , quia sic a Deo constitutum est .

Idem contingere potest iis , qui ad Deum serio conversi , post aliquot a conversione annos detegunt ex librorum quorumdam lectione se pluries invalide fuisse absolutos ; aut qui recordantur se olim aliquod celasse peccatum , quod tempore conversionis non expressere , quia ejusdem obliti ; ita Lugo disp. 16. nu. 599. neque id improbat , sed potius probat , Ethica amoris nu. 2381. modo oblivio hæc , inquit , non fuerit culpabilis saltem graviter . His ergo satis est , ut confessiones , quæ conversionem præcessere , repetant . Idipsum docet auctor Libri , cui titulus : *Le Directeur des ames penitentes* , quod opus Doctores multi strictiorum opinionum asseclæ nobilibus suffragiis decorarunt . Eadem de causa , qui reticuit etiam ex verecundia peccatum aliquod , quod pro levi habebat , cum esset grave , ad hujus confessionem , non ad iterationem totius confessionis adigi debet , si inculpate erravit circa naturam peccati hujus , quod eruditis contingere potest . Inculpate autem errasse censebitur , qui sic affectus erat ut maluisset mori , quam grave peccatum culpabiliter reticere. *Cap. 23.*

Quæres 3. an ad totam confessionem teneatur , qui certas tantum suppressit circumstantias , v. g. circumstantiam scandali .

R. Si id factum sit sine culpa mortali Pœnitentis , qui ea de re nec instructus fuerit , nec interrogatus a Confessario , quod sæpius contingere compertum est , satius esse ut caute suppleatur , quod minus caute omis-

omiſſum eſt. Sunt quidem aliquæ circumſtantiæ, quæ vix indicari poſſunt, quin totius vitæ confeſſiones pene integre repetantur; ut patet in opinione eorum, qui circumſtantiam temporis feſtivi neceſſario exprimendam cenſent cum Henrico a S. Ignatio. Docet tamen Theologus ille tom. 2. p. 121. Non inquietandos eſſe Fideles, qui circumſtantiam hanc in præteritis confeſſionibus omiſerint; *quia*, inquit, *id poſſet eſſe valde nocivum profectui ſpirituali plurimorum*. Idem & nos utcumque docuimus alia de cauſa in Tract. de Peccatis, append. de Circumſtant. atque id a ſimili confirmari poteſt ex Doctrina Ritualis Pariſienſis editi a Card. Noalio, ubi tit. de Sacrament. Pœnit. p. 89. ſic legitur: *Si Pœnitenti occurat* peccatorum numerus, *qui probabiliter judicetur ad verum accedere, is etiam ſufficiet, ac licet peracta Confeſſione recordaretur pœnitens veri ac certi numeri, non debebit eſſe anxius de illo iterum in alia confeſſione aperiendo, ſed liber erit ab illa obligatione per illum numerum probabilem ante expreſſum*; quia ſcilicet ex eo ſatis intellexerit confeſſarius ſtatum Pœnitentis.

Quæres 4. an iteranda ſit confeſſio facta ei, qui juriſdictionem non habebat.

R. Vel Confeſſarius omni carebat juriſdictione; & tunc iteranda eſt confeſſio eidem facta, non autem ſubſequentes propter allatas ſupra rationes; vel Confeſſarius aliquam, ſed non omnimodam, habebat juriſdictionem, puta quia pro reſervatis approbatus non erat, & Pœnitens bona, ut ſupponimus, fide, quædam reſervata confeſſus eſt, quædam minime reſervata; & tunc diviſi ſunt Theologi. Alii abſolutionem tunc datam valere putant directe quidem quoad non reſervata, indirecte vero, quoad reſervata, unde ſequitur confeſſionem, quoad minime reſervata iterandam non eſſe, ſed ſolum, quoad reſervata, non ut dimittantur, cum jam dimiſſa ſint, ſed ut ſatisfiat reſervationis ſcopo. Ita ſentit Lugo diſp. 16. n. 598. Navarrus in ſumma cap. 9. nu. 6. ubi omnes de hoc convenire dicit, Sylveſter, Tabiena, Fumus in Armilla, & alii, quos citat nec improbat Cabaſſutius Lib. 3. cap. 11. n. 6. in fine.

Alii contrarium tenent cum Haberto cap. 7. de Pœnit. q. 7. quia Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. docet & *nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*; & puros Sacerdotes extra neceſſitatis articulum *nihil poſſe in caſibus reſervatis*.

Sed 1. non dicit Concilium Sacerdotem approbatum pro non reſervatis; nihil poſſe in Pœnitentis perſonam, ſed nihil poſſe *in caſibus reſervatis*; quod ut verum ſit, ſatis eſt ut Sacerdos non poſſit per ſe & directe abſolvere a reſervatis, licet ab iis aliquando indirecte abſolvere poſſit. Puta cum eorum inculpate oblitus eſt Pœnitens. Ita Suarez diſp. 31. de Pœnit. ſect. 3. & vero ſi Confeſſarius omni in Pœnitentem reſervata habentem juriſdictione careret, Pœnitenti, qui in ipſo confeſſionis fine reſervatum aliquod confiteretur, tota ſua confeſſio iteranda eſſet ei Confeſſario, cui facta eſt, poſtquam etiam a ſuperiore obtinuit facultatem abſolvendi a reſervatis; quod a communi praxi alienum eſt.

2. Ut fatetur ipſe Habert ibid. opinionem ſuam emolliendo, *juxta communem ſententiam, (cui eo ipſo conſentire cenſentur Superiores, quo ei non contradicunt, cum eam ignorare non poſſint) in caſu neceſſitatis inferior valide & licite abſolvit directe quidem a non reſervatis, indirecte vero a reſervatis, pro quibus*

bus Pœnitens Superiorem postea adire tenetur. Quæ autem major necessitas absolvendi saltem indirecte a reservatis, quam cum Pœnitens propter invincibilem oblivionem non potest ea confiteri? Peccata, quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt, per absolutionem indirecte remittuntur juxta doctrinam Concilii Tridentini, nec in ejusmodi necessitate obligat præceptum divinum confitendi omnia & singula peccata mortalia. Porro si Deus sic peccatoribus indulget, nec ratio nec justitia dubitare sinunt, quin fuerit eadem Superioris intentio, ac voluntas, cum casus sibi reservavit, ut ab eo casu inferior indirecte absolvere possit, qui inculpate e memoria excidit. Hæc ille: sed quidni pari de causa idem dicatur cum pœnitens peccatum suum confessus est, & Sacerdos ex inattentione, quæ attentiores quandoque invadit, non animadvertit illud esse reservatum, aut credidit necdum finitam esse, quæ sibi ad tempus concessa erat, reservata dimittendi facultatem; aut demum pœnitens peccatum illud celare potuit, puta quia cum gravi fundamento verebatur, ne Sacerdos inde ansam sumeret vel peccandi, vel pœnitentem occidendi, vel prodendi secretum? Idem pro casu inculpatæ oblivionis vel ignorantiæ docet Paulus a Lugduno T. 5. p. *386*.

Ex prima responsionis nostræ parte sequitur invalide absolutum iri, qui nonnisi reservata Sacerdoti pro reservatis non approbato peccata subjiceret: quia nihil subjiceret, in quod jurisdictionem directam haberet Sacerdos. Verum de his adeundi Theologi, ubi de pœnitentia, qui omnes extricant se ut possunt.

Quæres 4. an iteranda confessio, cum pœnitens impositæ pœnitentiæ defuit; aut hæc ei excidit e memoria.

R. ad 1. Si pœnitens, quo tempore absolutionis beneficio donatus est, intenderit non implere pœnitentiam, confessio invalida fuit, & iterari debet. Si vero serio intenderit exequi pœnitentiam, cui deinceps voluntate in malum versa defuerit, expendendum est, quo tempore malæ huic voluntati cesserit. Si brevi post absolutionem tempore, dubia admodum est ejus conversionis sinceritas; quia sincere conversus remedia a Confessario præscripta non negligit saltem in continenti; (nisi forte extraordinaria quædam supervenissent, ut iter festinum, &c.) Si vero nonnisi post tempus satis longum, duos v. g. aut circiter menses; aliter dicendum erit; quia absolutio impeccabilem non facit, nec impedit, quin firmiora proposita tandem evanescant..

Ad 2. respondet post Vasquem Lugo disp. 25. n. 87. Pœnitentem, qui ad Confessarium recurrere nequit, haud teneri ad iterandam confessionem, *etiamsi culpabiliter oblitus fuerit pœnitentiæ prioris*. Tunc enim, inquit, satis erit culpabilis hujus oblivionis peccatum confiteri. Idem docet Henno Tom. 8. p. 217. ubi addit pœnitentem hoc in casu satisfacere debere, prout sibi prudenter omnibus attentis visum fuerit. Aliter sentit Pontas v. *Penitence enjomte* cas. 5. cujus opinioni ut multo tutiori adhærendum; quia satisfactio, de qua nunc loquimur, & virtute clavium imponi, & Sacramenti completiva esse debet: neutrum autem ei competit pœnitentiæ, quam sibi pro libito imponit pœnitens; & idcirco fatentur omnes eum non posse in aliquid etiam melius impositam sibi pœnitentiam commutare. Vide Lugo disp. 25. n. 95.

Quæres 5. an, qui suam sibi vult pœnitentiam commutari, confessionem iterare debeat.

R. 1. pœnitentiam, si salutaris sit & conveniens, non posse in aliam, quæ

quæ etiam conveniat, & salutaris sit, sive ab eodem Confessario, sive ab alio mutari; tum quia nulla est illius mutandæ causa; tum quia Deus alligando in cœlis, quæ alligata sunt in terra, sanxit, ut quæ præcepit Confessarius clave non errante, observentur a pœnitentibus. Itaque tunc solum pœnitentiæ mutationem exigere potest pœnitens, cum hæc ob supervenientes circumstantias fit animæ vel corpori moraliter periculosa; aut acerbior est quam par sit, ut jejunium in pane & aqua pro verbo otioso; aut sine infamia impleri non potest, aut demum, ait Pontas v. *Penitence enjointe* cal. 4. alia speratur *utilior futura*, qualis ut præsumatur, videtur sufficere ut cum multo majori animæ gaudio implenda sit; modo tamen semper sit delicto proportionata.

R. 2. Vel pœnitentia ab eodem, qui eam imposuit, Confessario mutari debet, vel ab alio. Si ab eodem, necesse quidem est ut hæc mutatio fiat in alia confessione, quia agitur de actu judiciali & uso clavium, qui nonnisi in tribunali exercetur; at non opus est nova eorumdem peccatorum confessione, si Sacerdos adhuc memoria quadam confusa, qualem pene necessario habent, qui multas excipiunt confessiones, recordetur statum pœnitentis. Addit Simonet Tom. 9. p. 300. nec nova opus esse absolutione: *saltem si hæc commutatio fiat non diu post priorem confessionem & absolutionem*; quia, inquit, *commutatio sic facta, cum absolutione prius data efficit unum & idem moraliter judicium totale & integrum, ac proinde unum cum ea Sacramentum*. Illud vero, *non diu post*, alii determinant ad spatium mediæ horæ, alii ad unum diem, alii ad triduum, alii ad dies octo, alii cum Lugo ibid. num. 112. ad spatium multo longius. Mihi quidem, si pœnitens alia habeat peccata, quæ deponat, satius videtur ut nova donetur absolutione, quæ & in peccata hæc cadat, & in ea, quibus imposita erat satisfactio, de cujus commutatione agitur. Unde novo circa antiquiora hæc peccata contritionis actu opus erit.

Sed si pœnitentia ab alio Confessario mutanda sit, necessum est, quidquid sentiant Navarrus, Toletus, & alii plures, quos congerit Diana, ut nova fiat ei confessio peccatorum, pro quibus imposita fuit hæc pœnitentia. Ratio est 1. quia pœnitentia sacramentalis debet imponi per modum judicii: porro judicium hoc prærequirit accusationem pœnitentis, quæ in ipsa confessione sita est; quia pœnitentia imponi debet, quæ conveniens sit & salutaris: ad hoc autem necesse est ut causa quantum satis est, cognoscatur; quod nonnisi per confessionem fieri potest.

Dixi, *quantum satis est*, quia, ait Habert pag. mihi 340. non requiritur ut iteretur confessio integra, *& singula peccata quoad speciem & numerum exponantur, sed satis est, si summatim declarentur graviora peccata & peccandi consuetudo, propter quæ verisimilius gravior hæc pœnitentia injuncta est*. Atque hæc decisio, quæ mitior videri possit, hinc confirmari potest, quod qui multas tota hebdomade confessiones audiunt, & generalem in uniuscujusque fine pœnitentiam imponunt, nonnisi summatim cujusque pœnitentis statum sibi revocent. Unde si ex statu & testimonio pœnitentis intelligat secundus Confessarius, parem plus vel minus fuisse statum pœnitentis, cum ei a priori Confessario injuncta fuit pœnitentia, quam sibi commutari optat, non alia opus est confessione.

Duo hic exurgunt dubia, an possit inferior mutare pœnitentiam a Su-

Superiore pro reservatis impositam; 2. an pœnitens, qui eamdem apud alium iterat confessionem, eo ipso sit a priori pœnitentia immunis, quo novam recepit a secundo Confessario.

R. ad 1. negat. cum Suarez disputat. 38. sect. 10. num. 13. Lugo ibid. num. 105. Ethica amoris cap. 210. Paulo Lugdun. & aliis pluribus: 1. quia inferior qua talis non potest moderari legem impositam a Superiore qua tali: porro pœnitentia pro reservatis imposita est a Superiore qua tali; ergo mutari nequit ab inferiore, nisi is quoad hoc fiat æqualis Superiori, per acceptam ab eo potestatem; 2. quia secundus Sacerdos non potest mutare priorem pœnitentiam, nisi quatenus potest novam proferre sententiam, perinde ac si esset prima; sed qui pro reservatis approbatus non fuit, non potest oblatam sibi causam judicare velle, perinde, ac si esset hæc prima ejusdem causæ cognitio & sententia; ergo hoc sensu falsum est, quod objicit Habert, reservationem in solum cadere peccatum.

At, inquies, si votum castitatis mutatum sit in materiam minime reservatam, poterit hæc a quocumque Confessario mutari: ergo a pari.

R. neg. conseq. Superior enim cum materiam unam commutat in aliam, nec sententiam fert, nec præceptum imponit, sed consentit tantum ut unum solvatur alterius loco, perinde, ac si unum illud Deo promissum fuisset: at vero in nostro casu Superior & legem & sententiam tulit, quæ ex natura rei, nonnisi æquali auctoritate limitari aut corrigi possunt.

R. ad 2. negat. sententia enim legitime lata subsistit donec revocetur; ergo necessaria est ex parte Confessarii, sive is idem sit, sive alius, intentio eam revocandi, ac proinde de revocatione hac seu partiali seu totali pœnitentem a Confessario moneri oportet. *Cæterum*, ait P. Antoine Tom. 4. p. 300. *ne prius Sacramentum sua integritate privetur, relinquendum est aliquid ex priore pœnitentia præstandum*; aut saltem id *expedit*, ait Simonet ubi supra, de quo vide Lugo ead. disp. 25. num. 102. quicum ibid. n. 114. addiderim fieri posse ut secundus Confessarius non possit sine gravi peccato pœnitentiam a primo impositam mutare, si nimirum hæc adeo præservativa sit, ut eam pœnitens secluso etiam Confessarii præcepto sibimet imponere teneatur: secus si pœnitentia præservativa possit mutari in aliam æquivalentem quoad effectum, & quæ eo sensu utilior futura sit, quod fidelius & sanctius implenda.



PARS SECUNDA.

De Statu & Obligationibus Religiosorum.

TRia erunt secundæ hujus partis capita. Primum expendet conditiones & onera Novitiorum; secundum substantiales Religiosi hominis obligationes; tertium cœtera, vel potius præcipua quædam ejusdem Officia tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad Episcopos. Horum autem cognitio, non iis tantum, qui Religionem amplexi sunt, sed & sæcularibus etiam Præsbyteris necessaria est, cum seu in itineri-

bus,

bus, seu in stationum decursu confessiones Religiosum excipere teneantur. Hæc tamen, quam brevissime fieri poterit, expediemus.

CAPUT PRIMUM.

Expenduntur qualitates & onera Novitiorum.

Status Religiosus est stabile vitæ institutum, approbatum ab Ecclesia, & tendens ad perfectionem jugiter acquirendam per solemnia vota, castitatis præsertim, paupertatis, & obedientiæ. Colligitur ex S. Thoma 2. 2. q. 196. art. 1. 2. & 3.

Dicitur 1. *institutum stabile* : etsi enim nomen *status*, quandoque conditionem transitoriam exprimit, quo sensu dicimus, statum innocentiæ, statum virginum, &c. stricte tamen a S. Thoma, & Theologis accipitur pro *immobili vitæ conditione*. Talis autem est conditio Religiosorum, saltem ex eorum parte, quia licet aliquando a Superioribus dimitti possint; ipsi tamen jugum excutere non possunt : id vero sufficit, ut firma sit eorum conditio, prout a simili patet in servis, quorum sors ubique censetur esse stabilis, quia etsi a dominis manumitti possint, haud tamen possunt propria sponte discedere.

Dicitur 2. *approbatum ab Ecclesia*, seu, ut hic intelligitur, ab Apostolica sede. Etsi enim sola Episcoporum approbatio, vel non repugnantia, satis olim fuerit ad erectionem Monasteriorum, prout pluribus ostendit Pontius Lib. 7. de Matrim. c. 11. sanxit tamen & merito Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. ut nulla jam exurgeret Religio, nisi approbante Papa. Unde non valerent, saltem ut solemnia, vota, quæ quis alioqui emitteret.

An autem valerent ut simplicia, controvertitur. Negant Cajetanus 2. 2. q. 88. art. 9. Lessius Lib. 2. cap. 41. dub. 1. n. 14. & alii quidam : 1. quia, quod de jure nullum est, nullum parere potest effectum; 2. quia, qui sic vovet, non alia intentione vovet, quam ut fiat Religiosus; ergo si non obligetur ad Religionem, ad nihil obligabitur. Aliter sentiunt Navarrus, Sanchez, Azor, & alii, quos sequuntur Salmanticenses Tract. 15. c. 4. n. 35. 1. quia actus, qui non valet ut fit, valet ut potest, ex cap. unic. *De despons. impub. in 6.* ubi matrimonium impuberis, etsi non valeat in ratione matrimonii, propter defectum ætatis, valet tamen in ratione sponsalium, quæ ab impubere contrahi possunt; 2. quia si, quod nullum est, non in eo solum genere, in quo nullum est, sed in alio quocumque prorsus nullum pareret effectum, professio conjugati absque consensu uxoris facta, utpote nulla, ad nihil obligaret : atqui falsum consequens ex cap. 12. *De convers. conjugat.* ubi, qui sic professus est, nec debitum petere posse, nec post uxoris mortem ad alias posse transvolare nuptias declaratur; ergo & in proposito casu, nisi oppositum de intentione voventis constet, debet is censeri votum simplex emisisse; quia tamen res nonnihil habet dubii, votum hoc ab Episcopo etiam quoad castitatem relaxari poterit.

Dicitur 3. *tendens ad perfectionem*, unde status is vocatur a S. Thoma Scholare

Scholare seu Schola perfectionis adipiscendæ ; quo titulo distinguitur ab Episcopatu , qui status est perfectionis aliis impertiendæ , & ideo jam acquisitæ , uti docet idem S. Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. ne tamen hinc inferas eum , qui Religionis ingressum vovit , voto satisfacere acceptando Episcopatum ; quia Episcopatui licet perfectiori multa inhærent pericula , quæ humilis Religio facile devitat . Vid. Suarem Tom. 3. lib. 1. c. 18. n. 7. & seq.

Dicitur 4. *per solemnia vota castitatis , &c.* per quæ nimirum non modo præceptis, sed potioribus Evangelii consiliis homo se sponte devovet , & tria hæc Christi sequitur : *Vade , & vende omnia , quæ habes ,* Matth. 19. *Qui vult venire post me , abneget semetipsum* , Matth. 16. *Sunt Eunuchi , qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum* , Matth. 19. Cœterum vox *solemnia* , si de solemnitate substantiali intelligatur , moraliter accipienda est . Prima enim Jesuitarum vota , & simplicia sunt , & eosdem *vere , & proprie Religiosos* constituunt, ita ut *si a Societate deficiunt , excommunicationi , & aliis Apostatarum pœnis sint subjecti* ; prout statuit Gregorius XIII. per Bullam : *Ascendente Domino* ann. 1584. Porro tribus prædictis votis alia junguntur speciali Monasteriorum lege, ut votum vitæ quadragesimalis in Religione S. Francisci de Paula .

Hinc colliges 1. cum Henno Tom. 5. Tract. 3. q. 1. & Salmanticensibus ibid. c. 1. n. 16. graviter adversus substantialem statum sui perfectionem delinquere Religiosum , qui ad perfectionem tendere negligit , & Ordinis sui regulas , & leges quasi frivolas , & inutiles abjicit , & dedignatur . Hæc sententia , ait Navarrus , multis est formidanda Religiosis , qui nec actu nec virtute proficiendi animum habentes , non curant abundantiorem , quam sæcularium bonæ frugis Clericorum , justitiam assequi . Et hoc imprimis ponderare debent , qui de amplectenda Religione cogitant ; ne forte cum aliis dicant aliquando saltem in praxi : *Sufficit nobis , nolumus esse meliores , quam Patres nostri* . Hos utique S. Bernardus fulminea hac voce obrueret : *O Monache , non vis proficere ? vis ergo deficere ? nequaquam . Quid ergo ? Sic , inquis , vivere volo , & manere , in quo perveni ; nec pejor fieri patior , nec melior cupio : hoc ergo vis , quod fieri non potest* . Ep. 254.

Colliges 2. eos , quibus Candidatos admittere licitum est , (quales sunt Abbates, Guardiani , Priores , Rectores; nisi aliud ferat specialis Monasteriorum Constitutio) graviter peccare seu eos , qui digni sunt , excludendo, seu eos passim , & temere admittendo , quos constat in amplexu crucis non ipsam crucem quærere , sed id moliri solum , ut vel inopiæ , vel paternæ vexationi se subducant , vel inconsulti , & labilis fervoris impetum sequantur . Merito igitur Nicolaus III. capit. *Exiit , 3. de verbo signif.* in 6. eos solum admitti jubet : *qui suffragantibus eis litteratura , idoneitate vel aliis circumstantiis , possint utiles esse Ordini , sibique per vitæ meritum , aliisque proficere per exemplum* .

Porro idoneitas a prædicto Pontifice requisita , multa requirit . Unde generatim loquendo a Religione excludi debent . 1. decrepiti senes , aliique quotquot eo usque viribus effœti sunt , ut regulæ pondus ferre nequeant . Multo magis excludendi sunt furiosi , & amentes , quibus nequidem prodesset annorum 40. Novitiatus ; quem proinde , si rediret ratio , de novo inchoare tenerentur .

2. Servi seu mancipia; servus enim se totum domino debet; eique furtum facit sui, si alii cuicumque se dedat. Si tamen servus intra triennium, a die, quo dominus receptionis ejusdem notitiam habuit computandum, non repetatur: *postea quæri*, seu repeti *non potest* ∴ *sed tantum ea, quæ in Monasterium adduxerit*, cap. 3. XVII. q. 2. An autem si servus intra triennium professus fuerit domino nesciente, valeat professio, controvertitur. Valere contendunt S. Antoninus 3. p. tit. 16. c. 3. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 3. n. 31. & alii plures. Unde eum, si a domino repetatur, castitatem servare; si vero deinceps dimittatur, Religionem regredi debere concludunt. Contrarium tenent Azor. lib. 12. cap. 1. q. 3. Sanchez, Bartholom. a S. Faustlo lib. 5. q. 131. quia, qui tradit alteri, quod suum non est, invalide tradit. Hæc opinio videtur secura. Haud tamen negandum quin servus ille ad castitatem teneretur, sicut a simili diximus de conjugato, qui invita uxore professus est. Ita idem Bartholom. q. 132. Sylvius hic q. 189. a. 6. excipe nisi privata obstiterit intentio.

3. Conjugati post consummatum matrimonium; nisi pars altera consentiat, & vel ipsa Religionem profiteatur, si juvenis sit; vel si jam ætate provecta, votum emittat castitatis, & quidem perpetuæ, secundum id cap. 1. *De convers. conjug. Nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit*. An hæc data occasione locum haberent in Galliis, definire non ausim: quandoquidem circa an. 1660. N. de Villemonte, uxore in sæculo permanente ad Episcopatum Macloviensem promotus est, contra dispositionem cap. 6. *De convers. conjug.* De casibus, qui hic scaturiunt, adi interpretes in cit. tit. & Barthol. a S. Fausto eod. lib. 5. a q. 55.

4. Qui debitis, & ære alieno gravati sunt: qua de re vide, quæ dixi Tom. 1. 355. alias 345.

5. Ii, quorum parentes versantur in extrema aut gravi necessitate, cui filius suis labore, & industria occurrere possit: Nisi, ajunt Salmaticenses ibid. cap. 3. n. 50. filius in sæculo remanens grave, & proximum incurrat mortaliter peccandi periculum: quia si quisque propriam debet vitam exponere, ne in æternum pereat, potest & eos, qui arctiori sibi nexu cohærent, eadem de causa deserere. Hunc quidem casum pene metaphysicum esse docet Suarez Tom. 3. lib. 5. c. 5. n. 32. sed alii moralem censent, imo non infrequentem præsertim in puellis, quas plerumque divitibus viris prostituunt parentes, ne sub inedia satiscant. Ut ut est de frequentia vel raritate hujus casus, certum est summa opus esse prudentia, & attentione, ut permittatur filiis a patre graviter egente discedere: neque id esset permittendum, nisi periculum salutis æternæ incurrerent ex circumstantiis ab obsequio paterno inseparabilibus. Hæc porro locum habent in filiis & illegitimis, & emancipatis, & qui Religionis ingressum vovissent: quia non est melius ingredi Religionem, quam patri avo etiam vel proavo, fratri item aut sorori graviter indigentibus providere.

6. Eadem de causa: *non licet alicui filios habenti Religionem ingredi; omnino prætermissa cura filiorum, id est non proviso qualiter educari possint*. Ita S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. hinc Gangrense Concilium apud Gratian. disp. 30. cap. 14. *Si quis dereliquerit proprios filios suos, & non eos aluerit* ∴ *sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema*.

thema sit, & vero, *qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit; & est infideli deterior.* 1. Timoth. 5. 8.

7. Etsi olim viri etiam publice facinorosi ad Religionem admissi sint eo principio, quod peccatores, & publicanos ad se vocaverit Christus: *nec ei obserandum sit claustrum, cui Deus aperit Cœlum*, id tamen merito prohibuit Sixtus V. per Bullam *: Cum de omnibus*, quia teste plurium annorum experientia, hominum sceleri assuetorum receptio funestos omni ex parte exitus habere consueverat. Imo pluribus in Monasteriis perpetua lege sancitum est, ut ne ii quidem admittantur, quorum parentes aliqua notantur infamia, quive a mancipiis, Judæis, Turcis originem ducunt.

His remotis obicibus, quos levi calamo delibare cogimur, & supposito ardenti ferendæ crucis desiderio, quædam circa Novitiatum instituendæ sunt, & solvendæ quæstiones, & id quidem juxta Theologiam Regularium, quibus hac in parte plenior fides haberi debet.

Quæres itaque 1. qua ætate Novitiatus inchoari possit.

R. posse ab iis inchoari, qui pubertatem nacti sunt; sed hac lege ut: *in quacumque Religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum. & professio antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus*. Ita Trident. Sess. 25. cap. 15. *De Regularib.* idem præcipit Constitutio Regia Blesensis art. 28. An in Ordine militari possit quis an. ætatis 13. profiteri, ut docet Azor, discutient ii, quorum interest.

Quæres 2. quanto tempore Novitiatus debeat perdurare.

R. cum Trident. ibid. non posse valide ad professionem admitti, *qui minore tempore, quam per annum, in probatione steterit.* *Henno*

Debet ergo probationis annus esse omnino integer, unde si vel una *p.* 481. desit hora, (imo vel quadrans, ait Reiffenstuel in tit. 31. lib. 3. Decretal. n. 94.) si v. gr. nona profiteatur, qui habitum suscepit decima, irrita est professio, prout contra paucos sentiunt communissime cœteri Doctores. Unde in re tanti momenti, non stat, quod vulgo dicitur, diem inchoatum haberi pro completo. Multo minus admittendum, quod dicunt aliqui, nullam in anno Bissextili habendam esse rationem diei supperadditæ; quasi vero hæc ad hunc annum necessaria non sit. Imo Fagnan. in cap. *Ad nostram, De Regularib.* annum hic intelligit non civilem, & politicum, qui diebus 365. constat, sed solarem, qui sex insuper horas habet. Unde melius, & tutius sibi cuisque provident, qui Novitium non eadem, qua vestitus est, die, sed sequenti ad professionem admittunt. Idem servandum in ætate ad Ordines, & ad professionem requisita. Quapropter an. 1680. vetuit Senatus Aquisextiensis, sub pœna temporalis occupandi, ne ulla Communitas quempiam ad vota admitteret ipsa nativitatis suæ die: idque, ut notat Hericourt, eo est æquum magis, quod hora, qua puer natus est, Baptismalibus registris inseri non consuevit.

Debet insuper annus probationis continuus fuisse, non interruptus, tum quia quoties in jure certum tempus exigitur, debet illud esse continuum; tum quia ita habet consuetudo, æqua legum interpres; tum, quia si Novitiatum intermittere liceret, non posset Candidatus Religionis

austeritates experiri: multo enim difficilius est solitudinem, silentium; jejunia diebus continuis centum servare, quam interpolatis: ut bene Lessius lib. 2. c. 41. n. 59.

An autem requiratur continuitas physica, an sufficiat moralis, quæ item sit postremæ hujus extensio, non conveniunt Theologi.

Et quidem 1. qui injuste expulsus est, & post aliquot menses denuo recipitur, jus habet, ut sibi jam antea exactum probationis tempus computetur, quia nemini nocere potest aliena iniquitas. Imo censent Salmaticenses, aliique apud ipsos cap. 3. n. 20. huic computandum esse tempus, quo extra Religionem mansit. Sed reclamat cum aliis Henno pag. 490. quia is tempore absentiæ non fuit moraliter Novitius: & id ut tutius sequerer in praxi.

2. Non censetur Novitiatum interrupisse, qui non dimisit statum complete. Unde cui vel invito, vel petenti sæculares habitus redduntur, quique antequam exeat domo, pœnitentia ductus, ad Novitiatum remittitur, eumdem continuat. Idem est de eo, qui in Conventu, habitu etiam dimisso, per aliquot dies latitat, donec fausta se dedat erumpendi occasio; & is enim, si meliores induat animos, nova probatione non indiget. Ratio est, quia ut interrumpatur Nôvitiatus, necessaria est tum ex parte Novitii, tum ex parte Religionis completa status dimissio; eaque ad minus, & animum recedendi, & actualem egressum includit; quo in præsenti locum non habet. Ita Pellizarius Tract. 2. c. 1. n. 37. Suarez lib. 5. c. 15. n. 7. & alii passim.

3. Neque etiam juxta plures Novitiatum interrumpit, qui per aliquot dies exit a Monasterio, dimisso quidem habitu ut liberius vagetur, aut mali quid faciat, sed servato semper animo redeundi. Rationem dant, quod contrarium, & nimis rigorosum sit, & nulla lege præceptum, & aliunde Novitiatus continuetur tum in animo redeundi, tum in intentione debitam pravæ huic agendi rationi pœnam subeundi. Monet tamen Henno ibid. quod in Religione Seraphica Novitius e Conventu discedens seu servato seu dimisso habitu, præsumatur in exteriori foro Novitiatum interrupisse.

Præcipua difficultas est an interrumpatur probatio, si Novitius dimisso habitu, & sine animo redeundi, per breve tempus exierit e Monasterio, & ad id deinceps precibus atque lachrymis admitti mereatur.

Divisi sunt Theologi. Alii censent Novitiatum non debere repeti, si Candidatus per tres tantum, quatuorve dies, aut ad summum quinque abfuerit: hæc enim, inquiunt, paucorum dierum interpolatio moralem interruptionem non facit; nec impedit, quin Novitium Religio, & Religionem Novitius experiri potuerit. Alii Novitiatum de novo inchoari volunt, etiamsi una tantum dies extra domum transacta fuerit; nisi Novitius cum animo non redeundi servaverit habitum Religionis, quia ut intra domum perseverat Novitiatus, etsi Novitio fixum sit, & propositum exire, sic, & extra in ipsa habitus gestatione utcumque perseverat idem Novitiatus. Ita Salmaticen. cap. 3. n. 19. Alii demum generaliter, & indistincte docent interruptum esse Novitiatum, quia ad hoc satis est, ut quis & exierit, & exierit animo non revertendi. Atque hanc esse mentem Sacræ Congregationis hinc patet, quod olim *consul-*

consulta a Procuratore Generali Ordinis Minimorum ... an Novitius, qui a Monasterio, ut aliam in Religionem ingrederetur, abierat, ac duas tantum horas in alio Conventu moram traxerat, ac statim deinde facti pœnitens reversus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis: respondit, teneri ab eo die, quo rediit. Ita refert Fagnan. in cap. *ad nostram, de Regular.* n. 27. idem tenent Sylvius Resol. var. v. *Novitius* III. p. mihi 603. Pontas eod. v. cas. 2.

Si quis tamen pari in casu ad vota admissus fuerit, haud statim eadem invalida esse pronuntiare ausim, sed eadem elapso a reditu Novitii anno coram communitate renovari curarem, quo omnis tolleretur scrupuli, tentationisve occasio.

An autem Novitiatum immediate sequi debeat Professio, nova est inter Regulares controversia. Negant Salmanticenses ibid. num. 22. adeo ut velint valere professionem etiamsi Candidatus biennium in domo paterna etiam sine animo redeundi transegerit: modo tamen nulla in ea supervenerit mutatio notabilis; alioqui enim cum omnibus *dicunt* ibid. num. 21. *non valere priorem Novitiatum*. Ratio eorum est, quod tunc stet, professioni præivisse annum integrum, & continuum, quo & Religio, & Novitius se mutuo probavere.

Verum hæc opinio, ut quæ admodum periculosa sit, non videtur in praxi tenenda, quia nonnunquam *in parvo tempore magnam rerum mutationem fieri posse certum est*, ut bene Suarez L. 5. c. 15. num. 8. & vero quandoque deterius potest quis duas intra horas mutari, quam, alter decennio: quis porro hominem, qui decenium a completo Novitiatu in sæculo egerit, admittere ausit ad professionem? Aliud esset si quis vel a parentibus per vim abductus fuisset e Conventu; vel invalida emisisset vota, quia qui vivit in habitu & actione Professi Novitiatum moraliter continuare censetur.

Si Novitius toto probationis tempore ægrotaverit, & tandem convalescat, fatentur plerique eum recipi posse, quia neque necessum est singulas eum Regulæ austeritates experiri, neque extra probationem fuisse dicendus est, qui in multis obtemperare potuit Religioni, & cujus indolem experiri potuit Religio. Hinc qui toto Novitiatus decursu carnes comedit, potest juxta Navarrum L. 3. consil. tit. de Regular. cons. 32. alias 42. profiteri in Ordine, ubi carnibus vesci illicitum est.

Idem docent Salmanticenses n. 26. non de eo solum, qui per 20. aut 30. dies amentia correptus fuisset; hoc enim alii non illibenter fatentur: sed de eo, qui in hoc statu per novem decemve menses versatus esset. Verum hæc opinio a pluribus aliis rejicitur & merito; quia est id materialiter prorsus Novitiatum peragere: unde supplendum esset tempus amentiæ furorisve durationi correspondens. Imo in primo morbi casu, etsi minus rigide agendum esset, nonnihil probationi dandum videretur, ne is, quem deinceps emissæ professionis pœnitere potest, se ex misericordia crudeli ad vota admissum fuisse conqueratur.

Quæres 3. ubi, & quo habitu transigendum probationis tempus.

R. Ad 1. Censuit Azor. Tom. 1. Lib. 12. cap. 2. q. 8. Novitiatum ubicumque, etiam in domo sæculari peragi posse de licentia Snperioris. Verum opinionem hanc merito ut veri minus similem, rejecerunt alii plures. Unde generaliter statuendum est Novitiatus locum esse aliquam e domibus Ordinis, in quo quis profiteri intendit: idque definiit Sacra

Congregatio apud Sanchez, L. 5. Sum. c. 4. & alios. Profectò, qui extra Monasterium versatur, nec satis Religionem probat, nec ab ea satis probatur. Fatentur tamen Regulares, eum qui per duos, aut tres menses ex Superioris licentia, bene vel male concessa, foris degeret, seu intuitu sanitatis, seu recreandi animi causa, non interrumpere Novitiatum.

R. Ad 2. probationem in ipso Ordinis habitu peragendam esse; haud tamen id ad essentiam Novitiatus necessarium videri; unde ex Superiorum dispensatione aliter fit in Anglia & Hibernia, ubi *Jesuitæ, Benedictini, & Recollecti Novitios suos probant in habitu sæculari, nemine reclamante*. Henno p. 485.

Quæres 4. quæ sint Novitiorum obligationes.

R. 1. Eos ex gravi quadam decentia teneri ad observantiam regulæ, 1. *quia dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam*, c. 3. *De statu Monach. &c.* 2. quia alioqui mala sua agendi ratione scandalum darent: haud tamen subjacent vel votis, quæ necdum emisere, vel Officiorum recitationi, quæ in solos Professos cadit, vel censuris in delinquentes latis, (nisi exprimantur in specie) quia licet in favorabilibus veniant nomine Religiosorum, non tamen in odiosis, quæ restringi convenit.

R. 2. Eosdem subjici Superioribus eo ferme modo, quo Episcopis Clerici subjacent: quia non alia conditione recipiuntur; & vero alioqui exleges forent, quia ut plurimum pro tunc ab Episcopali jurisdictione immunes sunt. Addunt post Sanchez Salmanticenses n. 82. eosdem ob graviorem culpam posse aliquando censuris plecti, non secus ac Clericos ab Episcopo & eæ censuræ etiam egressos a Religione sequerentur, ut & Clericum ab hac in aliam Diœcesim profugum sequuntur.

R. 3. Novitium non posse desistere a salubri incepto sine quodam *stabilitatis, levitatis, & ignaviæ vitio saltem veniali*. Quod si amplectendæ Religionis votum emisisset, eamque ingressus, sibique consentaneam esse expertus, sponte exeat, vel dolose quærat ejici, *videtur mortaliter peccare, eo quod voto fuerit obligatus ad sincere probandum: finis autem probationis sit professio, quando per probationem invenitur res probata esse salutaris & commoda*. Sylvius 2. 2. q. 189. a. 4. Vide Suarez L. 5. c. 11. a n. 2.

R. 4. Novitium qui bona fide Communitatem ingressus est, non teneri ad solvendas vitæ vestitusque expensas, nisi id pollicitus fuerit. Ratio est 1. quia Religio sponte & libere eos sumptus præstitit. 2. quia Monasterii bona, vel eleemosynæ, pro Novitiis pauperibus æque ac Professi constituta sunt.

Dixi 1. Si *bona fide ingressus est*, alioqui enim, cum nemini fraus & dolus patrocinari debeant, restituere tenetur: quod tamen cum aliis limitant Salmanticenses n. 74. nisi obsequia ab illo præstita dictis expensis ex æquo respondeant: ad quod necessum est ubi & Monasterium talibus indigeret obsequiis, & hæc ab aliis præstanda non essent.

Dixi 2. *nisi id promiserit*: valet enim hæc promissio, sicut & ex Tridentino Sess. 25. cap. 16. de Regul. valet donatio pro *victu, & vestitu*. Quin & in Monialium Conventibus eadem promissio, licet non expressa verbis, interesse præsumitur, idque sine respectu ullo ad futurum Monialis laborem, quæ expensas in omni eventu, & exceptione a se solutum iri spondet. Ita iidem ibid. nu. 75. cum Sanchez, Pellizario & aliis. Hinc si quis prærogata totius Novitiatus pensione, recedat, aut ejiciatur, id solum ei restitui debet, quod nos consumpsit. Sed & pretium habi-

habitus, quanti æstimatur, quo tempore recedit Novitius, eidem computari debet, nisi aliter juste conventum sit. De cœteris adi Suarez, & auctores passim citatos.

CAPUT SECUNDUM.

Discutiuntur primariæ Religiosi Professi obligationes.

NOvitiatum sequitur Professio, tacita * vel expressa: professionem obligatio multiplex & gravis. Major, cœterarumque basis est immota in Religione, quam quisque professus est, stabilitas. Unde graviter peccat. 1. qui sciens se validam professionem emisisse, aut primo invalidam scienter renovasse, aut dubium esse validene an non Professus sit, reclamat, quasi nulliter & invalide professus. 2. qui temere a Religione ad Religionem transit.

Quod ad primum attinet, si *Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicant ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superioris, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario.* Trid. Sess. 25. c. 19. *De Regular.* Circa hoc decretum quædam animadvertenda.

1. Quinquennium, intra quod reclamare licet, non computatur in multis Galliæ Diœcesibus *a die professionis*, sed a die, quo vis, metus, errorve juris aut facti desiere: unde in iisdem Diœcesibus, qui ex vi vel metu professus est, non indiget per idem quinquennium Pontificio Brevi, quo in integrum restituatur. Ita Gibert in Cabassut. L. 1. c. 20. n. VII. & ex exterius plures, de quo vide Bonacinam *de clausura*, q. 2. punct. 10. diffic. 4. n. 7. Salmantic. c. 5. n. 21. Suarez L. 7. c. 4. n. 6. Imo certa sunt impedimenta, contra quæ semper reclamari potest, ut si vir invita uxore professus sit; de quo vide Ducasse 2. p. c. 6. n. 6. pag. mihi 154. In locis, ubi invaluit usus, ut reclamandi licentia ab Apostolica sede obtineatur, rescriptum vel a Papa, vel a Legato, vel a Congregatione seu Concilii, seu Regularium obtineri potest, ut notat Durandus Minorita Differt. Ecclesiast. Lib. 1. c. 27. n. 5. pag. 88.

2. Superior, & Ordinarius, coram quibus causa hujusmodi reclamationis disceptanda sit, sunt & localis Superior Monasterii, in quo emissa fuit Professio, (non autem vel Provincialis, uti declaravit Congrega-

* Professio tacita tripliciter fieri potest. 1. cum quis exacto probationis tempore defert per triduum habitum Professi manifeste a Novitiorum habitu distinctum, c. *ad nostram*, *De Regularib.* & c. 3. eod. tit. in 6. 2. cum transacto eodem probationis tempore in habitu Religioso, facit quis id, quod solius Professi proprium sit, ut si in capitulo suffragium ferat. Ita colligunt ex cap. 4 *De Regularib.* 3. cum quis habitum Professis simul & Novitiis communem, vel occulta solum nota discretum, defert anno toto a finito probationis tempore, cap. *ex parte*, de Regularib. in 6. & Clement. *eos qui*, eod. tit. hæc tamen fieri debent & animo profitendi, & de Superioris consensu. Cœterum in hoc Galliæ Regno nulla admittitur tacita Professio, ut bene Cabassut. L. 1. c. 20. n. 10, Bonnel, & Teveneau apud auctorem Libri cui titulus: *Traité du droit des evêques sur les Reguliers exempts c. 7 pag. 72.*

tio Concilii an. 1629. vel alius, cujus in domum transierit ille, qui reclamat, & Ordinarius ejusdem Diœcesis. Ita declaravit eadem Congregatio die 1. Decemb. an. 1593. Ratio fuit, quia *probationes & propositiones ex eodem loco, in quo professum fuit, facilius innotescunt*. Quod si forte eo in loco ob nimiam ejus distantiam agi non possit, *attendendus erit locus ultimæ ejus, qui reclamat, residentiæ*, ita Cabassut. & Durandus ibid. Cœterum nihil proficitur nisi reclamatio fiat simul coram Superiore, & Ordinario. Ordinarii autem nomine, quo usa est Synodus Trid. veniunt etiam Prælati nullius Diœcesis, ii nempe, qui, licet Episcopi non sint, jurisdictione fruuntur quasi Episcopali.

3. Qui reclamat, imprimis cavere debet; ne habitum motu proprio dimittat: alias enim, ait Tridentinum ibid. *nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur: sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur*. Neque audiendi sunt, qui Religiosum sibi fuga consulere posse docent, est enim id abusibus innumeris januam aperire Si quis tamen post fugam duxisset uxorem, staret matrimonium, posito, quod invalida esset professio a parte rei, pura ex defectu consensus interioris (de quo tamen ne juranti quidem fides habenda, ut qui nunc, sicut tempore professionis decipere possit) tunc vero omne, quod ex ficta professione subiit religio, damnum resarciri debet. Qui habitum justa de causa dimisit, reclamare potest: idem dic si resumpto, quem temere exuerat, habitu ad Monasterium redeat. Ita multi apud Salmantic. cap. 5. num. 14.

An autem, qui reclamare non potest, puta quia invaliditatem probare nequit, teneatur ad ratificandam professionem, nec facilis est decisio, nec concors omnium sententia. Negant multi, quia grave Religionis onus libere acceptari debet. Alii & forte melius inspici volunt, unde orta sit professionis nullitas. Si ab ipso professo, qui ficte consenserit, eam ratificari volunt, sicut a pari dicitur in matrimonio. Hic enim intercessit gravis contra innocentem injuria, quæ nonnisi vero consensu resarciri potest. Si vero ex vi, metu, aut ex simili quopiam nata sit prædicta invaliditas, non credunt necessum esse ut rata habeatur Professio; quia non est cur idoneris & immerito & nolenti imponatur.

4. Reclamatio nec per sola verba, nec per testes solos, qui corrumpi facile possent, sed per instrumentum publicum fieri debet. Qua de re consule Ducassium ibid. num. 14.

5. *Cardinales Concilii interpretes ex communi omnium sententia censuerunt citatum ejusdem Concilii Decretum, vindicare sibi locum non modo cum professus nullitatem suæ professionis allegat; verum etiam cum Superiores ipsi ex se illum ejicere volunt, tanquam invalide professum*; ita approbante Papa judicavit an. 1627. Congregatio Concilii; idemque judicium pluries renovavit præsertim an. 1653. in una Neapolitana spectante ad Carmelitas Discalceatos, qui e suis quempiam quasi ex natalium defectu invalide professum sine Ordinarii consensu expellere moliebantur. De quo vide Pignatelli Consult. Canon. Tom. 1. Consult. 89. n. 18. & auctorem Tractatus de jure Episcop. p. 75. Quod si in hisce negotiis dissentiant a se invicem Ordinarius, & superior Regularis, ad immediatos utriusque Superiores appellandum erit, est enim Concilii mens, ne res illæ uni soli usquam committantur; & in causa simpliciter duobus delegata, sentencia unius non tenet, cap. 17. & 22. *De officio .... delegat.*

6. Re-

6. Reclamare poteſt & is quoque, qui profeſſionem ſuam valuiſſe ratus, eamdem pluries renovavit; quia renovatio errori innixa nec valet, nec magis ex omnium conſeſſo valere poteſt, quam valuerit in prima origine: excipe niſi quis hanc eo expreſſe animo ratificet, ut ſi aliquo ex capite ſibi ignoto nulla fuerit, ratam facere intendat. Porro docent ſatis communiter Regulares non requiri novum ex parte Religionis conſenſum, ſed ſolum ex parte illius, qui invalide profeſſus eſt, eo ſolo excepto caſu, in quo Profeſſio nulla fuerit ex parte recipientis. Vid. Suarem Lib. 7. cap. 1. n. 20. Salmanticenſes ibid. c. 4. n. 42.

Quod ſpectat ad tranſitum ab una Religione in aliam, is quidem generatim ſuaderi nequit, cum quia ex Apoſtolo *unuſquiſque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*. 1. Corint. 17. *tum quia*, ut ſolide S. Thomas 2. 2. q. 89. ar. 8. *ex hoc plerumque ſcandalizantur illi, qui relinquuntur; tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione, quam conſuevit, quam in illa, quam non conſuevit*; tum denique quia inter laxiores vix ulla eſt Religio, quæ viros moribus & pietate conſpicuos non nutriat, vix ulla, cui vir Sanctus verbis & exemplo proficere non poſſit.

Quia tamen teſte eodem S. Thoma *poteſt* nonnunquam *aliquis laudabiliter de una Religione tranſire ad aliam*, quod & convincit totius Eccleſiæ praxis, non abs re erit hic pauliſper immorari.

Religio ad aliam comparata vel ſtrictior eſt, vel laxior, vel æqualis. Ad ſtrictionem tranſiri poſſe, poſitis ponendis, qua eſt omnium vox; ſed quæ debeat ſtrictior judicari, non una eſt omnium opinio. Alii rigidiorem vocant, quæ durior eſt, & ob mortificationem & exercitia corporis aſperior. Alii arctiorem judicant, quæ inſpecto fine & mediis ad finem, nobilior eſt atque perfectior. Et hæc opinio pro qua citantur S. Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 4. Suarez Tom. 4. Tract. 8. L. 3. c. 9. n. 10. Navarrus Comment. 4. de Regular. a n. 2. priori potior videtur: 1. quia honos Dei, & major noſtri perfectio ſpiritualis, ſunt cauſæ, cur ab una Religione ad aliam tranſmigrare liceat: atqui auſteritas præciſe ſumpta, nec plus Deo honoris, nec plus homini ſpiritualis perfectionis tribueret: ergo non eo præciſe arctior eſt Religio, quo aſperior ob corporis cruciatum, ſed quo ex fine proximo & mediis eidem congruit perfectior; ac proinde major hæc perfectio eſt ratio ab una ad aliam tranſeundi; 2. quia a perfectiori Religione ſed minus auſtera, tranſire ad auſteram magis, & minus perfectam, eſſet deſcendere, & votum commutare in aliquid minus; quod non licet.

Nec dicas mendicantibus omnibus concedi ut ad Carthuſienſes tranſeant; non quia perfectius ſit eorumdem inſtitutum, cum ſoli vitæ contemplativæ vacent: ergo quia auſterius ſit.

Reſpondeo enim tranſitum hunc concedi, quia Carthuſiana Religio utpote ab hominum commercio ſemota, & libera a curis ſæcularibus, eſt multo ſecurior. Neque vero deeſſent Mendicantium inſtituta ejuſdem forte auſteritatis cum Carthuſienſi in victu, veſtitu, nuditate, paupertate, ædificiis, &c. unde liquet non unam auſteritatem eſſe cauſam cur ad Carthuſienſes tranſiri poſſit. Imo negant aliqui apud Sylvium 2. 2. q. 189. ar. 8. a Capucinis ad Carthuſienſes tranſiri poſſe.

Sed, quæ tandem Religio, inſpecto fine & mediis ad finem, nobilior cenſeri debet atque perfectior?

R. ta-

R. Talem censeri, quæ vitam ex activa & contemplativa mixtam agit præstantiori modo, seu quæ cum prædicatione verbi, doctrina, & animarum zelo, vitæ austeritatem majorem in vigiliis, macerationibus, vestitu pauperiore, carnium abstinentia conjungit. Ratio est, quia vita hæc ad eam proprius accedit, quam professi sunt Christi præcursor; Christus ipse, ac præceptore Christo, ejusdem Apostoli; quibus vetitum fuit; ne portarent *sacculum*, *peram*, aut *calceamentum*; & qui *in jejuniis multis*, *in vigiliis*, *in fame*, *& siti*, *in frigore*, *& nuditate* dies suos transigendo quotidie moriebantur, seque impendebant, & superimpendebant.

Omissa autem Religionis ad Religionem comparatione, non odiosa minus quam inutili, duo animadvertam, 1. graviter in Christum injuriosos esse, non sæculares modo, sed & Regulares Clericos, qui in divitiis suis superbientes, pauperrimæ Christi, ejusque discipulorum vitæ imitatores eo usque dispiciunt, ut eosdem *pudendas Religiosi corporis partes* appellare non erubescant. Viderint ne forte quos quasi viles famulos excipiunt & alloquuntur in hac vita, judices habeant in altera. Sed & viderint Mendicantes, ne quod patienter ferendo, salutiferum sibi reddere possunt, hoc ferendo ægre & inique, vertant sibi in ruinam; 2. non raro & sæpius forte fieri, ut Religio ex primæva conditione severior, tam collapsa sit, ut & illicitum sit ad eam transire, & ab ea ad mitiorem, quæ secundum se totam observatur, liceat avolare. De his, quæ fusius evolvere non possum, legantur Pellizarius Tract. 3. c. 5. n. 80. & 116. Salmanticenses cap. 5. punct. 3. & alii ibid. citati, vel saltem qui idem docet Pontas v. *Religeux*, cas. 29. Ut explanentur quædam difficultates

Quæres 1. quæ requirantur, ut quis ab Ordine mitiori ad strictiorem transeat.

R. Præcipue requiri, 1. ut non id fiat ex levitate, ex acceptæ offensionis sensu, similibusve motivis, sed ex puro, & sincero perfectioris vitæ desiderio; & hoc quidem præsumi debet, nisi adsint legitimæ dubii rationes: in dubio autem, puta si quis accepta offensa, vel graviter correptus, minatus fuerit se recessurum a domo, consulendus est Superior Superioris, apud quem degit, qui cogitat de discessu.

2. Ne talis transitus cedat in gravamen, jacturam, infamiam, aut dedecus religionis desertæ, quia *communis* totius Ordinis *utilitas privatæ utilitati præfertur*, cap. *Licet de Regularib.* ex quo inferunt Salmanticenses cap. 5. num. 61. non licere Doctori, hominive in arte aliqua admodum perito, viro item notabili, alium a suo statum amplecti. Imo tunc Communitas læsa posset petere restitutionem in integrum, ut cum aliis docet Fagnan. in cit. cap. num. 24. Hæc tamen cum grano salis videntur intelligenda; alioqui vir summi meriti, vel ad perfectiora vocari non posset, vel vocanti Deo non posset obsequi; quin & redarguendus veniret S. Antonius de Padua, qui e Canonico Regulari Seraphicam Religionem amplexus est, non obstantibus fratrum suorum querelis. Neque vero injuriam facit, qui jure suo utitur: nec definit sancta esse Religio, quæ deseritur, sed solum haberi pro minus perfecta: quod omnibus satis notum esse solet. Interim quia de jure alterius agitur, non est temere procedendum.

3. Ut petatur Superioris licentia, quam, si nulla subsit resistendi causa,

sa, sine peccato mortali denegare nequit; imo quam tunc *sine difficultate & pravitate qualibet debet indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum*. Quod si rebus, ut decet, pensatis, aut pensandis, pergat refragari Superior, nullamque repulsæ suæ rationem exhibeat nisi frivolam, *libere potest* Religiosus *sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati*, cit. cap. licet interim Prælatus seu Superior licentiam hanc negare teneatur, donec ait Fagnan. ibid. num. 49. sibi *constet secundam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit*; & is nisi recta eo se transferat, sed, quo placuerit, vagetur, fugitivus habebitur, & Apostata, ut qui nullius obedientiæ subsit; ita definiit S. Congregatio.

Duo hic notat Fagnan. num. 53. & 63. 1. professionem emissam in secundo Monasterio etiam arctiori vel ex levitate, vel sine primi Superioris licentia invalidam esse, 2. concessam viris Religiosis ad strictiorem statum abeundi licentiam, Monialibus a Pio V. sublatam fuisse. Sed utrumque negant auctores multi etiam extranei: unde re non integra ad minus recurrendum esset ad summum Pontificem, aut Congregationem Regularium.

Quæres 2. a quo, & qua de causa permitti possit Religioso, ut ad Ordinem vel æqualem vel laxiorem transeat.

R. Ad 1. id quoad instituta laxioris disciplinæ a solo Papa posse concedi. Patet id ex Tridentino Seff. 25. de Regular. c. 19. ubi sic: *Nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem*; ergo Superiores Ordinum facultatem hanc suorum nemini largiri possunt, quecumque etiam infirmitatis ac nimiæ debilitatis prætextu. Ita Cabassut. Lib. 1. c. 23. Pontas ibid. cas. 28. sed notant Suarez, Sanchez, & Bonacina, Societati Jesu a Paulo III. Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. permissum esse, ut Professis suis transitum ad quamcumque Religionem concedant. Etsi vero Societas inter Ordines mendicantes recenietur: nihil inde in sui gratiam colligere possunt cœteræ Mendicantium familiæ, quia iidem Pontifices prædicti privilegii communicationem aliis Religionibus præclusere.

Quoad instituta æqualia docent tum aliis Salmanticenses ibid. nu. 74. Regulares Prælatos ad ea transeundi licentiam suis justa id exigente causa largiri posse: nituntur sane & specialibus privilegiis, quibus, ut ex terminis patet, non derogat citatum Tridentini Decretum.

R. Ad 2. varias ab iis, quos res ista propius tangit, afferri legitimi ad laxiora transitus causas. Prima est, si major inde speretur spiritualis profectus, quia qui ad onera laxioris Ordinis idoneus est, ad ferenda rigidiora ineptus sit. Secunda, si ex pravo habitu aut innata indole, gravem in exequenda Regula strictiori difficultatem sentiat: sic enim affecti raro suas ut par est regulas observant. Tertia, si in Ordine strictiori male & inique tractatur, sicque murmuri, impatientiæ, & lædendæ charitatis periculo exponitur. Quarta si ob delictum, cujus jam pœnas subierit, & emendationem procuret, odio habeatur & despectui. Quinta si ob culpam in Ordine suo infamatus, continuis ibidem pudore, luctu, & tristitia afficiatur. Sexta si parenti graviter egenti subvenire possit in laxiori Ordine, non in strictiori. Septima si infirma valetudine laborans, impar sit austeritatibus rigidioris Regulæ, in qua proinde onerosus sit, qui in alia prodesse potest. Item si prava aeris

aeris intemperie vexatus in Monasterio, salubriorem alibi auram spirare nequeat, ita passim Regulares, qui merito annotant minus requiri ut ad æqualem, quam ut ad laxiorem vivendi formam transeatur.

Droit des Evêq p.77. Ex his causis, quarum examen, etiam cum de Monasteriis exemptis agitur, non quidem a Legato Avenionensi, sed a Papa Episcopis semper committitur, nullam esse, quæ ad laxiora indubie sufficiat, præter eam, quæ e virium defectu repetitur, censet Ducasse Tom. 2. c. 6. sect. 4. & id singulas propius inspicienti probabile videbitur; unde hic omnia ab Officialibus æqua lance ponderanda erunt.

Quod spectat ad Religiosos, quorum parentes necessitate premuntur, censet quidem Pontas v. *Religeux* cas. 32. iis non ideo licitum esse recedere a claustro, & hæc videtur esse S. Thomæ doctrina 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. Non ægre tamen admiserim totam ea de re Sylvii doctrinam, hæc ille ibid. *Si parentum necessitas esset tamen urgens, ut proxime accederet ad extremam, neque ullo modo foret verisimile, quod aliter posset eis succurri, quam per egressum filii Religiosi e Monasterio; veluti si proborum virorum judicio satis certum apparet, quod alioquin sint fame morituri; videtur quod tunc petita, quamvis non obtenta licentia, posset tantisper egredi dum ejusmodi necessitas transierit: quia eadem pene est ratio talis necessitatis, quæ extremæ: in extrema vero parentum necessitate id esse licitum, imo filium Religiosum ad hoc esse obligatum, multorum est valde probabilis sententia: propterea quod præceptum de honorandis parentibus, cum sit affirmativum, maxime obligat in casu extremæ necessitatis, & eum ad primaria juris naturæ præcepta pertineat, nunquam desinit obligare, saltem pro casibus tam evidentibus, unde & docetur esse indispensabile* 1. 2. *q.* 100. *ar.* 4. *Confirmatur; per votum Religionis nemo eximitur legibus naturæ vel Dei præceptis; ergo debet eis satisfacere etiam post professionem. Neque vero, si petita, sed non obtenta licentia egrediatur* in hoc casu *Religiosus, aut Deo, aut Prælato erit injurius; quia non aliter servitium suum eis promisit, quam salva lege naturæ, nec Deus aliter acceptavit.*

Quod urget Pontas non defuisse Religiosos, qui hoc prætextu e claustro egressi, scandalum dederint, & transacta suorum necessitate longiorem in sæculo moram traxerint, incommodum est, non argumentum; neque licitum & sanctum esse desinit id, quo quidam abutuntur. Interim Religiosus exire nequit, nisi antea & apud Superiores & apud amicos egerit, ut parentibus suis succurratur.

Jam sigillatim expediendæ sunt Religiosi status obligationes primariæ, eæ nimirum, quæ petuntur a triplici castitatis, paupertatis &, obedientiæ voto.

ARTICULUS PRIMUS.

De voto Castitatis.

CONstat apud omnes, Castitatis Religiosæ votum consistere in actu; quo quis Deo spondet abstinentiam ab omni delectatione venerea, sive intra, sive extra matrimonium. Hinc id omne, quod in sæcularibus est quoquo modo peccatum contra castitatem, est in Religioso sacrilegium, ac proinde peccatum duplex seu mortale seu veniale, prout materia vel gravis fuerit, ut solet, vel levior; prout item sufficiens adfuerit vel defuerit advertentia.

Quan-

Quandoque tamen id, quod in sæculari leve est, grave esse potest in Religioso, seu ratione regulæ, quam professus est, seu ratione scandali. Sic Minores ea etiam mulierum consortia, quæ licet nihil prorsus habeant impudicitiæ, ejus tamen vel solam suspicionem generare possunt, puta vel noctu, vel in loco tenebroso, vel cum risu liberiore fiunt, effugere tenentur, ex cap. 11. Regulæ. Sic etiam, quæ in sæculari tolerantur a sæcularibus, ab iisdem arguuntur in Religioso, & grave scandalum sæpius pariunt. Quia tamen peccatum illud etsi grave in ratione scandali, leve supponitur in ratione impudicitiæ, ideo negant plures illud reservatum iri, etiamsi in aliquo Ordine peccatum impudicitiæ reservatum foret: & idem docent de eo, qui ex metu alteri fornicationis occasionem præberet; is enim, seclusa turpi delectatione, causa quidem foret, cur in alio læderetur Castitas, sed propriam ipse, quam vovit, castitatem non læderet; sed de hoc viderint alii.

Quod addunt Salmanticenses ibid. cap. 6. n. 23. ei, qui acceptis Ordinibus sacris & emissa professione contra castitatem deliquit, etiamsi Generalis sit, aut Episcopus, satis probabiliter esse ut in confessione dicat se peccasse contra castitatis votum, *sine eo quod amplius exprimat;* idemque judicandum de muliere, quæ cum hujusmodi lapsa est; id inquam & absurdum est, & adversum primioribus sanioris Ethices principiis. An enim duplex votum solemne, duplicemque consecrationem violate, quasi inanis circumstantia reputabitur? an non conditio personæ Episcopi, vel primi Superioris, facinus ab iisdem admissum insigniter aggravat; Multo magis veritati consonum est, quod docent iidem, eum, qui voto ligatus, cum alio vel alia eodem vinculo innodatis peccat, & suum, & alterius votum exprimere debere; ut qui & peccaverit, & alieni peccati adjutor fuerit.

An autem peccatum contra Castitatem, sit ex iis, quæ pugnant contra bonum commune, quæstio est apud Regulares gravis, quia id genus peccata, & Superiori tanquam judici (præmissa utique, si præmitti debuit, correctione fraterna) denuntiari debent, & ab eo juridice puniri; secus de peccatis mere, ut ajunt, personalibus. Res mihi ex specie peccati, quod quis frequenter perpetrat, & ex circumstantiis definienda videtur. Si enim peccatum tale sit, quod solus quis & sine scandalo committat, ut est mollities, culpa videtur personalis, neque aliter in Religionis detrimentum cedit, quam aliud quodcumque grave peccatum. Si vero, ut pene semper evenit, ubi præsertim viget habitus, ita quis affectus sit ut vel alios sollicitet ad crimen, vel liberiori loquatur ore, vel excessu suo sacrilege glorietur, &c. utique quasi publici boni subversor exagitandus erit.

Quæres, quotuplex sit Religiosæ Castitatis effectus.

R. triplicem præcipue assignari: 1. enim dirimit sponsalia ante & post ipsam contracta. Ante quidem, quia ex communi Ecclesiæ sensu sub hac tacita conditione fiunt: *Nisi me Deus ad perfectionem statum vocet*; postea vero, quia sunt de re & illicita, & seclusa Romani Pontificis dispensatione, prorsus impossibili.

2. Irritat matrimonium subsequens, imo & illud, quod præcessisset, necdumque esset consummatum.

3. Omnem & internum & exteriorem actum pudicitiæ adversum interdicit. De pluribus, quæ hic agitari possent, consule Tom. 2. ubi de

Dispen-

Dispensationibus part. 1. cap. 3. & quæ fusius ea de re disputavi in Gallico de iisdem Dispensationibus Tractatu.

ARTICULUS SECUNDUS.

De voto Paupertatis.

SAlebrosam Paupertatis materiam, quam breviter & solide fieri poterit, exponemus; quod ut fiat, videndum: 1. an Religio in communi sit dominii capax. 2. an id hac in parte possint privati, quod ipsum Religionis corpus. 3. nonnullæ, quæ ad id spectant, difficultates sunt enucleandæ. Sit

CONCLUSIO I. Religiosi in communi & bona possidere possunt, & eorum, quæ possident, eodem modo domini sunt ac Beneficiarii sæculares. Est contra Apostolicos, qui hæc Christi verba Luc. 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, vertebant in generale præceptum; & contra Fraticellos, qui tempore Joannis XXII. usque ad Schisma propugnaverunt, nec Christum, nec Apostolos quidquam possedisse in communi. De quo vide S. Antoninum p. 4 tit. 12. c. 4.

Prob. 1. quia Tridentinum Sess. 25. cap. 3. *De Regularib.* concedit *omnibus Monasteriis & domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus Fratrum sancti Francisci* (& idem est de domibus Professis Societatis Jesu) *ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

2. quia non potest Papa sine gravi causa bona Monasterii unius ad aliud transferre, quin peccet contra Justitiam: atqui hoc posset si Communitates bonorum suorum dominio non fruerentur.

3. Si Communitas non haberet tale dominium; vel quia paupertatem profitetur; vel quia bona sua alineare non potest: atqui neutra hæc ratio valet. Non prima: nam paupertas non excludit dominium in communi, sed efficit tantum ut nemo in particulari possit de re ulla tanquam dominus disponere, & independenter a nutu Superioris. Non secunda: etsi enim Beneficiarii sæculares Ecclesiæ suæ bona alienare nequeant, non sequitur, quod eorum aliquo sensu domini non sint, sed dumtaxat, quod dominium habeant ligatum; & idem dicendum est de Religiosis, quibus, ne intereat Communitas, Fundatores bona sua ea conditione donarunt, ut sine Ecclesiæ consensu alienari non possent.

CONCLUSIO II. Nemo Religiosus in particulari capax est propietatis.

Prob. 1. & cap. 6. *De statu Monach.* aliisque Canonibus quamplurimis, qui *districte & sub obtestatione divini judicii* prohibent, *ne qui Monachorum* in particulari *proprium aliquo modo possideat*; sanciuntque ut *si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum* Ibid. *perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur*. Monachi, ait Cap. 2. Concilium Lateranense, *non pretio recipiantur in Monasterio, nec peculium habere permittantur.*

Prob. 2. Si Religiosus dominii capax foret, utique in pensionem sibi a parentibus aut amicis concessam: atqui ne hujus quidem pensionis dominium habere potest Religiosus. Illud enim peculium non subjacet dominio Religiosi, quod eo ipso ad Monasterium pertinet, quod recte ad Superiores deferendum est, quod ab iis sine injustitia alios in usus potest

teſt impendi, quod ſine ſacrilegio tanquam proprium repeti nequit a Religioſo, quod, ſi contractu conſtitutum ſit, non ab eodem ſed a ſola Communitate relaxari poteſt: atqui hæc omnia conſtant; & ab iis etiam admittuntur, qui plus peculio favent: aliunde vero id ſæpius, teſte Fagnano in cap. *Monachi*, *De ſtatu Monach.* n. 61. definitum eſt a Sacra Congregatione, quæ tamen judicavit e re eſſe, ut Abbatiſſa *primum proſpiciat neceſſitatibus Monialis*, cui penſio conſtituta eſt, ſic ut id, *quod reliquum fuerit, in uſus totius Monaſterii convertat*: ergo.

Ex his principiis quædam inferemus magni momenti corollaria: 1. igitur peccant contra paupertatis votum, Religioſi, qui rem temporalem pretio æſtimabilem ſine licentia Superioris accipiunt, retinent, abſumunt, deſtruunt, permutant, commodant, alienant, aut ea utuntur; item, qui debitum remittunt: hæc enim omnia, cum fiunt proprio arbitratu, ſunt actus proprietatis, adeoque illiciti Religioſo, qui per votum paupertatis abdicat ſe poteſtate poſſidendi aut donandi aliquid ut proprium.

2. peccant etiam mortaliter contra idem votum, & contra juſtitiam, qui ſæpius quid leve recipientes, aut deſtruentes ex bonis Communitatis, v. g. libris, veſtibus, candelis, ſcienter perveniunt ad quantitatem, quæ in materia furti ſufficit ad mortale: & hoc verum eſt, ajunt multi, licet iſta ſint poculenta & eſculenta domus: mitius quidem ſentiunt Suarez & Ethica amoris Tom. 2. pag. 206. n. 33. ſed non ſtatim verior opinio, quæ mitior, & magis commoda ſenſualitati. Unde priori ſententiæ adhærendum puto, cum ſaltem eſculenta vel poculenta ſine rationabili neceſſitate inſumuntur.

3. & ii peccant, qui a ſæcularibus invitati, manducant aut bibunt abſque Superiorum licentia, quia tunc aliquid pretio æſtimabile recipiunt. Ita Suarez, P. Antoine, &c. quod tamen aliis durum videtur & difficile, ſecluſa ſpeciali Religionum lege, quæ apud Jeſuitas hac in parte ſtrictior, quam apud alios, eſſe poteſt, cum Vitelleſchus Societatis Præpoſitus generalis opinionem contrariam, ut paupertati, quam profitetur Societas, penitus adverſam, defendi, doceri, & practice exerceri omnino prohibuerit.

4. qui ſic animo diſpoſiti ſunt, ut ad Superioris nutum exui nolint rerum ſibi permiſſarum poſſeſſione & uſu; item, qui rem cum licentia acceptam abſcondunt, ne Superior eam repetat; vel qui quærelis Superiores fatigant, adeo ut licentiam datam revocare non auſint.

5. qui re ſibi ad unum uſum conceſſa, ad alium honeſtum utuntur ſine Superioris conſenſu.

6. qui earum etiam rerum, quas conſumere poſſunt, ut eſculentorum, aut pecuniæ ad iter datæ, partem ſibi ſubtrahunt, ut eam aliis donent, nent, aut in alios uſus, ut in libros, expendant.

7. qui in conſervandis rebus ſibi ad uſum conceſſis eam non adhibent diligentiam, quam in rebus ſuis adhibere ſolent diligentes.

8. *Mobilium uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit*. Unde, qui penſionibus ſuis, etiam cum Superioris conſenſu, utuntur in uſus, non dico turpes, ſed vanos, & qui ſæculari magis, quam Religioſo pauperi conveniunt, peccant contra paupertatem, quia Superior nihil *Trid. Seſſ. 25. c. 2.*

per-

permittere potest, quod sacris Canonibus, aut veræ paupertati adversetur. Ita Navarrus, Delugo, Barthol. a S. Fausto Lib. 8. q. 102. & alii. Unde, qui vestes sericas, picturas inanes, aut magni pretii, *horologia parvula valoris excedentis, tapetia, cortinas, & alia parietum ornamenta* penes habent; item, qui sumptuosa convivia præstant, peccant contra votum, sicut ii, qui ludunt; tenenturque, qui aliquid cum Religiosis ludendo lucrati sunt, id restituere, perinde ac si accepissent a fure; potest tamen Religiosus cum Prælati licentia aliquam modicam quantitatem ludo exponere, absque eo, quod perdentes aut lucrantes ab eo, restituere Religioni teneantur, nisi ludus sit illicitus vel a jure, vel a regula Religionis. Ita Salmanticenses, qui monent non posse Superiorem licentiam præbere subditis *ad exponendum ludo notabilem quantitatem*, unde qui eam tunc lucraretur, non esset a restituendo immunis.

Tract. 13 & 15. c. 6.

9. controvertitur an Religiosi veram suorum manuscriptorum proprietatem habeant. Asserunt Salmanticenses ibid. n. 5. juxta quos potest Regularis quilibet *ea secum deferre, quocumque vadat, donare, comburere, & aliqua circa illa exercere, quæ sunt propria munia proprietarii*. Sed reclamant alii cum Henno pag. 506. tum quia MSS. quidam codices, sæpe impressis libris cariores sunt, & tamen Regulares librorum proprietatem non habent, tum quia ut Religiosi picturæ & artefacta qualibet, etsi quandoque multum ingenii & scientiæ postulent, Religioni cedunt, sic & manuscripta cedere eidem debent. Alii & forte melius, rem illam definiri volunt ex ipsa Ordinis constitutione. Quod enim apud aliquos pretio æstimabile est, apud alios potest in nullo esse pretio, atque vel igni vel muribus reservari.

10. non peccant contra votum, qui etiam sine consensu Superioris, rem sibi ex liberalitate oblatam recusant, quia vi voti non obligantur ad acquirendum Religioni, sed ad non alienandum, accipiendum, utendumve sine licentia. Qui tamen sine justa causa recipere nollet id, quod alii sibi offerunt, peccare posset contra charitatem, impediendo bonum Religionis, cui acquirit Monachus, quidquid acquirit; secus si recuset ut Sacramenta liberius conferat, aut ædificationem præstet. Quod si quis oblatam sibi pecuniam precaretur egenis suis parentibus impendi, is nisi rem expresse aut tacite quasi nomine suo dandam acceptaret, non posset dici proprietarius: sicut nec ille, qui Missas habens liberas, easdem celebraret in gratiam Sacerdotis alterius, qui debitum iis stipendium reciperet. Secus si ipse pactum vel acceptum pro Missa stipendium eidem Sacerdoti porrigeret, porrigive curaret absque Superioris licentia.

Quæ vero ea in materia sufficiat Prælati licentia, non convenit inter Regulares. Sunt, qui in rebus gravioris momenti, & cum patet ad Superiorem recursus, formalem, aut virtualem saltem tacitam requirentes, in iis, quæ leviora sunt, interpretativam sufficere putent: sic, inquiunt, qui ex Superioris consensu tabacum, liquores & similia recepit, eorum aliquid fratribus suis largiri posse videtur, nisi resistat specialis locorum consuetudo.

Alii generaliter licentiam interpretativam abigunt: 1. quia aliud est Superiorem consentire, aliud fuisse consensurum, si rem scivisset; 2. quia admisso licentiæ interpretativæ usu, quisque pro libitu aget, primo quidem

dem in rebus levioris momenti, deinde in gravioribus, ac demum in omnibus, quæ & justa, & sibi, si peteret, facile concedenda præsumet.

Haud tamen nego, quin inferior ex præsumpta prudenter Superioris absentis licentia agere possit. Sic Monasterii amico, cui nihil denegatur, & libri aliquot commodari possunt, & pecuniæ summam mutuo dari, ab eo, qui certus sit reducem Prælatum id approbaturum esse; sed & hic summopere cavendum ne præsumantur, quæ præsumi non debent, imo nec semper, quæ sub oculis Prælati fiunt, ab eo etiam tacite approbata censeri debent: plerumque enim graviores Inferioris morosi querelæ, Superiorum vocem præcludunt, & cogunt id tolerare, quod non nisi majori cum dispendio cohibere possent, seu potius cohibere tentarent.

Quæres 1. quæ quantitas sufficiat ut quis mortaliter peccet contra votum.

R. eam sufficere, quæ sufficit ad furtum mortale. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia peccatum proprietatis se habet instar furti; est enim usurpatio rei vel usus, sine consensu Superioris: atqui hæc usurpatio, utpote non sacrilega solum, sed & injusta, quamdam furti rationem habet. Unde fatentur omnes Religiosum proprietarium teneri ad restitutionem quantum potest, sive ex bonis, de quibus licite posset disponere in alios usus, sive imminuendo expensas, quas licite posset ex Monasterii bonis facere, sive magis laborando, quod ultimum, qua de causa negent Salmanticenses, non video.

An vero ad peccatum mortale illius, qui paupertatem vovit, eadem requiratur quantitas, quæ requiri solet in furtis filiorum familias, erga quos parentes minus inviti esse solent, disputatur. Affirmant Salmanticenses: tum quia probabile non est Superiorem magis esse invitum erga subditos suos, quam patres erga filios; tum quia Superior non minus esse debet liberalis de patrimonio Christi, quod absque labore & sudore acquisivit, quam parentes de suo.

Censent tamen Lugo, disp. 3. sect. 8. & alii plures, minus in Religioso requiri ad peccatum lethale, quam in filio familias, quia peccatum contra paupertatem non æstimatur præcise ex damno temporali, sicut filii furtum, sed ex eversione unius e præcipuis vitæ religiosæ fundamentis, quæ in paupertate tanquam basi stabilita est. Et certe Religiosi proprietarii sæpius eo puniti sunt modo pro voti hujus transgressione, quo nunquam puniti fuere filii familias, ut videre est apud Alph. Rodriguez, T. 3. prax. Christ. &c. Non desunt tamen, qui satis probabiliter habendam velint rationem status Monasteriorum, ita ut in Conventibus ditissimis tres aut circiter Libellæ Gallicæ a Religioso subreptæ ad peccatum mortale requirantur; in his vero, quorum mediocris est census, Libellæ duæ sufficiant, ac una demum in domibus pauperculis. Ita Pyrrus Siculus in Thesauro Religiosorum, L. 8. q. 193.

Quæres 2. an, quæ de Religiosis dicta sunt, eorum Abbatibus competant.

R. affirm. quia ut veri manent Religiosi, sic & manent obstricti voto paupertatis: atqui votum hoc dominium omne privatum excludit. Abbates ergo, aliique Superiores majores hoc solum præ cæteris habent, quod præcipui sint boni communis dispensatores: & hoc verum est, ait Decoq. p. 20. etiamsi certa bonorum portio Abbati, vel Abbatiæ assignata sit: hæc enim non tam assignatur ut totam pro nutu impendat Abbas, quam ne aliquid amplius sperare præsumat.

Quæres 3. an Religiosus, qui Episcopus creatur, paupertatis voto adstrictus maneat.

R. S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 11. his verbis: *Religiosus, qui fit Episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiæ, ita nec a voto paupertatis, quia nihil habere debet tanquam proprium*. Et q. 185. a. 8. *Testamentum nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum ecclesiasticarum, quæ morte finitur*. Idem docet Pontas v. *Eveque* cas. 5. 6. 7. Passim tamen contrarium tenent Galli Scriptores, juxta quos ex generali Regni consuetudine, Religiosi ad Episcopatum promoti, sicut & Clerici sæculares, de fructibus suorum Beneficiorum testari possunt, & intestati cognatos habent hæredes. Ita notant Pastor. L. 1. tit. 1. Van-Espen part. 2. tit. 32. cap. 8. & apud eos Choppin, Louet, Mornac. Idem docet Cabassut. L. 1. c. 14. n. 3. *Religiosi*, inquit, *facti Episcopi*, juxta jus in Gallia universaliter receptum, *dominia & proprietates sibi acquirunt, disponuntque tam inter vivos, quam per ultimas voluntates, pro libito testamenta condunt; & si intestati decedant, successores habent non Monasterium, non Ecclesiam, sed propinquos*. Idem docent Commentaria Cleri Gallicani Tom. 1. p. 274.

Quod addit Cabassut. eosdem successionum capaces esse, ad minus dubium est; contrarium enim sæpe judicatum fuit, ut notat le Pretre in recent. additionib. ad cap. 27. cent. 1. & ex eo Van-Espen Tom. 1. p 234. ac denique post Brodellum Thomassinus. Circa primam hujus controversiæ partem utiliter leges Librum, cui titulus: *l' Abbè Regulier, sacre Eveque in Partibus infidelium*. Luxemburgi apud Chevalier, an. 1739.

Quæres 4. an Religiosus, qui fit Pastor, aut Beneficium simplex accipit, possit ejusdem fructus Monasterio relinquere, an non teneatur eosdem pios in usus expendere, v. g. loci pauperibus largiri.

Sylvius. R. Regularem hunc posse *inconsulto Prælato, ea, quæ ex fructibus sui Beneficii sibi obveniunt*, nisi ii Monasterio incorporati sint & uniti, *in pios ac honestos usus inter vivos disponere*, imo & teneri per se fundationis obligationes cognoscere, & prius loci pauperibus opitulari, quam Monasterio: 1. quia sæculares inter & regulares Beneficiarios nullum statui debet discrimen quantum ad obligationem reditus suos fideliter administrandi; 2. quia reditus Beneficiorum, quæ Monasteriis unita non sunt, ad eadem non pertinent. Ita Sylvius in resolut. v. *Religiosus*. Sambovius tom. 3. c. 74. Pontas v. *Beneficier* cas. 25. Doctores Parisienses 24. a quodam Canonico regulari anno 1724. consulti; & eodem anno DD. de Sacy, Duperray, Capon, & Brunet, Causidici Parisienses.

Dices: Religiosi extra Monasterium defuncti hæreditas, gallice *cottemorte*, pleno jure ad Monasterium pertinet: ergo ejusdem Religiosi, dum in vivis est, reditus & bona ad idem Monasterium pertinent.

R. 1. Multi cum Theologi tum Canonistæ negant ant. neque unanimis est ea de re *Arrestorum* Jurisprudentia, ut notat Fuet L. 2. c. 1. p. 84. Sic anno 1633. Curia Parisiensis peculium F. Ludovici le Bel ex æquo dividi jussit inter Monasterium S. Genovefæ, & Hospitale Parisiense. Sic peculium Religiosi Curati, pauperibus aut Fabricæ sæpius adjudicatum est, v. g. Arrestis annorum 1651. & 1710. quia supponitur, & merito, peculia hæc ut plurimum parcimonias esse aliquando scandalosas boni pauperibus debiti. Vid. Epistolas tres gallice scriptas a D. Gerbais, ad unum e Mo-

nachis

nachis Congregationis S. Mauri; sed & vide responsiones iisdem factas ab uno e Canonicis Regularibus.

R. 2. neg. conseq. ut enim quotidie succedimus iis, in quorum dum viverent, bona nihil habebamus juris, sic & concedi potuit Monasteriis, ut iis Religiosorum suorum bonis succedant, de quibus ipsi soli dum viverent, disponere poterant; & hoc duplici de causa concedi potuit: 1. ut ostenderetur Beneficia hæc a tali Monasterio dependere; 2. ut eidem Monasterio aliquod præberetur animi bene memoris signum, eo quod viros iis Beneficiis pares & idoneos efformet.

Sed quid si Parochus Regularis Beneficii bona in usus profanos impendat, aut parentibus, qui non indigent, eroget?

R. eum peccare & contra justitiam, & contra paupertatis votum. Contra justitiam quidem, quia instar domini disponit de re, cujus dominus non est; unde & ipse, qui ab eo recepit, tenetur ad restituendum: contra paupertatem vero, quia id solum potest circa redituum suorum dispositionem, quod sibi a jure vel consuetudine permissum est; unde in cœteris communi Religiosorum omnium legi subjacet: ergo cum neque jure, neque usu concessum ei sit, aut esse possit, ut Beneficii reditus male & profane impendat; necessum est, ut eodem peccet peccati genere, quo cœteri Religiosi, qui Monasterii bona male impendunt.

ARTICULUS TERTIUS.

De voto Obedientiæ.

OBedientia Religiosa definitur, Vinculum spirituale obligans Religiosum ad parendum Superiori Regulari in omnibus, quæ legitime imperari possunt. Hinc alta, & toties sive a Scripturis, sive a Patribus commendata obedientiæ dignitas: *Magna quidem paupertas*, ait Joannes XXII. Extrav. 1. *De verbor. signific. sed major integritas; bonum est obedientia maximum, si custodiatur illæsa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur & animo.* Idem aliis terminis docet S. Thom. hic q. 186. art. 8.

Obedientia duplex S. Bernardo tract. de dispensat. & præcep. c. 6. Alia *perfectionis*, alia *necessitatis*, quæ a D. Thoma *sufficiens* vocatur. Prima *legem nescit, terminis non coarctatur, nec contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis*; adeoque obtemperat in omnibus, quæ contra Deum non sunt. Secunda non *quodlibet rectum* amplectitur: *sed id tantum, quod* Ordinis *Pater instituit, aut certe, quod sit secundum, quod instituit.* Utrumque hoc obedientiæ genus, sed primum præcipue, fœcunda est meritorum radix, si debitæ intersint conditiones: eæ vero quatuor recenseri solent.

1. Ut sit cœca, quæ nimirum nec præcepti motiva, nec præcipientis intentionem, aut etiam defectus scrutetur; sibique satis habeat, licitum esse id, quod præcipitur. *Multos* tamen *videmus*, ait S. Bernardus ibid. *post præcipientis imperium multas facere quæstiones; cur, quare, quamobrem sæpius interrogare, crebras ingeminare querelas. Tales*, pergit mellifluus Doctor, *non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam.*

 2. Prom-

2. Prompta (in iis scilicet, quæ ad honorem aut emolumentum inferioris non vergunt; nam in honorificis festine & alacriter obsequi, nonnihil saperet vanitatem; quamquam aliquando sancti, ut B. Idesbaldus, ipsas etiam præposituras, non honoris, sed laboris & onerum intuitu non illubenter amplexi sunt.) Prompta autem erit obedientia, si inferior nec excusationibus se tueatur, nec lente & torpide accedat ad opus; uno verbo; si obediat ut veteres illi Monachi, qui *ante conabantur jussa implere, quam forent emissa, & quibusdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis*. Hyeron. c. 10. de Reg. Monach.

3. Fortis, ita ut & difficilia aggrediatur, & obicibus major ab initio semel tramite non deflectat.

4. Humilis, ut, qui parent, haud credant habendas sibi grates, quod paruerint; sed in hæc potius verba erumpant: *Servi inutiles sumus, quæ facere debuimus, fecimus*, Luc. 17. His præmissis,

S. Thom. lib. q. 86. a. 9.

Quæres 1. quodnam sit obedientiæ Religiosæ objectum.

R. Illud omne est obedientiæ Religiosæ objectum, quod præcipitur *sive oretenus a Prælato, sive in Regula*, cujus nomine hic etiam veniunt Constitutiones & Statuta Religionis. Ratio est, quia quisquis vovet obedientiam, vovet se pariturum iis, quæ sibi a superioribus præcipientur: atqui Superiores non præcipiunt solum, personali mandato, sed etiam fixo & stabili, quale est ipsius Regulæ mandatum: ergo præceptum omne sive Regulæ, sive Superioris ipsius, (sensu inferius exponendo) est objectum obedientiæ. Quapropter si Regula sub culpa obliget, ut ubique obligat tum in votis, tum in iis, quæ ad vota pertinent, ejus transgressio erit contra votum, & sacrilega, seu mortaliter si res sit gravis; seu leviter, si levis fuerit. Si vero Regula, ut extra votorum materiam fieri solet, ex voluntate institutoris non obliget sub culpa, transgressio ejusdem non erit contra votum, quia transgressio voti præceptum rigorosum supponit: non præcipitur autem rigorose, quod sine peccato omitti potest. Quia tamen regula non est consilium merum, sed vera lex a legitima auctoritate procedens, idcirco necessum est, ut qui eam transgreditur, paratus sit ad subeundam pœnam, si quæ a superiore transgressori constituatur; quia stat aliquem & legaliter solum delinquere, & pœnam mereri.

Sed hic notand. 1. vix in praxi fieri posse, ut qui Regulam violat, ab omni sit peccato immunis, quantumcumque pœnam subire paratus sit. Ratio est 1. quia vitiosa est actio omnis, quæ ad legitimum finem non refertur: ad hunc autem referri nequit Regulæ transgressio; neque jam transgressio foret actio legitimo fine vestita: sic qui ut amicum consoletur, aut charitatem foveat, aliquem e fratribus suis obiter & cursim alloquitur, fracti silentii reus haberi non potest; 2. quia non vacat a peccato actus aliquid habens moraliter inordinati: atqui talis est Regularum violatio, cui semper annexum est non nihil sensualitatis, curiositatis vanæ, negligentiæ, acediæ, & illius otiositatis, de qua, etsi eorum, qui hic irrepunt defectuum minimus esse videatur, *rationem reddent homines in die judicii*.

Atque hinc colliges inspirationis divinæ ad mera etiam consilia vocantis repulsam vix unquam esse culpæ expertem: cum honeste & propter bonum finem omitti non possit id, quod Deus a nobis fieri pero-

peroptat. Unde, qui Deum timent, & opera sua verentur exemplo S. Job, se divinis restitisse inspirationibus humiliter in Tribunali pœnitentiæ confitentur. Vide Opus inscriptum: *Eclaircissemens .·. sur le Livre de la sainteté, & des devoirs de la vie Monastique*, diffic. IX. ubi auctor ultra nos progredi videtur.

Notand. 2. eum, qui regulam etiam levem violat ex contemptu, graviter peccare, secundum id S. Bernardi Lib. de præcept. & disp. c. 14. *Elatio contemnentis in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis*. Sed de his jam dixi tom. 3. ubi de Legibus, c. 5. art. 1. sect. 5. punct. 2. Etsi vero ibidem docuerim cum S. Thoma posse aliquem frequenter transgredi leges, nec tamen operari ex contemptu, subindicavi tamen summopere periculosam esse conditionem eorum, qui ex habitu regulam suam transgrediuntur, quia & scandalum præbent, & disciplinam Religiosam perturbando, damnum eidem minus aut magis grave procreant, & conjiciunt se in periculum violandi vota, quæ, ut experientia docet, paulatim contemnunt, qui regulas minoris, quam par sit, ducere assuescunt.

Not. 3. etsi ad obedientiæ perfectionem pertinet, ut manifestata Superioris voluntas habeatur pro lege, haud tamen inobedientem censeri, qui non obsequitur nutibus sic expressis: *Vellem, desiderarem, ut id faceres*. Requiruntur ergo voces præceptivæ: *Mando, jubeo, impero*. Imo sunt Religiones, in quibus nusquam obligat præceptum sub mortali, nisi & in scriptis, & sub hac verborum serie feratur: *In virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, & sub præcepto*; atque hæc est sapientissima Carmeli discalceati praxis, ut testantur Salmaticenses tract. 15. c. 6. n. 48. Tunc autem nullus dubitat quin omne præceptum sub mortali obliget, quia forma tam gravis gravem obligationem indicat. In Religionibus vero ubi parum est in usu præcipere in vi obedientiæ, idem de Superioris, quod de regulæ præcepto dicendum videtur, illud scilicet graviter in materia gravi, (nisi aliud aliunde constet,) leviter in levi obligare; sic tamen ut res gravis etiam sub levi culpa præcipi possit, prout dixi in Tract. de Legibus punct. 1. ubi supra. Addit Lessius Superiorem quoties aliquo modo mandat, obligare sub veniali, quia non intendit solum consulere, etsi tota, quam ad præcipiendum habet, potestate non utatur.

Quæres 2. an inferior in omnibus omnino parere teneatur.

R. Inferiorem in iis obsequi debere, quæ sunt secundum regulam, non autem, quæ sunt vel infra, vel supra, vel præter, vel contra regulam.

Prob. 1. pars: quia si quando obsequium debent subditi, tunc ad minus cum Superiores juste, & rationabiliter imperant: quid autem rationi, & justitiæ consonum magis, quam id, quod secundum regulam aut constitutiones præcipitur? Id porro secundum hæc præcipi credendum est, non quod explicite tantum, sed & quod in iisdem implicite continetur, qualia sunt, quæ ad regularem observantiam, & spiritus primævi continuationem pertinent; ut talem pro tali culpa pœnam subire, a ludis quibusdam abstinere, Ordinis negotia prosequi, &c. hinc Monialibus præcipitur arctissima clausura, licet eam non voverint.

Prob. 2. pars. Præcipit infra regulam, qui laxiora jubet: atqui præcepto huic parendum non est.

Prob. 3. pars. Præcipere supra regulam, est præcipere graviora, quam ferat lex, ad cujus observantiam se quis voto constrinxit; v. g. cogere ad abstinendum carne, vel piscibus, cum id regula concedit: ad transmeandum ad infideles cum vitæ aut servitutis periculo, quando id non fert regula, &c. atqui hoc ne ipse quidem Papa potest, ratione voti; licet ratione jurisdictionis plura possit, quam Superior; unde & Religiosum ad Episcopatus, alteriusve Beneficii, etiam extra Monasterium, acceptationem cogere potest; quod non potest Superior, ut cum communiori sententia docent S. Antoninus 3. p. tit. 20. c. 1. §. 6. Suarez tom. 3. lib. 10. n. 21.

Utramque responsionis nostræ partem tradit S. Bernardus de dispens. & præcept. cap. 5. alias 8. his verbis: *Prælati jussio vel probibitio non prætereat terminos professionis: nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus probibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine necessitate.* Et infra: *Moventes eos, non cogentes ad celsiora, condescendentes eis, cum necesse fuerit, ad remissiora.*

Prob. 4. pars. Præcipere præter regulam est præcipere res vanas, inutiles, & quæ ad institutum nihil conferunt: atqui hæc præcipienti parere necessum non est. Unde si Superior jubeat *fatua, irrisoria, ac nugatoria, ut spuere in parietem, levare festucam, aspicere aves volantes, non tenetur ei* subditus *obedire*, ita post S. Thomam hic q. 186. a. 5. c. 4. Bartolomæus a S. Fausto lib. 6. q. 84.

Prob. 5. pars: quia non est parendum homini auctoritate sua non in ædificationem, sed in destructionem utenti: atqui auctoritate sua fœde abutitur, qui v. g. contra regulam præcipit, ut Minimus, qui recte valet, carnes comedat, ut Frater Minor, sine causa æquitet, aut pecuniam recipiat: ergo.

His tamen principiis, ut & regulis generalioribus, suæ sunt exceptiones, si tamen exceptionum instar habenda sint, quæ thesim bene intellectam non ingrediuntur. Sic præcipere potest Superior. 1. ut quis ambulet, quiescat, animum recreet cum aliis, quo vegetior fiat ad laborem, & onera regulæ.

2. Ut abstineatur a quibusdam, quæ licet a regula expresse non prohibeantur, ad ejus tamen observantiam conducunt; sic merito tabaci, & chocolati usum interdixerunt aliquæ Religiones, quia hinc paupertatis votum haud parum labefactari sensere. Sic etiam ob publicas Ecclesiæ aut Regni necessitates, ob admissam a Religioso culpam, eamve præcavendam, cujus periculum instat, potest Superior jejunia quædam, flagellationes, majorem solitudinem, vel Communitati toti, vel quibusdam ejus membris indicere. Sic eorum, qui in Monasterio peste corriperentur, saluti, & temporali, & spirituali, etiam cum propriæ vitæ periculo subveniendum esset; temporali quidem per Laicos fratres, eosque robustiores, & cœteroqui utiles minus, ait Henno; spirituali vero per Sacerdotes idoneos. Imo deficientibus Parochis tenerentur inferiores, jubente præposito, spiritualem exterorum curam agere: idque majorem haberet locum in Mendicantibus, qui Clement. *Dudum De sepult.* Episcoporum coadjutores nominantur; & ob id sustentantur eleemosynis fidelium. Sic demum ad ultimas mundi plagas, aut ad loca, ubi dominatur aeris intemperies, mitti possunt Religiosi, si ibidem habeant domos, quia id

ad

d Religionis bonum requiri potest, nec proinde censeri supra regulam. Quod spectat ad Patres Societatis, ii ob speciale ea de re votum quocumque mitti possunt, & quotidie mittuntur etiam cum vitæ, & libertatis dispendio.

3. Et id etiam crediderim, præcipi aliqua posse, quæ licet nugatoria videantur, animi tamen superbiam, & nimiam proprio sensui adhæsionem infringere possunt: extant multa hujus generis exempla in vitis Patrum; nec dubito, quin sanctæ præcipi possit, quod sanctæ pluries fuit adimpletum. Hic tamen ab ea cavendum ridiculi specie, quæ pietatem inhonorare videatur.

Quæres 3. an Superiori reformationem inducere volenti obtemperandum sit.

R. 1. si Religionis disciplina collapsa sit in substantialibus, ita ut jam quasi obsoleverit paupertas, nihili ducatur obedientia, &c. omnino parendum esse. Ratio est 1. quia ad minus parendum est Superiori, cum id præcipit, sine quo æterna salus haberi non potest. 2. quia nulla consuetudo juri divino, & naturali prævalere potest, vota autem ex utroque obligant. Idem dicendum de iis, quæ immediate ad observationem votorum conducunt: unde si præcipiatur, ut nemo mulieres in Monasterium inducat, aut pecuniam servet absque licentia Superioris, utique obsequendum erit.

R. 1. si disciplinæ lapsus in iis sit, quæ substantialia non sunt, videndum an relaxatio a sola oriatur consuetudine, an non vero disciplinæ primævæ rigor Pontificia auctoritate mitigatus sit. Si secundum, potest subditus obsistere reformationi. Quia regula a Pontifice mitigata est quasi nova lex, quam qui vovit, non aliam multo rigidiorem vovere intendit.

Si primum, fatentur primo communius Theologi eum, qui regulam jam collapsam professus est, pristino illius rigore non teneri, postquam ei consuetudine præscripta derogatum fuit: unde potest quis contra primitivam legem, quæ non sit sub voto, ut est apud PP. Minimos, vesci carnibus, aut jejunium non servare. Rationem dant, quod non plus habeant auctoritatis statuta Monastica, quam Ecclesiæ leges, quibus tamen in iis, quæ ad disciplinam spectant, non raro derogatur. Unde licet peccent graviter, qui vel eas inducunt consuetudines, vel iisdem utuntur ante tempus præscriptionis, non tamen, qui eas post lapsum temporis sequuntur.

At non conveniunt an Superiori reformationem de consensu Capituli aut majoris Professorum partis inducere volenti, sit necessario parendum. Affirmat tutior, nec certe minus probabilis opinio. 1. quia etsi prava consuetudo regulam infirmare potest, at non potest vel Superioribus tollendæ hujus laxitatis facultatem, vel subditis obligationem restaurationi huic humiliter cedendi adimere; ut a simili patet in Ecclesia, quæ licet ad tempus abusus quosdam dissimulet, eosdem tamen aliquando data occasione etiam per Censuras abigere conatur. 2. quia quisquis regularem amplectitur statum, paratus esse debet ad procurandam pro virili ejus conservationem: bene autem non conservatur status, cujus veteres, eæque ut plurimum sanctiores observantiæ in desuetudinem abierunt, nec redintegrari feruntur. 3. quia reformationis hujus ineundæ licentiam Prælatis fecit Trid. sess. c. 1. *De regul.* his verbis: *S. Synodus necessarium*

 esse

esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est vetus, & regularis disciplina, instauretur, præcipere, &c. Ita contra paucos sentiunt Sylvester, Layman, Azor, Vega, Peyrinis, aliique, quibus adstipulantur Salmanticenses ibid. c. 6. n. 82.

Idem docet Vasquez 1. 2. q. 95. ar. 2. disp. 154. c. 4. ubi & addit particulares Religionum Præfectos etiam sine Capituli consensu posse ferre leges, quibus obligentur subditi ad ea, quæ reformationem inducere valeant. Tum, quia localis Superior domus suæ reformationem procurare potest; tum quia ea fruitur potestate ad ferendas pro vitæ suæ decursu leges, qua Capitulum ad sancienda statuta, quæ perpetuo durent. Idipsum tenet Bartholomæus a S. Fausto lib. 6. q. 115. sed & id addit notandum, Superiores scilicet non posse efficere ut statuta, quæ sub pœna solum obligant, obligent sub culpa totam Communitatem, etsi rigidam hanc obligationem quibusdam privatis in delicti pœnam, aliorumque exemplum indicere valeant. Eadem est Salmanticensium opinio ubi supra nu. 88. *Cæterum*, inquiunt, *propter unius vel alterius Religiosi culpam non poterit Prælatus præceptum imponere obligans sub mortali toti Communitati (quod certe aliqui imprudenter faciunt) nec propter unius domus defectus, poterit Provincialis omnibus domibus suæ Provinciæ. Nec Generalis, aut Capitulum Generale poterit pro tota Religione imponere præcepta propter alicujus Provinciæ inobservantiam: quia non debent laqueos conscientiæ objicere, novaque onera imponere observantibus, ob aliquorum vitam relaxatam; ideoque isti observantes, ad aliquid, ad quod* aliunde *non obligantur, vel eo modo, quo non obligantur, obligantur sine causa.*

Quæres 4. quot perpetret peccata, qui contra Superioris præceptum operatur.

R. breviter 1. eum, qui violat legem pluribus impositam præceptis, Regulæ, v. g. Generalis, &c. unum dumtaxat admittere peccatum, quoties præcepta hæc ex ejusdem virtutis motivo procedunt. Ratio est, quia ex dictis in Tract. de Peccat. part. 1. c. 3. art. 1. Concl. 3. qui Missam non audit die Dominica, in quam Festum cadit, gemini peccati reus non censetur. Si tamen actio ab uno Superiore esset prohibita Petro, ut eidem nociva, ab alio autem ut nociva Joanni, existimant Sanchez, & Pellizarius eamdem tunc sine duplici peccato elici non posse.

R. 2. eum, qui præceptum Superioris graviter obligans transgreditur, duplex specie peccatum committere, aliud quidem contra votum Deo factum, aliud contra obedientiam, quam Superiori debet. Ratio est, quia Superiori debetur obedientia non solum ratione voti Deo facti, sed etiam ratione traditionis, qua inferior suam eidem personam commisit, quæ quidem traditio etiam independenter a voto subsisteret: ergo sicut servus, qui post emissum domino suo parendi votum, eidem resisteret, duplicem hanc malitiam in Confessione aperire teneretur, quia nempe, & obedientiam negavit ei, cui debebatur, & votum fregit, ita a pari in proposito. Ergo iterum si contra præceptum Superioris minus honeste cum aliquo vel aliqua fueris conversatus, haud sufficiet confiteri, quod Castitatem læseris, sed & adjiciendum erit id a te factum contra prohibitionem Superioris.

R. 3. si Superior in virtute obedientiæ aliquid præcipiat jam præceptum divina vel Ecclesiastica lege, non unius esse peccati reum, qui secus fece-

fecerit. Ratio eſt quia jejunium v. g. quod contra Eccleſiæ legem fregiſti, obligabat ex virtute temperantiæ; idem vero prout a Superiore præceptum in virtute obedientiæ, obligabat ex motivo Religionis, porro qui non unam virtutem offendit, non unum admittit ſpecie peccatum, ut dixi, ubi de peccatis, p. 261.

Aliter dicendum foret ſi quis jejunium volveret contra præceptum Eccleſiæ, & regulæ graviter obligantis; quia diverſæ leges, quæ in eamdem materiam ex eodem motivo cadunt, non multiplicant ſpeciem peccati: porro cum regula idem jubet, quod Eccleſia, idipſum ex eodem motivo jubere cenſetur, niſi aliud exprimat. Ita omnes.

Quæres 5. an inferior parere teneatur, cum dubitat an Superior imperet, aut legitime imperet. Dubitas v. g. 1. an præceptum Superioris obliget in tali circumſtantia, an non ſit uſu contrario abrogatum. 2. an Superior ſit rite electus, an ab eo prodeat mandatum tibi impoſitum. 3. an id quod præcipitur, licitum ſit, aut conducens ad finem inſtituti, aut ſupra regulam: quid juris,

R. 1. ſi dubites an, qui præcipit, ſit legitimus Superior, videndum eſt an ei faveat communis Regularium opinio, quamvis ab aliquibus paucis impugnata; an non. In primo caſu obediendum eſt, quia error communis facit jus. In ſecundo, non teneris obedire, quia in hujuſmodi dubio melior eſt conditio ſuam poſſidentis libertatem. Ita Cabaſſut. Lib. 1. Theor. cap. 21. n. 17. quem ſequitur Pontas v. *Obéïſſance*, caſ. 4.

R. 2. ſi dubites de materia præcepti licitane ſit aut obligatoria, ſequendum id, quod diximus in Tract. de Conſcientia; ideoque ſemper parendum eſt, niſi multo graviora ſint momenta, quæ libertati, quam quæ præcepto favent. Fieri tamen poſſe puto, ut præcepti acerbitas conjuncta dubio, ei præcipue, quo ſuperioritatis, validitas impugnaretur, differendæ ad tempus obedientiæ inſervire poſſet.

Quæres 6. quibus ex obedientia parere teneantur Religioſi.

R. Tenentur parere 1. Romano Pontifici, qui Religionum eſt omnium Caput. 2. Generali, Provinciali, & Prælato locali. 3. Capitulo tum Generali, tum Provinciali: iis enim omnibus jure ordinario competit præcipiendi facultas.

Hic quatuor animadvertenda. 1. ipſos etiam hoſpites obedientiam debere iis, in quorum domibus moram faciunt, ſi id uſu vel Regula conſtitutum ſit. 2. ſuum eſſe regulari obedientiæ gradum, & ordinem, ita ut Generali contra Provincialem, Provinciali contra Præpoſitum localem obſequendum ſit. 3. Prælati Mandatum ligare inferiores ubicumque ſint, quia juriſdictio Regularium, ſecus ac Epiſcoporum, perſonas ratione ſui, non ratione territorii afficit; unde & mundum omnem habent pro territorio, & fugitivum, vel apoſtatam, quocumque tranſmeaverint, cenſuris plectere poſſunt. 4. Abbatiſſas, cœteraſque Monialium rectrices, juxta communiorem Doctorum ſententiam, nihil ſub formali obedientiæ præcepto imperare poſſe; quia non plus ad id ſpiritualis juriſdictionis habent, quam politici principes; quorum tamen inſtar domeſticas leges condere poſſunt, quæ juxta materiæ gravitatem conſcientias ligent. Unde, quæ eis vovetur, obedientia, ei ſimilis eſt, quam filii matri-familias ſponderent.

C A-

CAPUT TERTIUM.

De aliis quibusdam Status Religiosi obligationibus.

DUo hic explicanda: 1. quid Ecclesiæ, 2. quid Episcopis debeant Regulares. Circa primum tria præcipue inquiruntur: 1. an Regulares professi ad Officium; 2. an ad celebrationem Missæ; 3. an ad studium teneantur. Circa secundum ambigitur, an & in quibus Religiosi exempti Episcopis subjaceant. Hæc sane seligimus e multis: qui enim singula indagare vellet, esset ei expendendum, an & quousque prohibitum sit Regularibus, ne a sententiis & correctione Superiorum appellent; ne absque debitis solemnitatibus alienent Ecclesiæ bona, ne actibus judicialibus se immisceant; quæ quidem fuse discussa traherent nos in immensum. Iis ergo prætermissis, paucula, quæ præmisimus, sectabimur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Regulares Professi ad Officium & Missam teneantur.

RElígiosi a Clericis Psalmodiæ usum acceperunt, at eidem & diutius & accuratius vacavere. *Matutinæ laudes*, ait S. Epiphanius exposit. Fidei Cathol. cap. 23. *in Ecclesia Catholica, matutinæque preces assidue celebrantur; lucernales item Psalmi & Orationes.... magna vero ex parte Monachi in decantandis Psalmis ac perpetuis orationibus occupantur.* Scribit etiam Cassianus collat. 2. & 3. Ægypti ac Thebaidis Monachos, majorem noctis, dieique partem in Horis decantandis impendisse. Idem de Monialibus testantur SS. Gregorius Nyssenus in vita S. Macrinæ, & Hieronymus tum Epist. 27. tum Epist. ad Demetriadem, quam his compellat vocibus: *Præter psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperam, media nocte, & mane semper est exercendum*, &c.

Quoniam vero multa fiunt, quæ fieri non præcipiuntur, aut quæ uno tempore præcepta, alio vix sub consilium cadunt, idcirco posteriori ævo quæsitum est, an, & qui Regulares ad Officii recitationem tenerentur, sit

CONCLUSIO. Religiosi ad Chorum professi, & necdum in Sacris constituti, etiam extra Chorum, tenentur sub mortali ad Officii recitationem, nisi cum iis dispensatum sit a Papa, aut aliud ferat speciale Ordinis institutum. Ita Theologi pene omnes contra nonnullos laxiores.

Prob. 1. ex unanimi omnium fere consensu, qui oppositam opinionem rejecerunt; alii ut temerariam, alii ut scandalosam, alii ut perniciosam animarum saluti, alii ut plane improbabilem, & ideo Clementis VIII. jussu erasam e Libro Emmanuelis Sa. Famosæ tres Hispaniarum Universitates, Hispalensis, Cæsaraugustana, Conimbricensis contra eam acriter insurrexerunt an. 1632. Præiverat jam ab anno 1625. R. P. Mutius Virellelchi, Societatis Jesu Præpositus, prohibens, ne quis suorum opinionem prædictam doceret etiam ut probabilem. Vide

Ethic.

Ethic. Amoris, Tom. 2. Lib. 10. cap. 17. ibique congesta Theologorum & ordinum plurimorum testimonia.

Prob. 2. ex sancta & legitima Ecclesiæ consuetudine, quæ Religiosis ad Chorum destinatis Breviarii pensum quotidie recitandum determinavit, si non semper præcepto scripto, at saltem ecclesiastica traditione: atqui talis consuetudo, utpote vim legis habens, graviter & in conscientia obligat eos omnes, qui ab ea non excipiuntur; non excipiuntur autem Religiosi in Sacris non constituti, & extra Chorum versantes. Unde statim ac aliquis asserere ausus est hujusmodi Religiosos ab Officio legendo abstinere posse, eidem protinus vivide & acriter obstiterunt horumce Ordinum superiores: de quo tria videris exempla apud citatum Theologum.

Dixi: *si non semper præcepto scripto*; etsi enim fortassis nihil circa Officii recitationem quibusdam in Religionibus fuerit constitutum, constat tamen multas ex iis esse, in quibus hæc recitatio etiam extra Monasterium, sive in itineribus, sive alibi, districte præcepta fuerit; qua de re consulatur Nat. Alexander Reg. 5. ubi citat Fragmenta Regularum S. Basilii, S. Pachomii, S. Benedicti, SS. Pauli & Stephani, S. Ferreoli, &c.

Prob. 3. quia contraria paucorum opinio singularis est & nova: atqui opiniones novæ & singulares in materia morum, plenæ sunt periculi; ergo.

Obj. 1. Assertio præcedens potissimum fundatur in Doctorum consensu: atqui ex hoc consensu certum erui non potest argumentum: quandoquidem non consentiunt inter se Doctores in assignando hujusce obligationis fundamento; ergo.

R. 1. neg. maj. nostra enim assertio fundatur etiam in decretis Romanorum Pontificum. Sic Gregorius IX. de Monachis foras profecturis statuit, *ut ipsi Horas dicant in via*. Sic Concilium Marcianense an. 1326. cap. 19. præcipit generatim & indistincte, *ut omnes Religiosi Clerici ad omnes septem Horas canonicas omni die dicendas* sint *obligati*, *nisi eos infirmitatis gravitas excusarit*.

R. 2. neg. min. Tam enim consensus Theologorum & Canonistarum assertionem nostram ab extrinseco certam facit, tametsi non consentiant in fundamento intrinseco istius obligationis, quam idem consensus certam faciat obligationem Subdiaconorum ad castitatem, tametsi in assignando hujusce obligationis fundamento non conveniant Doctores, quorum alii obligationem hanc fundant in voto implicito; alii in Ecclesiæ præcepto: alii in consuetudine præscripta; atqui, &c.

Obj. 2. Nulla obligatio ut talis recipienda est, nisi de ea evidenter constet per legem ita claram, ut probabilem non patiatur exceptionem: atqui obligatio, de qua loquimur, non nititur ulla lege tam clara, &c.

R. neg. maj. quæ si vera sit, corruunt & labuntur plurima christianæ moralis capita, quæ licet a sanioribus Theologis recepta sint, non probantur tamen argumentis ita cogentibus ut nunquam eludi possint & imminui. Legantur propositiones laxæ ab uno minus sæculo damnatæ, & quarum multæ horrorem pariunt, vix ulla est, quæ a viris eruditis, imo & piis, multiplici momentorum genere firmata non fuerit, & aliquando rationibus munita tam arduis ut facile solvi non possit. An non ergo malæ & periculosæ erant eæ propositiones antequam damnarentur? An

An non merito arguebantur Theologi, qui asserebant Sacerdotem posse novum stipendium exigere pro parte sacrificii sibi debita, quam aliis cederet; eo prætextu, quod lex id prohibens non ita evidens & aperta foret, ut probabilem non pateretur exceptionem? An non noverunt omnes id, quod alii falsum judicant, ab aliis verum & probabile judicari? Profecto si, ut ait Cassianus de Disc. cap. 10. *decipi non potest, qui non suo, sed communi majorum vivit vel sentit exemplo*, facile decipi potest qui se cæteris omnibus oculatiorem esse confidit.

Obj. 3. Nulla consuetudo sub mortali obligat, nisi certo constet eam introductam vel receptam fuisse sub tali peccato. In dubio namque concludendum est pro obligatione minima, quia in obscuris minimum est sequendum, in pœnis benignior est interpretatio facienda: atqui certo non constat Religiosos & Moniales extra Chorum teneri saltem sub mortali ad Officii recitationem: ergo, &c.

R. 1. neg. maj. Etenim, ut sapienter monent Alensis & Dionysius Cartusianus in 2. Sent. dist. 22. *Qui dubitat de aliquo an sit simonia, an non, eo quod quidam jurisperiti dicunt hoc esse simoniam, & quidam non, talis abstinere debet a tali negotio, seu contractu, ne discrimini se committat*: quod principium suo loco fusius explicavimus; ergo non requiritur ratio evidens, sed aliquando sufficit dubium, ut quis vel agat, vel abstineat ab agendo.

R. 2. ex unanimi sapientum consensu exurgere demonstrationem moralem, quam qui sequitur, decipi non potest, ut supra ajebat Cassianus; atqui consensum hunc habemus tum circa obligationem, quæ nunc a nobis expenditur, tum circa ejus gradum: ergo.

Circa conclusionem nostram quædam sunt animadvertenda. Itaque

Not. 1. id, quod de Religiosis dictum est, ad Sanctimoniales esse extendendum, ob pariatem rationis & consuetudinis.

Idem etiam statuendum est de virginibus illis, quæ in Belgio, Germania & Lotharingia Canonissæ vocantur, ut contra Lessium in consiliis verbo *Horæ canonicæ* cas. 14. docent Malderus, Vviggers, Loth, Vanroy, Henricus a S. Ignatio, & alii plures, quorum assertio fundatur 1. in consuetudine & Theologorum consensu. 2. in eo, quod æquum sit ut, quæ quodammodo de altari vivunt, & Ecclesiæ bona percipiunt, ad hoc ut divino sint servitio & Choro mancipatæ, saltem Officium privatim recitent, cum Choro interesse nequeunt. 3. quia quæ Monialium vicem tenent quoad reditus, debent & vicem tenere quoad Officium: atqui eæ Canonissæ ut plurimum successerunt veteribus Benedictinarum monasteriis. Idque de celebri Abbatia * Romarici montis constat, prout ipse anno 1729. propriis oculis vidi in codice MS. quem servant Benedictini, qui *Sanctum montem*, a Romarico monte una minus leuca dissitum incolunt: quin & illas nobilissimæ prosapiæ Canonissas usque ad annum 1500. Sanctimoniales fuisse singulari Epistola demonstravit vir toto orbe celebris Joannes Mabillonius.

* *Remiremont.*

Quod ergo prædictas virgines, cum omittunt Horas, a restituendo eximunt aliqui, nullo nititur fundamento; benignitas enim Fundatorum, quam allegat Vvigand, mera fabula videtur. Certe si Fundatores non exemerint a peccato *Canonissam, quæ unico etiam die integrum, vel medium pensum ex negligentia omitteret*, uti censet idem Theologus; quare eamdem exe-

xemisse dicetur a restitutione, quæ longe minoris est momenti, si res oram Deo, & ad Sanctuarii stateram ponderentur; Sed de his plura videris apud Theologos, quos paulo ante citavi.

Not. 2. id quod alibi diximus de Sacerdote, eum scilicet si excommunicetur, exilio aut triremibus, damnetur, &c. adhuc Officii recitationi obnoxium remanere, pariter dicendum de Religiosis: unde apostatæ, fugitivi, ii etiam, quibus permittitur ut extra monasterium perpetuo vivant, ad Officium tenentur. Aliter sentiendum de eo, cui ex dispensatione Pontificia permitteretur uxorem ducere; quia dispensans in professione, censetur in iis etiam dispensare, quæ ex professione sequuntur. Eadem est ratio illius, qui vi similis dispensationis transiret de statu suo ad statum Conversorum, aut ad aliam Religionem, quam qui profitentur, non sunt ad Chorum destinati.

Quod spectat ad eum, qui per sententiam a Monasterio ejectus est, alii, ut Sotus & Cabassutius, eum ab onere Officii liberum asserunt; alii negant. *Is enim*, ait Navarrus, *semper remanet Monachus, nec uxorem ducere potest, & ad Ordinem suum, si volet* mores mutare, *redire fere semper potest*. Vide Pontas v. *Office du Bréviaire*, cas. 10. & 11.

Not. 3. ad Officium non teneri 1. Novitios & Novitias, qui in pœnalibus reputantur sæculares, 2. Laicos seu Conversos etiam professos, qui non ad Chorum, sed ad opera manualia deputati sunt; 3. Clericos, qui ex professione sua non sunt addicti Choro, sed vel studiis ut juniores Jesuitæ; vel armis ut Religiosi militares. Eorum vero, qui ad Chorum sunt deputati, obligatio incipit a die & hora professionis, ut ex iis, quæ tomo 2. dicta sunt, obligatio Subdiaconorum a tempore & hora ordinationis.

Quod spectat ad Missæ celebrationem 1. tenentur curare Prælati Regulares ut unum saltem Sacrum singulis in Ecclesia diebus celebretur; neque huic Officio sine populorum offensione deesse possunt; 2. pro Missa hac, etsi Conventualis sit, stipendium recipere valent, nisi extet lex aut consuetudo in contrarium; 3. facilius mortaliter peccabit Regularis ex socordia diu Missæ celebrationem omittens, quam sæcularis; 4. pessima videretnr consuetudo, quæ Regulares sub pœna jejunii in pane & aqua, adigeret ad celebrationem Missæ: hac certe via haberi possunt Missæ, a quibus celebrandis debeat quis sub pœna etiam graviore averti; 5. Missam, pro quo maluerint, offerre possunt, nisi aliter sancitum sit; 6. reprehendi tamen mererentur, qui pro Ordinis defunctis Sacrum facere negligerent; paremque Deo permittente vicem ipsi experirentur. De loco & tempore, quibus Regulares celebrare queant, fuse disputant Salmanticenses, cap. 6. num. 92. & seq. sed ista prætermittimus, quia quisque & Ordinis sui praxim sequi, & ejusdem privilegia nosse debet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Studiis Regularium.

Regularium duplex pro præsenti secernitur genus. Alii ex instituto suo saluti Fidelium sub Pastorum auctoritate allaborant spargendo semen verbi, excipiendo confessiones, eademque magna ex

parte

parte obeundo munia, quæ Præsbyteri sæculares. Alii monasticam professi vitam, sibi primum invigilare videntur, cœteris vero vix aliter prodesse quam orationibus suis, jejuniis, & fletibus. De prima Regularium specie nulla hìc quæstio; ii enim utpote copiæ auxiliares, & Coadjutores Cleri, in doctrina potentes esse debent, adeoque serio Scripturæ præsertim, & Dogmaticæ, ac Moralis Theologiæ studio operam dare. Tota ergo difficultas est de Monachis, quibus an vetita sint, an licita studia, pie simul & erudite disceptarunt viri duo titulis omnibus majores, ambo & Galliæ nostræ, & Monastici Status ornamentum, quorum alter Armandus Joannes Bouthillier de Rancé, Abbas & reformator Monasterii de Trappa, alter fuit Joannes Mabillon, vir omnigena litteratura insignis, modestia insignior & pietate.

Pares animis ambo, & virtutibus ambo,
Et certare pares, & respondere parati.

Disputationem hanc, quæ plura parturiit non minimæ molis volumina, fuse prosequi nec vacat, nec utile fuerit; cum concertatoris utriusque Libri & omnium terantur manibus, & ea scripti sint facundia, quam nec capit, nec æmulari debet Scholastica methodus. Sit igitur & paucis

CONCLUSIO I. Monachi studiis & vacare possunt, & vacare tenentur.

Prob. Possunt & debent Monachi id, quod nulla generali lege sibi prohibitum est, quod econtra pluribus præceptum fuit Conciliis, quod ad rectam Monastici status administrationem, imo ad legitimam privatorum constitutionem plane necessarium est: atqui sic se habent studia Monastica.

1. Quidem nulla generali lege prohibita sunt. Ideo enim prohibita dicuntur, quia de iis silent Regulæ: atqui præterquam id falsum esse probat Mabillonius in *Reflexionibus* suis art. 6. non modo ex Regula Sancti Hie-
Opusc. 20. ronymi, verum etiam ex regulis Magistri, S. Ferreoli, S. Isidori, Grim-
c. 3. laici, certum est in principio S. Thomæ adversus Guillelmum a Sancto Amore, illud Religiosis *intelligi concessum, quod nulla lege probibitum invenitur*. Ergo eo ipso, quod studium Monachis interdictum non est, permissum existimari debet. Et vero usus præsertim Sanctorum, legitimus est regularum interpres: porro jam a primis Monachorum temporibus studiis incubuere sanctiores cœnobitæ, quales fuerunt venerabilis Beda, S. Bonifacius Apostolus Germaniæ, S. Anselmus, & alii prope innumeri: hinc tot eminentis scientiæ homines ad Episcopatum assumpti, præsertim e Monasterio Lirinensi, vel ipso S. Honorati ejusdem fundatoris tempore.
Mabillon. Denique dato, quod Monachorum institutores studium prohibuissent, po-
ibid. a. 21. tuit illud deinceps non permitti modo, sed & ab Ecclesia imperari. Unde
Trai è 2. Studium plura Monachis indixere Concilia, seu generaliter, seu spe-
des, Etu- ciatim. Generaliter quidem, quia cum hodie Monachi contra vel præter
des, &c. institutionem primævam sacris Ordinibus, & Sacerdotio insigniantur,
1. p. c. 4. quæ cœteris Præsbyteris scientiam commendant, & eam Monachis præcipere dicenda sunt. Speciatim vero, ut patet ex Concilio Viennensi, cujus decretum habetur Clement. 1. *De statu Monach.* his verbis: *Ad ampliationem cultus divini, statuimus, quod Monachi quilibet ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes Ordines sacros (excusatione cessante legitima) promoveri. Rursus ut ipsis Monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit, in singulis ipsorum Monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter.* Sanctionem hanc confirmavit Clementis V. successor

cessor Benedictus XII. & per primitivas scientias intellexit Grammaticam, Logicam, & Philosophiam, sine quibus reipsa ad urberem Scripturæ, ac Theologiæ scientiam nemo devenire possit. Cum his conferri possunt, quæ habet Tridentinum Sess. 5. cap. 1. & Sess. 25. cap. 4.

3. Studia ad rectam Monastici Status administrationem necessaria sunt. Ad id scilicet necessum est, ut in unaquaque domo adsint duo ad minus, Superior scilicet & ejus vel ægri vel absentis vicem gerens, qui possint confessiones suorum excipere, conscientiæ casus solvere, præcipua Ethicæ christianæ puncta ad Scripturarum & traditionis normam tractare, ac demum explanare difficultates, quæ sacrorum codicum lectioni Monachis ab ipso Ranceio concessæ inhærent: ad hæc vero quis sine studio & scientia idoneus? Non nego fieri quandoque, ut qui Religionem ingrediuntur, jam in sæculo competentem ad hæc munia notitiam sibi comparaverint. Sed quoti sunt hac nostra ætate, ubi; qui Religioni se devovent, plerique vix Rhetorices, aut Logicæ ad summum limina salutaverunt? adde quod quisquis eruditus est, non statim ad erudiendos alios admitti possit.

4. Demum studia ad debitam privatorum institutionem necessaria sunt. Tunc enim sana est privatorum Manachorum conformatio, cum utiliter & fructuose sive Scripturam, sive ascetica saltem Patrum opera pervolvunt; cum legunt sine periculo res lectas alienum in sensum detorquendi; cum eorum quisque accepta a Deo talenta colit & exercet; cum nec sibi, nec aliis tædiosi sunt; cum musæi amore, ab evagandi cupidine, a tristioribus, quæ mentem vorant, ideis, a stultarum cogitationum caterva revocantur: hos porro fructus pariunt studia; neque id quispiam rem expertus diffitebitur. Vid. Mabillonii Reflexiones artic. 27.

Objiciebat illust. Ranceius, e Monachorum studiis deteriores prodire exitus, superbiam, devotionis ariditatem, dissipationem, & jurgia, quin & hæreses plerasque, ut patet in Nestorio, Eutichete, Severo, Dioscoro, Pelagio, &, ut cœteros omittam, Luthero.

At hæc nullo negotio solvuntur: 1. quia optimos quoque fructus pepererunt, & etiamnum pariunt Monachorum studia. Monachi enim fuere SS. Chrysostomus, Basilius, Epiphanius, Ephrem, Hieronymus, Abbas Maximus, Beda, Bonifacius Germaniæ Apostolus, Paschasius Radbertus, Anselmus, Bernardus, aliique, quos recensere prolixius fuerit. Hi vero quot per scientiam bona ediderunt, seu Regna ingentia convertendo ad fidem, seu etiamnum erudiendo omnes Christiani mundi populos, seu vetera Patrum scripta, quæ majori sui parte e Monachorum Bibliothecis derivarunt, conservando? Ut quid ergo recensentur mali exitus, & reticentur boni? ut quid saltem non conferuntur alii cum aliis, ut appensis in statera rebus, videatur utra pars prævaleat? ut quid non dicitur, pene omnia, quæ corruerunt, Monasteria studiorum defectu corruisse?

2. Superbia, ariditas, & similia non sunt studii sed studiosorum defectus. Fulgebant litteris & doctrina citati Patres, & tamen tenera in Deum charitate, ac humilitate eximia eo usque commendandi erant, ut eorum aliqui se ne Monachi quidem nomine dignos esse conclamarent cum Bernardo; alii se cum Paschasio Radberto *Monachorum omnium peripsema* nuncuparent, & cum famulis domus vellent tumulari; quæ exempla nostris pene diebus renovavit Librorum helluo Christianus Lupus.

Et

Et vero quæ solidior quam Rancei & Mabillonii pietas? quæ major quam utriusque facundia, & eruditio?

3. Ex Hæresum Patribus, quos citavit Abbas B. V. de Trappa, plures Religiosi non fuere; plures a Monachis fidei vindicibus strenue impetiti sunt; plures ex imperitia ut Nestorius, ac potissimum Eutiches, non ex scientia lapsi sunt; plures demum ut Lutherus, & primarii ejus asseclæ erant ex Ordinibus Mendicantium, queis tamen scientia non interdicit Ranceius. Mabillon. *Déflèxions sur la Rèpliq. &c.* art. 28.

Conclusio II. In Monachorum studiis præcauto multiplici opus est. Vide Mabillon. 3. p. Tract. de Studiis Monasticis.

Prob. Monachi præ cœteris omnibus, qui studio vacant, duo in studiis intendere debent, mentis scilicet & cordis institutionem; mentis quidem per notitiam veritatis, cordis vero per charitatis augmentum: atqui duo hæc ut assequantur, multa iis sollicite & caute vitanda sunt.

Et quidem 1. ut ad veritatis notitiam deveniant, opus est iis labore serio, constanti, sagaci, libero a præjudiciis, & docili. *Serio*, ne larvam, vanumque fulgorem pro veritate ipsa amplectantur. *Constanti*, ne vividæ imaginationis ludibrium facti, ab objecto in objectum avolent, resque leviter & raptim perstringant, non profunde investigent. *Sagaci*, tum ut festinent lente, memores hujus Proverbiorum effati: *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit*; tum ut altiora se non quærant; tum ut a rerum, quæ & obscuriores sunt, & utiles parum, & multo magis, quæ obscœni aliquid habent, studio abstineant. *Libero a præjudiciis*, ut abjecto partium & Scriptorum respectu, quod verum est, undecumque sit, sequantur, neque Librum ex Auctore, sed Auctorem ex Libro æstiment. *Docili*, ut neque se cœteris perspicaciores in cogitando, aut rectioris ingenii in dijudicando temere confidant: hinc scilicet pullulant dissensiones, aliorum & ipsius etiam Ecclesiæ contemptus, atque pertinax propriæ opinioni adhæsio.

Proverb. 20. 21.

2. Ut charitatem adaugeant, non philosophicam sed christianam studiis operam impendere debent; ac proinde & ante studium, eum suplices deprecari sine quo *non* sumus *sufficientes cogitare aliquid*; & in ipso studii æstu animos & corda sursum pluries erigere, & primas spiritualibus Monasticæ vitæ officiis ubicumque partes largiri. *Advertite istud vos qui in transitu oratis, & cum mora legitis; qui ad legendum fervetis, in oratione tepetis?* verba sunt Gilleberti Cisterciensis Abbatis Serm. 7. quibus, ut materiæ huic finem faciam, hæc sponte addiderim S. Hieronymi, a studiosis quibuscumque serio ponderanda: *Quotidie morimur, quotidie commutamur: & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum sunt damna temporum. Scribimus, atque rescribimus: transeunt maria Epistolæ, & scindente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Hoc solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur.*

II. Cor. 3.

in Epitap. Nepotian.

A R-

ARTICULUS TERTIUS.

An Regulares Episcopis subjaceant.

EX innumeris prope, quæ hic agitari possent, quæstionibus, pauculas, quæ gravioris sunt momenti, expendemus, an scilicet Regulares Episcopis obsequi teneantur in his, quæ spectant ad Ordines, ad Sacramentorum administrationem, ad censuras, ad celebrationem festorum, ad clausuram.

Regularium, eorum scilicet, qui per solemnia vota Religioni sese irrevocabiliter nuncupant, quintuplex est ordo; Regulares enim dicuntur 1. Monachi, puta Benedictini, Camaldulenses, Carthusiani, &c. 2. Canonici regulam aliquam solemniter professi, quales sunt Canonici S. Augustini, S. Rufi; 3. & quidam Equites, ut olim Templarii, nunc autem Melitenses; 4. Mendicantes, Dominicani scilicet, Franciscani, Carmelitæ, Augustiniani, & Minimi; 5. Clerici, qui solemnia emittentes vota, dicuntur regulares, puta Theatini, Barnabitæ, & Patres Societatis: quamquam isti ex speciali privilegio ante solemnia vota Religiosi censentur.

Regulares dividuntur in exemptos, & non exemptos. Exempti vel ordinaria vel extraordinaria immunitate fruuntur. Extraordinariam immunitatem habent ii, quorum Monasteria *in loco nullius Diœcesis*, seu, ut ajunt *in territorio separato* sita sunt: & horumce Locorum Præsules, sive Episcopi sint, sive non, *Ordinarii* vocantur, & voluntariam, ac contentiosam jurisdictionem sive in Clericos, sive in plebem finibus loci contentam exercent, idque *secluso Episcopo*, ut notat Fagnan. in cap. *Graviæ*, *De Officio Ordinarii* nu. 10. Hujusmodi loca nullius Diœcesis viginti & unum pro Italia & Hispaniis recenset citatus mox Canonista in c. *Cum contingat*, *De foro compet.* quibus ab auctore Libri, cui titulus: *Traité des Droits des Eveques sur les Reguliers exempts*, adduntur pag. 302. Abbas & Abbatia Cluniacensis, Abbas, Abbatia Fiscanensis, Abbas & Abbatia de Casa Dei, Abbas, Abbatia, & Capitulum de Aureliaco. Sed nescit nemo Cluniacense privilegium gravis hodie disceptationis materiam esse. *Pag. 471. edit. Rom.*

Immunitatem ordinariam & communem habent plerique utriusque sexus Ordines, quibus varia a variis Romæ Ecclesiæ Pontificibus concessa fuere privilegia: sed dum iis aliqui, spreto saniorum e Fratribus suis judicio, abutuntur, Episcoporum querelas cient, qua de re lege Thomassinum Tom. 1. part. 1. L. 3. c. 39. edit. 1725. & Tom. 2. part. 4. L. 1. c. 56. &c. edit. 1682. Vide & quæ acta sunt Senonis & Andegavi in causa Regularium, præcipue vero Mendicantium, de quibus hic nobis potior est sermo. Sit igitur

CONCLUSIO I. Regulares Episcopis quoad Ordines subsunt.

Prob. inductione. Primo, quia vetitum est Superioribus Regularibus ne *cujusvis privilegii prætextu*, subditos suos etsi capaces, in propria etiam Ecclesia, & ipso ordinationis die, ab extraneo Episcopo, absque Ordinarii licentia ordinari curent. *Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum, sint ipso jure suspensi.* Trid. Sess. 6. c. 5. & Sess. 23. c. 8. *De reform.*

Secundo neque licitum est Regularibus ab alio, quam loci, in quo ordinarie resident, Episcopo ordinari. Ita jam anno 398. definiit Concilium Carthaginense V. c. 13. & refertur c. *Si quis*, dist. 58.

Huic tamen legi suæ sunt exceptiones: unde fallit 1. si Regulares ab Apostolica Sede obtinuerint facultatem *de promovendo a quocumque*; quamquam & tunc apud Episcopum ordinantem debeat *probitatem suam & mores Ordinarii sui testimonio probare*, prout declaravit Cardinalium Congregatio apud Lamet verb. *Religieux* cas. 17. ubi nomine Ordinarii non Superiorem Conventus, sed Episcopum loci intelligendum esse ostenditur; 2. si Episcopus iisdem Ordines injuste deneget; & tunc ad Episcopi Superiorem recurrere debent; vel si forte ad Papam, eidem exponere repulsam, quam a proprio Episcopo passi sunt: alioqui obtenta ab eo facultas *de promovendo a quocumque*, subreptitia foret, & ordinatus juris pœnas incurreret. Ita Lamet ibid. 3. si idem Episcopus notoria percussus sit censura, quæ eum ab Ordinum collatione prohibeat; 4. si per totos sex menses abstinuerit ab ordinando; 5. si vacet Sedes Episcopalis, & tunc non indigent Capituli consensu, prout definiit Congregatio Concilii Tridentini interpres apud Pignatelli Tom. 1. Con. 390.

Tertio potest Episcopus per se, vel per alium examinare ingenium, scientiam, defectus corporis, imo & bonos mores Regularis ordinandi; etsi in hoc ultimo puncto testimonialibus Superiorum litteris, fidem, nisi quid obstet, habere debeat.

Quarto solius est etiam Episcopi dispensare Regulares ab interstitiis: licet possint Superiores eidem exhibere, quam graviter egeant ordinatis. Hæc omnia fusius exposita & probata videris in citato Tractatu de jure Episcoporum in Regulares; quod Opus, meo quidem tenui judicio, & scientiæ non parum habet, & summa moderatione commendatur. De Monasteriorum, quæ nullius sunt Diœcesis, juribus in eo, quod ad Ordines spectat, vide citatum opus c. 15. p. 163. & sequent.

Conclusio II. Pendent Regulares ab Episcopis in eo, quod ad Sacramentorum, præsertim vero Pœnitentiæ, administrationem spectat; pendent & in officio concionandi.

Prob. quia cum gravis sæculo proxime elapso, Senonis, & Andegavi ea de re exarsisset controversia, has Regularium propositiones reprobavit Conventus generalis anni 1656.

I. *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Sæcularium confessiones audire possint. Neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit præterquam in decisionibus fidei: neque etiam in Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.*

II. *Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare; quinimo Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; & si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.*

III. *Regulares ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potesta-*

testatem absolvendi sæculares a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit.

IV. *Regulares Mendicantes petere possunt licite a Judicibus sæcularibus ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, & Quadragesima: quod si renuant facere Episcopi, Decretum Judicum sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.* Quas quidem propositiones cum aliis duabus ad Missam Parochialem & confessionem annuam pertinentibus Gallicani Patres damnavere, ut *respective temerarias, scandalosas, falsas, erroneas, in hæresim & schisma inducentes, Sedi Apostolicæ, Conciliis tum Oecumenicis tum Provincialibus, & præcipue sacro Tridentino, & Ordini Episcoporum Apostolico injuriosas & contrarias, ac Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructivas.*

Easdem quatuor propositiones, applicata sua unicuique nota Gallicanis qualificationibus non impari, reprobavit Alexander VII. die Januarii 30. an. 1659.

Præiverant ex parte jam ab anno 1577. Gregorius XIII. in Brevi ad Sanctum Carolum Borromæum, in quo Sanctitas sua *etiam de sententia Congregationis* Tridentinæ Synodi interpretis *censuit ex facultatibus per Mare magnum, aliave privilegia Regularibus concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi a casibus sibi a Episcopis reservatis*: quod Decretum refert Bonichon in Gallico Tractatu cui titulus: *L' autorité Episcopale défendue contre les nouvelles entreprises de quelques Reguliers, &c.* anno 1658. quem adire possunt, qui pleniorem hujus controversiæ notitiam habere volent. Mihi vero, qui lites dudum compositas refricare non amo, his sufficiet concludere verbis eruditi Patris Pauli a Lugduno, e familia Capucinorum: Ergo *Regulares Episcoporum auctoritati omnino subjacent in approbatione pro administranda sæcularibus pœnitentia: ideoque Episcopi restringere possunt vel limitare eorum approbationes ad certas personas, necnon ad certa loca & tempora. Item eas revocare possunt, vel Confessarios hujusmodi ab audiendis confessionibus suspendere, ex nova causa ad confessiones pertinente, etiam absque individua hujus causæ expressione. Item approbati sine restrictione a Vicario generali Episcopi, possunt iterum ab ipso Episcopo ad examen revocari: Item approbati ad Episcopo, possunt ab ejus successore rursus examinari; & si minus capaces fuerint inventi, possunt rejici: Item in una Diœcesi generatim approbati, confessiones in alia Diœcesi excipere non possunt absque Diœcesani Episcopi approbatione: Item a casibus Episcopo reservatis absolvere non possunt, nisi hæc facultas ab illo ipsis fuerit concessa, non obstantibus quibuslibet eorum privilegiis. Hæc omnia constant tum ex Trid. Concilio, tum ex pluribus ubique receptis Summorum Pontificum Constitutionibus, ac Decretis, Clement.* dudum, *Gregorii XIV.* Inscrutabili, *Clementis X.* Superna, *Alexandri VII. &c.*

His suffragatur ratio. An non enim æquum est ut Episcopi suam vel negare vel auferre approbationem possint, iis, qui vel debita scientia carent, vel ex ovibus mutati in lupos, nihil aliud, quam scandalum aut errorem disseminarent? Hoc sane senserunt optimi quique Religionum Superiores, Carmelitæ scilicet & Dominicani, Fulienses, Augustiniani Mathurinenses, Recollecti, Jesuitæ, Minores & Minimi, qui omnes an. 1633. ad beneplacitum Cardinalis Richelei, suo suorumque nomine, æquam ab Episcopis dependentiam in ordine ad sacras conciones,

& Sacramentorum administrationem polliciti sunt; de quo vide Opus inscriptum: *Memoires Chronologiques & Dogmatiques*, sub an. 1622. pag. 310.

Declaravit etiam sacra Concilii Congregatio Regulares quantumvis exemptos, omnia, quæ a locorum Ordinariis circa observanda & vitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, penitus servare teneri, & ad id censuris compelli posse; unde si Episcopus sub pœna suspensionis vetuerit, ne Missæ Canon alta voce recitetur, ut Lugduni vetitum est, huic pœnæ, sicut & alii, subjacebunt Regulares; prout agnoscit Paulus a Lugduno ibid. Tom. 4. p. 561. cum quo addiderim non licere Regularibus: 1. SS. Eucharistiæ Sacramentum palam exponere, absque tacito saltem Episcopi consensu, prout declaravit eadem S. Congregatio; 2. indulgentias populis proponere absque prævia ejusdem Episcopi licentia, ex Trid. Sess. 21. *De reform.* c. 9. 3. posse Episcopos cogere Regulares ut ad indictas Processiones accedant, & ortas eos inter de præcedentia dissensiones, brevi manu componere, ibid. Sess. 25. *De Regularib.* c. 13. favet celebre Edictum an. 1695. art. 34.

Hic nota cum Thomassino part. 1. Lib. 3. c. 40. nu. 8. & 9. 1. Regulares ne in ipsis quidem suis Ecclesiis contradicente Episcopo sacras conciones habere posse, 2. arcendos a ministerio verbi, qui errores spargunt; (quin & ab eis fidei professionem exigere possunt Episcopi, prout declaravit sacra Congregatio) 3. Regulares *si* privilegiis suis in absolutione casuum Sedi Apostolicæ reservatorum *uti voluerint*, *teneri* ea *Episcopo exhibere*, prout declaraverunt Clemens VIII. Innocentius X. Cleri Gallicani Comitia, & Ludovicus XIII. an. 1639. de quibus adi Bonichon 2. part. art. 16.

CONCLUSIO III. Regulares Episcopis multipliciter subjacent quoad censuras.

Prob. possunt enim Episcopi 1. cogere Regulares ut contra canonicas sanctiones privilegiis suis non utantur; idque adhibitis etiam censuris, quandoquidem ex Leg. 2. ff. *De jurisdict. ei cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari*, seu exerceri *non potuit*: ante tamen, quam ad dura censurarum remedia deveniatur, *paternis admonitionibus* uti debent Episcopi, ut monet Tridentinum Sess. 21. c. 8.

2. Possunt Episcopi etiam per censuras *ab homine* animadvertere non solum in Regulares, qui extra claustrum degunt, præsertim Apostatas & ab Ordine ejectos, sed in eos etiam, qui certa quædam etiam in claustro ediderint crimina, puta, qui errores docuerint, qui non accepto Sacerdotio Sacrum fecerint, aut exceperint confessiones, qui in sacro tribunali Pœnitentem sollicitaverint ad crimen; qui monetam fabricaverint, imminuerint, adulteraverint. Sed postremum hoc, quod est læsæ Majestatis crimen, in Gallia ad sæculares Magistratus devolvitur. Vide auctorem citati Libri de jurib. Episcoporum c. 23.

V. Trid. Sess. 25. c. 12 de Regul. 3. Possunt & exigere Episcopi ut quas ipsi censuras tulerint, promulgent Regulares, easque Ecclesiarum suarum valvis affigi patiantur. Tunc vero & eos, quos publica censura percusserit Episcopus, a domo sua abigere, & a sacris functionibus apud se peragendis arcere debent. Debent & interdicta servare, & consequenter ad monitoria crimen, quod rescierint, detegere, prout docui in Tractatu de Censuris. Addit mox addu-

adductum scriptor cap. 21. non quidem Archidiaconos, aliosve, qui contentiosam sibi jurisdictionem asserunt, sed Ordinarios, qui territorio nullius Diœcesis præsunt, idem cum Episcopis in Regulares jus habere, nisi, inquit, quod monitoria decernere non valent: sed hoc ultimum a viris eruditis rejicitur, ut obiter notavi in Tract. de Censuris part. 2. cap. 1. art. 4. Sect. 2. Punct. 1.

CONCLUSIO IV. Regulares quoad Festorum celebrationem Episcopis morem gerere tenentur.

Prob. Ex Tridentino Sess. 25. c.12. de Regular. ubi sic: *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur*.

Circa Decretum hoc quædam notanda. 1. Episcopos Galliæ non posse absque diplomate regio festa efficaciter instituere, ut patet ex artic. 28. Edicti an. 1695. de jurisdictione. 2. Regulares, qui subessent Monasterio nullius Diœcesis, haud teneri ad servandos festos dies, qui ab ejusdem Monasterii Abbate instituerentur: imo jus instituendi festa ad solos Episcopos pertinere docet Duperrai in notis ad citatum prædicti Edicti articulum. 3. ut Regulares Diœcesana festa rite celebrent, requiri, ut & pridie jejunent aliis jejunantibus, (quamquam a jejuniis recenter inductis, præciso tamen scandalo, Regulares exemptos absolvit Sylvius, verb. *Rogationes*, q. 5. cui concinit Pontas eod. v. cas. 2.) & ipsa die a quocumque servili opere sive per se, sive per suos exercendo abstineant. 4. haud tamen necessum esse communiter loquendo, ut officium de Festo Diœcesano legant *tam publice, quam privatim* .... etsi *quoad conciones, & lectiones, quas ad populum habuerint*, debeant *se conformare Evangeliis, & festis, quibus Clerus sæcularis utitur illis diebus festis*. Ita definiit S. Congregatio.

Dixi, *communiter loquendo*, quia satis receptum est Regulares quamtumvis exemptos, teneri ad celebranda festa Patroni Ecclesiæ Cathedralis, Dedicationis, ejusdem Ecclesiæ, quamvis ad hanc ex quadam solum congruentia Regulares obliget Gavantus Tom. 2. Sect. 8. cap. 5. num. 5.) Patroni item Diœcesis, si forte alius est a Patrono Cathedralis; item Patronorum minus principalium, ubi festa eorum solemnia esse contingit; licet nullam esse legem, quæ hic stricte, & vere obliget, doceat Gavantus ibid. Sect. 3. cap. 12. num. 7. Etsi vero Regulares ad prædicta festa teneri dicantur, haud tamen ad eorum Octavas, ut sæpius declaravit sacra Congregatio; licet eas, (cum Patroni sunt insignes, ut S. Dionysius Parisiis, S. Martinus Turonibus) celebrare laudandum magis sit, quam vituperandum. Ita docet Carolus Guyet in Heortologia, Lib. 2. cap. 16. qu. 4. pag. mihi 222. Idem, eodem judice, dicendum de Ecclesiis, quæ subsunt jurisdictioni Ecclesiæ Abbatialis aut Collegiatæ per se exemptæ: illæ enim harum festa peragere debent, licet non eodem ritu peragere teneantur. An autem festa Parochialis Ecclesiæ, ab aliis quoque Ecclesiis intra ejusdem Parochiæ fines positis celebrari debeant, fuse expendit idem auctor ibid. q. 7. & negativam tenet, etsi tunc vel Regulares, vel Collegiatos feriari velit, ne scandalo sint.

Quod spectat ad Clausuram Regularium, duas ea de re nuper edidit Constitutiones Benedictus XIV. unam quidem *super Clausura Monasteriorum quorumcumque virorum Regularium*, quæ incipit, *Regularis*: aliam vero

super clausura Monialium, quæ incipit, *Salutare*, utramque die Januarii 3. an. 1742. In priori amare conqueritur non de iis tantum, qui *privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocumque pacto excogitatas concessiones, sibi sive a jure, sive ab homine factas & impertitas... prætendentes, fœminas quaslibet intra Monasteriorum Claustra, septa, cœnacula, cubicula, aliasque officinas, aut admitti, ac recipi sinunt, mandantque, aut una* secum ducunt; sed de iis etiam, qui *sub pietatis ac religionis prætextu, cum supplicationes sive cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; sive cum sacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, & Imaginibus, per claustra, septa, & alia Monasteriorum loca, de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, & fœminas, supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi & comitari licitum, quin imo, ut Indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt*. Tum ut iis *abusibus remedium* afferat sua Sanctitas, 1. *omnes, & singulas Constitutiones Sanctionesque a Romanis Pontificibus tam ante, quam post Concilii Tridentini Decreta super clausura Monasteriorum quorumcumque virorum editas* renovat; *necnon in posterum ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in Constitutionibus Sanctionibusque* eorumdem *Pontificum, & Decretis ejusdem Concilii Tridentini contentis inviolabiliter observandas esse* statuit, decernit, præcipit, atque mandat; 2. *omnia & singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones .... quacumque de causa occasione, titulo, colore & prætextu per quascumque Apostolicas sive in forma Brevis, sive sub plumbo expeditas litteras sub quibuscumque verborum formis concessas & impertitas super hujusmodi accessu & ingressu* revocat atque irritat; 3. *quemlibet hujusmodi* privilegiis jam *temere uti audentem ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas, & Ecclesiasticas censuras, a quibus præter quam a Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo absolvi possit, incurrere* declarat; 4. haud tamen intendit Sanctitas sua *derogatum esse iis concessionibus, quæ ad favorem quarumcumque nobilium fœminarum, ex eo, quod sive earumdem Majores, ac pro tempore existentes de familia, fuerint & habeantur fundatores, vel insignes Benefactores illius, intra Monasterii cujus clausura vel septa fœminas etiam de familia ingredi vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, & de concessione hujusmodi confirmationem ab Apostolica Sede obtinuerunt; sive fœminæ hujusmodi sint consanguineæ, affines eorum, qui sunt domini in temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita reperiuntur, & quacumque legitima tituli vel consuetudinis causa & occasione, ingressu hujusmodi de præsenti gaudent, factæ & impertitæ fuerunt; dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in simili forma Brevis, vel sub plumbo desuper expeditas litteras dumtaxat, & non aliter omnino factas & impertitas fuisse prius Ordinariis locorum Antistibus vel Præsulibus per legitima & authentica documenta constare fecerint, & dummodo nec vagandi, nec otiandi; nec comedendi cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca & officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi, sacrosanctum Missæ sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia & opera exercendi studio ingrediantur, &c.*

Non minus efficacia sunt, quæ scribit S. idem Pontifex pro adstruenda Monialium clausura, adeo ut earum septa ingredi omnibus omnino prohibeat, *exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus superioribus, quibus tanquam Ordinariis & ordinaria jurisdictione utentibus Monialium Monasteria subje-*

subjecta & addicta sunt, in casibus tamen necessariis, & servatis aliis de jure servandis, & non aliter omnino. Utraque hæc constitutio, si quando in Galliis vigebit, haud dubium quin multis abusibus viam præcludat.

Ut a generalioribus ad specialiora progrediamur paucis definiemus. 1. posse Episcopos saltem ut delegatos a Sede Apostolica, Moniales etiam exemptas adigere ad clausuram, etiamsi eam non voverint. Clausura enim non est supra regulam, nec supra votum, sed in regula implicite continetur, ut quæ pertineat ad commodiorem castitatis custodiam. Eadem de causa injungere possunt Episcopi, ut Moniales a sæcularibus, a quibus invisuntur, ferrei aut lignei clathri adminiculo separentur; quod tamen Andegavi quoad celebrem Abbatiam frustra tentatum est. Vid. Sylvium Var. Resol. ver. *Clausura* 1. & Pontas ver. *Religieuse*, cas. 25.

2. Non posse Monialem etiam exemptam absque Episcopi licentia in scriptis concessa egredi e Monasterio. Ita post Tridentinum sess. 25. cap. 5. sanxit Pius V. in Bulla *Decori*, data die 1. Februarii an. 1570. consonat Edictum an. 1695. art. 19. atque id pro Monialibus Ordinis sui pie, & sancte constituerant Carthusiani jam ab anno 1578. Franciscanorum Præpositus Generalis an. 1609. & Eremitæ S. Augustini. At contradixere, & quidem non sine successu Abbates Cistercienses: de quo vide Duperrai in cit. art. 19. Pontas ibid. cas. 16. & Tractatum de juribus Episcoporum, c. 13. Cæterum eo usque a Superioribus suis pendent Moniales in eo, quod spectat ad exitum e Monasterio, ut hinc, ne quidem ad strictiora egredi possint absque eorum consensione Pontificio Brevi confirmata, prout cum Fagnano docet Pontas ibid. cas. 17. quod autem citata Bulla sanxit Pius V. Monialem e Conventu suo non *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ*, exire posse, non viget in Gallia: unde si ad Monialis valetudinem pertineat, ut cœlum gravius in aerem salubrem mutet, sufficiet ei Superioris, & Episcopi assensus. Pontas ibid. cas. 18. post Sylvium ibid. verb. *Clausura*, 8.

3. Peccare lethaliter Superiores, qui Monialibus e claustro exeundi licentiam faciunt leviori de causa, idemque de Monialibus, nisi eas excuset bona fides? videtur esse statuendum; quia peccato gravi cooperantur, illudque promovent: unde dubia ad minus apparet decisio, quam affert ea de re post Sambovium idem Pontas hic cas. 19. ubi grave quidem in Superiore, at leve tantum in Moniali peccatum agnoscit.

4. Clausuram, quidquid cum Henno sentiant Religiosi quidam & Moniales, violari, 1. cum extraneis in Monasterium permittitur ingressus eo, quod murorum quædam pars corruerit; est enim hæc *consuetudo* ex numero earum, *quæ* quia *canonicis* obviant *institutis*, *nullius* debent *esse momenti*. Ita Sylvius verb. *Monasterium* 12. pag. 571. Pontas verb. *Monastere*, cas. 6. & P. Antoine, merito observans non magis licitum esse Conventus ingressum, eo quod corruerit murus, quam quia fortuito aperta sit janua. C. 3. De consuetudine.

2. Cum in Monasterium intromittuntur seu infantes utriusque sexus etiam septennio minores, quod & vetitum est art. 3. Sanctionis Blesensis; seu pauperes vel novis vestibus induendi, vel medica manu tractandi; seu Monialium etiam ægrotantium consanguinei aut affines.

3. Cum ii, qui legitima de causa intra septa domus admittuntur, alio ducuntur quam quo duci indigent, ut si Confessarii, aut Chirurgi, quibus valetudinarium ingredi satis fuerat, in cellas, hortos, & officinas

 de-

deducantur. Ita Pontas eod. v. *Monastere*, cas. 9. qui tamen in hoc postremo casu negat incurri excommunicationem latam a Tridentino sess. 25. cap. 5. *De Regularib.* adversus eos, qui *cujuscumque* sint *generis*, *aut conditionis*, *sexus*, *vel ætatis*, *ingredi* præsumpserint *intra septa Monasterii*, *sine Episcopi*, *vel Superioris licentia in scriptis obtenta*. Hæc Pontasii doctrina concordat cum ea, quam tradit Pisselli *De Præcept. Eccles.* part. 1. c. 18. c. 3. eum nempe, qui ex necessitate Monasterium ingreditur, sed hac occasione inhonesti aliquid intendit, excommunicationi subjacere, quia per hoc, quod ingrediatur ex necessitate, non tollitur quin etiam malum ad finem ingrediatur, ad quod licentiam nec habuit, nec habere potuit: contra vero si eidem prava post ingressum suboriatur intentio, ideoque post peractum opus, ad quod legitime ingressus erat, multo diutius commoretur, ut sive aspectu, sive aliter, subortam libidinem impleat, peccare eum quidem graviter, haud tamen obnoxium fieri censuræ; *quia non egressus, non autem ingressus, fit ad malum finem*. Citat quidem Pisellli pro hac opinione sua Barbosam *de offic. & potest. Episcopi*, part. 3. allegat. 102. num. 58. & Bonacinam *De clausura*, qu. 4. punct. 4. num. 18 verum Barbosa expresse docet eos, qui *ficto ministerio multo spatio in Conventu morantur*, *non solum peccare mortaliter*, *sed etiam incurrere in excommunicationem latam a Gregorio XIII. ut*, inquit, *sentiunt Bonacina* ibid. n. 22. *& Merula*. Ut ut est, etsi non pauci auctores, tum in piorum etiam usu, tum in materiæ lævitate fundati, eos etiam a veniali peccato excusent, qui curiositatis causa aliquantisper in invisendis Monasterii officinis immorantur, multo tamen satius est curiositatem hanc compescere, præsertim cum aliquid haud rigidiores moram longiorem eam vocent, quæ excedit tempus quadrantis, ut Villalobos & Diana: sed de his, quæ specialem exigerent Tractatum, præter citatos mox scriptores adi Tamburinum Tom. 3. de jure Abbatissarum disput. 24. &c.

De Clausura Religiosorum virorum docet ibid. Bonacina qu. 5. punct. 3. 1. fœminas, quæ eam, illicite Monasteria ingrediendo, violant, incurrere excommunicationem Papæ reservatam: quæ reservatio juxta Cabassutium L. 5. cap. 16. num. 21. locum non habet in Gallia; ubi inquit, *hujusce delicti rei*, *nonnisi ad Episcopos recurrere solent ... etiam quando is reatus publice innotuit*; de quo vide, quæ dixi, ubi de Censuris part. 1. cap. 5. 2. Religiosos, qui *faciunt*, *aut permittunt* easdem *fœminas ingredi sua Monasteria*, *prætextu facultatum a Summo Pontifice*, *vel ab aliis concessarum*, pari obnoxios esse excommunicationis censuræ, & incurrere insuper privationem dignitatum, & beneficiorum, & ad illa etiam inhabiles fieri; 3. eos, qui sine prætextu mox exposito fœminas in Monasteria intromittere, vel admittere præsumunt, suspensionis vinculo irretiri, iisdemque, quibus alii mox recensiti, privationibus, & inhabilitatibus subjacere: & eæ quidem pœnæ infliguntur per Bullas *ubi Gratiæ* Gregorii XIII. & *Regularium personarum* Pii V. verum prædictæ inhabilitates, ac privationes, non ante incurruntur, quam Judex sententiam tulerit criminis declaratoriam.

Quæres, quæ loca sub Clausura Regulari comprehendantur.

R. Comprehendi communiter dormitorium, claustrum, Bibliothecam, capitulum, hortos etiam non muro, sed sepe conclusos, refectorium,

rium, valetudinaria, culinam, aliasque interiores officinas; non tamen sacristiam, Capellas Ecclesiæ junctas, quæ sine transitu per Monasterium adiri possint, vel Chorum; quamquam vix sine scandalo in chorum, qui post altare majus situs esset, admitti possint fœminæ, ut notat Bona-Gratia, v. *Clausura*, n. 80. præsertim cum mulieres omnes a choro quocumque procul fieri maxime deceat.

A P P E N D I X.

De obligationibus Superiorum.

DUplex est in Superiore genus obligationum: aliæ scilicet sunt ejus ad se ipsum; aliæ in ordine ad inferiores. Primæ ad vitam spectant, aliæ ad regimen subditorum; quamquam & Superioris vita ad regimen non parum conducit, ut primo intuitu patet. Sit

CONCLUSIO I. Superior vitam puram, communem, & exemplarem agere debet.

Prob. 1. pars. Quia, quæ subditos dedecent vitia, ut rixæ, contentiones, gula, ebrietas, impudicitiæ, hæc multo magis dedecent Superiores, in quibus idcirco gravius a supremo judice plectentur, secundum id Sap. 6. nec ponderatum satis, nec satis usquam ponderandum: *Horrende & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet: Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus.... fortioribus autem fortior instat cruciatio*; ergo non eo solum sensu puri esse debent Superiores, quod nec irregularitate ulla, nec ullis censuris irretiti esse debeant, sed quod vitam a peccatis, vitiis, omnique, si fieri posset, imperfectione immunem vivere debeant.

Prob. 2. pars. Tum quia ex communi Magistrorum vitæ spiritualis sensu, vita communis pro maxima haberi debet pœnitentia, ad quam sane multiplici titulo tenentur Superiores: tum quia si Superiori nauseant Chorus, meditatio communis, refectorium, victus, & vestitus, quibus utuntur cœteri, si contra sapiant eidem cibi exquisiti, vina delicatiora, somnus longior, frequentes e Monasterio exitus, cursus inutiles, visitationes ad minus superfluæ; si demum quamcumque non gradiendi cum Fratribus suis occasionem arripiat lubens, aut etiam innectat, jam erit, & reputabitur petra scandali & lapis offensionis; & cui coram assentabuntur inferiores, de eo clam & inter se detrahent & obmurmurabunt.

Prob. 3. pars 1. quia Superior quilibet debet esse *forma gregis ex animo*, ovesque sibi creditas parturire, donec formetur in iis Christus: atqui scopum hunc nec brevius, nec efficacius assequi potest, quam si factis & exemplo præluceat. Longum enim est iter per verba; breve per exempla; atque, ut ait S. Bernardus Epist. ad Balduinum: *Sermo vivus & efficax, exemplum est operis, faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur.* Imo etsi Superior *linguis hominum* loquatur *& Angelorum*, vix quidquam proficiet, nisi Christi exemplo, prius *facere* incipiat, quam *docere*: erit semper, qui sibi male consulens, vulgatum 1. Pet. 5.

tum istud obtrudat: *Medice, cura te ipsum*. Quin & nisi jam reprobus sit Monasterii præsul, hanc, quoties verba faciet, Pauli turbam suis sentiet auribus obstrepere: *Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen* Rom. 2. 19. *eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, &c. qui ergo alium doces, te ipsum non doces*, &c. 2. quia *qualis rector est civitatis, tales & habitantes in ea*, Eccli. 10. ergo nisi factis & opere præluceat Superior, indubie *perdet populum suum*, ibid. *Sit* ergo *rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet: & grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba, gradiatur*. S. Greg. part. 2. Pastor. cap. 3.

CONCLUSIO II. Superiorum regimen omni virtutum apparatu, sed scientia potissimum, prudentia, & charitate informari debet.

Prob. 1. pars, tum quia nulla est virtus, ad quam non debeat Superior pro tempore & loco subditos informare, tum quia nulla est virtus, quæ in longioris præsertim ministerii decursu ab eo non debeat exerceri.

Prob. 2. pars. Debet Superior de Deo digne loqui; inferiores ea edocere, quæ ad christianæ legis votorum ac præceptorum regulæ substantiam, & aliquem modum pertinent; unumquemque pro suo gradu ad perfectionem promovere; scrupulos, quibus etiam quandoque vexantur eruditi non temnendo solum, sed & solide erudiendo pacare; solvere casus conscientiæ ab ipsis propositos Confessariis, qui nativo quodam jure ad Superiorem recurrunt, vixque sæpius ad alium recurrere possunt; ac demum subditas sibi oves a venenato hæreseon gramine servare illæsas: atqui Superior hæc præstare nequit, nisi scientia polleat, eaque non communi. Nec sufficit, ait post Pellizarium Henno, quod præsul viros habeat apud se eruditos. Præterquam enim Superiori aperiuntur multa, quæ inferioribus vix detegi possunt, turpe est quempiam ab aliis mutuari, quod ipsis fœnerari debet.

Prob. 3. pars. Prudentia est virtus, quæ hominem in quovis rerum genere recta via deducit, ut neque deficiat, neque excedat: atqui hæc virtus, si cui unquam, certe Superiori necessaria est. Debet enim is investigatis sedulo subditorum suorum qualitatibus, ingenio, dispositionibus, & constituere, quæ recta sunt, & semel juste sancitis adhærere, & tamen non urgere rigidius, sicut nec sub prætextu pacis & mansuetudinis lapsus penes omnes dissimulare; quia ut rigor nimius, sic & indulgentia nimia, Religiosos, Religionemque in apertum discrimen adducit. Unde suis invigilare tenetur, non ut exactor aut satelles, qui iniquitatem quærat in domo justi, sed ut pastor bonus, qui gregi toti bene velit, qui de corporea, & spirituali suorum necessitate diligenter & amice inquirat; qui vividæ quorumdam indoli nonnihil condonet; qui norit ut medicinas, sic & monita nocere, non prodesse, si dentur sine respectu ad personas, loca, tempus, & occasiones; qui nec temere suspicetur præsertim in materia gravi, nec delatores, adulatores, exitialem cujuscumque Communitatis pestem, utrisque ulnis amplectatur.

Prob. 4. pars. Tenetur in conscientia Superior orare pro suis; iisdem & corporalia ministrare, ut vitam proprietati, divagationibus, perversis amicitiis, ac similibus præcludat; & præbere spiritualia monendo, consolando, compatiendo afflictis, visitando infirmos, satagendo, ut Novitiis Magistri eximie capaces, Scholaribus Professores idonei, omnibus Confessarii prudentes & in rebus divinis experti præponantur;

at-

atqui hæc sine acri, sollicita, & jugi charitate neutiquam præstari possunt: ergo.

Eas Superiorum qualitates solide expressit Innocentius III. c. 6. *De statu Monach.* ubi sic: *Præ cæteris potens sit* Superior *in opere & sermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ Fratres & instruere possit in bono, & a malo revocare; zelum Religionis habens secundum conscientiam, ut delinquentes corripiat & castiget, obedientes foveat & confortet ... quanto frequentius poterit, sit cum Fratribus in Conventu; vigilem curam & diligentem solicitudinem gerens de omnibus, ut de officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem. Quod si prævaricator ordinis fuerit, aut contemptor, seu negligens aut remissus, pro certo se noverit non solum ab officio deponendum, sed & alio modo secundum regulam castigandum; cum offensa non solum propria, verum etiam aliena de suis manibus requiratur.*

Ex his colliges 1. graviter peccare, & omnium, quæ inde consequuntur peccatorum causam esse, eos, *qui sub prætextu alicujus pietatis aut dexteritatis*, imperitum aut alias indignum eligunt. Ita Henno tom. 5. pag. 538. & latius Antonius a Spiritu sancto, Tract. 5. disp. 4. sect. 1. ubi tamen tredecim recenset casus, in quibus minus dignum eligi posse opinatur. Cœterum non uno ex capite prodit indignitas, quæ a Prælaturis Regularibus excludit, ut videre est apud eumdem Antonium ibid. sect. 3. & seq. Tamburinum tom. 1. disp. 5. Pellizarium Tract. 9. &c. verum ea sane cœteris est gravior, quæ a moribus repetitur; hanc in pauca graphice contraxit idem Henno his verbis: R. excludendos esse *ratione morum, adulatores; hypocritas; magis politicos, quam Religiosos; omnes, ad instar Absalon, exterius honestissime recipientes, & suis tantum benefacientes; suorum imperfectiones excusantes, & perfectiunculas ad cœlum usque extollentes; aliorum vero exaggerantes imperfectiunculas, & perfectiones labefactantes; in bonis suorum memores, aliorum immemores; in malis econtra: magis sollicitos placere sæcularibus, quam prodesse Religioni; quærentes Superiorum majorum gratias & favores, litteris & laudibus adulatoriis, muneribus, delicatioribus ferculis, &c. & idem est, si ipsimet similibus capiantur; Chorum ideo & refectionem communem fugientes.* Hæc ille, subdens paulo post sancitum esse ab Innocentio XII. ne in Superiores FF. Minorum eligantur, qui etiam sine culpa, & ex sola infirmitate *vitam communem vere & cum effectu sequi non solent.*

Colliges 2. cum eodem reos etiam esse Superiores, qui vel ex incuria, vel incapacitate raro aut nunquam hortantur, instruunt, aut quod idem pene est, tam incondite id præstant, ut pene idem sit eos vel loqui vel elingues manere. Nec minus rei sunt, si non invigilent, ut quos aliquorum institutioni præfecerunt, munus suum debite impleant: a simili *rationem Domino Deo reddituri sunt Theologiæ Lectores, qui speculativis totaliter intenti, vix aut nunquam descendunt ad ea, quæ sunt hominis Religiosi & Christiani.* Item, qui habita ad suos qualicumque lectione, nihil amplius a se exigi posse temere confidunt; quasi vero nec perpetua debeant alumnis suis virtutum omnium exempla, nec iis invigilare teneantur, &c. sed de his infra part. 6.

Colliges 3. plus aut minus secundum materiæ gravitatem peccare Prælatos, eos præsertim, qui nihil necessarii, ne superflui dicam, sibi denegantes, denegant sanis *victum aut vestitum necessarium, infirmis medicamenta, senibus restauramenta.* Item & a fortiori, qui nedum spiritualiter affli-

afflictis solamen ferant, eosdem abjiciunt, aspernantur, negligunt; & *quandoque in desperationis barathrum præcipitant.*

Colliges 4. a regimine charitatem spirante procul esse eos omnes, qui *dominantes in Cleris*, aspera verba, clamores, severiorem vultum, elatam vocem, & imperiosam passim agendi rationem exercent, contra id Eccli. 32. *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe... ut læteris propter illos.* Hinc S. Bernardus Serm. 27. super Cantica, *audiant, qui sibi commissis volunt esse formidini, utilitati raro: Erudimini, qui judicatis terram, discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quam metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fovendo, patres corripiendo vox exhibeatis: mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera.* Hæc idem Henno, quem consule: sed & consulant, qui Seminariis præsunt, Librum cui titulus: *De l' éducation des Ecclesiastiques dans les Seminaires.* Paris. 1699.

Colliges 5. peccare mortaliter Superiorem, si *per ejus dissimulationem passim negligatur observantia alicujus regulæ, v.g. prohibentis ingressum in aliena cubicula, silentii, &c. licet trangressio talis regulæ ne veniale quidem esset. Ratio est, quia observantia talis regulæ multum confert ad decorem, ædificationem, & utilitatem talis Communitatis; sæpe etiam præcavet gravia mala in subditis; ergo si Superior negligat, infideliter fungitur munere suo, nocetque graviter Communitati, ac gravius peccat, quam si in administrandis temporalibus gravem committeret negligentiam.* Ita la Croix T. 2. præiverat Lugo Tom. 1. De just. sect. 2. nu. 21. ubi docet fieri posse, ut *subditi solum venialiter peccent, & Prælatus peccet graviter in iis defectibus permittendis.* Concinit vivide Paulus a Lugd. Tom. 3. p. 540. *Superiores ita sartam tectam conservare tenentur regularem observantiam, ut si vel una, etiam levissima, eorum culpa ac negligentia desuescat aut pereat, secundum omnes Doctores gravis peccati rei efficiantur; quia licet hæc de se levis sit inobservantia, ejus tamen continuitas acervatim & in effectibus suis spectata, gravis est utique & permagna.* Ergo merito ajebat S. Paulus Rom. 12. *Qui præest, in sollicitudine*; & Hebr. 13. *ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

P A R S T E R T I A.

De obligationibus Judicum.

Ad Tit. 29. 31. & 32 *Lib.* 1. *Decretal.* JUdicia publica sancte exerceri posse, & in iisdem pro rebus suis unicuique agere licitum esse, unanimis est Regnorum omnium assertio contra Vvaldenses: unde non publica, sed temeraria privatorum judicia redarguit Christus, cum ait Matth. 7. *Nolite judicare*: unde iterum in his Matth. 5. *Qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, non præcepti legem, sed adhortationem consilii tota cognovit antiquitas, non secus ac in istis, quæ immediate præcedunt: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Arguit quidem Apostolus 1. Corinth. 6. eos, qui lites movebant aut insequebantur, at eo quod litigiis, licet non necessario, frequenter tamen assideat multiplex pec-

peccati genus, præcipue vero, ut a S. Thoma observatum est, rerum temporalium cupiditas, fœcunda litium parens; discordia & exacerbatio animorum; odia, & detractio inter collitigantes; doli, fraudes, praxes captiosæ, quibus alter alterum supplantare enititur; scandalum non alii tantum ab alio, sed & amicis, quos quisque suas in partes trahit, hinc & inde porrectum, ac denique impensa sollicitudo, quæ litigatoris animum & immergit profunde rebus terrenis, & a Deo consequenter avertit. Sed si in multis offendunt, qui litigant, in multis offendunt, qui judicandi munus exercent, prout post exhibitam judicis notionem manifestum erit.

Judex, sic dictus, vel quia jus dicit, vel quia partium jura disceptat; est Persona publica potestatem habens de eorum, qui sibi subditi sunt controversiis & criminibus cognoscendi, eorumque causas ex præscripto legum per sententiam definiendi: quæ quidem ex dicendis plenius innotescent.

Judex dividitur 1. in Ecclesiasticum & Civilem. Prior lites Ecclesiasticas, posterior Civilia negotia tractat & dirimit.

2. In Judicem supremum, & inferiorem. Prior ille dicitur, a quo provocatio non est; posterior est ille, a quo ad alium appellare licet. In civilibus, Judicum supremorum societas vocatur Curia, ejusque judicia *Arrestorum* nomine donantur: inferiorum vero Magistratuum decisiones dicuntur *Sententiæ*. Etsi Arresta controversiis finem imponere debent, adversus ea tamen quandoque agitur, ea actionis specie, quam dicimus *cassation d'Arret*, de qua vide Ferriere hoc verbo.

3. In Judicem ordinarium, & delegatum. Ordinarius ille est, qui vi officii sui habet potestatem judicandi. Delegatus is est, cui judicandi facultas non ex proprio jure competit, sed ex alterius commissione, unde in jure nonnunquam appellatur Judex *datus*, vel *extraordinarius*; item & *Commissarius*, ob alterius vices commissas.

4. Judex delegatus, vel est delegatus ad universitatem causarum, vel ad causam particularem. Prior aliquam suæ jurisdictionis partem subdelegare potest, non posterior, nisi a supremo Principe delegatus sit, prout dixi ubi de Legibus c. 6. art. 2.

Ut materiam hanc cum aliquali methodo pertractemus, expendendum videtur 1. quid Judex debeat sibi; 2. quid legibus; 3. quid iis, quibus jus dicit.

CAPUT PRIMUM.

De obligationibus Judicum in ordine se.

JUdicibus sedulo enitendum esse ut omnium prorsus virtutum apparatu instructi sint, facile intelliget quisquis cogitaverit eisdem de fortunis, de honore, ac demum de ipsa hominum vita dijudicandum esse, sic tamen ut quidquid Dii terræ judicaverint, illud ad supremi Judicis tribunal & examen sit aliquando deferendum; quod nervose indicant hæc Scripturæ verba: *Ego dixi, Dii estis & filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Surge, Deus judica terram.* Psalm. 81. v. 6. 7. 8. Quoniam vero singu-

ſingulas Magiſtratuum dotes ſcrutari non vacat, idcirco præcipuas delibare conabimur. Sit itaque

Conclusio. Judex vigere debet ingenio, intelligentia, ſeu, ut loquimur, bono ſenſu, ſcientia, conſtantia & animi fortitudine, gravitate morum; debet & a lucri commodorumque ſuorum ſtudio averſus eſſe.

Prob. 1. pars. Judex ex dicendis, ſcientiam, eamque nec in gradu mediocri, nec in genere facili, ſed mille nodis implicato habere debet: atqui ad id neceſſe eſt ut ingenium dives, ſolidum, & ad omnia expeditum acceperit a natura; ergo, qui hebes eſt & obtuſus, a Judicis officio excluſus eſt ex natura rei.

Prob. 2. pars. Judicis eſt 1. ſententiam ferre de rebus ut plurimum intricatis ſeu ex ſe, ſeu ex parte collitigantium & Advocatorum, qui res aliquando etiam perſpicuas eo uſque involvunt ut vix certa ab incertis, indubia a dubiis ſecerni queant; 2. attendere ad omnes juris & facti circumſtantias; 3. & principia ſingulis, qui occurrunt, caſibus applicare: atqui niſi intelligentia & plurima ſenſus rectitudine donatus ſit, non magis hæc tria præſtare poteſt, quam quis ſine pedibus gradi, ut ex ſe patet. Hinc Salomon, ut judicaret populum Iſrael, præ cæteris a Deo poſtulavit *cor docile* & *intelligens*, atque *ſapientiam ad diſcernendum judicium*, perſuaſiſſimum habens ſe abſque iis donis ne uno quidem paſſu in via juſtitiæ & æquitatis proficere poſſe. Vide cap. 3. Libri, cui titulus: *du devoir des Juges*, &c. Auctore Renato de la Bigotiere apud Armoricum Senatum præſide.

Prob. 3. pars. 1. ex ſcriptura: Deuteron. 1. *Non valeo ſolus*; ait ad populum Moyſes, *negotia veſtra ſuſtinere, & pondus, ac jurgia, date ex vobis ſapientes & gnaros*. Pſalm. 2. *Erudimini, qui judicatis terram*; 2. ex Concilio Londinenſi an. 1237. cap. 23. ubi ſic: *Cum non ſolum poteſtas, ſed diſcretio & ſcientia in diſtinguendis negotiis potiſſimum requiratur, ſolerter ab omnibus præcavendum, ne talis Judex vel cognitor deputetur, per cujus imperitiam, ſimplicitatem vel ruditatem inutilis feratur ſententia vel injuſta, abſolvatur nocens, & innocens condemnetur*; 3. quia ut ridiculum eſt picturam aliamve quamcumque artem, quam neſcias, profiteri velle, ſic eo ridiculum eſt, ac periculoſum magis ignotam exercere judicaturam, quo hæc gravius objectum habet.

Porro ut non una eſt Judicum omnium juriſdictio, nec eædem, ejuſdemque momenti omnibus veniunt definiendæ lites, ſic nec una ejuſdemque gradus ab omnibus ſcientia expeti poteſt. Ut plurimum tamen neceſſe videtur ut Judex plenam habeat cognitionem, 1. juris etiam Cæſarei, quod innumeris in caſibus inſervit, non ubique quidem quaſi lex obligans, ſed ut æqui & veri norma; 2. Conſtitutionum, & Edictorum, quæ a Regibus noſtris emanavere; 3. Conſuetudinum, quæ vigent in territoriis, quibus jus dicit; 4. debet & noſſe, quo ſenſu legum conſuetudinumque articulos intellexerint, qui pleniorem earum notitiam habuiſſe cenſentur: 5. imo & ſcire debet id, quod inferiores ſui ſcire debent, ut eos cum ex imperitia aut libidine delinquunt, emendet, & ad meliorem viam reducat; prout reducere tenetur ex variis Regni ſanctionibus, ut bene notat Collator Andegavenſis Tom. ult. pag. 51. Præter hæc, quæ naturali jure obligant, ſancitum eſt Regia declaratione anno 1680. die 26. Januarii, ut nemo niſi Licentiatus pleraque judiciarii muneris officia exercere poſſit. Idem in Jure

Cano-

Canonico requiritur gradus, ut quis Officialis munere defungatur;

Prob. 4. pars. 1. ex cap. 7. Eccli. ubi sic legere est: *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua ... noli esse pusillanimis in animo tuo*; 2. quia Judex sic affectus esse debet ut nec odio, nec amori, nec vindictæ desiderio, nec præmiorum humanorum spei, nec potentum minis, nec pœnarum aut mortis ipsius timori cedat: atqui ad id summa opus est constantia, & invicto animi robore. Unde hic vix satis mentem firmant graviora Religionis motiva; e quibus tamen utiliter sibi revocabunt Magistratus id, quod olim ad Judices a se constitutos dicebat Josaphat 2. Paralip. 19. *Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

Confirm. Judex & integritate præcipue indiget & patientia. Integritate quidem, ut nec ad dextram nec ad lævam a recto tramite deduci & moveri possit; patientia vero ut & studiis ingratis plerumque, ac difficilibus vacet; & obscura, ac dædalæa partium jura penetret; & vix alienis, qui sæpe fallunt & falluntur, oculis credat: atqui hæc præstare nequit, nisi & constantia polleat, & animi firmitudine; ergo.

Prob. 5. pars. Tenentur Judices suum & legibus & sibimetipsis honorem asserere, continere cives, & in Republica Christiana christianum ordinem fovere: atqui eo nusquam devenient nisi se morum gravitate commendandos exhibeant. An enim legum honorem tuebuntur, qui easdem primi violaverint? an reverebitur populus eos, qui depravatis moribus infamiam sibi probrumque intulerint? an pacifice & sancte vivent, qui a Capitibus suis scandalum, motus inordinatos, & legum despicationem edocebuntur? an demum timere poterunt, qui revereri nescient, aut revereri poterunt, quorum oculis nihil exhibebitur nisi dignum contemptu?

Prob. 6. pars. Præcipua Judicum dos est integritas, quæ nec corrumpi nec labefactari queat: atqui Judex lucrum inhians, & avaritiæ studens, intemeratam hanc & plenam in dicendo jure integritatem habere non poterit; quia quocumque munerum intuitu flectetur, ejusque partis, quæ plus obtulerit, jura magis certa & indubia nativo quodam mentis impetu deprehendet. Hinc illud Deuteron. 16. *Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum*; & Isajæ 33. v. 15. *Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem . . . . . . iste in excelsis habitabit*; & rursus Proverb. 15. v. 27. *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam, qui autem odit munera, vivet*: neque pro futuro tantum, sed & pro præsenti sæculo domum suam conturbat, qui justitiam vendit, cum frequens doceat experientia, male partas opes pessime dilabi. Sed de his rursus cap. 3. Concl. 2.

Ex his principiis colliges 1. graviter peccare, & ad damni secuti reparationem teneri Judices, qui ex ignorantia, non dicam crassa, sed levi, sententiam injustam proferunt; & id sequitur ex iis, quæ dicta sunt Tom. 1. p. 241. 2. mortaliter peccare eum, qui suæ sibi vel imperitiæ,

ritiæ, vel pusillanimitatis conscius, Judicis munus accipit aut non dimittit acceptum, aut saltem functiones ejus non suspendit, donec id, quod sibi deest ex parte scientiæ, aut ex aliis capitibus, supplere vel emendare curet, sive studio, sive jugi oratione. Unde liquet officium illius, qui Judicum, justitiæque Ministrorum confessiones excipit, plenum esse periculi, & attentionem solita majorem requirere.

Quæres an Judex, qui imperite vel inattente Judicis officium gessit per annos 20. possit privilegiis per Reges nostros Judici veterano concessis uti.

R. negat. hæc enim privilegia, quæ in juribus honorificis, & immunitate a solvendis quibusdam tributis consistunt, iis solum ex Principis intentione tribuuntur, qui munia sua digne & ut par est, objerint: atqui indigne prorsus officium suum exercuit Judex, de quo loquimur: ergo nullum habet jus in mercedem æquis solum Judicibus concessam. Ita docet Sambovius apud Pontas v. *Veteran*.

CAPUT SECUNDUM.

De obligatione Judicum in ordine ad leges.

IN Judicibus uberem requiri legum scientiam patet ex dictis, expendendum hic 1. an eadem scientia judiciariæ decisionis norma esse debeat; 2. quid facto opus sit in casu a lege vel obscure tacto, vel etiam prætermisso; 3. quid item fieri debeat cum conscientia vetare videtur, ne legem sequaris; puta si lex eum ex allegatis & probatis morti addici, aut bonis privari velit, quem nec hanc nec illam pœnam meruisse cognovisti. Sit

CONCLUSIO I. Judex secundum leges, & ordinem legibus præscriptum, sententiam ferre tenetur.

Prob. 1. ex c. 1. *De constitution.* quod desumptum est ex Concilio Meldensi an. 847. ubi sic: *Canonum statuta custodiantur ab omnibus: & nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis, suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur.* Quæ verba in Judicibus etiam Laicis locum habent, cum iis non magis licitum sit, quam aliis, proprium suum sensum, auctoritati legum præponere.

Prob. 2. ex Patribus, e quibus in re aperta sufficiat adduxisse SS. Ambrosium & Augustinum. *Bonus Judex*, ait Ambrosius Serm. 20. in Psalm. 108. *ex arbitrio suo nihil facit, & ex proposito domesticæ voluntatis, sed juxta leges & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, &c.* Augustinus vero Lib. de vera Relig. cap. 31. apud Grat. dist. 4. Can. 3. *In temporalibus legibus*, inquit, *quamquam de his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ & firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare; sed secundum ipsas.*

Prob. 3. quia Judex eatenus legitime judicat, quatenus judicandi auctoritatem accepit: atqui nemo est Judicum, qui potestatem acceperit pro nutu & phantasia judicandi, sed id omnibus & singulis præceptum est ut secundum leges judicium ferant: atque id diserte edixit Ludovicus Magnus sanctione Regia an. 1667. tit. 1. art. 8. *Declarons tous*

Arrests

Arrets, & jugemens, qui seront donnés contre la disposition de nos Ordonnances, Edits, & Declarations, nuls, & de nul effet, & valeur; & les Juges, qui les auront rendus, responsables des dommages, & interêts des parties, ainsi qu' il sera par nous avisé.

Hinc colliges peccare Judicem, qui commiseratione ductus minorem reo pœnam indicit, quam quæ legibus constituta sit. *Misericordia* enim *Judicis habet* quidem *locum in his, quæ arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri est, ut sit diminutivus pœnarum .·.·. in his autem, quæ sunt determinata secundum legem divinam vel humanam, non est suum misericordiam facere*, sed solum Judicis supremi, seu Principis, *cui est plenarie potestas publica commissa*; & quem decet legum rigori detrahere posse. Ita S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 4. & ex eo Pontas v. *Juge* cas. 6. ubi, & duo notat. 1. id habere locum, etiamsi accusator, cui a reo satisfactum sit, desistat a petenda ejusdem rei pœna; quia non ad obsequium accusatoris, sed ad Reipublicæ utilitatem conditæ sunt leges, & observandæ, vide ibid. cas. 17. 2. haud tamen peccare Judicem, qui pro tempore, & loco spiritum legis potius, quam verba sectatur. Unde, qui crimen triremibus dignum commisit, potest quandoque minori affici pœna, si id exigat conditio ætatis jam provectæ. Ei quoque, qui graviorem incurrit mulctam, minor ob inopiam, qua alioqui premeretur, imponi potest. Hinc ea scientiæ sensusque rectitudo, quam supra in Judice requirebamus, quæque si desit, erit ille reipsa imperitus, etiamsi leges sciat, secundum id tum leg. 17. ff. *De legibus*, *&c. Scire leges, non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem*; tum cap. 8. *de verbor. signific. Plerumque dum verborum proprietas attenditur, sensus veritatis amittitur*.

Si tamen rei crimen, etsi probabilius, maneat obscurum, nec probatum satis, mitius cum eo agendum erit, idque ex præscripto Juris tum Canonici, tum Civilis. Canonici quidem, juxta cujus regulam XI. in 6. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*. Civilis vero, quo cautum est ut *favolabiliores rei potius, quam actores habeantur*. Leg. 167. ff. eod. tit. Et vero longe minus peccat, qui crimen relinquit inultum, quam, qui innocentem addicit morti. Aliud est, ait Pontas ibid. cas. 4. cum de *interesse*, seu de bono civili agitur; tunc enim Judex probabiliori parti semper adhærere debet, præsertim vero cum quis a possessione sua deturbandus est, quandoquidem *de jure divino & humano melior est conditio possidentis*, c. 6. *De præscript.* quod axioma, quo sensu debeat intelligi, non semel in hujus Operis decursu expositum est.

Quod si contingat ut uterque litigans personam possessoris sustineat, ut si duo, qui de jure venandi contendunt, suam ambo possessionem probent, præferetur ille, cujus antiquior est possessio, vel titulo munita. Si vero utrobique sit paritas, cuilibet possessio communiter aut divisim adjudicanda erit, secundum tritum istud: *Uti possidetis, ita possideatis*. Cœterum in casibus consultissimum est ut Judex partes ad amicam compositionem adhortetur: etsi vero hanc regulariter imperare non possit, tum quia contractus, qualis est transactio, non fit ab invito; tum quia Judicis est suum unicuique jus per legitimam sententiam reddere; non desunt tamen, juxta Felinum, casus, in quibus

 possit

possit Judex partes ad compositionem compellere ; ut si litigent jam dudum, diuque adhuc litigaturæ videantur ; si ex earum dissensione immineat seditio, &c. Sed quidquid in hujusmodi ambagibus faciat Judex, nec uni præ altero, eo quod sibi amicus sit, favere ; nec ab alio quidpiam accipere potest, ut in ejus gratiam judicet: unde merito confixa est an. 1665. propositio hæc ab Alexandro VII. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Conclusio II. In casibus a lege obscure tactis, aut etiam prætermissis Judex habet semper fixum aliquid, quod sequatur, & a quo recedere non potest pro nutu, & arbitrio. Ita auctor citati Libri de officio Judicum, c. 5.

Prob. 1. Ut Judex in casibus utrolibet sensu ambiguis judicare pro nutu, & arbitrio non possit, sufficit ut tunc temporis, id, quod omnibus rite ponderatis æqui, & veri magis simile detexerit, sequi teneatur: atqui res ita se habet. Deficiente enim lege positiva, eam sequi necesse est, quæ nunquam deficit, naturalem scilicet, quæ debito modo interrogata, semper id respondet, quod verum est: ergo.

Prob. 2. Judex in casibus, qui arbitrarii dicuntur, & quidem satis male, eo se debet gerere modo, quo vir prudens, cujus arbitratui rem suam partes communi voto commiserint: atqui nemo hactenus somniavit hominem hunc quidquid volet, arbitrari posse ; sed id solum, quod omnibus mature inspectis æquitati consentaneum magis nactus fuerit: ergo.

Quæres an Judex possit ea supplere, quæ ab Advocatis imperite prætermissa fuerint.

R. in primis ad Judicem etiam delegatum pertinere ut parti litiganti idoneum procuret advocatum, si hunc ob paupertatem, imbecillitatem Judicii, adversarii potentiam, aliave de causa obtinere nequeat. Ita constitutum est c. 1. *De offic. Judic.* concinit c. 1. ff. *De postulando*, & vero alioqui pauperes facile a potentioribus opprimerentur, quod a Judicibus prohibendum.

R. 2. ea, quæ sunt *de jure*, si a litigantibus eorumve Advocatis omissa, aut minus bene dicta fuerint, posse & debere suppleri: non autem ea, quæ sunt *de facto*, saltem communiter. Ita vulgo Doctores in Leg. unic. Cod. *Ut, quæ desunt Advocatis partium, Judex suppleat*, hinc tenetur Judex ineptum actoris libellum rejicere, concedere dilationes, testes haud legales excludere, &c. quia isthæc sunt *juris*. At vero monere partium alteram ut utatur dilationibus, vel privilegio sibi concessis, ut pro injuria satisfactionem petat, ut certa producat instrumenta, nec potest, nec debet; cum nec Advocatum agere, nec e studio partium suspectum se reddere debeat.

Lib. 2. tit. 11.

Dixi, *regulariter*, quia si factum aliquod vel aliunde, vel ex actis notorium sit, potest illud Judex supplere, cum a partis Advocato suppressum est: puta si publice aut ex actis constet, aliquem ex delicto inhabilem esse ad standum in judicio, item eum jam præscripsisse rem, de qua lis movetur: imo si de bono publico, causa pia, vel matrimoniali, aut pupillorum rebus sermo sit, plura poterit Judex supplere, quam alioqui possit.

Ut, & antequam solvatur tertia difficultas, quæ Theologos, Canonistas,

ftas, legumque civilium peritos jam dudum exercet, quædam funt prænotanda, quo certa ab incertis feparentur.

Et quidem 1. fatentur omnes, Judici, qui non omnino certam, & indubitatam rei alicujus notitiam habet, curandum effe ut, & confcientiam deponat, & fecundum allegata ac probata judicet. Et quidem confcientiam deponere debet; quia *quidquid fit contra confcientiam, ædificat ad gehennam*, ex c. 13. *De reftitut. fpoliat.* fed ex allegatis ac probatis judicare debet; quia peffum iret judiciarius ordo, fi ob privatam notitiam, nedum certam omnino, fed & fallibilem poffet Judex ab allegatis, & probatis recedere.

2. Et id etiam communiter agnofcunt Doctores, a Judice fecundum allegata, & probata abfolvendum effe reum, quem propriis oculis delinquentem perfpexerit. 1. quia generaliter conftitutum eft ut actore non probante abfolvatur reus. 2. quia e duobus malis, quæ fimul vitari non poffunt, illud amplectendum eft, quod minus fuerit; minus porro eft, ut abfolvatur reus, quam ut judicialis ordo negligatur. 3. quia Judex faltem ordinarius, cum unus fit teftis, ac proinde nullus, gratis, & irrito ad minus conatu reum, de quo nunc, morti addicere tentaret.

An autem Judex fupremus, qualis eft Princeps, poffit contra probationes juridicas eum morti addicere, cujus crimen indubie compertum habet, fufe expendit Leuren in tit. 32. Lib. 1. Decretal. ubi negat id a Rege tamquam Judice poffe fieri; fecus fi fpectetur ut Reipublicæ gubernator, cui conceffum eft ut certis in cafibus privata fcientia utatur, contra eum, v. g. quem certo novit confiliorum focietatem habere cum hoftibus. Ut ut eft de extraordinario hoc, ficut & de Reginæ adulteræ cafu, (quam aliqui clanculum occidi poffe putant, omiffa judicii forma, ne detur fcandalo locus,) certum eft ipfis etiam Regibus, fi quando judicent, fequendas effe judiciorum leges, quia alioqui tyrannorum nomen & gererent, & fæpius mererentur. Vide Leffium lib. 2. c. 29. n. 96. & Lugo difp. 37. de Juftitia, n. 5.

3. Id etiam apud omnes receptiffimum eft, ut Magiftratus antequam judicet ex allegatis, & probatis, (fi tamen mendacii defenfio, nomen probationis habere poteft) nullum non moveat lapidem ut innocentis fortunæ, & multo magis vitæ confulat. Unde debet. 1. inftrumenta, & teftes plenioribus oculis perpendere, interrogare circumftantias loci, temporis, aliafque id genus, ut qui huc ufque convenerunt teftes, aliquando tandem pugnantia loquantur; quæ artis fpecies feliciter ceffit Danieli in caufa Sufannæ. 2. debet Judex inquirere an non aliqua de caufa, puta cujufdam exceptionis ope repellere poffit actionem vel accufationem ab iniquo tefte illatam. 3. fi media hæc minime fuccedant, tenebitur Judex vel efficere ut reus e carcere aufugiat, vel caufam remittere ad Superiorem, eumque de accufati innocentia etiam jurejurando facere certiorem. Quod fi idem fit Judex, qui princeps fupremus, is infonti vitam dare tenebitur. Si autem omnia hæc perperam tentata fuerint, quæritur quid a Judice fieri debeat.

Triplex eft ea de re opinio. Prima univerfim docet Judicem in quacumque materia etiam capitali, ex allegatis, & probatis fententiam ferre poffe; eumque tunc ire quidem contra confcientiam, quam habet ut homo eft, non autem contra eam, quam habet ut perfona publica, & cujus folius in judiciis rationem habere debet. Ita S. Thomas 2. 2.

q. 67. art. 2. & q. 64. art. 6. ad 3. Cajetanus, Azor, aliique plures magni nominis, & Theologi, & Juris utriusque Doctores. Secunda ex adverso pugnat, & contendit ne in materia quidem civili posse Judicem contra propriam scientiam judicium ferre. Ita Pickler in cit. tit. & alii apud ipsum. Tertia medio incedit gradu, & censet Judicem judicare non posse contra conscientiam in causis criminalibus gravioris momenti, quæ mortis, mutilationisve pœnam respiciunt; posse vero, & in causis civilibus, & in criminalibus ubi solum agitur de pœna pecuniaria, vel privatione Officii aut bonorum. Ita Lessius lib. 2. c. 29. dub. 10. Layman lib. 3. Tract. 6. c. 2. q. 1. Pirhing. hoc tit. n. 9. & Reiffenstuel eod. n. 46. ab hac sententia, quam prius tenuerat, recessit Pickler, *re* inquit, *melius considerata*. Sit

CONCLUSIO III. Judex potius debet duriora quæque, & ipsam mortem pati, quam insontem ex allegatis, & falso probatis morti addicere.

Probant quidem, quia alioqui non peccasset Pilatus damnando Christum; utpote, qui eum ex allegatis, & probatis condemnaverit. Verum argumentum hoc non urget: quandoquidem *convenientia testimonia non erant*, Mac. 14. Porro non judicat secundum probata, qui ex testimoniis insufficientibus judicat. Itaque

Prob. 1. Judici potius moriendum est, quam id faciendum, cujus faciendi nullam vel a Republica, vel ab ipso Deo potestatem recepit: atqui Judex nec a Republica, nec a Deo recepit potestatem interimendi virum certo innocentem. Non a Republica, tum quia nec hæc insontem morti addicere potest, etiamsi de vitando urbis incendio agatur, ut verbo *Juge*, cas. 1. docet Pontas cum S. Thoma 2. 2. q. 108. art. 4. ad 2. tum quia tota Reipublicæ potestas oritur a Deo: atqui Deus nullibi vel Reipublicæ vel alii cuilibet concessit potestatem interficiendi innocentis. Potestas enim tam gravis tantique momenti, exprimi deberet aliquo verbi divini textu tam evidenti, tam *cogente*, ut ille vix ullo effugio declinari posset: atqui nullus in præsenti negotio profertur textus, qui sit omni exceptione major; imo nullus, qui congrue, & solide elidi non possit; ut paulo post ostendam. Quæro autem an hominis vita, ab auctoritate adeo incerta, & ad minus in utramque partem versatili pendere possit.

Confirm. 1. Exodi cap. 23. ubi sic loquitur ipse supremus Judex: *Non suscipies vocem mendacii .:. non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies*: atqui contra legem hanc, quæ, cum non distinguat, sine distinctione intelligenda est, peccat, qui innocentem morti devovet. Suscipit enim vocem mendacii fœdissimi, sequitur turbam ad faciendum malum; a vero deviat, ne deviet a sententia plurimorum; & nedum eruat *eos, qui ducuntur ad mortem*, uti præcipitur Proverb. 24. eosdem interimit, quandoquidem *ille aliquid facit, cujus auctoritate fit*, ut cum aliis docet S. Thomas quæst. 64. art. 2. ad 1. & aliunde, quidquid clament adversarii, non potest censeri agere per accidens, qui sciens, & volens agit id, unde directe sequitur alterius internecio.

Confirm. 2. Quisquis juste occiditur, occiditur a lege, ut docet Augustinus q. 68. in Levit. atqui nulla est lex, quæ dici possit occidere innocen-

nocentem; de quo loquimur. Non naturalis, quæ econtra aperte dicit: *Insontem non occides*; non humana, quæ nusquam jubere aut permittere potest id, quod naturali jure prohibetur; & quæ nedum id permittat, potius prohibet, ut ex professo probat Voysin Antecessor Andegavensis in Opusculo, quod ea de re publici juris fecit: ergo.

Confirm. 3. Ideo solum leges aliquem occidere permittunt, quia peccando nocet Reipublicæ: atqui innocens non nocet Reipublicæ; imo eidem inservit, sicut & alii quicumque cives innoxii; neque enim injusta ejus accusatio quidquam justitiæ aut bonitati ejus detrahit: ergo.

Prob. 2. Non potest Judex id, quod intrinsece malum est: atqui ex falsis allegatis insontem vita mulctandum judicare, est intrinsece malum. Tam enim extrinsece malum est ex allegatis contra propriam scientiam, quempiam insontem vita privandum judicare, quam intrinsece malum sit carnifici idem judicium contra propriam scientiam exequi: atqui hoc intrinsece malum est; cum non magis tortor publico judicio dirigi possit in ordine ad auferendam innocenti vitam, quam eodem dirigi, quo possit in ordine ad cognoscendum ut uxorem suam, eam, quam invicte scit non esse suam; & quam utique nec ut privata, nec ut publica persona cognoscere posset: ergo.

Objiciuntur septem: 1. quod Judex ut recte judicet, judicare debeat, ut Vicarius Reipublicæ, ac proinde sicut judicaret Respublica: jam vero si Respublica judicaret, indubie sequeretur publicam scientiam: ergo & Judex eam sequi tenetur; 2. Judex non potest censeri aliquid ex officio recte fecisse, nisi id Communitas ipsa censeri possit fecisse: atqui si Judex ex privata scientia contra juridicas probationes judicet, aut judicium suspendat, non potest Communitas censeri, idem, quod ille tulit, judicium tulisse; 3. non magis Judici secundum allegata pronuntianti imputari potest mors innocentis, quam Duci turrim, in qua multi sunt innocentes, subvertenti, eorumdem innocentium mors debeat imputari: atqui Duci in isto casu non imputatur mors innocentium. Minor est ex confesso. Prob. maj. Ideo non imputatur Duci mors innocentium, quia eam directe non intendit, sed solum expugnationem urbis: atqui pariter Judex non quærit innocentis mortem, sed solam observationem legum, quæ non sine gravi multitudinis offensione & dispendio violarentur; 4. si Judex possit non condemnare eum, quem privata scientia novit innocentem, debebit & condemnare eum, quem, licet non probetur nocens, scit reum esse: falsum consequens; 5. admitti non debet opinio, qua semel posita, flagitiosus quisque absolvi poterit a Judice corrupto; atqui id eveniet, si semel valeat opinio, quam hic tuemur. Tunc enim sufficiet ut Judex palam & audacter dicat sibi constare de innocentia accusati; 6. consultus circa præsentem casum Innocentius III. respondet: *quod cum ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat sententiam* ejus *injustam, exequi nihilominus tenetur eamdem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat*, cap. 28. *De offic. Jud. deleg.* 7. idipsum non obscure definiisse videntur sacri Codices: Deuteronomii 17. vers. 6. *In ore duorum vel trium peribit, qui interficietur*. Matth. 18. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*. Verum hæc facili negotio solvuntur. Unde

R. ad 1. neg. min. Respublica enim vel male judicaret, vel non condemnaret eum, cujus innocentiam certo & indubie compertam haberet. Unde tunc, ait Sylvius, ab omni judicio abstinere deberet; sicut enim condemnare non posset, quia resisteret jus naturale innocentem necari prohibens; sic nec posset absolvere, quia juridice absolvi nequit is, quem jura non innocentem, sed reum convincunt.

R. ad 2. neg. min. eadem de causa: Communitas enim, si id nosset, quod Judex nosse supponitur, eamdem, ac ille agendi rationem sequeretur. Neque est id abjicere scientiam publicam, sed abjicere errorem publicum, & calumniam sibi certo cognitam.

R. ad 3. neg. maj. Judex enim innocentem morti addicens, tam directe mortem ejus intendit, quam intendat morti nocentis, quoties eum tortori tradit capite plectendum; at vero Dux, urbis expugnandæ gratia turrim subvertens, solam ejus intendit subversionem, quæ non necessario, sed solum per accidens cum innocentium morte consistit. Habet ergo Dux objectum immediate legitimum, non autem Judex, neque hujus actio huic innocens effici potest, quod formam legibus præscriptam sequi velit: quandoquidem circumstantia bona actionem de se malam honestare nequit; alioqui mundus foret, qui privata auctoritate interficeret hominem palam flagitiosum, ut ei omnem deinceps nocendi viam præcluderet.

R. ad 4. neg. maj. quia non est semper intrinsece malum absolvere eum, qui mortem meretur; hoc enim Reges sæpius faciunt inculpate: at vero eum directe suspendio vel flammis tradere, qui nihil mali fecit, est semper, & ubique pessimum. Adde quod, ut dixi, perperam tentaret Judex eum morti addicere, quem solus fontem esse novit.

R. ad 5. 1. vix fieri posse ut Judex, hominis de actione facinorosa juridice & legitime convicti patrocinium suscipere ausit. Est enim id & actorem & testes in calumniosos traducere, quod nec facile est, nec, si prima vice succederet, succederet altera; 2. non ideo deseri debet opinio, quia scelesti quidam ea abuti possunt; præsertim cum etiam opposita & gravius & facilius abuti possint viri nequam: atqui doctrina nostræ opposita gravius utique & facilius abuti possunt homines perditi. Scilicet enim ex ea sument ansam conjurandi in inimicum, quem bonis emungi, vel e medio tolli cupient; persuasi nempe Judicem quocumque in casu teneri ad deferendum duobus testibus, qui, fraude strenue composita, innocenti stragem præparaverint: porro, ut bene Sylvius, melius foret centum nocentes absolvi, quam innocentem unum damnari morte.

R. ad 6. 1. in eo Innocentii textu non est sermo de pœna mortis, aut mutilationis: ergo ex eo nihil pro præsenti casu colligi potest; 2. neque etiam in eo agitur de sententia, quæ ob adversarii dolos, aut falsas litteras nulla fit, & invalida; sed solum de sententia injusta, qualis esse potest sententia ex odii aut vindictæ motivo in reum lata: hanc autem exequi tenetur simplex Ordinarius, cui, ut loquitur citatus Pontifex, *Non cognitio, sed executio tantum demandatur*. De discrimine inter censuram nullam & injustam, vide, quæ dixi, ubi Censuris part. 1. cap. 1.

R. ad 7. dist. *In ore duorum vel trium peribit, qui interficietur*, id est non peribit, nisi qui a duobus saltem criminis convictus fuerit, C. id est peri-

peribit necessario, quem duo vel tres reum esse probaverint, etiam ex falsis allegatis. N. Itaque scripturæ sensus est posse damnari hominem ab uno dumtaxat teste accusatum, juxta illud Num. 35. *Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur*. Quod in ipso, qui objicitur, loco sibi statim interpres declarat Moyses his verbis: *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium*. At vero neque hic, neque ullibi dixit Scriptura, tantam semper & in omni casu habendam esse fidem duobus testibus, ut vel ipse innocens ex eorum depositione semper morti addicendus sit: cum ne in civilibus quidem duorum semper sufficiat assertio, ut patet tum in Matrimoniis, quæ ultra duos testes Parochum, & in testamentis, quæ plures, quam duos, testes requirunt.

Major est difficultas an Judex innocentem, probatum nocentem, condemnare possit in causis civilibus, aut criminalibus minoribus, in quibus tantum agitur de pœna pecuniaria, officii privatione, vel exilio. Affirmat eum pluribus aliis Sylvius, posito tamen, quod neque detegi falsitas possit, nec impediri processus, & insuper *magna boni communis utilitas, seu potius necessitas requirat ferri sententiam*. Assertionis hujus ratio est, 1. quod Judex in præsenti casu non afferat damnum irreparabile, secus cum vita quempiam aut membris privat; 2. quod Respublica de iis civium bonis, quæ *fortunæ* dicuntur, disponere possit, cum id ad commune bonum necessarium est: ergo & Judex, cui auctoritatem suam commisit Respublica, de iis poterit disponere; sic tamen ut prohibere nequeat, quin injuste damnatus compensatione uti possit.

Hæc opinio duplici potissimum de causa difficilis videtur; 1. quia non satis congruit probationibus contra S. Thomæ sententiam modo adductis; 2. quia etsi Respublica suum urgente de causa bonum auferre possit civibus, at non tanquam facinorosis, cum reipsa facinorosi non sunt: civem enim innoxium in sceleratum traducere, & ut talem plectere exilio, vel triremibus ad aliquot annos, videtur intrinsece malum. Esto igitur vir frugi, ut alii plures, qui quotidie causa cadunt sine dedecore, bonis suis spoliari possit, cum alioqui graviter turbaretur Respublica: at vix credo eidem aspergi posse infamiæ labem, sive per exilii pœnam, sive per bonorum privationem, quæ admissi ab eo criminis pœna esse videatur.

CAPUT TERTIUM.

De obligatione Judicum in ordine ad eos, quibus jus dicendum est.

PRæcipuas, quæ hic moveri possunt, difficultates paucis thesibus complectemur. Sit itaque

CONCLUSIO I. Judex iis solum jus dicere potest, in quos jurisdictionem habet.

Prob. ex ipsa judicii natura & ratione, quæ *illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur*: unde receptum istud, nullum in Judice majorem esse defectum, quam jurisdictionis. Hinc S. Antoninus 2. part. *Trid. s ff. 24. c. 21.*

part. tit. 1. cap. 9. primam Judicis iniquitatem in eo reponit, quod judicet *eum, qui non est sibi subjectus, contra* id Apostoli Rom. 14. *Tu autem, quis es o homo, qui judicas alienum servum?* &c. Neque vero illicite solum, sed & invalide sententiam fert Judex in non subditum; quod & expresse sanxit Ludovicus XIV. Constitutione ann. 1667. tit. 6. art. 1. his verbis: *Defendons à tous nos Juges .... de retenir aucune cause, instance ou procès dont la connoissance ne leur appartient ... à peine de nullité des jugemens; & en cas de contravention, pourront les Juges etre intimès & pris à partie.* Hinc etiam sententiæ, quas tulit Judex in loco a jurisdictione sua exempto, quale est cœmeterium, cassæ sunt & irritæ, ut bene Pontas v. *Juge*, cas. 23.

Ex his colliges graviter peccare Laicos, qui Ecclesiasticam, aut Clericos, qui laicam jurisdictionem usurpant; quive contra reos decernunt pœnas, quas decernere prohibentur.

Sic cavere debent Officiales ne Clericos, quos punire volent, exilio, triremibus, publica flagellatione, stigmate lilioso, aut ea publicæ reparationis specie, quam gallice dicimus, *amende honorable*, condemnent. Imo cum certæ summæ solutionem imponunt, non mulctæ, sed eleemosynæ vocabulo uti debent: de quibus vide Ducasse in ipso fine Tractatus de Jurisdictione Ecclesiastica; Fevretum, ejusque interpretes L. 8. c.4. de Abusu.

Sic etiam cavere debent Laici Judices, ne in plectendis Clericorum culpis limites sibi jure concessos transgrediantur. Scilicet enim duo sunt genera delictorum, quæ a Clericis committi possunt; alia dicuntur *communia*, alia vero *privilegiata*. Communia sunt ea, quæ pœnis Ecclesiasticis abunde puniuntur; vel, ut alii volunt, quæ solis Ecclesiæ legibus repugnant. Privilegiata sunt, quæ juri cuicumque adversa, eo usque atrocia sunt, ut condigne puniri nequeant ejusdem Ecclesiæ pœnis, quas aliunde aspernari solent Clerici ad omne scelerum genus conversi. De delicto communi solis Ecclesiæ Ministris judicare competit. De casu autem privilegiato conjunctim judicant & Ecclesiastici, & Regii Judices. Ecclesiastici quidem, quia in crimine privilegiato fere semper involvitur delictum commune, & Ecclesiasticæ legi repugnans. Laici vero, quia eorum est Regiæ legis contemptum & violationem ulcisci.

Quæ vero delicta privilegiatis annumerari debeant, haud facile potest definiri. Optarat ann. 1675. Clerus Gallicanus ut placeret Christianissimo Regi privilegiatos casus ad octo sequentes reducere, scilicet 1. crimen læsæ majestatis divinæ & humanæ; 2. infractionem regiæ tuitionis, seu ut loquitur Alteserra, *salvæ-gardiæ*, cuipiam seu quoad res, seu quoad personam concessæ; 3. seditiosam armorum gestionem seu portum, & crimina hac occasione perpetrata; 4. adulteratæ monetæ scelus; 5. assassinatum; 6. veneficium; 7. crimen raptus; 8. furtum publicum. Sed nullum hactenus prodiit diploma, quo istud tanti momenti negotium fixum fuerit & determinatum. Unum est, quod cum Ducassio indubie asseri possit, privilegiati delicti rationem habere quodcumque scelus capitali sententia dignum. Iis de materiis, qui plura volet, consulat Fevretum, ejusque annotatores cit. Lib. cap. 1. 2. 3. & 4. Dadinum Alteserram in vindiciis jurisdictionis Ecclesiasticæ contra eumdem Fevretum Lib. 5. cap. 1. &

se-

ſequent. aut ad minus Ducaſſe ubi ſupra ; vel Du Perray in notis ad art. 38. Edicti an. 1695. ubi animadvertit Clericum, qui in litis decurſu falſum inſtrumentum cuderet, a ſolo Judice laico damnari poſſe ; quia quiſque inuſtam tribunali ſuo labem plectere poteſt : atque ideo ſuperius dixi, non ſemper, ſed fere ſemper in crimine privilegiato involvi delictum, quod ab Eccleſiaſtico Judice puniri debeat. V. Du Perray ibid. Tom. 2. p. 239.

Hinc rurſum inferes lethaliter peccare * Capitalem Tribunum, aliumve quemlibet inferiorem Judicem, qui Clericum aſſaſſinatus publici reum, non obſtante ejuſdem Clerici appellatione, morte afficit : id enim conceſſum quidem eſt iiſdem Tribunis erga Laicos, non autem quoad Clericos, ut patet ex art. 41. Edicti an. 1691. ita Pontas v. *Juge*, caſ. 27. Addit idem ibid. caſ. 20. negandam eſſe a Confeſſario abſolutionem Judicibus, qui Clericum quoad corpus apprehendi juſſerint pro re etiam graviſſima, de qua competenter judicare nequeant. Id quidem credo, ſed & credo deciſionem hanc vix in praxi inſervire poſſe ; quia admodum difficile eſt ſtatuere, quæ Clericorum delicta ſolis Officialibus reſervata ſint ; & aliunde in dubio, an Judex laicus poteſtatis ſuæ limites exceſſerit, eidem abſolutio neganda non eſt, ut poſt Sambovium docet And. de la Paluelle, caſ. 1.

* *Prevot.*

Frequentioris eſt uſus id, quod docet idem Pontas caſ. 19. reos non eſſe, qui ſubſcribunt, non tamen acquieſcunt ſententiæ adverſus Clericum incompetenter latæ. Eſt enim in uſu poſitum, ut judicio ſubſcribant ii etiam, quibus idem judicium videtur iniquum eſſe. Neque vero ex unanimi ſubſcriptione colligi poteſt unanimem fuiſſe Judicum ſententiam, ſed ſolummodo judicium vere & in conſueta forma latum fuiſſe. Aliud eſſet de Judice, qui metu aut aliter, iniquæ acquieſceret ſententiæ, aut, qua die eamdem a Judicibus corruptis latam iri cognoſcit, abeſſet e foro : quam deciſionem colliges ex iis, quæ docui tom. 1. part. 2. alias 3. c. 2. a. 5. vide & Pontas v. *Reſtitution*, caſ. 139. & v. *Chanoine*, caſ. 20.

Quæres quibus Clericis competat jus declinatorium ad Eccleſiaſticum Judicem.

R. jus illud de jure communi iis etiam competere Clericis, qui matrimonio contracto clericaliter vivunt, id eſt, qui & tonſuram & habitum clericalem geſtant, ut patet ex Tridentino Seſſ. 23. c. 6. De reform. Aliter ſe res habent in Gallia, ubi Clericus uxorem ducens, aut commercio vacans excidit a privilegio fori : haud tamen dicendum, cum Pontas v. *Juge*, caſ. 30. iis ſolum prodeſſe fori privilegium, qui ſunt in ſacris. Contrarium enim patet ex art. 38. Edicti an. 1695. ubi ſic legitur : *Les Procès criminels qu'il ſera neceſſaire de faire à tous Pretres, Diacres, Soudiacres, ut Clercs vivans clericalement, reſidans, & ſervans aux Offices ... & qui ſeront accusès des cas, que l'on appelle privilegiès, ſeront inſtruits conjointement par les Juges d'Egliſe, & par nos Baillis, &c.* idipſum docet Cabaſſut. Lib. 4. cap. 8. n. 1.

Conclusio II. Judex dona, munera, & penſiones ab iis, quibus jus dicit, accipere non poteſt ſine gravi peccato. Unde ſtipendio ſuo, & quidem intra limites ſibi permiſſos contentus eſſe debet.

Prob. 1. ex Scriptura. Eccli. 20. v. 31. *Xenia & dona excæcant oculos Judicum, & quaſi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Prov. 22. *Qui dat munera, animam aufert accipientium*, ibid. cap. 17. *Munera de ſinu impius accipit*, ut

ut pervertat semitas judicii. Unde sic : Peccat graviter, qui se se exponit cœcitati voluntariæ, in re, quæ totam animi perspicacitatem requirit ; qui suam sibi animam, intellectum scilicet, auferri permittit, qui rectas judiciorum semitas pervertit : atqui hæc facit Judex ; qui donorum amori cedit ; idque non minus declarat ratio, quam Scriptura : ergo.

Prob. 2. ex jure Canonico. *Non licet*, ait ex S. Augustino Canon. 71. XI. q. 3. *non licet Judici vendere justum judicium*, & can. 66. ibid. *Qui recte judicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. Bonis male utuntur, qui juste pro temporali lucro judicant*, & paulo infra : *Acceptio munerum prævaricatio veritatis est ; unde & pro justo dicitur : Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit*. Profecto si tam graviter redarguuntur, qui pro pretio justum etiam judicium vendunt, quanto merentur gravius redargui, qui excœcati pecunia inique judicant ! Idem sanxere Concilia, Tolosanum, an. 1229. cap. 43. Castrogonter. an. 1231. cap. 35. Cantuariense an. 1295. cap. 45.

Prob. 3. Regum nostrorum sanctionibus, quæ plus apud avaros Judices poterunt, quam quæcumque Scripturæ aut Canonici Juris auctoritates. *Défendons*, verba sunt Henrici III. in Comitiis Blesensibus n. 114. *Défendons à tous nos Officiers .... de prendre, ne recevoir de ceux, qui auront affaire à eux, aucuns dons & présens de quelque chose que ce soit, sur peine de concussion*. Præiverant cum aliis pluribus Carolus VII. Carolus VIII. Ludovicus XII. & an. 1535. Franciscus. I. Hæc ille : *Inhibons & défendons à tous nos Présidens & Conseillers de prendre & recevoir doresnavant office, état ne pension, de quelque personne d'Eglise ou d'aucune Ville ut Communauté, à peine d'etre privés de leurs offices & états* ipso facto. Edicta hæc pro sua pietate confirmavit Ludovicus Magnus sua potissimum Constitutione an. 1667. ubi sic tit. 31. art. 32. legere est: *Tous les droits seront reglés suivant l'usage des Sieges dans lesquels les condamnations seront intervenues ..... & seront les dépens taxés par les Juges Commissaires examinateurs. Nous défendos de prendre plus grands droits, sous pretexte d'attributions & usage contraires, à piene de concussion, & d'interdiction de leurs charges*.

Hinc colliges 1. Judicem præsertim in Gallia teneri ad restituendum quidquid a partibus litigantibus receperit ; tum, quia gratis jus dicere tenetur, tum, quia receptio cujuslibet doni, mera censetur concussio secundum regni leges ; tum, quia Clerus Gallicanus an. 1700. istam hanc propositionem : *Possunt Judices accipere munera a litigantibus, nec tenentur restituere, quæ acceperint ad pronuntiandam sententiam*, reprobavit ut *falsam ; perniciosam, verbo Dei contrariam, & Judicum corruptelas inducentem*. Unde ; quod docent Reiffenstuel, & alii quidam Canonistæ, esculenta & poculenta, quæ paucis diebus absumi possunt, & sine ulla exactione a partibus oblata fuere, posse a Judicibus recipi, eo quod juxta legem *Solent*, ff. *De offic. Proconf. valde inhumanum sit, a nemine accipere*, id, inquam, & a nostris potissimum, & ab extraneis etiam Magistratibus rejiciendum est.

Colliges 2. hæredes Judicis, qui magnam boni sui partem ex receptis muneribus lucratus est, ad ejus restitutionem teneri : & hæc quidem restitutio ei, qui rem suam dedit, facienda est, sive Judex extorserit ; sive litigans sponte dederit, prout dixi tom. 1. p. 398. Edit. novæ :

etsi

etsi eos, qui pauperibus restituissent, prout iisdem restituendum censent multi cum auctore Collat. Paros. tom. 4. damnare non præsumam.

Colliges 3. quod, licet possit absolute Judex, lite jam dijudicata, munus aliquod accipere a partibus, prout docet idem Auctor ibid. pag. 36. multiplici tamen hic præcauto opus sit. Si enim munera non tam in animi bene memoris signum offerantur, quam ut Judex ad favorem in lite propediem futura inclinetur; utique abjicienda erunt; aut si jam consumpta sint, in æquivalenti restituenda.

Colliges 4. Judicem Ecclesiasticum, qui se muneribus corrumpi sinit, gravius peccare, quam Sæcularem, ratione status sui. Imo *spiritualis Judex vendendo verum judicium, simoniam committit*, ex S. Thoma in 4. dist. 25. art. 3. ad 1. quod intelligo de Judice negotia spiritualia tractante: alioqui non video, cur Senator Clericus, plus simoniæ reus sit, quam Sæcularis, si de negotiis pure civilibus sermo sit.

Quæres an Judex, qui ad instantiam solius Procuratoris Regii, aliquem condemnat, possit mulctæ, quam reo imposuit, partem aliquam sibi retinere, eo prætextu, quod quisquis laborat, sua sit mercede dignus.

R. negat. patet id ex art. 129. Constitutionis Blesensis, quæ sic habet: *Défendons très-expressément à nos Présidens, & à tous autres Juges de taxer aucunes épices, où il n'y aura que nos Procureurs généraux, ou leurs Substituts, parties*. Cum ergo unusquisque annexum muneri suo onus acceptasse censeatur, necessum est, ut Judex in præsenti casu gratis operetur? Neque hic allegari posset consuetudo; cum hæc non deroget legi, reclamante Principe. Vide Pontas eod. v. *Juge*, cas. 21.

Quæres 2. an Judex munus Collectoris vectigalium recusare possit.

R. non posse nisi ab eodem sit immunis ex Officii sui privilegio. Alias damnum, quod concivibus suis intulit, communia cum iisdem onera non partiendo, reparare debet. Vide Pontas v. *Juge* cas. 22.

CONCLUSIO III. Judex in dicendo jure nullam debet habere rationem personarum.

Prob. Qui nec pauperis nec divitis rationem habere potest, ei omnis quæcumque personarum acceptio prohibita est: atqui Judex nec pauperis rationem habere potest, nec divitis. Non 1. pauperis; etsi enim, ut solide ait S. Thomas 2. 2. q. 63. a. 4. ad 3. Judex *debet pauperi subvenire quantum potest*, at id *tamen* facere debet *sine læsione justitiæ: alioquin habet locum illud, quod dicitur Exodi* 23. Pauperis quoque non misereberis; non 2. divitis, cum Deus severe admodum animadversurus sit in Judices, qui potentatum sæculi muneribus aut timore labefactati, *causam viduæ non judicaverunt: causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt*. Jerem. 5.

Hinc si Judex humani favoris servus, *nullo modo voluit sententiam ferre, & propter hoc pauper aliquis, vel alius amittit jus suum, debet* idem Judex *restituere litis æstimationem ei, qui propter ejus negligentiam læsus est*. Ita S. Raimundus Lib. 2. Summ. tit. 3. §. 36. Ulterius progreditur S. Thomas in 4. dist. 38. qu. 2. a. 4. & docet, quod *quantumcumque scandalum debeat sequi, Judex debet facere, quod jus suum* unicuique privato *reddatur*: licet ab *illatione pœnarum* scelesto cuipiam inferendarum abstinere debeat, seu mitigando, seu etiam prætermittendo severitatem juris, *si videt ex* earum *inflictione majus incommodum Reipublicæ* proventurum esse. Vide Pontas v. *Scandale*, cas. 5.

CON-

CONCLUSIO IV. Judex debitam in examinandis, ac terminandis litibus diligentiam tenetur adhibere.

Prob. Debita diligentia duo requirit 1. maturum rei dijudicandæ examen; 2. celeritatem in ferenda sententia, quantam cum prædicto examine conciliare licet: atqui utrumque debent Judices subditis suis: 1. quidem rei totius examen maturum, cum alioqui in rebus sæpe intricatissimis non omnes scrutari possint & perspicere rerum facies, quarum tamen si vel una elabatur, nutabit judicium, excidetque sive a bonis possessor legitimus, sive ab honore & vita homo innocens; 2. debent & celeritatem, ne, ut toties evenit, vel ambo litigantes omnem erogent substantiam, priusquam judicium obtineant; vel pauperes tot sumptibus ferendis impares, ad iniquam transactionem, & forte aliquid deterius misere adigantur; intendant ergo Judices in exemplum sancti Job; qui cap. 29. de se ait: *Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam*.

Hinc colliges ad restituendum teneri, 1. Judices, qui ante discussam, ut decebat, causam; judicium iniquum tulerunt: imo gravis adhuc peccati conscii essent, si in hoc casu non recessissent a Justitia, quia non nisi materialiter bene judicassent; 2. & eos etiam, qui dilato de die in diem rerum examine, causa sunt, cur testibus jam mortuis, aut alio profectis, desint probationes; cur pupilli, quibus protectores suos mors abstulit, hæreditatis suæ jacturam fecerint, &c.

De actore, reo, & testibus loquemur Tom. 6. ubi de octavo Decalogi Præcepto.

PARS QUARTA.

De obligationibus eorum, qui ad Judicia concurrunt.

POstquam actum est de Judicibus, operæ pretium videtur, ut de iis dicamus, qui ad judicia suo modo concurrunt, quales sunt in primis Advocati, Referentes, Procuratores, Notarii, Scribæ, & Apparitores.

Advocatus ille est, qui in jure Licentiatus, & Causidicorum matriculæ inscriptus, suum in negotiis forensibus litiganti parti auxilium præbet, seu consilio, seu scriptura, seu viva voce, causam ipsius agendo. Hinc Advocati alii sunt, qui in foro verba habent, alii, qui consulti a partibus, de jure respondent.

Procurator is est, qui litigantis mandato & nomine, causam in judicio prosequitur; differt ab Advocato tum in multis, tum in eo maxime, quod Advocatus non eodem modo agere censeatur partis nomine.

Referens, seu ut Romæ ajunt, Ponens, ille est e Judicibus, cui litis vel instantiæ committitur examen, ut illud Judicibus aliis referat, quo deinceps ad judicium deveniatur. Scriba, qui exscribit judicia &c.

Notarius ille dicitur, qui legitima institutus est auctoritate ad scribenda acta seu instrumenta, quæ in judicio, vel extra judicium fidem faciant.

Apparitor, quem alii lictorem vocant, est justitiæ officiarius, cui incumbit assignationes & vadimonia deferre & exhibere pro lite inchoanda. De iis omnibus dicendum, sed paucis.

C A-

CAPUT PRIMUM.

De obligationibus Advocatorum.

Cum juxta Ennodii dictum *Senator & Causidicus nota proximitate sociantur*, palam est eadem pene huic & illi incumbere onera. Certe Advocati plerumque vocantur *justitiæ satellites*, *judiciorum athletæ*, *tutela privatorum*, *quin & Republicæ salus*: hinc uno quasi intuitu produnt se præcipuæ eorum obligationes, quæ ut magis innotescant, sit

Conclusio. Advocati scientia plurima, fidelitate, diligentia, justitia, charitate, & probitate conspicui esse debent.

Prob. 1. pars. Advocatus vel causas agere, vel consultus de jure respondere debet: atqui ad utrumque scientia, nec certe mediocri, opus est. Cum necessum sit ut apprime teneantur Regum nostrorum Sanctiones; consuetudines sæpius variæ; innumeræ juris formalitates, quas, ut cavillis & dolo via præcluderetur, institui oportuit; & ipsum jus Cæsareum, *legum mater*, præsertim vero Justinianeæ Institutiones, quæ ex celebriorum Causidicorum confesso œconomiam totius juris complectuntur; ac demum generalis artium omnium notitia, cum non tantum de jure, sed & *de rebus sacris*, *de agro colendo*, *&c.* agere teneatur, ut post Oratorum Principem animadvertit & docet Ferriere *v. Avocat* p. 159.

Prob. 2. pars. Fidelitatis nomine hic intelligitur, tum ipsa secreti fides, tum sincera ea ingenuitas, qua Clientibus res aperiuntur nude & ut se habent: atqui utrolibet accepta sensu fidelitas, est Advocato supra modum necessaria. Alioqui enim Clientum negotia subvertit, nedum juvet: sive eorum arcana parti adversæ revelando; sive suadendo ut incipiant litem iniquam perinde ac ruinosam: utrumque porro legibus naturæ adversatur; primum autem expresse prohibitum est a Carolo VII. an. 1453. secundum a Carolo IX. an. 1560.

Prob. 3. pars 1. quia Advocato, ut vel respondeat de causa, vel eamdem agat, necesse est ut & omnes rei aliquando intricatissimæ circumstantias cognoscat, & eamdem omnibus, quibus moraliter potest, sustentet motivis, non iis solum, quæ peremptoria sunt, sed & iis etiam, quæ quandoque minutiora sibi videntur; cum ista, ut fatentur artis periti, Judices nonnullos potentius plerumque flectant, quam quæ plus nativi roboris habere creduntur: atqui munia hæc absque diligentia sollicita & intenta præstari non possunt; ergo hæc Advocato necessaria est; præcipue cum eam partibus ex officio, & stipendio debeat.

2. Quia nihil non moliri debent patroni, ut clientum suorum negotia, quamprimum moraliter fieri potest, terminent, & definiant; cum mora & sumptus augeat, & ad iniquas transactiones adigat, & causa sit cur pereant probationes; ac demum familias etiam nobiles ad xenodochium non raro conducat.

Prob. 4. pars. Justitia est virtus, quæ suum unicuique tribuit: atqui virtus suum unicuique tribuens, si cui unquam, certe causarum patronis necessaria est: 1. relative ad se ipsos, ne plus exigant, quam sibi

per-

permissum sit; ne contra jus & leges transigant *de quota parte* litis; v. g. de dimidia aut tertia parte, ne scripta, seu, ut loquuntur, scripturas multiplicent; ne litem, quam primo justam crediderant, detecta ejusdem iniquitate tueri pergant. 2. relative ad clientes, ne quos amice componere possunt, ad litem mille modis periculosam stimulent, ne impensis onerent, aut fatigent dilationibus. 3. relative ad adversas clientum suorum partes, ne dolo, artibus malis, aut mendacio, easdem a jure suo deturbent; ergo.

Prob. 5. pars. Charitas duo e multis effectus parit, primo, ut pauperum, viduæ præsertim & pupilli partes simus; secundo, ut proximi famam non violemus temere, sed tunc solum perstringamus, cum absolute necessum erit: atqui neutrum præstabit, sed oppositum, Advocatus, cui defuerit vera & christiana charitas, primo quidem non juvabit viduam & pupillum pauperes, præsertim cum adversus divites mundi hujus juvandi erunt. Una enim est charitas, quæ non quærens, quæ sua sunt, iis sponte opem ferat, a quibus nihil expectat retributionis; secundo, nedum parcat proximi famæ, eamdem carpet, quo asperiori dente poterit, & innumera, quæ ad rem non faciunt, convicia jaciet in miseros, eos præsertim, quibus non arriserit multitudo; prout testatur frequens experientia de tot Advocatis, qui, ut cum Apulejo loquar, *linguæ suæ venenum vendunt*; ergo *ante omnia universi Advocati ita præbeant patrocinia jurgantibus, ut non ultra quam litium poscit utilitas, in licentiam conviciandi, & maledicendi temeritatem prorumpant. Agant quod causa desiderat, temperent se ab injuria*; Leg. 6. §. 1. Cod. *De postulando*; quibus consonat stylus Parlamenti; part. 1. cap. 1. his verbis: *Opprobriis contra Curiales Regis nullo modo utaris, nec contra partem, nisi quatenus necessario faciat ad querelam.*

Prob. 6. pars: quia si probitate destitutus sit causarum actor, nihil implebit eorum, quæ hactenus dicta fuere. Consultus non aperiet veritatem, sed respondebit pro nummo, utrique parti consilia dabit, utramque impellet ad inchoandam litem, &c. Vide Opusculum cui titulus, *L'éloge & les devoirs de la profession d'Avocat*, Parisiis apud Mazuel 1713.

Hinc colliges graviter ex natura rei peccare, & ad restituendum teneri Advocatum, primo, quoties ex malitia, imprudentia aut etiam ignorantia, causa fuit cur cliens vel malam litem inchoaret, vel a justa causa excideret, vel indebitas impensas faceret. Ratio est, quia violat pactum, quo saltem tacite spopondit se & bona consilia daturum, & ad minus communi virorum prudentum diligentia usurum esse, ut clientibus suum jus afferatur. Neque ut Advocatus restituere debeat, requiritur negligentia crassa, sed sufficit levis, ut colligere est ex iis, quæ diximus tom. 1. part. 4. cap. 2. articul. 3. & docent Pontas verb. *Avocat* cas. 7. & apud eum auctores Moralis Gratianop. & Collat. Condumensium. Unde quod ajunt aliqui, Advocatum, qui male consulir, a restituendo immunem esse, eo quod possit cliens consilium non sequi, si volet, falsum est, nisi agatur de rebus intricatis, circa quas aliquando scinduntur doctissimi quique, tuncque res ea, qua decet, maturitate ponderari debuerunt, & moneri cliens de incerto litis successu. Vide Pontas ibid. cas. 1.

2. cum adversæ parti, ejusve Procuratori secretum clientis revelat, & ar-

& arma contra eumdem præbet, & tunc *ultra peccatum injustitiæ & proditionis tenetur ad omne damnum & interesse læso*, prout cum communi docet 2. Antoninus 2. part. tit. 6. apud Pontas ibid. cas. 2.

3. Cum rem judicio maturam iniquis artibus protrahunt, sive in clientis, sive in adversæ partis præjudicium.

4. Cum causam, quæ primo justa videbatur, etiam comperta ejusdem iniquitate, non deserunt: atque in hoc casu tametsi retinere possint stipendium ei debitum labori, quem bona fide præmiserunt, nihil deinceps recipere valent, alioqui recepturi in stipendium injustitiæ. Debent ergo, ait S. Thomas 2. 2. quæst. 71. art. 3. ad 2. *Causam deserere; vel eum, cujus causam agunt, ad cedendum inducere, vel ad componendum sine adversarii damno*: neque tamen tunc licitum est Advocato prodere secretum partis suæ: *ut aliam partem juvet*. Nihilominus censet Lugo disp. 41. sect. 1. n. 6. eam S. Thomæ doctrinam limitari debere, 1. si reus capite damnandus sit, nisi Advocatus revelet actoris injustitiam; 2. si ageretur de celeberrima fama, honore, & statu personæ illustris. In his tamen casibus antea monendus esset actor ut ab injustitia desisteret, quam prodendus. Quin & expendere deberet Advocatus, an non sibi tantum nociturus esset, quam alteri profuturus; an non procreaturus grave scandalum. Decoq. de Just. p. 502. Lugo ibid.

Quod si patronus iniquæ litis actor, causam vincat, leges abrogatas citando, eas, quæ subsistunt, alienum in sensum detorquendo, producendo falsos testes, falsa instrumenta, tenetur de damno partis immerito condemnatæ. *Juste enim dicitur Advocato* huic: *Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti; iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti*; ita S. Augustinus Epist. nunc 153. ad Macedonianum. Vide & Pontas ibid. cas. 2. & 3.

5. Cum ea detegunt adversæ partis crimina, quæ ad rem non faciunt: puta si a Judicibus obtenturi ut, qui puellam decepit, prolem nutriat, alios ejusdem in hac vel alia materia lapsus in foro conclament. Cœtera omitto consectaria, quæ attendenti cuilibet sponte se offerent.

Quæres 1. an Advocatus causam dubiam aut minus probabilem agere possit.

R. ad 1. Advocatum tueri posse causam dubiam. Ratio est 1. quia clientes rem, quæ tam sua esse potest, quam alterius, alteri dimittere non tenentur: ergo de eâ Judicem interrogare possunt, si aliter inter se convenire non possint: ergo & eis coram Judice ministerium suum præbere possunt Causidici: sic tamen ut eos antea moneant rem vere esse dubiam; si enim eam pro certa & indubitata darent, & cliens sic affectus esset ut comperta dubietate abstineret a litigando, jam Causidici essent efficax causa litis, & damnorum, quæ sequuntur ex lite; 2. quia nisi Advocatis liceret in causa dubia patrocinari, supprimi possent universa Orbis tribunalia, cum lites ut plurimum sint de causis dubiis.

Hæc tamen locum non habent 1. in causa capitali; quia sicut graviter peccat actor, qui vult morte affici hominem, cujus culpa & innocentia æquale dubium habent; sic & peccat Advocatus eidem actori deserviens; 2. neque etiam juxta multos, cum agendum est contra possessorem, qui eo ipso, quod in dubio versatur, melioris est conditionis secundum leges. Si tamen actoris motiva vere dubiam facerent possessionis validitatem, jam uterque ejusdem conditionis esse videretur.

Cœ-

Cœterum si res ut Advocato, sic & Judicibus dubiæ videantur, non video, qua æquitate totum uni, alteri nihil assignare queant. Unde censeo necessum esse ut Judex vel litigantes componat, vel rem dividat inter illos; vel si ea dividi nequit, fructuum partem alterutri assignet, aut aliter compenset, ita Bannez & Granado apud & contra Lugo disp. 37. de Just. sect. 10. n. 114.

R. ad. 2. cum Fagnan. in cap. *ne initaris*, *De Constit.* num. 387. Decoq. pag. 501. & Bellarmino Lib. 2. *De arte bene moriendi*, cap. 11. Advocatum nec consulere nec patrociniari posse pro parte minus probabili contra probabiliorem. Ratio est, quod nemo alium juvare possit in actione, quam is sine peccato exequi non potest: atqui cliens non potest exigere ut sibi adjudicetur res, quam probabilius judicat alienam esse, non suam; neque hanc ipsi sine injustitia tribuere possunt Judices: ergo.

Hæc nostra opinio non obtinet solum in causa sanguinis, vel omnium bonorum, sed in iis etiam, quæ levioris sunt momenti: cum nemo ut suum repetere possit aliquid etiam leve, quod probabilius judicat esse alterius: *ideoque videmus*, ait Fagnan. ibid. n. 391. *furti actionem dari de re etiam minima, puta pro gallina, pro ansere, imo etiam pro ovo*.

At, inquies, medicus ægro jam desperato subvenire potest; ergo & Advocatus causæ minus probabili.

R. neg. conseq. medicus enim neque ægro nocet, neque alicui tertio: at vero Causidicus clienti suo nocet, si eum non monuerit; aut saltem adversæ ejus parti, quam adigit ad molestiam & impensas prore jam satis sua. Atque hinc denuo colliges Advocatum teneri deserere causam, quæ primo dubia sibi vel æqua videbatur, deinceps vero visa est minus probabilis: nisi forte, ait P. Antoine Tom. 2. p. 443. prudenter æstimet, id quod sibi in tali materia videtur minus probabile, Judicibus probabilius visum iri. Quamquam & in hoc casu malim Advocatum clienti liberum facere ut reccurrat ad alios, qui de re aliter sentient, quam ipse sentiat: nisi tamen exuat conscientiam, quam de re proposita gerit, existimando scilicet præ modestia, quæ non semper fallit, se aliorum judicio magis quam suo inniti debere. Hic addo cum Andrea de la Paluelle, non omnem causam, quæ secundum humanas leges indubia sit, ab Advocato suscipiendam esse. Sic quem norit alteri summam debere, quam creditor defectu chirographi sibi debitam esse satis probare nequit, debet ut malæ fidei hominem repellere, absolvendum quidem ab hominibus præsumptione deceptis, sed a Deo condemnandum.

Quæres 2. an Advocatus debeat agere causam pauperis, a quo nihil præmii expectare possit.

R. cum Sancto Thoma 2. 2. qu. 32. art. 5. ad 3. & qu. 71. art. 1. Advocatum teneri gratis opem ferre pauperi, *cum apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat*. Unde, quod in hujus voluminis decursu dicemus de eleemosyna pauperi facienda a divite, in præsenti locum habet, eique merito applicatur a Sylvio in eamd. q. 71. sed & hic urget in Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*. Quod si nemo pauperis hujus causam agere velit, debet is ad Judices recurrere, qui eidem de Advocato providere tenentur: *Et nisi Advocatus facto sibi præcepto per Curiam præstet patro-*

patrocinium, debet repelli ab advocatione dictæ Curiæ, nisi se excuset causa rationabilis; uti notat & docet Guido Papa decis. 661. n. 2. apud Pontas ibid. cas. 5.

Quæres 3. an, qui Advocato aureos centum promiserat, si causam obtineret, totam hanc summam refundere teneatur, si ante litis decisionem cum adversario suo transegerit.

R. Cum S. Antonino 3. part. tit. 6. cap. 2. §. 4. *Aut clientulus transegit in fraudem Advocati; & tunc totum salarium habebit* Advocatus, *quia per eum non stetit,* quominus promissam operam impleret. *Aut transegit bona fide, puta quia lis dubia erat; & tunc pro rata servitii habebit, considerata ejus facundia, nisi aliud fuerit pactum inter eos.* Decisionem hanc adoptat Pontas ibid. cas. 6. Eam tamen temperari velim, si Advocatus nihil ex fraude clientis percipiat damni: ut si qua die transactione monitus est, litem aliam agere cœperit, quæ non minus sibi pariet emolumenti, & a qua, nisi prior cliens transegisset, sibi fuisset abstinendum. Ratio est, quia fraus non inducit per se onus restituendi, nisi quatenus damnificativa est.

Quæres 4. uter ad restituendum teneatur, an Advocatus, qui suadet Titio ut litem in rei veritate justam, sed contra leges inchoet; an qui nixus lege causa est; cur Titius damnetur impensis, etsi causæ ejus justitiam intrinsecam cognoverit. R. Utrumque peccasse graviter, primum ex imperitia, cum scire debuerit Judicem non posse judicare contra leges; secundum ex mala conscientia, cum nixus sit legibus ad favendum malæ fidei sibi cognitæ. Prior tamen ad restituendum obligatus videtur, ut qui clientem suum exposuerit toti, quod subiit, damno: neque enim satis erat, ut æquam causam tueretur, sed & necessum erat ut eam probare posset. Ita la Paluelle pag. 554. Resolutionum.

CAPUT SECUNDUM.

De obligationibus Procuratorum &c.

Ne quod in materiis affinibus facile contingit, eadem sæpius repetere cogamur, præcipua hic recensere sufficiet peccata, quæ a Procuratoribus, Notariis, aliisque id genus committi solent: inde enim potissimæ eorum obligationes facile intelligentur. Itaque

Peccant Procuratores 1. cum aliquid faciunt eorum, quæ Causidicis prohibita esse diximus sive erga clientes, sive erga adversas clientulorum partes; ut cum scripta multiplicant, sive quia crassiori charactere pingunt, seu quia inanibus ratiunculis pagellas referciunt. 2. cum clientes vel ad compositionem iniquam inducunt, ut faveant adversæ parti; vel a justa compositione retrahunt in lite dubia, quam certam esse jactitat. 3. cum majus accipiunt stipendium quam lege, aut recepta proborum consuetudine sibi permissum sit. 4. cum stipendium accipiunt pro scripturis lite jam judicata confectis; aut pro præambulis inventariorum; quod vetitum est Constitutione Ludovici XIV. ann. 1667. tit. *des Depens* art. 11. 5. cum partium sacculos, ea qua par est diligentia non custodiunt; cum earum secreta, vel ex garru-

garrulitate, vel quia ab iis revocati sunt, propalant. 6. cum causam primo acceptam, primo non procurant, servato tamen Juris ordine, qui quandoque exigit, ut gravia negotia levioribus præcurrant. 7. cum clientis nomine non se opponunt iis, quibus se opponere tenentur, puta iis publicis proclamationibus, quæ Gallico jure vocantur *Criées*. De cœteris, quæ difficile reddit latina lingua, vide examen generale D. de S. Germain, & Collat. Andegav. habitas an. 1734. & 1735.

Peccant Referentes 1. cum rem, cui ob materiæ ambages referendæ impares sunt, referendam suscipiunt. 2. cum partium instrumenta per se non legunt, sed excerpta solum aliena manu exarata, nisi manus hæc sit admodum perita, & fidelis. 3. cum in rei referendæ studio segnes sunt, ac tardiores, quam decebat; ita ut ex mora crescant litigantium impensæ. 4. cum in referendo aliquid omittunt substantiale, unde contingit litigantem excidere causa vel ex toto, vel ex parte. 5. cum jus unius magis, quam alterius exponunt. 6. & idem de cœteris Judicibus dicendum, cum revelant, quis uni vel faverit, vel adversatus fuerit suffragando: quæ secreti proditio malorum ferax, pluribus Regum nostrorum Edictis severe prohibita est.

Peccant Notarii ac Tabelliones, 1. si ex imperitia, vel iniquitate instrumenta rite non conficiant; aut ambiguas apponant clausulas, quæ lites sint pariturae, juxta id alicubi tritum: *Ignorantia Notariorum est messis Advocatorum*.

2. Si testimoniis testium, aut partium dictis vel factis, aliquid addant, vel detrahant; neque res sincere scribant ut se habent, aut saltem sincere, ac proinde ab homine in iis rebus abunde versato scribi curent.

3. Si ea conficiant acta, quæ legibus reprobantur, puta si excipiant testamentum hominis ratione destituti; si simoniacum, confidentialem, aut usurarium recipiant contractum, eo etiam in casu, quo licitum est mutuanti mutuum petere sub usuris: ubi nota posse eosdem conficere instrumentum in gratiam hominis, qui palam habeatur pro usurario, modo instrumentum illud in se nihil habeat usurarii; de quibus vide Pontas v. *Notaire*, cas. 1. & 2. & nos rursus infra.

4. Si extorquendæ pecuniæ animo differant instrumentorum expeditionem, aut negent acti transumptum, ex cujus defectu non possit quis sua sibi jura vindicare.

5. Si loco veri Testamenti, quod casu interierit, aliud simile confingant: item si ex post facto testamentum interpretentur, minuendo aut addendo.

6. Si ab officio suo interdicti pergant, ut antea, instrumenta conficere.

7. Si instrumenta non custodiant caute; iis enim sua culpa perditis, tenentur de damno.

8. Si juratum secretum violent, puta si aliis quam contrahentibus instrumenti exemplar largiantur, absque prævia Judicis sententia.

9. Si scribant solutam coram se fuisse summam, quæ in rei veritate non fuerit persoluta.

10. Si suadeant alicui ut mutuam det pecuniam homini, quem solvendo imparem cognoscant: nedum enim id facere possint, debent admonere clientem, cum aliquid norunt, quod vergat in damnum illius, uti docet Decoq; pag. 505. Consonat Toletus Lib. 5. cap. 62. ubi & docet Notarium, qui confecerit Testamentum, quo quis Legatarius instituitur, eumdem

dem monere debere ut rebus suis consulat, postquam tamen eos monuerit, qui legatum tradere debent, & ex culpa sua non tradunt.

Quæres 1. quid de iis sentiendum sit Notariis, qui contenti servare breve quoddam instrumenti summarium, quod protocollum vocant, extensa instrumenti exemplaria partibus tradunt.

R. Si protocolla hæc vel eo modo, vel in iis regionibus fiant, ubi in judicio fidem facere non possint, peccare Notarios, quoties præsertim per longum tempus differunt plenam & integram instrumenti confectionem. Ratio est, quia moriente Notario partes, quæ nihil habent unde se tueantur in judicio, grave hinc damnum recipiunt. Debent ergo Confessarii urgere Notarios, ut omnia quamprimum in forma debita reponant; iisque absolutionem negare, nisi spes affulgeat futurum ut huic malo citius medeatur: quod de iis non præsument, qui hoc jam semel & iterum promiserint nec steterint promissis: aut qui ex lucri fame, tot quotidie instrumenta recipiunt, ut omnia ad extensum perducere non possint. Ita fere Lugo disput. 41. n. 15. & expressius Tolet. ibid.

Quæres 2. quid fieri debeat a Notario, qui falsa cudit instrumenta, nec imminente jam morte habet, unde restituat.

R. Eum teneri ad faciendum quantum in se est, ut pars, cui nocet instrumentum, servetur illæsa, sive exigendo ut ille, in cujus gratiam cedit dolus, sibi restituat instrumentum, sive minitando se rem totam ut est, aperturum esse; sive tradendo Confessario schedulam, qua declaret falsitatem instrumenti. Sed quia Notarius bonum habens nomen non magis tenetur se infamare, quam mulier adultera, idcirco expendendum est an tanti sit damnum, quod feret quis falsi instrumenti occasione, ut debeat illud reparari per jacturam boni ordinis superioris, qualis est fama. Hæc igitur ex circumstantiis pensari debent. Vide Lugo ibid. n. 17.

Quæres 3. an semper ad restituendum teneatur Notarius, qui scienter fecit instrumentum pro mutuo usurario.

R. 1. Si contractus manifeste usurarius sit, nullam esse restituendi obligationem; quia nemo est usurarius, qui tale instrumentum in judicio proferre ausit; nemo Judex, qui regulariter loquendo ullam ejus rationem habere possit. Si tamen alicubi Judices usuras solvi præciperent, teneretur Notarius de damno in defectum Judicis, ut & Judex in defectum usurarii. Idem dico si mutuans eo usque simplex esset, ut crederet se vi ejusdem contractus posse in usuras conveniri.

R. 2. Si contractus palliatam sub alterius debiti nomine usuram contineat, vel contractus fit invito mutuatario, & in gratiam usurarii, vel sit ad preces mutuatarii, qui eumdem a Notario efflagitat, ne non obtineat summam, qua indiget.

Si primum fatentur omnes, ait Lugo, Notarium ad restitutionem teneneri; quia gravi hominis inviti damno cooperatur.

Si secundum, constat 1. Notarium peccare mortaliter contra juramentum, quo spondere solent hujus professionis viri, se talia instrumenta nusquam conditos esse. Constat 2. eumdem incurrere excommunicationem latam in Clement. *de Usuris*, si hæc vigeat in loco ubi conficitur instrumentum. An autem obnoxius fiat restitutioni, controvertitur; negant Tolet. Lugo num. 20. Decoq. pag. 566. Navarrus cap. 17. numer. 275. & alii communius, cum Sylvio 2. 2. quæst. 78. art. 3. pag. 554. quia volenti, & consentienti non fit injuria: mutuans autem ex hypothesi

 est vo-

est volens, cum sollicitet Notarium, qui plerumque importunitati cedit.

At. inquies, si valeat hæc ratio, immunis etiam erit a restitutione usurarius; cum ei mutuatarius usuras promittat sciens, & volens: atqui falsum consequens.

R. Neg. maj. 1. quia mutuatarius promittit *interesse*, ut liberet se a vexatione iniqua mutuantis: at vero Notarius nullam infert vexationem, a qua mutuatarius se redimere teneatur. 2. mutuans intendit deinceps pactas usuras exigere a nolente: Notarius vero non habet animum quidpiam deinceps exigendi ab invito. Quapropter se habet in præsenti Notarius sicut se haberet, qui Joannem volentem & petentem ligaret hodie in domo Petri, ut cras posset injuste spoliari a Petro: tunc enim peccaret contra justitiam Petrus cras hominem ligatum spoliando, non autem is, qui hodie ligat Joannem determinate petentem ligari. Quod hìc de Notário, idem de Testibus dicendum.

Quantum ad Scribas seu Graffarios attinet, peccant ii contra juramentum a se præstitum, & contra justitiam, 1. cum ea revelant, quæ silentio premere debent. 2. cum Judicis sententiam in Registrum fideliter non referunt, aut falsificatam tradunt partibus. 3. cum instrumenta exhibere nolunt iis, qui jus habent ut ea sibi exhibeantur. 4. cum in Scripturis non sequuntur id Sanctionis Aurelianensis an. 1560. art. 80. *Toutes Ecritures, Enquetes, Procès-verbaux, Dèclarations de dèpens, & autres expeditions de Justice, fors & exceptès les Arrets, & Sentences interlocutoires, & dèfinitives, seront faites, & dèlivrèes au papier, raisonnablement ècrites à raison de 25. lignes en chacune page, & 15. syllabes en chaque ligne*; 5. cum Procuratoris officium una cum officio Graffarii gesserunt, quod iisdem sub mulcta libellarum bis millium prohibitum est; 6. cum in distribuendis litibus non sequuntur ordinem juris.

Apparitores, qui utpote Judicum ministri, peccatum facile effugere possunt, si intra professionis suæ limites sistant, pluribus tamen modis, & quidem graviter delinquunt, Et 1. cum aliquid ultra justum stipendium exigunt; ut si cum plures eadem die assignationes in locis paulo dissitis dedere, tot computant diætas, quot executiones confecerunt; 2. cum accepto mandato vel hominem vel hominis bona apprehendi, spe muneris monent ut is sibi, suisque rebus caveat. 3. cum in occupatione bonorum durius agunt, minantur, &c. ut extorqueant munera. 4. cum metu aut pretio corrupti, munus sibi commissum non exequuntur tempore præscripto, unde damnum partibus evenit. 5. cum extra limites jurisdictionis suæ operantur. 6. cum in suppellectilium venditionibus, vel constituunt ad licitationem tempus non largiuntur, vel certis temporibus favent. 7. cum finita venditione pecuniam ex ea provenientem iis, ad quos eadem pertinet, remittere sine causa differunt. De cœteris adi San-Germanum, & auctorem Collat. Andegav.

PARS

PARS QUINTA.

De obligationibus Dominorum temporalium.

PEr temporales Dominos eos hìc intelligimus, qui præcipuam ratione feudi in Parochia auctoritatem habent. Ii porro quædam Ecclesiæ, quædam vassallis suis debent, quæ ut practice plenius intelligantur, sit

CONCLUSIO I. Domini, seu ut ajunt, Dynastæ, Ecclesiam ejusque Ministros verbo, & facto tueri debent.

Prob. quia tota, quæ in Dynastis residet, auctoritas, a Deo est, ac proinde juxta Dei intentionem exerenda: atqui ea auctoritas melius, & sanctius exeri nequit, quam in Ecclesiæ, & Ministrorum ejus omnimodum tutamen: ergo. 2. quia Magnates sunt primarii Ecclesiæ filii: ergo ei omnem præstare reverentiam debent: non præstant autem, nisi & a vassallis suis, quantum possunt, præstari curent.

Hinc colliges gravius peccare Dominos, qui Ecclesiam non frequentant, qui cœremonias ejus derident, qui Pastores ejus pro vilibus mancipiis habere videntur, qui eosdem, cum suam pro Dei cultu, & honore opem implorant, abjiciunt, & dedignantur; qui ne ordinem propria mollitie sibi præscriptum invertant, Officiorum tempus, frequenter, & notabiliter invertunt, non sine gravi fatigatæ multitudinis præjudicio, & (*) Regiarum Sanctionum contemptu; qui festivas dies choreis, saltationibus, aut litigiis inhonorari patiuntur, nisi choreas ea mente tolerent, qua alicubi tolerantur meretrices; item, qui forenses causas in Ecclesiæ vestibulo, aut cœmeteriis actitari patiuntur; & ad eas vocant campanæ sonitu: de quo vide la Paluelle pag. 237. item, & qui contra Canonum placita, & Regni hujus Jurisprudentiam, colligunt Campipartem seu jus illud prædiale, quod dicunt Gallice *Champart*, priusquam Parochus colligerit decimas, quæ quia antiquiores sunt, & ipsius Dei jura, ex integris fructibus percipi debent, prout cum cœteris docet Pontas. V. *Dime* cas. 8. qui demum decimas ipsas usurpant, nisi eæ sint infeudatæ; aut, qui metu vel minis prohibent ne vassalli sui conducant Ecclesiæ, vel Monasteriorum decimas aut prædia; ut hæc ipsimet viliori pretio conducant; quod Regiis Constitutionibus severe interdictum est, ut docent Natal. Alexander Reg. 6. infra, & Pontas. V. *Seigneur*, cas. 15.

Sed & hìc notandum graviter peccare Parochos, qui improvida agendi ratione Dominorum animos, & voluntatem a se abalienant; qui iisdem honorifica jura tribuere renuunt; qui contra eorum excessus quasi nominatim e suggesto invehuntur, &c. Hæc enim pacem turbant, & concordiam, qua semel Parochos inter, & Dynastas labefactata, mirum est, si Rectores Ecclesiæ rem Dei placide, & feliciter promovere valeant.

CONCLUSIO. II. Dynastæ vassallis justitiam, & immunitatem ab oneribus indebitis procurare tenentur.

(*) Defendons tres-expressément aux Seigneurs temporels, & autres personnes quelconques, de contraindre les Curès ou leur Vicaires, de changer ou differer les heures du Service Divin ordinaires, & accoutumèes. *Ordon. de Charles IX, 1571, art. 3.*

Prob. quia alioqui Dynastæ vel justitiam per se ipsos violant, vel ab Officialibus suis violari patiuntur: utrumque autem communibus naturæ principiis repugnat.

Hinc colliges 1. peccare, & ad restitutionem teneri Dominos, qui Judices imperitos, avidos lucri, dubiæ aut inexploratæ probitatis constituunt: *Qui* enim *occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, cap. fin. *De injur.* quod si Judex aliunde capax, & qui cum dicendo juri præpositus est, habebatur pro viro frugi, ex metu, favore, aut etiam turpi quæstu lapsus sit, non tenetur Dominus de ejusdem injustitia, quam prævidere non potuit; etsi, quantum potest, illati damni reparationem procurare teneatur ex legali quadam justitia. Quin aliquando apud Superiores Judices agere debet, ut destituantur Ballivi sui, quos per se destituere nequit, cum præsertim officium suum titulo oneroso aut remuneratorio assecuti sunt. Si Ballivi plus exigant, quam sibi legibus permissum sit, tenentur Domini *ex Officio* hisce concussionibus, si graves sint, manifestæ, & frequentes, obsistere pro virili. Ita de la Paluelle pag. *366.* & *369.* qui licet pro Normannia scripserit, utiliter tamen ab omnibus perlegi potest. Vide & Pontas cas. 14. & cas. sed & consulat unusquisque, ut debet, locorum consuetudines.

Colliges 2. cum Natali Alexandro Tom. 2. lib. 3. cap. 6. art. 8. Reg. 8. pag. 352. *Lethalis violentiæ reos esse nobiles, quorum toparchiis annexa est summa jurisdictio, seu jus gladii, si maleficos ac sceleratos pœnis legum sanctione constitutis plecti non curent, sive ut sumptibus parcant, sive* quod multo deterius, *ut commodum aliquod ex patrocinio flagitiosis illis hominibus impenso consequantur*. Ratio est, quia ii ex officio vassallorum tuitioni incumbere debent, & obstare ne opprimantur; aliunde vero ex condemnatione jus habent in maleficorum bona, sicque præstitos a se sumptus recuperant. Adde, quod ex vassallis multa percipiant, quæ stipendii loco esse videntur. Adi Pontas, ibid. cas. 11.

Quin & Domini curare debent ne vassalli sui etiam volentes decipiantur: unde Bohemos, magos, & fatidicos e territorio suo abigere debent, prout eis injungitur Sanctione Aurelian. art. 104.

Colliges 3. cum Pontasio, & aliis restitutioni obnoxios etiam esse Dominos, qui oneribus quoad substantiam aut modum indebitis vassallos gravant. Tales sunt 1. qui vassallos cogunt ut frumenta sua deferant molenda ad pistrinum suum, etsi illud bannale non sit, seu ex consuetudine, seu, ut alibi necessum est, ex titulo speciali; aut qui servitutem hanc exigunt ab iis, qui ad eam non tenentur, quales sunt Parochi in Præsbyterio suo degentes, & cœteri, qui nimium a molendina distant (*qui ne sont pas dans la banlieue*) aut, qui ad eam pervenire nequeunt sine gravi dispendio propter viarum difficultatem, &c. Idem servata proportione dicendum de iis, qui rusticos cogunt ut vel uvas premant ad torcular suum, vel ad furnum panes coquant. Item, qui columbaria sine jure construunt, neque ii niti possunt vassallorum silentio, cum illud non approbatio sed metus parere consueverit. Unde Domini restituere debent pro numero columbarum, jugerum suorum paucitate, & sterilitate locorum.

2. Qui molendina ad punctum, ut ajunt, quadratum habent, quando ex locorum usu ad punctum rotundum habere debent.

3. Qui

3. Qui corvada Gallice *Corvèes*, id est operatum obsequia exigunt vel, quæ non debentur, vel quæ tali modo non debentur: ut si Domini, qui pluribus annis nihil operæ exegerunt a vassallis, omnes præteritorum annorum operas uno anno perfici velint; quod & iniquum est, & adversum Jurisprudentiæ nostræ, in qua tritum est istud: *Les corvèes ne sont pas comme les rentes, & elles ne tombent nulle part en arrerages*. Item, qui operas sibi debitas, & quibus non indigent, in vicinorum suorum gratiam præstari volunt, contra id Leg. 46. ff. *De solut. Quod debetur Titio, non debet solvi Sejo*. Excipe tamen, nisi locorum consuetudo aliud ferat. Item, qui in summam pecuniæ etiam modicam onera sibi debita convertunt, nisi conversioni huic consentiant vassalli. Pontas ibid. cas. 4.

4. Qui in locis minime circumseptis herbas colligi vetant, ne abigantur perdices; quasi privata hominis unius voluptas publicæ necessitati anteferenda sit. Idem ex Sambovio cas. 6.

5. Qui vel garenam auctoritate privata constituunt, vel jam pridem extinctam, renovant; aut e loco in locum, ubi multo plus nocitura sit, transferunt; aut eo usque cuniculos multiplicari patiuntur, ut inde gravis subsequatur vicinarum segetum aut vitium strages.

6. Qui vassallos cogunt ut in ipsam Domini domum transferant ea, quæ transferre non tenentur. Triplex est enim censuum genus, alii sunt *requiribiles*, alii *portabiles*, alii *quæribiles*. Census quæribilis, ut ex nomine patet, a Domino requiri debet, & creditor solvere eum potest in domo sua. Census portabiles in ædes Domini ferri debent; ita ut nisi constituto tempore deferantur, possit debitor ob moram mulctari ipso facto; secus si census sit requiribilis, tunc enim priusquam indicatur mulcta, præire debet sententia Judicis. Vide la Paluelle pag.392.

7. Qui exigunt ut vassalli census in alia solvant specie, quam qua constituti sint, v. gr. in grano, quæ pecunia solvi debent, aut viceversa. Ubi notat idem Auctor multos, & graves hìc ex Dominorum parte irrepere abusus: ut 1. cum granum recipere nolunt, quasi deterius; cum tamen tale sit, quale colligitur in fundo censuarii. 2. cum iis annis granum rejiciunt, quibus viliori pretio venit, & exigunt cum valor plurimum increvit: quo in casu censuarius etiam in mora, non debet pretium, quo actu venduntur frumenta, sed quo venumdabantur vel anno, vel saltem tempore, quo persolvi debuerant.

Addit idem eruditus Casuista. 1. Dominum toto anni curriculo posse rem in specie propria exigere, secus si jam annus elapsus est. 2. idem de mutuante dicendum esse, quod de Domino, ac proinde mutuatario, qui centum tritici modios mutuo receperit, quo tempore modius quisque quatuor libellis venibat, satis esse post duos aut tres annos ut pretium illud solvat, non requiri autem ut refundat valorem, quem modius anno currente habet, (nisi tamen inter contrahentes convenerit rem tali anno esse restituendam, quia, inquit, æquus foret ille contractus ob incertitudinem futuri rerum valoris.) Suam hanc opinionem multis Jurisperitorum nostrorum auctoritatibus confirmat citatus Auctor; & hæc indubie tenenda est, ubicumque eam locorum usus, & leges observari voluerint; prout dixi ubi de Contractib. pag. nunc 738. interim fatetur Paluellejus eamdem unanimi pene Casuistarum decisioni esse contrariam; e quibus hæc adducit Toleti verba lib. 5. cap. 34. *Si quis mutuaret alicui*

non præscripto tempore solutionis , & tamen quando videres talem rem vilius valere , non peteret , expectando tempus , quo carius valeret ; talis esset avarus , & peccaret contra charitatem , non tamen esset usurarius , nisi impediret alterum , quominus solveret , cum vilius valeret res : aliter non facit contra justitiam , non enim tenetur debitorem advertere , nam ille debebat hoc considerare , & rei suæ consulere . Ex quibus colliges præsentem casum nulla generali lege , sed ex locorum jurisprudentia definiendum esse . Certe Domat Lib. 1. tit. 6. Sect. 3. n. 5. ex leg. 22. ff. de rebus creditis , statuit ut si conventum non fuerit , quo tempore res mutuo data redderetur , ea debeat æstimari *quanti tunc cum petita est* , ac proinde non quanti cum mutuo data est ; prout & dixeramus agentes de Mutuo .

Cogit brevitatis studium plures omittere Dominorum injustitias præsertim in iis , quæ ad talliarum *assisas* , ut ajunt , seu tributorum impositionem pertinent ; ut cum toparchæ villicis parcituri , vel potius commodo proprio consulturi , in pauperiores refundi præcipiunt , quæ a ditioribus solvenda erant , & tunc Domini primo loco , tum deinde Collectores , qui ex metu aut assentandi animo cooperati sunt injustitiæ , damnum illatum reparare tenentur ; neque illis vel istis absolutionis beneficium impendi potest . Vide Pontas ibid. cas. 8. & De Lamet Vid. *Tailles* .

Si graviter peccant Domini in vassallos, graviter, nec raro in Dominos peccant vassalli . Quod ut utcumque intelligatur , sciendum est Dominis quædam competere jura . 1. ex contractu , & sic iisdem competunt census dominici , jus relevii , jus certos a rusticis labores exigendi . 2. ex communi Provinciarum jure , sic competit jus columbarii , jus in thesauros , in animalia expavefacta . 3. ex præscriptione , sic rursum competere potest jus columbarii . 4. ex privilegio , sic competit jus venandi , jus piscandi, &c. 5. per modum pœnæ , & sic iisdem competit jus indicendi mulctas , & confiscationes .

De postremo hoc jure certum est illud non deberi ante Judicis sententiam latam juridice , & debite significatam. Ita sentiunt Casuistæ omnes , ait Paluellejus pag. 540. Cætera vero jura in conscientia debentur , unde alibi collegimus eos , qui columbas occidunt , qui inventum thesaurum , quem cum Domino partiri debuerant, totum asservant sibi , qui cuniculos apprehendunt, teneri ad restituendum .

At nullum est fortassis genus , in quo gravius peccetur , quam in solutione Laudimiorum , seu census illius , quem Gallice dicimus *Lods , & ventes* , & in Normania , *Treizième ;* quod ut saltem generatim intelligatur ,

Quæres 1. quando prædicti census debeantur.

R. Laudimia deberi in triplici casu. 1. cum prædium venditione acquiritur . 2. cum acquiritur conductione sub censu redimibili , *acquisition par bail a rente rechetable* . 3. cum acquiritur per commutationem . Ita sancitum est a Ludovico XIV. ann. 1674. mense Februario his verbis : *Disons , Statuons , &c. que les memes droits Seigneuriaux , qui sont ètablis , & reglès par les Coutumes des lieux , pour les mutations , qui se font par des Contrats de vente , seront payès à l'avenir en toutes mutations par Contrat d'èchange : soit que les èchanges soient d'hèritages contre hèritages , ou d'hèritages contre des droits, rentes , & redevances de quelque nature qu'elles puissent etre ,*

Quæ

Quæ verba temperare videntur Argou Tom. 1. pag. 250. & J. Ferriere v. *Mutation en matiere de Censive*, his uterque verbis: *Lesdroits d'èchange n'appartiennent pas aux Seigneurs, mais aut Roi, à moins que les Seigneurs n'en aient traitè avec le Roi*.

Quæres 2. an vassalli hosce census, antequam a Domino requirantur, solvere debeant.

R. affirmat. unde & instrumentum contractus eidem Domino exhibere debent: quapropter effatum illud: *Nemo tenetur edere titulum contra se*, nullius in præsenti materia momenti esse potest: cum valeat tantum pro casu, in quo unaquæque pars utitur jure suo, non autem cum pars suum ab altera jus trahit, eique vi contractus aliquid præstare tenetur: porro vassallus suum vendendi jus habet a Domino, qui illud ea solum conditione indulsit, ut sibi certa in mutationibus portio redituum solveretur.

Quæres 3. an si venditor censum persolvere nolit, ad id teneatur emptor in solidum.

R. affirmat. si neque, ut fieri solet, emptor iniquitati illius quicum contraxit, fuerit cooperatus. Idem de venditore respectu emptoris dicendum, si ex pacto, vel loci consuetudine emptor de Laudimio teneatur. Ita Paluelleius pag. 547.

Quæres 4. Quid juris, si contrahentes in dubio an deberent censum, contraxerint in aliena provincia.

R. eos cogi non debere ad solvendum id, quod forte non debent, sed cogi debere ad exhibendum Domino Contractum; quod si in ambiguo casu jus suum exegerit Dominus, recurrendum erit ad Judices. Ita idem Casuista pag. 541.

Quæres 5. sed quid, si contrahentes sine honoris & forte boni dispendio, contractum suum jam exhibere nequeant; puta, quia juraverint se non contraxisse?

R. cum eodem consulendos esse Advocatos, qui definiant an debeatur census. Si Advocatorum alii ab aliis dissentiant, ita ut dubium perseveret, adigendi sunt contrahentes ad solvendum secreto census dimidium, scilicet pro rata dubii, quod expendi non potuit a Domino Contractum ignorante propter malam contrahentium fidem. Fateor ego me in id semper propendere, ut in quocumque dubio, etiam seclusa mala fide, semper restitutio fiat pro rata dubii, nisi sermo sit de rebus fisci.

Quæres 6. quid juris, si partes coram Notario contraxerint sub censu irredimibili; & venditor contrario scripto, gallice *Contre-lettre*, emptori licentiam fecerit, censum quoties volet, redimendi.

R. Laudimium in hoc casu deberi, quia contractus ad censum redimibilem pro vera venditione habetur. Aliter dicendum in casu census irredimibilis super ipso fundo constituti, quia hujusmodi census locum tenet ipsius hæreditatis; ita etiam post citatam Ludovici Magni Declarationem tenent Galli auctores, Argou Tom. 1. p. 151. *Ferriere* ubi supra.

Quæres 7. sed quid si furtivum illud scriptum comburant contrahentes; & sincere consentiant ut census nunquam redimatur?

Respondet Paluelleius his verbis: *Le treizième ètant acquis au Seigneur dujour que la contre-lettre a ètè faite, & indèpendamment du rachat, les Contractans ne le pauvent priver de son droit, quoiqu'ils dètruisent l'Acte, & qu'ils changent de volontè, si ce n'est dans les 24. heures aprè l'acte passè*, Cætera omit-

omitto, tum quia materia hæc propria est Jurisconsultorum, ut notat Ponta hoc tit. tum quia cum variæ sint circa Laudumiorum solutionem consuetudines, vereor ne, quæ alicubi vera sunt, alibi non observentur.

PARS SEXTA.

De obligationibus eorum, qui publice docent, aut publice audiunt.

DUplex erit hujus partis caput: in priori de Magistris, in posteriori de Discipulis differemus, sic tamen ut Philosophiæ vel Theologiæ Professores aut Candidatos præ cœteris intueamur.

CAPUT PRIMUM.

De Magistris.

CUm juxta primam Facultatis Parisiensis legem, *omnium Regnorum & populorum felicitas, tum maxime Reipublicæ Christianæ salus a recta juventutis institutione pendeat; quæ quidem rudes adhuc animos ad humanitatem flectit, steriles alioquin & infructuosos Reipublicæ muniis idoneos & utiles reddit; Dei cultum, in parentes, & patriam pietatem, erga Magistratus reverentiam & obedientiam promovet*, jam a limine patet grandem suscipere provinciam quisquis instituendæ juventutis oneri succedit: quod ut ope methodi jam pluries tritæ demonstremus, paucis expendendum, quæ in Magistris dotes quoquoversum eminere debeant. Sit igitur

CONCLUSIO I. Qui alios erudiunt, tenera in Deum pietate referti esse debent.

Prob. Qui alios erudiunt, divinam tum in se, tum in alumnos suos benedictionem adducere debent; debent & gregem suum pascere verbo & exemplo; ac demum eniti ut eum pium magis faciant, quam doctum; hæc propositio meridiana luce clarior est; atqui non minus clarum est hæc officia non posse præstari sine tenera in Deum pietate. Nam 1. Dei gratiam nec in se nec in alios attrahet, qui sæpius & ex imo corde non recurrerit ad eum, quem Scripturæ vocant Patrem spirituum, Patrem luminum, Dominum scientiarum, a quo sufficientia nostra est: atqui hanc Dei sæpius & profunde interpellandi artem sola novit pietas, sola in praxim redigit; ergo; 2. nec alumnis suis verbo & exemplo præerit, nisi, qui vere pius erit: tum quia *ex abundantia cordis os loquitur*; tum quia difficile est ut homo diu mores suos componat coram iis, quorum frequenti utitur commercio, quique vel redarguere non audent, vel malo sponte & naturaliter applaudunt. 3. demum nec primas in lectionibus suis pietati partes dabit, sed scientiæ; cum experimento compertum sit, id agere unumquemque ut ea doceat, quibus plenus sit, ea vero lubens supprimat, quæ sibimet nusquam satis procurare conatus est: & tamen, qui præsertim Ecclesiæ Ministros infor-

formant, non tam scientiam, quam *circa usum scientiæ* erudire eos debeat, prout fert Bulla Congregationis Oratorii confirmativa; ergo, ut Hieronymi verbis concludam, necessum est ut aliorum, præsertim vero Clericorum Magister, *totus vocalis prodeat ..... gressus ejus & motus, vocalia sint universa*.

CONCLUSIO II. Qui alios erudiunt, præter spiritualia, de quibus statim locuturi sumus, auxilia, debent alumnis suis competentem doctrinam, vigilias, & quidquid ad serii studii amorem allicere potest.

Prob. 1. pars. Per competentem doctrinam, eam hic intelligimus, quæ sana sit, ad scopum intentum utilis, Candidatorum captui proportionata, & exposita ut decet: atqui hæc omnia debent Magistri alumnis suis; quando quidem ad hoc instituti sint a Republica & Ecclesia. Unde hic non probatione opus est, sed explicatione.

1. Itaque debent Magistri discipulis doctrinam sanam, idest Scripturæ, Traditioni, & Conciliorum oraculis consentaneam, non quomodocumque, sed prout hæc ab Ecclesia in æternum subsistente intelliguntur. Qui enim cum Calvino ejusve asseclis solam Scripturam interpellant Judicem, id utique faciunt, quia persuasum habent se de Judice suo facturos esse, quod volent. Inde tot apud eos, eorumque similes, tum Scripturæ tum Traditionis intellectus omnino discrepantes. Sic Lutherus in verbis institutionis Eucharistiæ præsentiam realem necessario perspicit, in iisdem vero absentiam realem Calvinus. Sic Jansenianorum alii in tota Scriptura proximum Eliæ reditum vicinamque Judæorum conversionem intuentur; quam alii derident & explodunt.

2. debent Magistri candidatis doctrinam, quæ ad intentum scopum utilis sit. Est autem & esse debet is Theologiæ alumnorum scopus, ut Christianam plebem salutari scientia imbuant, & imbutam dirigant in sacro Pœnitentiæ tribunali. An vero id præstabunt aut præstari facient ii, quibus *quæstiones, quæ præcipue subtilitatem aliquam philosophicam redolent, placent præ cæteris*; quorum *animo non obversantur nisi steriles quædam Scholasticorum aut criticorum disputationes, ex quibus nihil olei, quo ungaris, extorqueas .·. an populum docebunt subtiles illas quæstiones? sed populo inutiles sunt: & esto sint utiles, quibus illas terminis exponent? Scholasticorum? non capit terminos illos vulgus, quos ne ipsi quidem nisi post longum forte studium capere potuerant. Atque hinc arduæ illæ multorum Instructiones, Catechismi, Conciones, in quibus nil aliud audias, quam terminos, definitiones, & divisiones usitatas Scholasticis, quibus res quæque Theologicæ, alioquin fœcundissimæ, ita macrè exprimuntur, definiuntur, dividuntur, ut non nisi tenuissima rerum sæpe maximarum idea in animis audientium relinquantur*. Ita Opstraet q. quodlibet. 1. ad calcem Tomi 3.

3. Debet doctrina, quæ studentibus propinatur, eorum captui proportionata esse, & proportionato modo explicari: alioqui immerguntur eorum animi in quæstionibus arduis æque & inutilibus, quas nec modo portare possunt, nec forte unquam poterunt. Sunt quidem in singulis Moralis Theologiæ partibus quæstiones, quas, licet maxime difficiles captu, præteriri nefas fuerit, quæque, cum tractantur breviter, vix clare tractari possunt, secundum tritum id: *Brevis esse volo, obscurus fio*; at iis tunc diutius inhærere debent Magistri, easque sive intra sive extra scholam, cum latina tum etiam vernacula lingua inculcare tam crebro, ut eamdem incudem repetitis ictibus incudere videantur.

Prob.

Prob. 2. pars. Duo præsertim a Magistris præstanda sunt, scilicet ut & bona bene dicant, & non inutiliter dicant: atqui ad utrumque requiritur, ut & sibi, & alumnis suis invigilent. Sibi quidem, ne si non satis parati accedant, falsa dent pro veris, dubia pro certis, obscura pro evidentibus: Alumnis vero, ne vel cursum & otii amore studium negligant, vel eo nimis abrepti haud satis vacent spiritualibus exercitiis.

Prob. 3. pars. Quia studium intentum & acre, iis præsertim, qui ejus usum non habent, acerbus videtur & insuavis labor; ergo multo videbitur ingratior, si Magistri jugum aggravent rugosa fronte, severitate oris glaciali, verbis minacibus, agendi ratione, quæ despectum spiret. Merito igitur Quintilianus Lib. 2. cap. 2. juventutis institutorem his verbis depingit: *Minime sit iracundus, nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, dissimulator, simplex in docendo: patiens laboris, assiduus potius, quam immodicus in emendando, quæ corrigenda erunt; non acerbus, minimeque contumeliosus: nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod sic objurgant quasi oderint. Non austeritas ejus tristis, nec dissoluta comitas; ne inde odium, hinc contemptus oriatur.*

Hinc colliges cum Jacobo Besombes Tom. 6. Tract. 3. cap. 3. 1. *peccare* mortaliter & *gravissime, qui Scholis publicis eum præficiunt, quem sciunt certo indignum*, vel non sciunt dignum, *vel qui minus dignum, posthabito digniore, eligunt*. Peccant enim 1. in Deum, & magis, quam si minus dignos populis Pastores tribuerent; quia Beneficiarius solam plebem instruit, Professor vero publicus Clerum, a quo plebs instruenda sit; 2. peccant in Ecclesiam & Rempublicam, quam privant ea utilitate, quam ea digniori puerorum institutione perceptura fuisset. 3. peccant plerique contra juramentum, quo se devinxerunt ad eligendum digniorem.

Colliges 2. peccatum illud adversari justitiæ, adeoque inducere obligationem restituendi, quia *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Sed quo tandem pacto ea restitutio fiet? qua ratione resarcientur damna, quæ Pastor imperitus, & imperitus ejusdem Magister procreaverit? Sane, ait citatus Doctor, vix aliter tantum malum reparari potest, quam fusis precibus ad Deum, ut digniores mittat operarios. Interim tamen perpetua opus est Pœnitentia, qua malæ electionis crimen diluatur.

Colliges 3. iisdem undequaque pœnis obnoxios esse, qui ambitione, vel nimia præsumptione ducti, Magisterii cathedram requirunt, nec tam obtinent, quam adulatione, precibus importunis, & omni machinationum genere præripiant.

Colliges 4. a Magisterio immisericorditer abigendos esse, qui eos animi vel cordis defectus habent, quibuscum vix, ac ne vix quidem possint alumnis prodesse. Quales sunt primo, qui animo, ut ita loquar, distorti, *non habent mentem in concipiendo sagacem, in judicando prudentem, in disputando rectam, & singula, quæ tradenda sunt, methodice distribuentem*; secundo, qui vel discipulorum socordiam fovent præ timiditate aut amore nimio: vel neglectis aliis quosdam excolunt, quia assentatores, aut largitores munerum; item qui nesciunt aut non curant languidos excitare, promovere debiles, &c. quin & eos, qui ex mala corporis configuratione *risum aut contemptum tantisper excitare possent*, a docendi munere exclusos vult idem Besombeus, *nisi hic defectus præcelsa mentis sublimitate compensetur*. Haud tamen arbitror viros perfectæ jam ætatis, quales sunt eorum multi, qui in Seminariis audiunt, externis de-

defectibus tantum offendi, quantum iis læduntur pueruli, qui prima Grammatices elementa salutant.

Colliges 5. duo igitur præcipue esse Professoris Philosophiæ potissimum ac Theologiæ officia. Primum ut multiplicem gerens personam, nonnullorum ex alumnis suis *languescentem animum erigat, veluti subdens ad cursum calcaria; quorumdam vehementiam quasi fræno injecto compescat; aliorum castiget tarditatem & inertiam; denique omnium ingeniis placide se accommodet: tum autem & obscure proposita illustret, involuta explicet, confuse projecta ac male cohærentia in syllogismos apte illiget, nodosas quæstiones dissolvat*. Ita Andreas Hyperius in Opere *De Theologo, seu de ratione studii Theologici* Lib. 3. c. 8. pag. mihi 543. edit. Basil. an. 1559.

Secundum, idque præcipuum munus eorum præsertim, qui in Seminariis laborant, iis Constitutionum S. Lazari verbis feliciter exprimitur: *Professoribus nostris propositum erit, omnem, quam poterunt, operam conferre, ut eorum discipuli tales evadant operarii, quos Dominus in vineam suam mittere dignetur. Hujus rei gratia sæpius flectent genua ad Patrem D. N. J. C. & quorum mentes verbis suis identidem ad studium formant, eos ad virtutem exemplis suis invitabunt jugiter & instituent; ut dum in discipulis amorem virtutum, quæ Missionariis præsertim commendantur, fovebunt Magistri, pietas, quam illi de Seminarii fonte hauserunt, si non majora in dies capiat incrementa, nullum saltem patiatur detrimentum*. Unde

Colliges 6. quam fœde, quam graviter hallucinentur ii, qui in Academiis, ac Seminariis præsertim, emenso utcumque Scholæ stadio, quidquid sui muneris est, implevisse se putant; quasi nec precibus apud Deum agere debeant, ut quod jecerunt semen, centuplum ferant; nec plus alumnis suis improvida sua agendi ratione noceant, quam prosint, frigida aliqua, quam & forte multoties prætereunt, auctoris alicujus expositione.

CAPUT SECUNDUM.

De Discipulis.

STudentium obligationes ad tria capita reducemus, quid Deo scilicet; quid Professoribus, quid sibi debeant.

CONCLUSIO I. Juvenes, qui studiis vacant, pietatem & virtutem impensius sectari debent.

Prob. Ut juvenes studio dediti virtutem impensius sectari debeant, duo sufficiunt, nempe ut ad id teneantur, qua juvenes, & qua Scholastici. atqui ad id tenentur primo, qua juvenes. Id idem præcipit Scriptura pluribus in locis. Eccli. 2. *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore... conjungere Deo & sustine*. Eccli. 12. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis*. Thren. 3. *Bonum est homini, cum portaverit jugum ab adolescentia sua*. Proverbiorum 22. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*; secundo, ad id tenentur, qua Scholastici, tum quia pluribus indigent gratiis, cum & communes lascivientis hujus ætatis passiones vincendas habeant, quæ etiam in Academiis potentius grassantur; & tentationes

tiones ſtatus ſui proprias accediam præcipue, tædium, & vanitatem debellare teneantur. Tum quia recipiendæ ſapientiæ idoneos ſe & pares efficere debent: atqui *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* : ergo eniti debent ut de ſe dicatur, quod de Tobia dictum eſt: *Cum eſſet junior omnibus, nihil tamen puerile geſſit in opere*; imo contra pravos cœterorum mores fortiter ſtetit, unde *cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat, hic ſolus fugiebat conſortia omnium*. Tob. 1.

Sap. 1.

Erit autem optima pietatis colendæ ratio, 1. frequens & fervens Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſuſceptio: non quia id Academiæ legibus ſancitum ſit, ſed quia ii ſunt duo ſanitatis & ſalutis fontes; 2. quotidiana eaque devota auditio Miſſæ, per quam, ſi aliter fieri poteſt, ut poteſt fere ſemper, duas ad ſummum minores Horas ab iis, qui Officio addicti ſunt, recitari velim, alteram initio, alteram ſub finem, ita ut pars potiſſima Sacrificii ab Offertorio ad Communionem Sacerdotis, animo & corde teneatur; 3. tenera in Virginem Deiparam propenſio, quæ ſingulis diebus, aliqua fuſione precum, quas approbavit Eccleſia, de ſe prodat. Illa ſcilicet eſt virgo virginum præclara, quæ mites facit & caſtos. *Ipſam ſequens non devias; ipſam rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras; ipſa tenente non corruis; ipſa protegente non metuis; ipſa duce non fatigaris; ipſa propitia pervenis*. Sanctus Bernard. Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt* num. 17. 4. lectio bonorum Librorum, & conſequenter receſſus ab iis, qui ut Comœdiæ complures, Romanenſes item libri amorem, vindictam, & omne libidinum genus ſpirant; 5. plurima cum juvenibus bonæ frugis neceſſitudo, cœterorum fuga: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*. Proverb. 1.

Conclusio II. Adoleſcentes, qui Scholas frequentant, debent Profeſſoribus aſſiduitatem, docilitatem, reverentiam, & animum bene memorem.

Prob. 1. pars, de aſſiduitate, 1. quia *Sapiens corde præcepta ſuſcipit*, Proverb. 10. *Sapientiam* vero *& diſciplinam, qui abjicit, infelix eſt*, Sap. 3. Porro non ſuſcipit præcepta ſed abjicit, qui iiſdem aſſiduus non eſt; 2. quia *audiens Sapiens, ſapientior erit*, Proverb. 1. 3. quia ſe ferme habent variæ ſcientiarum partes, ſicut annuli catenæ, quorum primum niſi occupes, vix unquam poteris aſſequi ſecundum; 4. quia ſi Diſcipulis aſſiduas debent lectiones Magiſtri, aſſiduam Magiſtris debent attentionem Diſcipuli: atqui, &c.

Prob. 2. pars, de docilitate, quia indocilitas præſumptionem, nimiamque proprio ſenſui adhæſionem redolet; & murmura, ſcandala, diſputationeſque ſæpe ſæpius otioſas inducit. Et id tamen ſatis familiare eſt vitium juventutis, quæ futilem ſibi victoriam gratulatur, confidit ſe Magiſtris ſuis callidiorem, reſponſa eorum temnit, & aliquando tandem labitur in errores, a quibus revocari nequeat, prout Tertulliano & Photio, viris cœteroqui magna ingenii acie famoſis contigit. Interim Profeſſori, qui opiniones ab Eccleſia proſcriptas tradiderit, neminem aſſentire velim: prima enim docilitas Eccleſiæ debita eſt.

Prob. 3. pars, cum exemplo Theodoſii magni, qui filios ſuos, licet in Orbis regimen natos, coram Arſenio ſtantes loqui præcepit; tum quia non inepte dixit Philoſophus, accipere nos a parentibus eſſe, ab in-

institutoribus bene esse ; ergo utrosque pro patribus habere , ac proinde specialiter revereri tenemur .

Prob. 4. pars , quia animum bene memorem iis debemus , qui grande nobis obsequium præstant , idque non facili negotio , sed in sudore vultus , in vigiliis plurimis , in patientia multa : atqui ea est erga nos conditio Professorum , qui non persunctorie , sed ut par est , Officio suo fungi volunt : quot enim diu noctuque libros terere , secum invicem conferre , meditari ac ruminare debent , priusquam e suggestu loquantur ? quot auditorum tarditatem , ac duritiam vel pati vel frangere necessum est ? &c.

Conclusio III. Qui Scholas adeunt , serium sibimetipsis laborem ac studium debent , & si omiserint , graviter peccant .

Prob. Ideo graviter peccat Professor , qui vel horis solitis Scholæ deest , vel in Schola male & temere docet , quia officium suum negligit in materia gravi : atqui pariter Scholaris , qui studium , vel abjicit , vel segniter amplectitur , officium negligit in materia gravi ; & cujus neglectus multa invehit peccata contra Deum , contra parentes , contra Ecclesiam , prout diximus supra part. 1. cap. 1. art. 1. Concl. 2. ergo.

Prob. 2. quia sola temporis jactura , cum ad certam excrevit quantitatem , quæ definiri facile non potest , sufficit ad peccatum lethale , ut patet in servo inutili , qui nec ludo , nec commessationi , nec impudicitiæ sese dederat : atqui temporis jacturam facit Scholasticus , qui studio non vacat ; idque verum esse , etsi aliunde rebus de se licitis exerceret animum , quod rarum est ; quia ab eo studium exigitur , non ea , quibus vacat . Atque id agnoverunt Ethnici , qui docuere cum Seneca tempus iis perire , qui vel *male* , vel *nibil* , vel *aliud* agerent : ergo.

Prob. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: atqui juvenes , qui studium negligunt , quo tempore eidem vacare debent , amant periculum præcipue duplex . 1. nempe criminum omnium , quæ otiositas parere consuevit . 2. amplectendi officia vel sæcularia , vel Ecclesiastica , quibus præ imperitia obeundis , ex parte vel ex toto impares sint : ergo merito dixit Salomon Prov. 17. *Qui evitat discere , incidet in mala* .

Hæc porro in studiis servare debent Candidati præsertim Theologiæ ; quos hic potissimum intuemur . 1. non ante ad studium se accingent , quam brevi , & efficaci oratione imploraverint Spiritus Sancti lumen , ut fuget tenebras mentis , & revelet *occulta sapientiæ* : & hæc est pia methodus , quæ Angelico Doctori cessit tam feliciter .

2. Non ita scientiæ cupidini se permittent , ut nihil aliud cogitent , quam studium . Diuturnior enim animi contentio pietatis Spiritum imminuit , ingenii vires hebetat , & frangit corpus , hinc illud Prov. 20. *Hæreditas , ad quam festinatur in principio , in novissima benedictione carebit* .

3. Multo plus cavebunt ne omnia simul addiscere velint , ut ii faciunt qui Mathesi , Theologiæ , & Linguis orientalibus uno eodemque tempore incumbunt ; nihilque aliud e studiis reportant , quam confusas rerum imagines , & nescio quam scientiæ farraginem , quæ si quando se prodit exterius , fastidium parit , non lucem . Fuere quidem sublimis ingenii homines , qui pluribus se scientiis simul exercuerint ; sed quoti ?

4. Dum studia auspicantur , paucissimis utentur libris , ne dicam uno ; memores triti hujus : *Cave ab homine unius libri* . Profecto , qui auctorem unum

unum probatæ notæ callet, pugnat efficacius & difficilius vincitur. Ubi paulo profecerint, aliquot oppositarum partium scriptores evolvere liceat, quos non eligent proprio marte, sed ab iis accipient, qui studia eorum moderantur.

5. A lectione Librorum hæreticorum abstinebunt, donec in fide radicati, nihil hinc sibi discriminis impendeat. Ad id autem oportet ut præcesserint duorum ad minus annorum studia, prout ex Sylvio dicemus, agendo de Fide sub ipsum finem; quem Operis nostri locum consule.

6. In Libris legendis rerum delectum habebunt, inutilia secernent ab utilibus, quæstiones de possibili, & de *quomodo*, ut ajunt, parvi facient, idque præsertim prosequentur, quod ad fidem, quod ad regimen conscientiarum, quod ad veterem & novam Ecclesiæ disciplinam pertinet: hæc nempe solide eruditum faciunt; cœtera, quæ quibusdam ingenium acuere videntur, discussorem insulsum, seu alterum, ut ajunt, Palæmonem.

7. Ante omnia veritatem diligent, quam *diligit Deus*, & diligi præcipit, Psalm. 83. & Zachar. 8. vers. 19. sed nusquam obliviscentur verum non esse quidquid ab Ecclesia reprobatur. Imo in Metaphysicis, ubi quisque suo in sensu abundare posse magis videtur, cavebunt ne nimis innitantur solertiæ suæ, & multo plus, ne juveniliter lacessant eos, qui secus sentiunt.

Ex dictis colliges graviter peccare eos, qui ex inertia vel fastidio, non dies tantum, sed hebdomadas, menses, & annos quandoque, vel sine studio, vel cum studio multo minore, quam opus esset, misere transfigunt. Quid ergo de iis dicendum, qui propria negligentia minime contenti, alios retrahunt a studendo? *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi*, ajebat Christus, Matth. 13. *quia clauditis regnum cœlorum ante homines.... non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*.

Atque utinam intra solius negligentiæ terminos sisterent Adolescentes minime studiosi; sed, quia *multam*, vel omnem *malitiam docuit otiositas*, nullum pene est crimen, impudicitiæ potissimum & commessationis, in quo se se turpiter non volutent; idque sæpius dum pater, mater, & fratres tenuem & angustam domi vitam agunt, portantque *pondus diei & æstus*, ut impensas & pecuniam præstent homini, quem sibi & Ecclesiæ utilem futurum esse inaniter confidunt. Interim nullus dubitat, quin hujusmodi adolescentes ad restituendum teneantur, sive patri, aut matri, sive fratribus; cum tota eorum agendi ratio furtum sit & quædam latrocinii species. Adde eosdem, si vi graduum, quos in Academiis consecuti sunt, Beneficium obtineant, absque eo, quod Scholas cum assiduitate morali frequentaverint, teneri ad cedendum eodem Beneficio. Vide, quæ dixi in Tractatu de Beneficiis cap. 1.

Posset hic non incommode haberi sermo de obligationibus parentum & liberorum, dominorum, ac famulorum, ducum, & militum. Sed quoniam singula Decalogi præcepta exponere nobis propositum est, de his melius differemus ad quartum & quintum ejusdem Decalogi præceptum.

PARS

PARS SEPTIMA.

De obligationibus Medicorum, Pharmacopolarum, & Chirurgorum.

SI gravis est obligatio Judicum, quia iisdem de fortuna & capite civium secundum leges judicare datum est; quanto reputanda est gravior obligatio Medicorum, cœterorumque iisdem affinium, qui fine Sociis ut plurimum, folique Deo de operationibus fuis rationem reddituri, non facinorosorum, ut Judices, sed probi cujuscumque vitam penes se habent? *Honora Medicum propter necessitatem*, ait Sapiens Eccli. 38. *Etenim illum creavit Altissimus .... Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur*; si nempe arduas Officii sui vices ea, qua decet, ratione objerit; quæ ut paucis solita methodo expendatur, sit

CONCLUSIO I. Medici, singulari peritia, diligentia, charitate, pietate, propriæ utilitatis neglectu, ac demum fidelitate præditi esse debent.

Explicatur conclusio per partes. Et quidem 1. Medici scientia fulgere debent, cum absque ea nec morbum a morbo, nec remedia idonea ab inutilibus, aut noxiis secernere valeant. Et vero sua sunt, eaque magni momenti Medicis privilegia; sic nec tributorum collectione, in tota Gallia; nec si in Facultate Parisiensi recepti sint, tutelis, aliisve publicis oneribus gravari possunt; quorsum vero eæ immunitates, nisi ut peritam & salutarem ægris manum admoveant? Porro scientiam Medici modestam esse oportet, ne opinioni suæ præfracte adhæreat; ne temere rejiciat id, quod alius etiam junior, & quandoque sagaciter proposuerit, &c.

2. Uti debent diligentia singulari, sive in investigandis morbi principiis, progressibus, & natura; sive in invisendis ægris, circa quos mora quæcumque funestos animæ, ac corpori exitus habere potest. Hinc Medicum, sicut & Sacerdotem, quacumque diei & noctis hora paratum esse oportet ad ferendam opem morienti, ac consequenter procul & perpetuo ab iis distare vitiis, quæ, ut crapula & ebrietas, mentem hebetant, & corpus iners atque torpidum efficiunt.

3. Et magna esse debet medicorum charitas, tum erga concives suos in genere, tum erga egenos, qui inopia pressi, nihil præter animum bene memorem rependere possunt. Unde graviter peccant tum ii, qui precibus, ac commendationibus victi imperitum Collegio suo adscribunt, cum gravi multitudinis dispendio; tum qui æneam animam gerentes ab invisendis pauperibus eo uno, quod pauperes sunt, abstinent; contra id Sancti Antonini 3. part. tit. 8. cap. 1. §. 1. *Medicus pauperibus non valentibus solvere gratis mederi debet, & non se ab eorum cura subtrahere; quia hoc esset indirecte occidere. Mortem enim probatur languentibus inferre, qui hanc, cum potest, non excludit*. Imo, ait Sanctus Doctor c. 2. tenetur Medicus *medicinas pro* egenis *solvere, si valeat, & ipsi infirmi facultatem non habent*.

Duo circa hanc Sancti Antonini resolutionem sunt animadvertenda; nempe nec obnoxium fore irregularitati Medicum, qui quempiam invisere noluisset; (nisi a Communitate, aut alio quovis conductus

esset ad invisendos omnes certi loci incolas) quia tunc solam charitatem læsisset; nec plus eumdem teneri ad præbenda gratis egeno medicamina quam cæteros quoscumque: est enim id puræ misericordiæ opus, quod omnes æque afficit: quamquam ex circumstantiis fieri potest, ut Medici facilius hoc in casu quam alii delinquant, quia facilius sentiunt periculum moræ. Vide Pontas v. *Medicin*. cas. 1.

4. Medicum pietate commendari oportet: 1. ut ægros, quam primo necessarium erit, de recipiendis Ecclesiæ Sacramentis, sive per semetipsum, sive per eos, quibus infirmi cura incumbit, commoneat; 2. ne iisdem facilius indulgeat usum carnis, aut a jejunio avertat, præsertim tempore quadragesimali; 3. ne remedia præbeat contra Dei legem, puta quæ generationi obstent, aut abortum pariant.

Quod spectat ad necessitatem ægros quamprimum commonendi ut ad Sacramenta recurrant, extat celebris Innocentii III. Constitutio, c. 13. *De pœnitentiis & remiss.* ubi sic: *Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem curaverat*: Vade & amplius noli peccare; ne deterius aliquid tibi contingat, *præsenti Decreto statuimus, & districte præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, ut Medicos advocent animarum; ut, postquam infirmo fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus*. Suæ hujus legis rationem hanc reddit Pontifex; quod ubi pessima viget ægrotos tardissime commonendi consuetudo, illi de se actum esse ex ipsa admonitione suspicantes, *in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem Medicorum hujus nostræ Constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata* (ut a Parisiensi Consilio jam ab anno 1429. publicata est) *transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter*.

Prædictum Innocentii III. seu potius Lateranensis Concilii IV. Decretum innovavit Pius V. Bulla *Super Gregem*, anno 1566. in qua etiam vetat ne Medicus ægros officio Christiano fungi nolentes post tertium diem ab inutili monito visitare pergat, *nisi longius tempus* iisdem *Confessor ob aliquam rationabilem causam concesserit*. Si tamen Medici fuga ægro impœnitenti graviter nocitura, mortemve allatura esset, non esset is deserendus; cum fieri possit, ut redditus sanitati, recurrat ad Deum, a quo nunc abhorret. Interim Medicus, qui præ pusillanimitate; aut pietatis defectu infirmum non monet, cum monendus est, charitatem lædit, & *peccat mortaliter*, prout cum Sancto Antonino docet Pontas ibid. cas. 5. pœnas vero infamiæ, & privationis gradus sui Piana constitutione impositas non incurrit in Gallia, ubi eadem Bulla non viget. An & quando in aliis Regionibus incurrat, magna est inter extraneos dissensio, quæ nos non tangit. Legantur Summa Cajetani v. Medicus, Navarrus cap. 25. Manual. num. 61. Sanchez Lib. 3. Summæ, cap. 19.

5. Nec lucrum inhiare, nec commodis suis impensius servire debent Medici, sed justo contenti esse stipendio. Hinc illud Leg. 9. *Cod. de Professorib. &c. Archiatri ... honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt*. Unde in Gal-

Gallia Medicus legati cujuscumque vel donationis, si fiant in eo, quo quis decesserit, morbo, incapax censetur, & merito; quia *non libera voluntas, sed truculentæ necessitatis manus hujusmodi contractibus stylum suum imponit*. Atque ita pluries judicatum fuit a Magistratibus, prout notat Ferriere in Dictionario, v. *Medecin*. Quin & refert Peleus Libr. 4. Act. Forens. articul. 3. Arrestum, quo in irritum ducta est donatio filio Medici facta ab ægrotante. Si tamen Medicus ab ægro quidpiam receperit titulo consanguinitatis, vel necessitudinis antiquæ, nulla foret restituendi obligatio, prout jam monui in Tractatu de Contractib. pag. 785. alias 768.

Cæterum *Medici non illicite recipiunt salarium pro infirmitate, quam sciunt esse incurabilem: ratio est quia Medicus inventus est ad instrumentum naturæ: & tamdiu instrumentum medicinæ non est ex toto subtrahendum infirmo, quamdiu natura non succumbit. Ideo non peccat Medicus accipiendo stipendium de cura ægritudinis, quam per principia medicinæ credit esse incurabilem, nisi forte malitiose, non indicando illis, qui illius curam habent, vel superfluos sumptus faciendo, vel eum curare omnino promittendo; sed indicata veritate, quam novit de ægritudinis cura, tamdiu juste potest accipere stipendium suum, quamdiu exhibet in cura fidele ministerium*. Ita Sanctus Antoninus ubi supra cap. 2. §. 6. Hinc etiam post ægroti mortem jus habet Medicus ad stipendium labori suo proportionatum; ejus tamen actio præscribitur post annum a die, quo ægrum invisere vel curare desierit, computandum; quo elapso tempore non jam Medici, sed ægri, ejusve hæredis juramento standum est juxta articulum 125. consuetudinis Parisiensis. Prædicta ad salarium actio non iis competit Medicis circulatoribus, quos Gallice dicimus *Charlatans*, sed iis, qui emenso debiti studii curriculo, Medici gradum æquo titulo comparaverint, prout monet Ferriere loco superius citato.

6. Requiritur in Medicis ea probitatis species, quam fidem dicere consuevimus; ne scilicet pudendos infirmorum morbos detegant, contra id Saluberrimæ Facultatis Decretum: *Ægrorum arcana, visa, audita, intellecta nemo eliminet*. Et vero quoti perire mallent, quam quosdam sui morbos propalari? Unde, nisi aliud suadeant circumstantiæ admodum speciales, ne ipsum quidem venereæ luis morbum detegi vellim ut innocens puella a nuptiis deterreatur: quia satius est unius dispendium permittere, quam publica scandala ciere; & fiduciam adimere multitudini.

Ex dictis colliges peccare Medicum, 1. cum absque sufficienti peritia morbos curare aggreditur. Si tamen nemo alius præsto esset, non videretur arguendus, qui modeste indicaret remedium aliquod nec in se, nec relative ad ægri conditionem periculosum, hoc enim & ii faciunt, qui medicinam non profitentur. Si quis vero, ut moris est, peritum se jactet, cum non sit, & ægro vel impensas, vel mortem afferat, tenetur ad restituendum.

2. Si operam ægritudinis gravitati proportionatum non impendat; ac multo plus si infirmos invisat, quo tempore præ vino non est satis animi compos.

3. Si medicamenta minus certa, minusve probabilia relictis iis, quæ certiora sunt, aut magis probabilia, adhibeat. Item si dubia vel inexplorata præbeat, *ad faciendam*, ut ajunt, *experientiam in anima vili*;

quod latine coram se dictum plebejus quidam latine sciens, his verbis merito castigavit: *Vilem animam appellas, pro qua mortuus est Christus?* Ratio est, quia dubium censetur medicamentum, quoties incertum est sitne nociturum, an profuturum; Porro hujusmodi remedia applicare non licet; quia applicata necare possunt eum, qui forte sanandus sit, si non applicentur.

Si vero unicum suppetat remedium, 1. debet Medicus ex variis circa idem remedium opinionibus sequi tutiorem, eam nempe, cui frequentior experientia suffragatur; 2. si rebus, ut decet, expensis pergat dubitare de bono, vel malo effectu remedii, tunc si desperata sit infirmi salus, censent viri graves illud in quemcumque eventum applicari posse, imo & debere; quia melior est salus incerta, quam mors certa. Ita Sanchez Lib. 1. Sum. cap. 9. num. 39. & qui plus me movet P. Antoine Tom. 2. in fine. Contrarium sentiunt Azor. Tom. 1. Lib. 2. cap. 17. q. 11. aliique plures relati a Sanchez: quia si non applicetur medicamen dubium, mors infirmi subsecuta non culpæ Medici, sed morbi violentiæ tribuetur. Si vero applicetur, exponitur periculo vita ægri, qui forsan eo non applicato ad sanitatem restitueretur, aut saltem diutius viveret. Etsi materia gravis est, sunt, qui neutram opinionem in praxi redarguere ausint, modo qui alterutram sequentur, nihil contra conscientiam agant.

4. Si lucri causa protrahat curationem morbi, sæpiusve & inutilite ægrum visitet. Item si optet frequentiam morborum; aut de aliis Medicis detrahat, ut solus laboret.

5. Si remedia imperet aut suadeat divinis legibus prohibita, puta si consulat ægro ut illicite coeat, aut ut se inebriet, vel abortiat, etiamsi id ex ignorantia consulat: imo si non consulat, sed his utatur verbis: *Non tibi consulo, sed si tale quidpiam faceres, sanareris*. Ita Navarrus c. 25. Man. n. 61. de Alloza v. *Medicus*, n. 11.

6. Si egenis graviter ægrotantibus non medeatur gratis. Quin & avarum divitem solvere nolentem etiam in periculo vitæ, repellere non deberet, sed misericorditer invisere; postea laboris sui stipendium in judicio repetiturus. Sed etsi exigunt decentia & liberalitas, ut plus retribuant ditiores, quam ii, quorum tenuior est fortuna, cavendum tamen, ne quis ultra condignum gravetur. Unde non morbi acerbitas, sed tempus in eo curando insumptum pensari debet, habita scilicet ratione, seu visitationum, seu forte studii specialis, quod exigunt morbi quidam rariores. Quod si Medicus remedia quædam cœteris ignota teneat, consuetudinis est, ut pinguiori donetur salario.

CONCLUSIO II. Pharmacopolæ, quorum est parare medicamina; Chirurgi item, quibus competit ut medeantur urendo, incidendo, calvariam terebra perforando, iisdem qualitatibus præditi esse debent, quas in Medicis requisivimus.

Prob. quia Pharmacopolæ, & Chirurgi veram medicinæ partem exercent, nec minus utilem, si sagaciter; nec periculosam minus, si imprudenter exerceatur.

Hinc peccant Pharmacopolæ, 1. qui absque sufficienti *simplicium* notitia artem suam exercent; 2. qui evanida remedia præbent, etiamsi descendant in pretio, nisi qualitatem compensent quantitate, si com-

ſi compenſari poteſt. 3. qui pro nutu remedia inſtruunt ; non ex Medici præſcripto, cui inhærere debent, niſi in eo errorem deprehendant; quo in caſu Medicum admonere tenerentur. 4. qui remedia bonis moribus contraria præparant, contra id cap. 5. de homicid. vol. &c. *Si aliquis cauſa explendæ libidinis vel odii meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, aut dederit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur.*

Quod ſpectat ad Chirurgos, ii præter obligationes hactenus recenſitas, geminam hanc habent. 1. ut mature conſulant de amputando membro, quod ſemel abſciſſum reparari nequeat. Abſit ut innatus Chirurgis *operandi* amor, quempiam in materia tanti momenti reddat nimium præcipitem. 2. ut in certarum corporis partium inſpectu graſſantem malæ voluptatis ſenſum coerceant pro virili; ne dum alieni corporis curant vulnera, profundiorem animæ ſuæ plagam inurant.

PARS OCTAVA.

De Moderatoribus, & Collectoribus tributorum.

MAteriam hanc eo loci tractandam duximus, tum quia nullibi commodius poterat agitari; tum quia crebris, & altis obnoxia eſt difficultatibus, quæ non in pagis tantum, ſed & in urbibus, amplam dubiorum meſſem Confeſſariis præbent.

Tributum, quod ab Italico, & Gallico nomine *Talliam* vocant infimæ Latinitatis ſcriptores, definitur a Polmano, Penſio impoſita ſubditis ad Principis dignitatem, impendiave communia ſuſtinenda. Tributum ſtrictiori hoc ſenſu acceptum differt 1. a vectigali, quod penditur pro rebus in Provinciam, aut civitatem invectis, vel evectis 2. a Portorio, quod ſolvitur pro mercium tranſvectione per Pontes ac flumina. 3. a Pedagio, quod pro viarum cuſtodia & refectione exigitur.

Tributum dividitur in reale, quod ſolvitur ratione prædiorum, & perſonale, quod cadit in perſonas ratione induſtriæ, & lucri ex eadem percepti. Pleraque hujus regni tributa, realia ſunt & perſonalia, ut obſervat Ferriere v. *Taille*.

Certum eſt 1. tributa juſta a principibus imponi poſſe; & a ſubditis deberi in conſcientia. Patet id ex iis, quæ dixi, ubi de Legibus, c. 5. art. 2. Sect. 2.

Certum eſt 2. non omnes obnoxios eſſe legi Tributorum. Ab ea ſiquidem in Galliis immunes ſunt tum Clerici, tum Nobiles, tum qui vel apud Regem certa Officia exercent, vel quædam in gratiam civium munia (*) gerunt. Ne vero ſi Clerici, & Nobiles prædia ſua non locarent, ſed ſuis ſervorumve manibus incolerent, plebs infima ni-

(*) Les Officiers des Cours Souveraines, les Secretaires du Roi, les Officiers Commenſaux des Maiſons Royales, ſervans actuellement par quartier, par ſemeſtre, ou toute l'année, qui reçoivent au moins ſoixante livres de gage, & ſont employès aux Etats, enregiſtrès en la Cour des Aides. Les Officiers des Sièges Preſidiaux, Sènèchauſsèes, Prevotès, Vicomtes Vigueries, Eaux, & Forets Traites-Foraines, Elections, Greniers à Sel, & de toutes les autres Juſtices & Juriſdictions Royales du Royaume. Le Veterans de pluſieurs des Offices ènoncès ci-deſſus. Les Veuves de certains Officier durāt leur viduitè. Ceux qui ōt douze ēfās, toutes ces perſoñes ſōt exēptes de Tailles. *Fer. ib.*

mium gravaretur, sanxit Ludovicus XIV. ann. 1667. ut utrique nonnisi unum prædium, quatuor aratris constans, idque in eadem Parochia per se exercerent; cœtera vero vel locarent ruricolis, vel tributis plebejorum more obnoxia haberent.

Certum est 3. tributorum moderatores in id unum eniti debere, ut proportionatam uniuscujusque facultatibus taxam imponant. Hoc enim iis præcipiunt, & Regiæ Constitutiones, & æquitas naturalis, quæ publica onera proportionaliter imponi jubet, ita ut debiliores onera potentiorum non ferant. Quapropter hic servandæ sunt Regulæ quatuor a pio, & erudito Parisiensium Collationum Auctore propositæ.

I. In distribuendis tributis habenda est ratio bonorum tum privati cujuslibet, tum etiam totius Communitatis, ita ut per Censitorem relevetur, qui relevari ob paupertatem debet, & plus ferat, qui plus bonorum habet.

II. Neque tamen boni solius ratio habenda est, sed & onerum personæ annexorum. Unde inspiciendum quot quis liberos habeat, an alieno ære gravatus sit, an non grandine, vel morbis oppressus, an non sæpius Collectoris Officium peragere debeat, quod aliqui totis ferme quinquenniis subeunt non sine dispendio 300. aut 400. libellarum.

III. Inspiciendum non modo quantum quis hoc in loco habeat boni, sed & quantum alibi possideat, nisi tamen ex bonis alibi positis tributum solvat; quia non bis in idem.

IV. Ut onera, sic onerum sublevatio dividi debent. Unde patet quam graviter delinquant, qui concessam a principe imminutionem sibi suisque solum applicant. Quanto autem peccarent gravius, si taxam imponerent Regia majorem?

Addi possent Regulæ aliæ, quæ principes ipsos propius spectarent: sed de his consuli potest nuperus Auctor libri, cui titulus: *Institution d' un Prince*, par. 2. cap. 19. art. 2.

Quoniam vero tam facile est errare in consectariis, quam facile est non errare in principiis; & sæpe dubium est an non certis in casibus restringi debeant principia, quæ primo intuitu generalia videntur; idcirco varios hic proponam casus, qui non minimam viris cœteroqui doctis difficultatem fecere. Ex his porro casibus alii spectant immediate Collectores; alii locorum dominos, aut Magistratus impositioni tributorum præpositos, aliosve similes, qui metu vel dolo causa sunt, cur tributa inique distribuantur. De utrisque seorsim dicemus.

CAPUT PRIMUM.

De Collectoribus.

MAteriam hanc se tota practicam interrogationibus; & responsis comprehendere, & dilucidare visum est. Itaque

Quæres 1. quid sentiendum de Collectoribus, qui Titium virum divitem minus gravaverunt, quam debuissent, his de causis. 1. quod ei debeant plurimum pecuniæ, quam actu solvere non possint. 2. quod majore anni parte pro eo laborent, & sic lucrentur unde vivant. 3. quod qui

qui antea tributum collegerunt, non plus eum gravaverint. 4. quod minetur Titius, se, si plus solito gravetur, aliam in Parochiam recessurum; quod si faceret, oneraretur Parochia ea tributi portione, quam Titius solvit. 5. quod Collectores quotam tributi partem singulis distribuendo, agant nomine Communitatis, quæ cum sciat mitius agi cum Titio, id approbare censetur. 6. quod, si cui hac in re incumbat obligatio restituendi, hæc incumbat Titio, cui soli prædicta indulgentia cedit in lucrum; non Collectoribus, qui nihil inde percipiunt emolumenti.

Respondet Pontas v. *Taille* cas. 1. prædictos Collectores injustitiæ reos esse & obnoxios restitutioni, vanasque esse rationes, quibus iidem tueri se conantur; quia nulla unquam ratio efficere potest, ut alterum cum alterius præjudicio exonerare liceat; multo minus divitem cum dispendio pauperis.

Nec nocet, quod hinc forte eventurum sit ut Collectores vel opprimantur a Titio, cui plurimum debent: vel deinceps ab eo non admittantur ad solum laborem. Quia nemini, ut rebus suis consulat, alios expoliare licitum est.

Nec nocet rursus, quod, qui anteriora tributa collegerunt, hactenus pepercerint Titio; quia aliena iniquitas iniquitatis meæ excusatio esse nequit.

Nec nocet 3. quod minatur Titius recessurum se e Parochia; tum quia multa minitantur homines, quæ non præstant; tum quia dispendium, quod quis sine culpa sua peperit, imputari eidem non debet.

Nec demum nocet, quod Collectores, qui Titio pepercerunt, nihil inde lucri receperint. Neque enim ad contrahendam restituendi obligationem necessaria est iniqua acceptio, sed sufficit iniqua damnificatio, quæ in præsenti contingit. Attamen Collectores nonnisi in defectum Titii restituere debent.

Multo majoris est momenti id, quod quinto loco objiciunt Collectores, nempe Communitatem censeri approbare, ut mitius agatur cum Titio. Sed neque ea ratio peremptoria est: 1. quia deberet constare de consensu totius Communitatis, ac eorum præsertim, qui, ut pauperes, plus gravantur ex remissione Titio facta: secundum hanc Juris regulam 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*; plus ab eis, quos plus tangit. 2. quia Regia Constitutio ann. 1614. consensum in pari casu ab ipsa etiam Communitate datum irritat, & nullius roboris esse decernit: utique quia timendum est ne consensum hunc extorqueant viri potentes, præsertim a pauperibus, qui plus ab iisdem dependent. Quod si aliquam sibi stragem metuant Collectores a Titio, debent, qua meliori via potuerunt, rem totam aperire Magistratibus a Rege Constitutis, qui pensum Titii facultatibus proportionatum imponent ex Officio; quod gallice dicimus, *taxer d' Office*. Hactenus Pontas.

Si tamen vir dives multo plus in gratiam Parochiæ totius impenderet, quam perciperet in imminutione tributi; tantumque ex quadam animi pertinacia, & ne rusticanis Collectoribus perinde ac aliis subjici videretur, pensum suum augeri nollet; damnare non auderem Collectores, qui summam justa minorem eidem imponerent, vel semel a prædecessoribus suis impositam servarent, modo tamen id fieret de

Communitatis totius consensu; quia (*) *dum aliquid est commune pluribus ut singulis*, id est, ut proprium *interesse* habentibus, omnium prorsus suffragia requiruntur; secus *dum aliquid est commune ut universis*; id est ratione solum utilitatis publicæ. An autem postrema hæc decisio in Gallia inservire possit, dubitari potest ob citatam Constitutionem an. 1614. Quoniam tamen ex Reg. 61. in 6. id, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; seu ut habetur Leg. 25. ff. *De legibus & SSc. Nulla Juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, quæ salubriter pro utilitate hominem introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem*; idcirco Collectores, qui ex prævio Communitatis assensu cuipiam in casu proposito pepercissent, non redarguerem, nisi amplius de Regis voluntate constaret.

Quæres 2. quid Juris in hoc casu. Petrus omnium cujusdam pagi incolarum ditissimus, ab annis jam quindecim tributi pensum singulis partitur, de consensu totius Communitatis. Contigit autem ut Petrus quibusdam seu familiaribus, seu cognatis parceret ann. 1742. Joannes, & Marcus pro eodem anno Collectores designati, tenenturne de hac Petri injustitia?

R. Affirmat. cum Pontasio ibid. cas. 2. quia ambo Collectores per se ipsos censentur intulisse damnum, quod ab alio, quem poterant & debebant prohibere, inferri permiserunt.

Addit Pontas ibid. cas. 3. pauperem rusticum, qui ad laborem necessarium peregre profecturus, tributorum impositioni quempiam ex amicis suis pro viro frugi habitum præficit, de culpa ejus non teneri: tum quia ex Regula 41. Juris in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non facit, quod per eum fuerat faciendum*; tum quia, qui virum probum constituit, persuadere sibi debet, id, quod inique factum est, non ejus culpa, sed sociorum contigisse.

Hæc decisio indubia videtur, si Communitas substitutionem approbaverit; quia hic intervenit virtualis quædam novi Collectoris electio: si vero substitutio inconsulta Communitate peracta sit, tunc substitutus vices gerit Commissarii. Atqui committens de Commissarii gestione tenetur, & ejus injustitiam reparare tenetur: ergo. Ita judicarunt an. 1731. Doctores Sorbonici duo. Quapropter si erraverit Collector eum substituendo, quem falso crediderat virum bonæ frugis, videtur obnoxius restitutioni. Sed in dubio præsumere potest virum probum omni, quo potuit, modo restituisse inquitati, & forte efficacius, quam ipsemet restituisset.

Atque hinc solvi potest alia difficultas, quam expendit Pontasius ibid. cas. 4. an scilicet hæres Collectoris, cujus tempore pauperes inique gravati sunt, ad restituendum teneatur. Hæc enim ex defuncti Collectoris bono vel malo nomine videtur esse definienda. Si Collector pro viro timoratæ conscientiæ habitus fuit, dum degeret in vivis, nulla est obligatio restituendi. Si econtra habitus sit pro homine ad injustitiam converso, restituendum est pro rata. Si dubia sit, & anceps defuncti fama, vel dubia est positive, & tunc pro ratione dubii resti-

(*) Circa expositionem hujus & sequentis Regulæ, vide Opus inscriptum: *Les Regles du Droit-Canon . . . avec des explication, &c. par F. P. Dantoine*, ad Regulam 29.

restituendum est; vel dubia est negative, & tunc dubium facile potest excuti, prout dixi in Tractatu de Conscientia, cap. 4. Tunc tamen salubrius est ut hæredes Collectoris defuncti, saltem eleemosynam largiendo, paternam iniquitatem, si quæ extiterit, resarcire cogitent.

Quæres 3. An Joannes Collector, qui viva voce injustitiæ obstitit, cum facta est tributorum partitio, sed siluit coram Verificatore, teneatur ad restituendum, cum codicem Chirographo suo non munivit, *lorsqu' il n'a pas signé le Rolle*.

R. si spes erat futurum ut Verificator aliorum Collectorum injustitiam coerceret, debuit de ea conqueri Joannes; secus si nihil a Verificatore boni sperabatur, ut sæpius evenit: cum Verificatores & tributorum receptores non raro prima sint iniquitatis origo; quatenus a Collectoribus exigunt ut quibusdam præ aliis consulant. Ita prædicti duo Doctores, qui definierunt idem dicendum esse, etiamsi Joannes Codici subscripserit: quia nimirum subscriptio hæc solum ostendit partitionem ea, qua decet, forma peractam fuisse: sic enim Judices omnes sententiæ a majori numero latæ subscribunt, non ut denotent se eam habere pro vera, cum quandoque eamdem detestentur; sed ut declarent servatas fuisse Juris formalitates.

Hæc decisio iis difficilis videbitur, qui nobiscum credent, eum, qui iniquitati jam irrevocabiliter sufficienti Senatorum vel Canonicorum suffragio decretæ non obsistunt, teneri ad restituendum, prout probavimus in Tractatu de Justitia, ubi de Consentiente & Palpone. Eam tamen retulimus, tum quia traditam a viris doctis; tum ut intelligant Confessarii sibi in his materiis timide procedendum esse; tum quia aliud forte sit non conqueri inutiliter, aliud positivo assensu declarare nobis id æquum videri, quod iniquum judicamus. Sequens decisio eidem pene subjacet difficultati.

Quæres 4. An obnoxii sint restitutioni Collectores, qui quosdam ex Officio, ut ajunt, taxatos, sed non quantum satis est, in eodem statu relinquunt, nec minuendo nec adaugendo. Ratio dubitandi hinc est, quod Regii Provinciarum* Moderatores, seu præpositi, permittant Collectoribus, ut eos, qui ex Officio taxati fuerint, sed non satis, penso majori onorare valeant.

* *Les Intendans.*

R. Collectores sic bono publico consulere debere, ut sibi gratis non noceant: quapropter ad Præpositum recurrere debent, eique res indicare ut sunt, ejusque mandata expectare. Quod si id omiserint, quandoque ad restitutionem adigendi erunt, quandoque non prout spes erat, rem bene vel male successuram fuisse. Quamquam si præpositus nullam hujusmodi *repræsentationum* rationem habere solet, non est, quod de iis faciendis solliciti sint Collectores: quia ad actum inutilem nemo tenetur.

Quæres 5. An Simon Collector, bonorum inops, nec ingenio dives, quem Communitas socium dedit viris divitibus, a quibus contemnitur, debeat restituere si præ metu, ac pudore quodam eorumdem injustitiæ non obstiterit.

R. 1. in tributorum partitione, morali quadam justitia opus esse, non arithmetica: neque enim fieri potest ut vitetur excessus quicumque vel defectus. Si ergo Simon in hujusmodi solum casibus siluerit, nihil est unde ad restituendum obligetur.

2. Si

2. Si socii Simonis justitiam vere læserint, videtur is ad restitutionem teneri, quia *facientem & consentientem par pœna constringit*, præsertim cum consentiens tenetur ex Officio resistere. Nec nocet, quod inutiliter reclamasset: nam impediisset saltem ne injustitia de exteriori suo consensu inferretur. Quæ ratio utcumque confirmat dubium supra tactum ad calcem quæsiti tertii.

R. 3. Si Simon Parochiam non satis noverat, nec aliunde animadvertit socios suos passione moveri, potuit eorum acquiescere judicio: quamquam optandum erat, ut modeste & humiliter in casu particulari suam ipse opinionem aperiret. Ex quibus obiter colliges, quanti Parochorum intersit, ut ea de re Parochianos suos, non in genere solum, sed & in specie commoneant.

Quæres 6. An Collector, qui non obstante dono a Rege Collectoribus concesso non parum damni subiit, sive quia solvendum fuit loco pauperum, qui solvendo impares erant; sive quia receperit schedulas, quarum valor decreverit; sive quia ob moram solvendi, ad impensas coactus est; quæres, inquam, an is possit uti compensatione.

R. Affirmative cum præcitatis Doctoribus. Ratio esse potest, quia exigit quidem Princeps, ut vectigalia colligantur, non autem ut colligantur cum dispendio eorum, qui colligunt; nisi dispendium hoc illi sua sibi culpa accersant; ut accersere possunt non satis urgendo divites, qui sæpius, nisi urgeantur, solutionem differunt.

Quæres 7. Quid facto opus sit in sequenti casu: Mævius Collector debet nummos centum Titio, qui & ipse debet Regi nummos centum tributi. Mævius majorem summæ hujus partem solvit in gratiam Titii, ratus perinde esse sive ipsi Titio creditori suo solvat, sive Regi, cui Titius debet. Interim Rex vectigalium partem remittit. Uter, Mæviusne an Titius damnum ferre tenetur?

R. Si Mævius non solverit ante tempus præfixum, æquum est, ut Titius summam Regi solutam computet Mævio; quia pro tunc debitum erat a Titio id, quod solvit Mævius. Si vero summa hæc præpropere persoluta fuerit, Mævius unus damnum pati debet.

Quæres 8. An Collector, cui Receptor tributorum minatus est carcerem aut graves impensas, quæ in totam Communitatem recident; possit, ut mala hæc avertat consentire iniquitati, quam proponit idem Receptor.

R. Generatim non esse facienda mala ut eveniant bona; unde si Receptor hunc vel illum in particulari inique gravari velit, non erit consentiendum. Fieri tamen potest, quod gravamen eo usque modicum sit, ut quisque illud ex charitate pari teneatur ad avertendam cœterorum perniciem. Quod si Receptor aliquid exigeret toti Communitati noxium, posset illud ex formali vel præsumpto Communitatis consensu acceptari ad redimendam iniquam, eamque graviorem vexationem.

Quæres 9. An Collector pro sale constitutus, qui centum salis mensuras recepit, iisque æqua lance distribuit, aliquot modios superstites habet, excessum hunc restituere teneatur.

R. Teneri, si, prout fieri consuevit, excessum hunc malis artibus obtinuerit, puta distributorem primarium muneribus corrumpendo. Sin autem, non videtur obnoxius restituendo, quia spectari id potest

tan-

tanquam liberalitas Principis, eorumve, qui vices Principis gerunt; vel potius ut compensatio, qua utcumque juventur viri sub omni ærumnarum genere fatiscentes. Adde 1. quod cum ob temporum varietatem decrescit massa salis, ut fieri didici ab expertis, damnum in Collectores cadat. Adde 2. quod ex Lege 10. *De jure fisci* ff. non delinquat, *qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facile responderit*.

Quæres 10. An Collectores lictoribus uti possint ad exigendam tributi solutionem.

R. Posse quempiam in gratiam Regis id, quod pro rebus suis potest; præsertim cum ex mora immineant sibi carceris ærumnæ. Hìc tamen servandæ sunt charitatis leges præsertim erga eos, qui majore penuria premuntur; & ii tamen asperius tractari consueverunt. Quin eo usque furoris deveniunt Collectores aliqui nequam, ut cum lictoribus sine mora adductis lucrum dividant, aut militibus gravent unum aliquem, quem oderunt, intactis cœteris, qui cum in eadem sint mora, idem onus ex æquo ferre debuerant.

Hic non abs re fuerit annotare Julianum Apostatam referente Ammiano Marcellino sanxisse, ne in Imperio suo *appariter ad solvendum quemquam urgeret*, neve carcerum inquilinus foret, qui solvendo vectigali par non esset. Atque utinam id ponderent tot Receptores, qui Principum auctoritate abusi miseros discruciant.

CAPUT SECUNDUM.

De Moderatoribus & aliis, qui in negotio tributorum inique agunt.

EXtra dubium est peccare Præpositos, qui vel imponunt summam ea majorem, quam Princeps exegerit; vel præ duritia facilius addicunt carceri Collectores; vel iis parcunt, quos taxant ex officio. His ergo prætermissis, quæ facile capiuntur,

Quæres 1. Quid sentiendum de distributoribus, qui agros solos, non autem pecora subjicientes tributo, ut antea fieri consueverat, causa sunt, cur pauperes gravius onerentur.

R. Vel id Superiorum auctoritate factum est, vel secus. Si primum, non est, quod redarguantur; quia rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. Si secundum vel egerunt ex prævio Communitatis consensu, tuncque nihil merentur vituperii; vel auctoritate propria; & tunc inspiciendum an egerint ex bona fide, & intuitu publici boni; an solum ut rebus suis consulerent, quia v. g. gregem numerosum habent. In priori casu censent Sambovius & ex eo Pontas liberos videri a restitutione, qui sic egerint; quia, si quos læsere, per accidens læserunt, & in gratiam boni publici, quod privato anteferri debet. In posteriori casu, ut evidens est injustitia, sic & evidens obligatio restituendi.

Hæc decisio, quatenus eximit a restituendo eos, qui proprio marte solitam imponendi tributi formam immutarunt, sub obtentu etiam majoris boni, quod tamen in pauperum gravamen cederet, dubia mihi & incerta videtur. Hic enim subest quædam publicæ potestatis invasio, quæ & in se & ratione gravaminis inde subsecuti, auctoribus suis imputan-

putanda videtur. Crediderim ergo res ad priorem ſtatum revocandas eſſe aut curandum ſaltem ut, quod divitibus cedit in lucrum, egenis non vergat in perniciem.

Quæres 2. An dominus, qui precibus egit ut in Parochia, cui præeſt, imminueretur tributum, poſſit exigere a Collectoribus ut Villicos ſuos multo minus onerent, quam ipſi ferre poſſint.

R. negat. cum eodem Pontas hic caſ. 7. quia mens eorum, qui tributum minuunt, eſt ut omnes ex æquo, vel pauperes magis ſubleventur. Nec obeſt quod gratitudo exigere videtur ut Collectores Villicis benefactoris ſui indulgeant; ceſſat enim obligatio gratitudinis, ubi ſtrictior viget juſtitiæ obligatio; nec decet Toparcham ab hominibus expetere prætium charitatis, quod a Deo plenius accepturus ſit. Charitatis dico, quia ſi dominus Parochiæ ſuæ, cum vicinarum Parochiarum iniquo diſpendio conſuleret, actum ederet injuſtitiæ, nedum virtutis.

Eadem de cauſa peccant Collectores, qui Notariis parcunt, eo quod Codicem & Parochiæ inſtrumenta gratis conficiant; ſi remiſſio tributi operam laboris longe excedat, ut ſolet, iis præſertim in locis, ubi rato conficiuntur inſtrumenta.

Quæres 3. Ad quid teneantur vel Nobiles, qui plebeja bona ſubſtrahunt tributo, vel plebeji, qui fingunt ſe certam boni ſui partem dare filiabus ſuis, quæ nobiles viros ducunt in matrimonium.

R. ad 1. viros nobiles, qui ſerva prædia habent, ſi proportionatam iiſdem prædiis taxam ſolvere renuant, & cæteros incolas, quos lapſis retro annis gravaverunt, indemnes facere recuſent, poſita facti evidentia, a Sacramentis eſſe abigendos., tanquam alienæ rei detentores. Ita caſum hunc ſolverunt Doctores triginta ab Alectenſi Epiſcopo conſulti. Vide Collat. Pariſ. Tom. 4. pag. 251. edit. 1740.

R. ad 2. dubium non eſſe quin plebeji illi ad reſtituendum teneantur; quia *fraus & dolus alicui patrocinari non debent*. Nec nocet, quod hujuſmodi viri dictitare ſolent, ſe nimirum jam undequaque debitis gravari; tum quia fundi ſui partem vendere poſſunt ut debitis quibuſdam ſatisfaciant; tum quia ſi nullibi poteſt quis eſſe in ſua cauſa Judex, multo minus in his, quæ ad Regem ſpectant. Ita Pontas ibid. caſ. 8.

Quæres 4. An Principes e Regia ſtirpe poſſint aliquem tributorum oneri ſubtrahere, eidem honorarium, ut ita loquar, domeſtici nomen tribuendo.

R. eos ſolum e Principum Regiorum domeſticis a tributo liberos eſſe, qui actu iiſdem principibus famulantur, & libellarum ſexaginta ſtipendio donanrur: unde qui alia conditione famulorum albo inſcribuntur, in fraudem inſcribi cenſendi ſunt, & ad reſtitutionem adigendi. Idem ibid. caſ. 9.

Quæres 5. An Andreas vir dives, cui tanquam exempto nuſquam impoſitum eſt onus tributi, licet eidem revera ſubjaceat, teneatur obviam ire, & petere tributariorum Catalogo inſcribi.

Reſponderunt prædicti duo Sorbonici Doctores, eidem curandum eſſe, ut & deinceps tributum ſolvat, & pro eo, quod hactenus non ſolvit, reſtituat ad judicium viri probi. Hæc deciſio pluribus paulo ſeverior viſa eſt; nec defuerunt, qui crederent ſatis eſſe, ut homo ille pinguem conferat eleemoſynam, iis præſertim, quos tributum in anguſtias con-

conjicere solet. Mihi quidem decisio Sorbonica tenenda videtur, ut qua sola constitui possit æqualitas; non enim pauperibus solis nocet, qui tributi portionem debitam non pendit, sed & ipsis etiam divitibus, qui plus gravantur, quam gravarentur. Ut ergo Andreas ab omni culpa immunis sit, necesse est ut vel oneri tributorum se subjiciat, vel, quod in praxi facile non est, omnimodam unicuique incolarum indemnitatem præstet. Quin & si tributo obnoxius, obnoxius sit tributi ejusdem collectioni, erit & illud gravamen, quod in alios cadit, proportionaliter resarciendum.

Quæres 6. An, qui prædium suum locat alii sub ea conventionis specie, quæ Gallice dicitur, *Bail à moitié*, possit totum tributi onus in Locatarium transferre. Asserunt aliqui eo prætextu, quod Proprietarii de tributo non teneantur, nisi cum jugera sua per seipsos exercent. Negant alii rationem hanc valere, quia viri nobiles, qui cum per se prædia sua incolunt, nihil debent tributi, eadem prædia locare non possunt, quin hæc statim tributo subjaceant: quid Juris?

R. mediam conventionem, de qua sermo est, licitam esse, modo cum Locatario descendatur in pretio propter impositum eidem tributi solvendi onus. Ideo autem descendendum est in pretio cum hujusmodi Villicis, quia tenentur ii non eam solum pendere tributi portionem, quæ mediæ prædii parti, sed quæ toti prædio correspondeat; cum & de eo convenisse supponantur, & alioqui gravaretur Parochia ea tributi parte, quam solveret Proprietarius, si fundum ipse suum exerceret. Rationes pro & contra propositæ in expositione casus, moram facere non debent; ut quæ nihil ad rem faciant.

Quæres 7. An viri Nobiles vel Clerici exigere possint ut minor Villicis suis imponatur taxa; eo prætextu, quod prædia sua per se exercere possint; quod si facerent, onerarentur incolæ quantula ea portione, quam ex iisdem prædiis percipiunt Collectores.

R. gratiam non prodesse nisi sub conditionibus, quibus alligata est. Unde cum Princeps ea solum prædia tributo subduxerit, quæ Nobiles per se tenerent, æquum est, ut sublata privilegii conditione communem sortem subeant. Si tamen sentient Collectores, quorumdam Nobilium animis serio fixum esse ut prædia sua locare desinant, nisi cum Villicis suis mitius agatur, possunt & debent istorum taxam imminuere; quia id necessum est ad bonum Communitatis.

Quod spectat ad Clericos, crederem distinguendum. Vel enim bona; quæ locant, sunt pure Ecclesiastica, vel si ita loqui fas est, non sunt Ecclesiastica nisi per accidens, quatenus a Clericis possidentur, dum a Laicis possideri possunt, ut patet in bonis patrimonialibus. Si primum, bona hæc utpote proprium Crucifixi patrimonium se ipsis libera sunt, solisque Cleri impositionibus subdita: unde duplici titulo agere possunt Clerici, ut hæc sive propriis sive alienis manibus gerantur, non graventur tributo. Si secundum, ejusdem videntur esse conditionis, ac bona Nobilium, de quibus proxime actum est; quia a solo Principum favore suam habent immunitatem, quæ certis conditionibus alligari potuit. Hæc resolutio iis in locis inservire posset, ubi quæcumque Clericorum bona a tributo sub prædicta conditione eximerentur.

Ob rationem mox propositam, qui decimas locato habent, minus gravandi esse viderentur.

Quæ-

Quæres 8. Quam agendi rationem servare debeant Confessarii cum Collectoribus, quos quandoque publica vox iniquitatis reos facit; & qui tamen constanter declarant se intra æqui limites stetisse, sibique notum esse neminem, quem plus justo gravaverint.

R. hic si usquam sapientia & præcauto opus esse. Quapropter viderit Confessarius, ne quem in specie assignet quasi non satis taxatum. Hoc enim statim propalant Collectores; unde Parochum inter & Parochianos oriuntur jurgia, simultates, aliaque id genus, quæ grave Ministris eorumque Ministerio nocumentum inferunt. Hic ergo generalibus utendum motivis; interrogandum an si immineat articulus mortis, id velint fecisse, quod fecerunt; pensandum ex tota agendi ratione, num ex bona vel mala fide egerint. Si præsumatur bona fides, absolvendi erunt, præsertim quia nec in materia tributi, nec in alia quacumque idem esse potest capitum omnium sensus. Si vero aperta sit injustitia, satius forte fuerit, ut ad extraneum remittantur, qui secreto de injustitia publice nota commoneatur; & quem pœnitens multo facilius judicabit ab omni partium studio alienum esse, quam proprium Pastorem.

Quæres 9. An Collector, qui non æqua lance tributa divisit, absolvi queat, si non aliter, quam per eleemosynas, pauperibus loci incolis distributas restituere velit.

R. Non dimitti peccatum nisi restituatur ablatum, iis scilicet, quibus ablatum est: & vero an eleemosyna Petro collata injustitiam Joanni illatam resarcit? neutiquam sane; nisi a Joanne approbetur tanquam nomine suo erogata aut eroganda. Hic ergo casus, quidquid senserit vir optimæ notæ, ex generalibus circa restitutionem principiis resolvi debet.



TRA-

TRACTATUS
DE PRÆCEPTIS DECALOGI.



Ecalogus, græca nominis origine, decem sermones significat; ex usu vero Judeorum & Christianorum, decem significat Dei præcepta a Deo Moysi tradita, tabulisque lapideis duabus insculpta, quæ pluries in Scripturis *verba fœderis decem* appellantur, & omnia hominis, sive ad hominem, sive ad Deum officia continent: unde sicut Symbolum, eorum, quæ *credenda*; Oratio Dominica, eorum, quæ *petenda*; sic & Decalogus, eorum, quæ ad æternæ vitæ consecutionem *facienda* sunt, synopsim & compendium complectitur. Et hæc est, ampla quidem, sed plane necessaria præsentis Tractatus materies, quam Deo dante decem Capitibus exequemur; postquam tamen & ipsa Decalogi præcepta, prout apud Moysen extant, & prævias aliquot quæstiones hic a Theologis agitari solitas, præmiserimus. *Deut. 4. & 10.*

Primi, vel potius omnium Decalogi præceptorum, una quædam communis est præfatio, qua velut potenti motivo gens Israelitica ad eorum observationem accendatur; ea vero sic habet: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis*. Pergit Deus: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neque coles*. 2. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* ... 3. *Memento ut diem Sabbati sanctifices* .... 4. *Honora patrem tuum & matrem tuam* .. 5. *Non occides*. 6. *Non mœchaberis*. 7. *Non furtum facies*. 8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. 9. *Non concupisces uxorem proximi tui*. 10. *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt*. Posteriora septem præcepta, quæ etiam secundæ tabulæ præcepta dicuntur, proximum respiciunt; cœtera, ut ex verbis patet, Deum habent pro objecto, & primæ tabulæ præcepta nominantur. Circa hæc *Exod 20. Deut. 5.*

Quæres 1. Quis sit Decalogi auctor.

R. Deus ipse, qui decem præcepta ore ad os Moysi dedit, & eadem proprio digito *scripsit in tabulis, juxta id, quod scripserat* in prioribus tabulis a Moyse confractis. Quo autem ritu & apparatu lex hæc divina in monte Sinai, die 50. ab exitu filiorum Israel ex Ægypto, coram universa gente ab ipso Deo fuerit promulgata, indicabunt caput 19. & 20. Libri Exodi.

Quæres 2. an omnia Decalogi præcepta sint de jure naturæ.

R. affirmat. excepto tertio, quod sub aliquo respectu cœremoniale est. Ratio est, quia ea præcepta sunt de jure naturæ, quæ ab ipsa natura imponuntur, nec violari possunt quin violentur boni mores: atqui præcepta Decalogi ab ipsa natura singulis hominibus imponuntur; præcipit enim natura, ut debitus supremo Numini honos ad creaturas non transferatur,

ut parentes veneremur, ut neminem lædamus, ita ut quisquis contra fecerit, in bonos mores impingat.

Dixi, *excepto tertio*: etsi enim natura vel ipsos Gentiles docuerit, tempus aliquod publico Numinis cultui consecrandum esse, haud tamen præcipit, ut hæc potius, quam illa dies, eidem cultui deputetur: unde Sabbato Judeorum successit apud Christianos dies Dominica.

At, inquies, si Decalogi præcepta sint de jure naturæ, ut quid ea populo suo tradidit Deus? certe necesse non erat ut Judæi extrinsecus edocerentur, quæ in corde scripta gestabant.

R. legem extrinsecus datam esse, non quia hæc in cordibus scripta non esset, sed quia homines concupiscentia, passionibus, & præjudiciis abrepti, eamdem *legere nolebant*: unde *ne sibi aliquid defuisse quærerentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant*, ait Augustinus in Psalm. 57.

Quæres 3. an numerus præceptorum Decaligi sit conveniens.

S. Thom. 1.2.q. 10. a. 5. R. affirmat. cum S. Thoma. Ratio est, quia *præcepta legis divinæ ordinant hominem ad quamdam communitatem seu Rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem, quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur, duo requiruntur: quorum primum est ut bene se habeat ad eum, qui præest communitati; aliunde, ut bene se habeat ad alios communitatis consocios & comparticipes. Oportet igitur, quod in lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum, & inde alia quędam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos simul convenientes sub Deo. Principi autem communitatis tria debet homo. 1. fidelitatem, 2. reverentiam, 3. famulatum. Fidelitas, quidem ad Dominum in hoc consistit, quod honorem Principatus ad alium non deferat, & quantum ad hoc accipitur primum præceptum, cum dicitur: Non habebis Deos alienos. Reverentia autem ad Dominum requirit, ut nihil injuriosum in eum committatur, & quantum ad hoc accipitur secundum pręceptum: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Famulatus autem debetur Domino, in compensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi, & ad hoc pertinet tertium præceptum de sanctificatione Sabati, in memoriam creationis rerum. Ad proximos autem aliquis bene se habet, & specialiter, & generaliter. Specialiter quidem, quantum ad illos, quorum est debitor, ut eis debitum reddat; & quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum. Generaliter autem, quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Nocumentum operis probibetur præceptis: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies. Nocumentum oris probibetur, cum dicitur: Non loqueris contra proximum &c. Nocumentum cordis probibetur, cum dicitur: Non concupisces.*

Ex his sequitur resolutio quęstionis alterius, quam ventilat S. Thomas ibid. art. 6. an scilicet Decalogi pręcepta convenienti ordine disposita sint. Ea enim convenienter disposita esse, hinc patet, quod, cum Deus sit communitatis humanę finis & terminus, homo prius ad Deum, quam ad proximum ordinari debuit. E proximis autem priores ii atque potiores esse debuerunt, quibus homo plus debet, ut sunt parentes. Quoad alios vero, is etiam ordo servari debuit, ut ab iis averterentur primum graviora nocumenta, deinde, quę minus gravia sunt: atqui hęc est pręceptorum Decalogi dispositio. Priora tria Deum respiciunt; quartum pertinet ad parentes; cętera a proximo avertunt primo mala operis, secundo mala oris, tertio mala cordis, inter quę is est ordo, ut, cęteris paribus, gravior sit injuria operis, quam oris, & hęc gravior, quam injuria, quę in solo corde consummatur.

Quæres 4. an Christiani Decalogi pręceptis teneantur.

R. affirmat. 1. quia Decalogus pertinet ad legem naturę: atqui homines

nes omnes naturali lege tenentur. 2. ideo Christiani Decalogi præceptis non tenentur, quia lex Mosaica jam non est in usu: atqui hæc ratio nulla est. Inde enim solum sequitur Christianos ad observanda Decalogi præcepta nunc obligari vi legis Mosaicæ; non sequitur vero eos ab iisdem præceptis omnino liberos esse, & immunes, cum præter allatam juris naturalis obligationem, Christus eorum obligationem districte commendaverit his verbis: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata .*. non adulterabis, non furtum facies &c.* 3. id expresse docet Synodus Tridentina sess. 6. can. 19. & 20. ubi anathemate percellitur quisquis dixerit, *nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos.* *V. Tract. de Legib. p. 116.* *Matt. 19.*

Hinc colliges cum auctore Collat. Andeg. tom. 1. de Decalogo, & aliis, eos graviter peccare, qui Decalogum saltem quod substantiam memoria non tenent. Quisque enim præcepti sæpius urgentis notitiam habere debet, ita ut interrogatus, vel in occasione positus, meminisse possit, quid sibi præceptum sit, aut prohibitum. Si quis tamen Decalogi verba vel ordinem non teneat memoriter, non incurret reatum peccati mortalis, nisi aut hæc ignoret ex contemptu, aut verborum ignorantia periculum ingeneret ignorantiæ ipsarum rerum; ita Boudart hic §. 17. Neque vero memoria solum, sed & altius animo præcepta Dei imprimi necesse est, ita ut Psaltis exemplo sincere dici possit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*; secundum id, quod docet Spiritus Sanctus Prov. 6. v. 20. *Conserva, filii mi, præcepta patris tui .*. liga ea in corde tuo jugiter .*. cum ambulaveris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te, & vigilans loquere cum eis.* Unde Pastores, e quorum ore divinam legem requirere debent populi, plenam & uberem eorum omnium, quæ ad Decalogum pertinent, notitiam assequi tenentur, ut dent *scientiam salutis* populo Dei, ejusque peccata, sibimetipsis, nisi omni, quo licebit modo obsistant, imputanda, avertere conentur. *Ps. 118.* *Luc. 1.*

Quæres 5. quibus mediis Pastores debeant, & possint populos ad Decalogi observantiam accendere.

R. His præcipue 1. ostendent mandata hæc non esse ad *observandum impossibilia*, quidquid in contrarium doceant Calviniani, & Jansenistæ, quorum blasphemia verbo Dei directe adversatur. *Mandatum hoc*, ait Deus ipse Deuter. 30. *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est .*. sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* De quo vide, quæ passim docent, tum Episcopi in Documentis, quæ omnium manu teruntur, tum Theologi in Tractatu de gratia. *Trident. sess. 6. c. 11.*

2. Varia Scripturæ, & Patrum testimonia, quibus eorumdem mandatorum, & difficultas, & facilitas adstruuntur, sic exponent, & conciliabunt, ut neque segnes, & otiosi existiment negotium salutis rem esse levis aleæ, quæ absque nisu vehementi, constanti vigilantia timore, & tremore continuo peragi possit; neque ii, qui viam perfectionis ingredi volunt, eamdem sibi repræsentent ut terram monstris obsitam, quæque suos devoret habitatores, & iis jugum immane imponat. Prioris generis Christiani monebuntur, Regnum cœlorum vim pati, arctam esse viam, quæ ad vitam ducit, paucos esse, qui eam ingrediantur, serioque contendendum esse, ut eam inveniamus. Posteriores docebuntur, id, quod apud homines impossibile est, apud Deum possibile esse, nec possibile modo, sed & suave ac jucundum, juxta id Christi Matt. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve;* viam salutis, quæ languidis, & sæculi amatoribus dura, & angusta videtur, aman-

tibus Deum latam esse: *amorem omnia sæva, & immania, prorsus facilia & prope nulla efficere*; leges mundi Dei legibus longo asperiores esse; unde Sap. 5. fatentur impii lassatos se fuisse *in via iniquitatis*, & ambulavisse *vias difficiles*.

August. ser. 30 de verb. Dom.

3. Demum exhibebunt uberes fructus, qui mandatorum Dei observatores, sive in hac vita, sive in altera manent. In hac quidem vita custodia legum. 1. *illuminat oculos*, atque tam sublimi rerum divinarum cognitione mentem replet, ut viri idiotæ, & sine litteris de Deo plerumque melius ac profundius discurrant quam Philosophi. 2. *sapientiam præstat parvulis*, qui ad finem debitum debitis mediis tendunt, & properant, dum Sapientes hujus sæculi suis in cogitationibus evanescunt, suæque imaginationis ludibrium facti, huc & illuc feruntur dubii, & ancipites. 3. pacem multam procurat, & gaudium; est enim *secura mens quasi juge convivium*, Prov. 15. unde quicumque legi divinæ adhæserunt, *egentes* etiam, *angustiati, & afflicti*, in omni tribulatione sua superabundabunt gaudio, nec ulla unquam creatura a Dei charitate separari poterunt. Est ergo *in custodiendis* Dei mandatis *retributio*, *multa* jam nunc, sed major in futuro, talisque, & tanta, ut oculus non viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit, *quæ præparavit Deus iis*, *qui*, verba ejus servando, *diligunt eum*. Quapropter si quandoque a virtutis exercitio hominem retrahunt difficultates, & prælia hujus vitæ, eidem in memoriam revocandum est, *id*, *quod in præsenti est momentaneum*, *& leve tribulationis nostræ*, *æternum gloriæ pondus* operari *in nobis*.

Psal. 18. *Hebr. 11.* *2. Cor. 4.*

Quæres 6. quomodo dividantur Decalogi præcepta.

R. Dividuntur in affirmativa, & negativa. Affirmativa ea sunt, quæ aliquid fieri præcipiunt: talia sunt hæc duo, sanctifica Sabbatum; honora parentes. Negativa ea sunt, quæ aliquid fieri vetant, v. g. ne Dii alieni colantur; ne quis alium occidat. Duplex præcipue est affirmativa inter, & negativa præcepta discrimen. 1. Negativa obligant semper, & pro semper, seu in omni loco, & tempore; nunquam enim, v. g. innocentem interficere licet, aut rem alienam qua talem subripere. Affirmativa vero obligant quidem semper, ajunt Theologi, sed non pro semper; neque enim in omni loco, & tempore parentes honorare tenemur, sed loco & tempore debitis, quando cum iis tractamus. 2. præcepta negativa violantur peccato commissionis; affirmativa, peccato omissionis. Primum patet in eo, qui alium occidit; secundum in eo, qui patrem non honorat. Hic tamen animadvertendum est, in præcepto negativo quo malum aliquod prohibetur, includi præceptum affirmativum, quo bonum malo huic oppositum imperatur; sicut a contrario præceptum affirmativum, quo actio bona jubetur, involvit præceptum negativum, quo actio opposita prohibetur. Sic præceptum honorandi parentes, prohibet ne iidem contemnantur; præceptum vero non occidendi, non modo injuriam proximi prohibet, sed & ei, cum potest, bene fieri mandat.

CAPUT PRIMUM.

De primo Decalogi præcepto.

V. S. Th. 2. 2. q. 16. art. 1.

AD primum Decalogi præceptum, quo prohibetur creaturæ adoratio, pertinet, aut saltem instar principii, & præambuli reducitur præceptum

ptum de cultu Dei. Quia vero juxta Aug. c. 2. Enchirid. *colitur Deus fide, spe, & charitate*, imo & religione, quæ circa Dei cultum tota versatur, idcirco ad plenam primi hujusce præcepti notitiam, de iis quatuor virtutibus disserendum esset. Sed quoniam in speciali Tractatu, quidquid ad religionis virtutem pertinet, pro tenuitate nostra exposuimus, superest, ut instituti nostri, quod praxim præcipue tangit, limitibus conclusi, ea expediamus, quæ circa fidem, spem, & charitatem Christianis præcipiuntur. Quæ autem theoriam magis spectant, in proprio de theologicis virtutibus opere dabit eruditus Theologiæ Tournelyanæ abbreviator. *Navar. Man. c. 11. n. 5.*

ARTICULUS PRIMUS.

De fide.

MUlta nobis hoc in Articulo discutienda veniunt; & quidem 1. quid sit fides, & quomodo dividatur. 2. an necessarium sit internos fidei actus elicere. Item, an & quatenus obliget præceptum exterius confitendi fidem. 3. quæ vitia vel peccata fidei opponantur.

SECTIO PRIMA.

De essentia, & divisione fidei.

FIdes, prout ad præsentem Tractatum pertinet, describitur ab Apostolo Hebr. 11. *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. 1. quidem *substantia*, seu, ut fert græcus textus, *hypostasis*, id est, ut aliqui volunt, basis, & fundamentum spei nostræ, quo sublato corrueret spes nostra, sicut ablato ædificii fundamento corruit domus; vel, ut alii malunt cum Syra paraphrasi, repræsentatio ac *persuasio super his, quæ sunt in spe, ac si jam essent* a nobis possessa. 2. *rerum sperandarum*, non quod ea solum credamus, quæ speramus, cum multa credamus, sive præterita, ut Salomonis idololatriam, sive futura, ut infernum, quæ spei nostræ objectum esse non possunt; sed quia Deus, quem speramus, præcipuum est fidei objectum, ad quod quidquid revelatum est, refertur, vel ut effectus ad principium, vel ut media ad finem &c. 3. *argumentum non apparentium*, id est, ostensio ac demonstratio earum rerum, quæ licet nec percipiantur sensu, nec comprehendantur ratione, mentis tamen oculo repræsentantur ut tam certæ, & inconcussæ, ac si reipsa coram expositæ essent, jamque exhibitæ. Unde sic hunc in locum exclamat S. Chrysostomus: *Papæ! quale illud est, quod talem facit evidentiam! qualis est, dum res ipsæ palam proponuntur!* *Estius hic.*

Fides strictius definitur: Virtus theologica divinitus infusa, inclinans mentem ad assentiendum firmiter ob veracitatem Dei, omnibus, quæ revelavit Deus, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit. Hæc definitio est accurata; constat enim genere, & differentia, nihilque includit, quod redundet. Voces: *virtus theologica divinitus infusa*, conveniunt spei, & charitati, adeoque locum habent generis; aliæ vero voces solius fidei propriæ sunt, ideoque gerunt differentiæ vices: quod autem definitio hæc nihil habeat superflui, ex terminorum singulorum expositione patebit.

1. Itaque fides est *virtus*. Virtus enim est habitus bonus, ad praxim

inclinans, reddensque habentem, & actum ipsius bonum: atqui talis est fides, quæ & inclinat ad assentiendum Deo tanquam primæ veritati, & nos facit fideles, proindeque in eo constituit statu, extra quem *impossibile est placere Deo*.

Hebr. 11.

2. Dicitur virtus *theologica*. Nam virtus theologica ea est, quæ Deum habet pro objecto immediato: atqui fides Deum habet pro objecto immediato, sive *materiali & quo*, quia Deus ut gratiæ, & gloriæ auctor primario attingitur a fide: cœtera vero ratione ipsius; sive *formali & quo*, quia quidquid creditur, sive Deus sit, sive aliud a Deo, propter veracitatem Dei creditur: unde motivum fidei ultimate resolvitur in auctoritatem Dei loquentis.

3. Dicitur *divinitus infusa*, seu supernaturalis. Nam ne ipsum quidem initium fidei solis naturæ viribus haberi potest, ut olim contra Semipelagianos definiit Ecclesia, & docet Apostolus 2. Cor. 3. his verbis: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis*; fides enim etiam inchoata, non subsistit absque pia cogitatione: ergo si pia cogitatio sit supernaturale Dei donum, fides Dei donum esse debet, juxta id ejusdem Apostoli, Philipp. 1. *Vobis donatum est .·. ut in* Christum *credatis*.

4. Dicitur *inclinans mentem*. Mens enim habitu donata, ex eo disponitur ad eliciendos actus eidem habitui conformes: atqui fides prout virtus theologica, in genere habitus: ergo.

5. Dicitur *ad assentiendum firmiter &c.* nullus enim assensus firmior esse potest, quam qui ipsa Dei veracitate innititur: unde, ait S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 1. *actus, qui est credere, habet & exigit firmam adhæsionem*. Quapropter hæc propositio: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia saltem probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus*, merito prescripta est, tum ab Innocentio XI. anno 1679. tum an. 1700. a Clero Gallicano, ut *scandalosa, perniciosa, &* quæ *Apostolicam fidei definitionem evertat*.

6. Dicitur, *omnibus, quæ revelavit Deus*; res enim revelatæ, quæcumque eæ sint, sunt totale, & adæquatum fidei objectum materiale, quia ad eas omnes, & solas se se extendit fides.

7. Dicitur: & *per Ecclesiam credenda proposuit*. Neque enim exigit aut supponit fides interiorem aut immediatam unicuique saltem prædestinato factam revelationem, ut falso docent Protestantes; sed sufficit, & requiritur, ut divina revelatio nobis innotescat per propositionem Ecclesiæ, juxta tritum illud S. August. Lib. contra Epist. Fundamenti c. 4. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas*. Hinc est, quod prætensi Ecclesiæ reformatores, quibus, utpote ducibus gregis, amplior rerum fidei notitia communicari debuisset, non modo circa insignes fidei articulos dissenserint inter se, dum alius v. g. præsentiam realem negat, quam alter adstruit; sed circa ipsos Scripturæ Libros, dum Calvinus Epist. S. Jacobi ut Dei verbum veneratur, quam ut stramineam rejicit Lutherus: ergo necessario recurrendum est ad publicam Ecclesiæ propositionem, qua sublata nequidem probari potest quatuor esse Evangelia, cum id nullibi in Scriptura contineatur. Verum hæc discussio, sicut & aliarum difficultatum, quæ circa singulas allatæ definitionis partes in Scholis agitari solent, ad moralem Theologum non pertinet, prout etiam annotarunt Salmanticenses tract. 20.

Fides dividitur 1. in habitualem, & actualem. Habitualis ea est, quam modo definivi. Actualis vero est actualis, & firma adhæsio rebus revelatis, & ab Ecclesia propositis: eaque si exterius verbis aut aliter se pro-

prodat, vocatur fides exterior; interior vero, si animo remaneat; ibique consummetur.

Dividitur 2. in explicitam, & implicitam. Explicita est ea, qua assentimur alicui articulo speciali, & determinato, puta Trinitati personarum. Incarnationi Verbi, sive hæc paulo distinctius concipiantur, ut ab eruditis; sive confusius, ut a plebe. Implicita est ea, qua generatim assentimur omnibus a Deo revelatis, sive ab Ecclesia propositis, sive aliquando proponendis. Implicitæ fidei actum eliciunt. 1. qui licet multos fidei articulos ignorent, aut datam ab Ecclesia definitionem nesciant, aut lite adhuc pendente, quid judicii ferendum sit, ambigant, sic actu animo affecti sunt, ut mori malint, quam non acquiescere Ecclesiæ judicio, qualecumque illud fuerit. 2. qui licet omnia mysteria fidei cognoscant, nullum tamen actu suo distincte intuentur, sed generaliter protestantur, se omnibus revelatis adhærere.

Dividitur 3. in vivam, & mortuam. Hæc nihil, illa plus aut minus prout minus aut magis vivax fuerit, operatur.

Dividitur 4. in formatam, & informem. Fides formata ea est, quæ gratiam habitualem & charitatem sibi in eadem anima conjunctas habet, iisque tanquam extrinseca sui forma perficiter. Fides informis ea est, quæ justitia & charitate destituta manet; talis est fides hominis Catholici in statu peccati mortalis constituti. Neque enim, qui a charitate excidit, excidit necessario a fide, ut definiit Tridentinum sess. 6. can. 28. his verbis: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & semper fidem amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit.* Hinc merito proscriptæ sunt istæ Quenellii propositiones: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum?* Et 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas.* Certe enim ubi remanet fides, & fides vera, ibi aliquid remanet, quod non est peccatum. Rursus, si ubi deest charitas, absit Deus & Religio, abesse debet & Christianismus: atqui ex Tridentino falsum est eum, qui charitate caret, Christianum non esse: ergo. *V. l' Hermin. de fide p. 45.*

Dividitur 5. a SS. * Augustino & Thoma, in *credere Deo, credere Deum, & credere in Deum*. Credere Deo, est credere id omne, quod revelavit Deus, verum esse, ob infinitam ejus veracitatem; credere Deum, est credere, quod Deus sit; credere in Deum, est credere Deum non simpliciter, sed ex affectu charitatis in Deum tanquam in summum bonum tendentis. De Apostolis, ait Augustinus: *Possumus dicere; Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum ... Quid est ergo credere in eum? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Credere primo, & secundo modo est commune omnibus Fidelibus justis, & peccatoribus; sed credere tertio modo, si stricte & proprie sumatur, non competit nisi justis, vide Mag. Grandin disp. 1. q. 3. sect. 6. Habert c. 2. §. 1. q. 10. **Tract. 29. in Joan.*

SECTIO SECUNDA.

De necessitate actus fidei.

NOt. 1. Potest quid ad alterius consecutionem dupliciter esse necessarium nempe necessitate medii, & necessitate præcepti. Illud est necessarium necessitate medii, sine quo, etiamsi inculpabiliter omitteretur,

finis haberi non potest : talis est Baptismi necessitas respectu infantis qui etiamsi sine sua culpa privetur Baptismo, non potest introire in Regnum Cœlorum. Illud vero est necessarium necessitate præcepti, quod ita imperatum est, ut sine eo finis obtineri non possit, nisi omissionem illius excuset causa rationabilis : sic restitutio boni ablati necessaria est ad salutem, nisi a restituendo excuset justa causa, qualis est impossibilitas, debiti remissio, ignorantia invincibilis. Unde duplex præsertim est discrimen inter utramque necessarii speciem. Nam. 1. involuntaria & inculpabilis omissio illius, quod est necessarium necessitate medii, causat jacturam salutis, quod non facit omissio illius, quod est necessarium sola præcepti necessitate. 2. Omissio necessarii necessitate medii potest esse sine peccato, secus est de omissione præcepti, quæ, formaliter loquendo, semper est peccatum. Addunt alii satis communiter tertium discrimen in eo situm, quod res necessaria necessitate medii sit etiam adultis necessaria necessitate præcepti, cum adultis præceptum sit media divinitus instituta adhibere, prout possunt; res vero sola præcepti necessitate necessaria, non sit semper necessaria necessitate medii : Hæc moraliter loquendo vera sunt, licet subtilius expensa, difficultate non careant: quia contritio v. g. peccatori in amentiam verso, necessaria est necessitate medii, cum sine ea salvari non possit; nec tamen videtur eidem necessaria necessitate præcepti, cum præcepta in amentes non cadant.

Ed Polm.

Not. 2. Non hic movetur quæstio de fidei habitu; ejus enim necessitas a nemine in dubium revocari potest. Nempe vere non potest obtineri salus absque gratia sanctificante : atqui gratia sanctificans nunquam infunditur sine habitu fidei : ergo. Tota igitur difficultas est de actu fidei, idque respectu adultorum dumtaxat : cum certum sit infantes actus fidei capaces non esse, & tamen capaces esse salutis, si baptizati decedant.

Not. 3. Actus fidei duplex est, interior, qui consistit in assensu præstito veritatibus a Deo revelatis; & exterior, qui ipsamet est exterior fidei professio, ore, vel opere, aut alio nutu sensibili effecta. De utriusque actus necessitate sermo movetur in præsenti. Sit itaque

PUNCTUM PRIMUM:

De necessitate actus interioris fidei.

TRia hic nobis sunt examinanda. 1. an ad salutem necessarius sit interior aliquis fidei actus. 2. quodnam debeat esse ejus objectum. 3. quo tempore urgeat obligatio eliciendi actum fidei, quæ totidem paragraphis sunt expedienda.

§. I.

Conclusio. Interior fidei actus ad obtinendam salutem necessarius est necessitate tum medii, tum præcepei.

Prob. 1. pars. Illud est ad assequendam salutem necessarium necessitate medii, quo quacumque ex causa omisso salus obtineri non potest : atqui sine aliqua fidei supernaturalis actu, etiamsi inculpabiliter omitti supponatur, salus obtineri non potest. Nemo enim salutem obtinere potest

nisi

nisi accedat ad Deum, eique placeat : atqui per solam fidem accedit quis ad Deum , eique in ordine ad salutem placet , juxta id Apostoli Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit* ; & rursus: *Sine fide impossibile est placere Deo* , quod de fide actuali intelligitur , ut probat vox *accedentem* , quæ significat actu tendentem. Porro ii textus de fide supernaturali & divina loquuntur, de ea nimirum fide , quæ est sperandarum rerum substantia , & vi cujus Samuel, David, aliique Dei amici *operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones* , eaque perpetrarunt prodigia , quæ fuse recenset Apostolus toto citato c. 11. Epistolæ ad Hebræos.

Prob. 2. ex Trid. sess. 6. c. 7. ubi fides vocatur *humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*. Licet autem fidei nomine intelligatur habitualis, si agatur de infantibus , qui fidei actualis incapaces sunt; tamen actualis quoque intelligitur, si agatur de adultis quibus , nisi jam una cum Baptismo virtutibus theologicis donari fuerint , non infunditur fidei habitus; priusquam actu crediderint, fidemque conceperint ex auditu , ut ait Trid. ibid. c. 6. unde sic: Illud necessarium est ad salutem , quod ad justificationem necessarium est ; hæc enim ad illam præsupponitur: atqui ex Tridentino, fides actualis necessaria est ad justificationem ; fundamentum enim & radix ad id omnino necessaria sunt , cujus sunt radix & fundamentum; ut patet in trunco respectu ramorum , fundamento respectu ædificii: atqui fides est radix & fundamentum justificationis: ergo.

Prob. 2. pars. Illud est necessarium necessitate præcepti , quod expresse & pluries in Scripturis imperatum est : atqui fides actualis expresse & pluries imperata est in Scripturis. 1. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus ,ut credamus in nomine filii ejus*. Jo: 13. *Creditis in Deum, & in me credite*. Marc. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Merito itaque damnata est hæc Tamburini propositio:*Fides non censetur cadere sub præceptum speciale,& secundum se*.

Confirm. Ex modo dictis assensus fidei medium est ad salutem necessarium : atqui eo ipso est necessarius ex necessitate præcepti ; cum cuilibet præceptum sit, ut assumat media ad salutem necessaria: ergo.

Hæc Conclusio pro utraque parte respicit adultos, qui in infantia justificati non sunt; aut eos, qui , accepta per Baptismum fide , ab ea deinceps excidissent ; neutri enim sine aliquo fidei actu ad justitiam devenire possunt . Sed convertitur an , qui in infantia baptizatus esset , posset in aliqua hypothesi, etiam non emisso fidei actu , salutem obtinere puta si aliquot post obtentum rationis usum horis vel forte diebus, moreretur , & necdum ullum religionis actum elicuisset, sive ob negligentiam parentum, qui consecrandas esse Deo corporis primitias non monuissent, sive quia tenella ætas alio distracta & avocata fuisset , ut fieri facile potest . Hæc quæstio pendet ab alia, an & quomodo infans sub pœna mortali ad Deum se convertere teneatur, statim ac rationis usum attingit , de qua alibi.

Objic. 1. contra utramque Conclusionis partem. Illud non est absolute necessarium ad justificationem , sine quo homo justificari potest ; atqui homo sine ullo fidei actu justificari potest. Nam ex Apostolo , *factores legis justificabuntur* : atqui ut quis sit factor legis, non requiritur actus fidei , aut alius quilibet supernaturalis ,sed sola sufficit natura, juxta id ejusdem Apostoli : *Gentes ... naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*. Rom, 2. v. 13. Ib. v. 14.

R. Ad 1. neg. min. Ad 2. factores legis, id est, qui plene & ex fide per dilectionem operante legem impleverint, justificabuntur , C. id est ; qui per

finis haberi non potest: talis est Baptismi necessitas respectu infantis qui etiamsi sine sua culpa privetur Baptismo, non potest introire in Regnum Cœlorum. Illud vero est necessarium necessitate præcepti, quod ita imperatum est, ut sine eo finis obtineri non possit, nisi omissionem illius excuset causa rationabilis: sic restitutio boni ablati necessaria est ad salutem, nisi a restituendo excuset justa causa, qualis est impossibilitas, debiti remissio, ignorantia invincibilis. Unde duplex præsertim est discrimen inter utramque necessarii speciem. Nam. 1. involuntaria & inculpabilis omissio illius, quod est necessarium necessitate medii, causat jacturam salutis, quod non facit omissio illius, quod est necessarium sola præcepti necessitate. 2. Omissio necessarii necessitate medii potest esse sine peccato, secus est de omissione præcepti, quæ, formaliter loquendo, semper est peccatum. Addunt alii satis communiter tertium discrimen in eo situm, quod res necessaria necessitate medii sit etiam adultis necessaria necessitate præcepti, cum adultis præceptum sit media divinitus instituta adhibere, prout possunt; res vero sola præcepti necessitate necessaria, non sit semper necessaria necessitate medii: Hæc moraliter loquendo vera sunt, licet subtilius expensa, difficultate non careant: quia contritio v. g. peccatori in amentiam verso, necessaria est necessitate medii, cum sine ea salvari non possit; nec tamen videtur eidem necessaria necessitate præcepti, cum præcepta in amentes non cadant.

Ad Polm.

Not. 2. Non hic movetur quæstio de fidei habitu; ejus enim necessitas a nemine in dubium revocari potest. Nempe vere non potest obtineri salus absque gratia sanctificante: atqui gratia sanctificans nunquam infunditur sine habitu fidei: ergo. Tota igitur difficultas est de actu fidei, idque respectu adultorum dumtaxat: cum certum sit infantes actus fidei capaces non esse, & tamen capaces esse salutis, si baptizati decedant.

Not. 3. Actus fidei duplex est, interior, qui consistit in assensu præstito veritatibus a Deo revelatis; & exterior, qui ipsamet est exterior fidei professio, ore, vel opere, aut alio nutu sensibili effecta. De utriusque actus necessitate sermo movetur in præsenti. Sit itaque

PUNCTUM PRIMUM.

De necessitate actus interioris fidei.

Tria hic nobis sunt examinanda. 1. an ad salutem necessarius sit interior aliquis fidei actus. 2. quodnam debeat esse ejus objectum. 3. quo tempore urgeat obligatio eliciendi actum fidei, quæ totidem paragraphis sunt expedienda.

§. I.

Conclusio. Interior fidei actus ad obtinendam salutem necessarius est necessitate tum medii, tum præcepti.

Prob. 1. pars. Illud est ad assequendam salutem necessarium necessitate medii, quo quacumque ex causa omisso salus obtineri non potest: atqui sine aliqua fidei supernaturalis actu, etiamsi inculpabiliter omitti supponatur, salus obtineri non potest. Nemo enim salutem obtinere potest nisi

nisi accedat ad Deum, eique placeat: atqui per solam fidem accedit quis ad Deum, eique in ordine ad salutem placet, juxta id Apostoli Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; & rursus: *Sine fide impossibile est placere Deo*, quod de fide actuali intelligitur, ut probat vox *accedentem*, quæ significat actu tendentem. Porro ii textus de fide supernaturali & divina loquuntur, de ea nimirum fide, quæ est sperandarum rerum substantia, & vi cujus Samuel, David, aliique Dei amici *operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*, eaque perpetrarunt prodigia, quæ fuse recenset Apostolus toto citato c. 11. Epistolæ ad Hebræos.

Prob. 2. ex Trid. sess. 6. c. 7. ubi fides vocatur *humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*. Licet autem fidei nomine intelligatur habitualis, si agatur de infantibus, qui fidei actualis incapaces sunt; tamen actualis quoque intelligitur, si agatur de adultis quibus, nisi jam una cum Baptismo virtutibus theologicis donati fuerint, non infunditur fidei habitus; priusquam actu crediderint, fidemque conceperint ex auditu, ut ait Trid. ibid. c. 6. unde sic: Illud necessarium est ad salutem, quod ad justificationem necessarium est; hæc enim ad illam præsupponitur: atqui ex Tridentino, fides actualis necessaria est ad justificationem; fundamentum enim & radix ad id omnino necessaria sunt, cujus sunt radix & fundamentum; ut patet in trunco respectu ramorum, fundamento respectu ædificii: atqui fides est radix & fundamentum justificationis: ergo.

Prob. 2. pars. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod expresse & pluries in Scripturis imperatum est: atqui fides actualis expresse & pluries imperata est in Scripturis. 1. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus*. Jo: 13. *Creditis in Deum, & in me credite*. Marc. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Merito itaque damnata est hæc Tamburini propositio: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

Confirm. Ex modo dictis assensus fidei medium est ad salutem necessarium: atqui eo ipso est necessarius ex necessitate præcepti; cum cuilibet præceptum sit, ut assumat media ad salutem necessaria: ergo.

Hæc Conclusio pro utraque parte respicit adultos, qui in infantia justificati non sunt; aut eos, qui, accepta per Baptismum fide, ab ea deinceps excidissent; neutri enim sine aliquo fidei actu ad justitiam devenire possunt. Sed convertitur an, qui in infantia baptizatus esset, posset in aliqua hypothesi, etiam non emisso fidei actu, salutem obtinere puta si aliquot post obtentum rationis usum horis vel forte diebus, moreretur, & necdum ullum religionis actum elicuisset, sive ob negligentiam parentum, qui consecrandas esse Deo corporis primitias non monuissent, sive quia tenella ætas alio distracta & avocata fuisset, ut fieri facile potest. Hæc quæstio pendet ab alia, an & quomodo infans sub pœna mortali ad Deum se convertere teneatur, statim ac rationis usum attingit, de qua alibi.

Objic. 1. contra utramque Conclusionis partem. Illud non est absolute necessarium ad justificationem, sine quo homo justificari potest: atqui homo sine ullo fidei actu justificari potest. Nam ex Apostolo, *factores legis justificabuntur*: atqui ut quis sit factor legis, non requiritur actus fide, aut alius quilibet supernaturalis, sed sola sufficit natura, juxta id ejusdem Apostoli: *Gentes ... naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*. *Rom, 2. v. 13. Ib. v. 14.*

R. Ad 1. neg. min. Ad 2. factores legis, id est, qui plene & ex fide per dilectionem operante legem impleverint, justificabuntur, C. id est; qui per

L 4 solas

solas naturæ vires legem, vel potius aliquid legis executi fuerint, N. Totus est eo loci Apostolus, ut gratiæ, & fidei in Christum necessitatem commendet: ergo nec docet nec docere potest justificari quempiam ex sola naturali legis adimpletione; ac proinde hæc verba: *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, vel ad præcedentia non referuntur, neque cum iis connexa sunt; vel si ad ea referuntur, vox, *naturaliter* non idem est, ac solis naturæ viribus, quasi excludatur gratia, sed idem est, ac sine lege scripta, ut sola lex Mosaica excludatur, sine cujus auxilio multi reipsa justitiam consecuti fuere, quos inter citant aliqui non solum Melchisedech Regem Salem, & Job, ejusque amicos, qui ante Legis tempora vixisse creduntur, sed & Legis ipsius tempore Jethro Mosis socerum, Ninivitas, & alios plures, quos recenset Curcellæus in dissert. de necessitate cognitionis Christi n. 33.

Obj. 2. Ab actu ad posse valet consecutio: atqui de facto Cornelius Centurio justificatus fuit sine fide. Nondum enim habebat fidem, cum monitus est, ut accerseret Petrum a quo fidei mysteria edoceretur: atqui tamen jam justus erat. Justus enim erat vir, qui vocatur *religiosus ac ti-*
Act. 10. *mens Deum, & Deum deprecans* tam utiliter, ut ejus *orationes & eleemosynæ* ascenderent ad Deum: atqui talis erat Cornelius.

R. Ad 1. neg. min. Ad 2. negant aliqui minorem, censentque Cornelium bonis quidem & piis operibus fidem imperasse, sed non ante justificatum fuisse quam baptizaretur. Verum alii plures contrarium existimant: sive vero ante, sive post Baptismi receptionem, justitia donatus esse dicatur Cornelius, negandum est eum caruisse gratia & fide; *non enim sine aliqua fide donabat & orabat: nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?* ait Augustinus l. de præd. SS. c. 7. Idem docet S. Thom. 2 2. q. 10. a. 4. ad 3. *De Cornelio*, inquit, *sciendum est, quod infidelis non erat; alioqui ejus operatio non fuisset accepta Deo, cui sine fide nullus placere potest: habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate*. Sciebat, ait S. Gregorius Homil. 19. in Evang. *creatorem omnium Deum*, eumdemque universi auctorem, largitorem bonorum, malorum depulsorem, *sed, quod ejus omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat*; quia tamen sic affectus erat, ut Deo seu per se, seu per alium, fidei mysteria revelanti, credere paratus esset, quæ fides est implicita, *bona actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, & incarnationis ejus mysterium cognosceret*, eo tempore, quo explicita Christi fides, tanquam medium obtinendæ salutis proponi incipiebat.

Obj. 3. Quod impossibile est adultis, idem necessarium esse nequit, saltem necessitate præcepti: atqui habere fidem impossibile est pluribus adultis. Non enim possunt credere nisi audiant: atqui multi sunt, quibus impossibile est audire; cum penes eos non sit habere, qui sibi verba fidei annuntient.

R. dist. maj. quod impossibile est tum immediate, tum etiam mediate, non est necessarium, C. quod impossibile est immediate solum, N. Atqui impossibile est pluribus adultis habere fidem, dist. impossibile est proxime & immediate. C. mediate & remote, N. Illi enim mediatam habent potestatem perveniendi ad fidem, qui ope gratiæ, quæ ne fidelibus quidem deest, possunt naturæ legem servare, & servando ea consequi, quæ ad salutem proxime necessaria sunt: atqui Infideles ope gratiæ sibi concessæ possunt... Prob. min. ex S. Basilio, qui in Regulis brevioribus interrogat. 224. sic loquitur: *Si inciderit ut aliqui Cornelio similes sint, qui in re nulla mala sint occupati, & cupidi perfectionis, bona illa quæcumque in ipsorum posita facultate*

ac

ac cognitione sunt, vere sincereque exerceant, iis sine dubio Deus ea largiretur, quæ etiam Cornelio. Idem docet S. Thom. q. 14. de veritate, ar. 11. qui est penultimus de fide. *Si*, inquit, *aliquis in sylvis, vel inter bruta animantia nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*, Act. 10. & Philippum ad Eunuchum Reginæ Æthiopum, Act. 8.

Inst. Si Infideles mediatam credendi potestatem habeant, eorum infidelitas vincibilis erit, & ideo culpabilis: atqui falsum consequens. Alioqui infidelitas negativa esset peccatum, quod falsum est, ut patet ex condemnatione hujus Bajanæ propositionis, quæ est n. 68. *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*.

R. Ad 1. neg. maj. ut enim infidelitas non sit peccatum in iis etiam, qui prioribus gratiis utendo per gradus ad ipsam fidem aliquando devenissent, sufficit ut nec prævideant, nec prævidere possint Deum ipsis subtracturum esse fidem, si legis naturæ præcepta violent: atqui moraliter loquendo, Infideles nec prævident nec prævidere possunt, fidem Trinitatis v. g. aut Christi, sibi esse subtrahendam, ex eo, quod naturæ præcepta transgrediantur, cum tota, quæ inter præceptorum naturalium observantiam & fidem Christi est, connexio, pendeat a libera Dei voluntate, & humanæ mentis intelligentiam excedat; ergo Infideles ex ipso fidei defectu non peccant, & tamen remotam habent credendi potestatem, quæ duo optime conciliantur: quia ut aliquid sit in potestate remota, necesse non est ut actu cognoscatur aut cognosci possit, sed satis est ut connexum sit cum aliquo, quod est in potestate nostra proxima; quod si ponatur, & aliud quoque infallibiliter ponetur.

Confirmatur. Non magis reus est fidei non adeptæ Gentilis, qui gratiæ ad observantiam legis naturalis sollicitanti resistit, quam reus sit peccati mortalis Beneficiarius, qui mane debens, ut poterat, Officium persolvere, illud ad decimam horam distulit, qua correptus ardenti febre, deinceps recitare non potuit: atqui is erit quidem reus alicujus negligentiæ, non tamen peccati mortalis, quia prævidere non potuit futurum ut recitare non posset; ergo nec præcise infidelitatis reus est, qui prævidere non potuit futurum, ut certa committendo peccata, excluderetur a fide.

Quod si quis Gentilium tam uberes a Deo gratia reciperet, ut fidei necessitatem saltem implicite præsentiret, & ab ea se se everteret, tunc infidelitas ejus fieri posset peccatum, desineretque esse pure negativa, quia gratia idem in eo præstaret, ac minister exterior verbi.

§. II.

Antequam examinemus quodnam sit fidei ad salutem necessariæ objectum, seu quinam articuli credi debeant, aut quis gratiam & gloriam consequi valeat, quædam sunt præsupponenda.

1. Itaque aliud est cognoscere veritates fidei, aliud earum fidem habere: has enim veritates cognoscunt tum Gentiles, coram quibus evolvuntur fidei mysteria, tum Hæretici, qui eas defendunt vel impugnant: neutri tamen vere credunt, quia vel non consentiunt, vel non consentiunt ob revelationem ab Ecclesia propositam.

2. Prg-

2. Propositiones istæ: 1. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* 2. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.* 3. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini; hæ*, inquam, *tres propositiones*, a Clero Gallicano an. 1700. proscriptæ sunt, ut *in Deum remuneratorem & in Christi mediatoris nomen contumeliosæ, erroneæ, & hæreticæ.*

3. Non conveniunt etiamnum Theologi, quid præcise ad justificationem credi debeat. Alii explicitam Trinitatis & Incarnationis fidem medii necessitate necessariam esse putant. Ita Joannes a S. Thoma, Valentia, Molina, & alii, quos citat & sequitur Gonet tom. 4. disp. 6. a. 5. Alii censent implicitam eorumdem mysteriorum fidem sufficere, explicitam vero solum esse necessariam necessitate præcepti; adeo ut si quis mysteria hæc invincibiliter ignoret, possit ut gratiam, ita & gloriam obtinere. Ita ex Thomistis docent Soto, Javellus, & Serra, quorum opinionem ab omni censuræ insultu vindicat Bannez 2. 2. q. 2. a. 8. his verbis: *Non est hæresis, nec temerarium aut scandalosum asserere, quod possit aliquis modo assequi vitam æternam, sine fide explicita Christi &c.* Alii demum, ut Canus & Bannez ibid. implicitam Trinitatis atque Incarnationis fidem, ad primam, ut vocant, salutem, seu justificationem a peccatis sufficere existimant, non autem ad secundam, seu ad gloriam. His positis, sit cum prima classe

CONCLUSIO I. Post Evangelii promulgationem necessaria est necessitate medii fides explicita, non solum Dei ut remuneratoris, sed etiam Trinitatis & Incarnationis.

Prob. 1. pars de fide Dei ut remuneratoris. 1. ex citato jam textu Apostoli ad Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ubi non solum sermo est de fide actuali & supernaturali, sed de fide, quæ pro objecto habeat Deum, eumque non simpliciter, sed ut remuneratorem: in hac autem propositione, *Deus est*, continetur, quod sit unus, independens, summe bonus; in illa vero, *remunerator inquirentibus se*, quod sit boni supernaturalis auctor, & quod anima non intereat cum corpore. 2. ex censura 1. propositionis supra relatæ, quæ jam ab Innocentio XI. damnata fuerat. 3. quia ad justificationem & salutem necesse est eam in Deum habere fidem, qua, inter alia, spes nostra in Deum excitetur: atqui spes nostra excitari nequit, nisi Deum credamus, qui inquirentibus se remunerator sit: ergo.

Prob. 2. pars de fide Incarnationis. 1. ex Joan. 3. ubi sic loquitur Christus: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.* Unde sic: Eodem modo necessaria est fides Christi ad salutem animæ, quo aspectus ænei serpentis necessarius fuit ad salutem corporis: atqui aspectus ænei serpentis ita Hebræis necessarius erat ad salutem corporis, ut qui eum quacumque ex causa non intuerentur, non sanarentur a morbo: ergo.

2. Marc. ult. sic habet Chr. *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* In quæ verba sic scribit S. Bernardus Ep. 77. *Caute & vigilanter non repetivit qui vero baptizatus non fuerit; sed tantum, qui vero non crediderit, condemnabitur*; innuens

solam

solam interdum sufficere fidem ad salutem , & sine ipsa sufficere nihil : ex quibus patet Evangelii fidem , non minus , imo magis necessariam esse , quam ipsum Baptisma. Porro fides Evangelii præcipue complectitur Incarnationem & Trinitatem ; ergo utriusque fides necessaria est necessitate medii.

3. Ex Tridentino sess. 6. c. 6. ubi decernitur ad obtinendam justificationem credenda esse, *quæ divinitus revelata & promissa sunt , atque illud in primis , a Deo justificari impium per gratiam ejus , per redemptionem , quæ est in Christo Jesu*; unde sic: Nullius veritatis fides magis est necessaria, quam illius, quæ *in primis* credenda est : atqui redemptio per Christum præcipue & *in primis* credi debet ad justificationem : ergo vel nullius alterius veritatis, vel redemptionis fides necessaria est necessitate medii.

Prob. 3. pars de fide explicita Trinitatis , tum ex ratione secunda mox allata, tum ex discursu S. Thomæ. Nam ex modo probatis, fides Incarnationis explicita necessaria est necessitate medii ad justificationem & salutem : atqui *mysterium Incarnationis Christi explicite credi non potest , sine fide Trinitatis : quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur , quod filius Dei carnem assumpserit ; quod per gratiam Spiritus sancti mundum renovaverit ; & iterum , quod de Spiritu sancto conceptus fuerit* : ergo *post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis*. 2. 2. q. 2. art. 8.

Obj. 1. Nihil ad justificationem exigendum est , quam quod ad eam exigit Apostolus : atqui hoc unum exigit Apostolus , ut credatur existere Deum , eumque inquirentibus se remuneratorem esse.

R. neg. maj. 1. quia qui declarat unum esse necessarium , non negat necessitatem alterius ; ergo si alterius necessitas in aliis Scripturæ locis asserta inveniatur, ut in præsenti casu , non solum potest , sed & debet exigi. 2. quia, saltem ut sentit S. Thomas in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiunc. 4. ad 1. Apostolus in objecto loco ea recensuit , quorum explicita fides in quolibet statu singulis hominibus semper necessaria fuit ; ergo nihil mirum si de Trinitate & Incarnatione non fuerit locutus , cum explicita horumce mysteriorum fides , ante Evangelii promulgationem singulis hominibus necessaria non fuerit, ut vulgo docent Theologi.

Obj. 2. Ea opinio admitti non debet , ex qua plura sequuntur absurda : atqui ex opinione , quæ explicitam Trinitatis & Incarnationis fidem requirit , plura sequuntur absurda . Sequitur enim 1. eos homines , qui ita hebetes sunt & stupidi , ut mysteria tam ardua apprehendere non valeant , nec per consequens explicite credere , salutem non posse consequi . Idem dicendum de mutis ac surdis a nativitate , qui vix per signa & nutus de horum mysteriorum substantia instrui possunt , & quibus proinde neganda essent Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ , quæ tamen iis satis communiter conceduntur. Sequitur 2. Cathecumenum , qui successive res fidei edocetur , quique post acceptam Dei ut gratiæ auctoris fidem , intensum charitatis actum eliceret , & statim moreretur , reprobandum esse , quia nondum quidquam de Trinitate aut Incarnatione audiisset.

Respondent aliqui Thomistæ , fidem explicitam Trinitatis & Incarnationis, licet per se loquendo hodie necessaria sit, per accidens tamen posse non requiri: unde, inquiunt, fieri potest ut quis cum sola Dei ut provisoris supernaturalis fide salvetur, in quibusdam casibus raris, quales ii sunt, de quibus loquitur objectio , & alii nonnulli similes ; præsertim cum aliorum mysteriorum fides non sit necessaria ex natura rei , ut necessaria videtur

tur

tur contritio ei, qui peccavit mortaliter, sed solum ex libera Dei voluntate, ut Baptismus & Confessio, quæ idcirco non in re, sed in voto tantum necessaria sunt ad justificationem.

Verum hæc responsio ab aliis rejicitur. 1. quia argumenta superius adducta generaliter probant explicitam Christi fidem non in voto solum, sed & in re, necessariam esse. 2. quia hæc respondendi ratio paulatim in præcipitium ducit: si enim, quia de Deo sentiendum est in bonitate, dicere liceat eum, qui nondum Trinitatem cognoscere potuit, absque illius fide posse salvari; licebit etiam dicere eum, qui necdum discere potuit Deum inquirentibus se remuneratorem esse, absque eo, quod id explicite credat, salutem consequi posse: quin & facile eo usque progredietur error, ut *fides late dicta*, qualis ea est, quæ oritur *ex testimonio creaturarum*, iis sufficere judicetur, quibus per tempus non licuit ampliorem mysteriorum notitiam acquirere. 3. demum, si responsio hæc solida foret, non utique Scholæ Angelo fuisset ignota, cum admodum obvia sit & naturalis: atqui tamen eidem S. Doctori ignota fuit, cum ubique recurrat ad extraordinariam revelationem iis communicandam, qui ex gratiæ auxilio facerent, quod in se est, & præsertim in 3. dist. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1.

R. Itaque ad 1. neg. min. ad 1. probationem dico, nullum esse hominem ingenii adeo rudis, qui si sit rationis compos, mysteria Trinitatis & Incarnationis, sibi sufficienter proposita, quantum ad substantiam & confuse apprehendere non possit, maxime ex auxilio gratiæ, quæ omnipotens est, & a Deo non denegatur. Et vero homines illi, qui obtusi adeo & hebetes supponuntur, satis in humanis rebus habent ingenii ut alios decipiant, & se decipi non patiantur, ut artes mechanicas aliquando non faciles perdiscant, ut de hostibus suis ulciscantur, ut obscænas, & sæpe longiores cantilenas memoriæ infigant: quidni ergo cum Dei auxilio id præstent, quod solis naturæ viribus, vel Diaboli adjutorio quotidie exequuntur? Idem servata proportione dicendum de mutis & surdis, qui per imagines & signa rudem aliquam mysteriorum notitiam haurire possunt; vel, si perseveranter orent, nec gratiæ obicem ponant, a Deo ipso erudientur, quantum ad salutem sufficit.

Si quis tamen contendat aliquos esse adultos, qui præ ingenii debilitate, non possunt, quantumcumque enitantur, fidei mysteria percipere, dico, *Gen p.312.* verba sunt Goneti, quod se habent quantum ad hoc, sicut amentes & parvuli, qui sine ullo fidei actu salvantur. Neque inde magis concludi potest explicitam Trinitatis & Christi fidem non esse medium ad salutem necessarium, quam colligi possit explicitam Dei ut supernaturalis remuneratoris fidem non esse necessariam necessitate medii, ex eo, quod quidam esse possint bardi adeo & stolidi, ut Deum tanquam remuneratorem apprehendere non valeant.

Ad 2. probationem. Sicut supponunt adversarii Deum huic Cathecumeno vitam ablaturum esse, eo præcise instanti, quo Trinitatis & Christi fidem percepturus erat; ita supponimus nos Deum hominis, a quo sincere quæritur, vitam conservaturum esse, donec id omne, quod absolute necessarium est ad salutem didicerit, vel a ministris Ecclesiæ, vel ab Angelis ipsis. Neque id gratis dictum est, sed ad mentem S. Thomæ, qui 2.2.q.2. a. 7. ad 3. docet, *quod multis Gentilium facta est revelatio de Christo*: ad cujus confirmationem refert inventum fuisse tempore Constantini Augusti & Irene matris ejus sepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: *Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum... sub Constantino &*

Irene

Irene Imperatoribus o Sol iterum me videbis. Factum hoc, ait Baronius ad an. 780. omnes tam Græci, quam Latini Historici æque asserunt. *Baron. e 9. p. mihi 435.*

Quæres, quo in gradu mysteria hæc cognosci debeant.

R. majorem horum notitiam iis præceptam esse, qui alios edocere debent, quales sunt Parochi & Catechistæ. Quod spectat ad populum, sufficit ut substantiam, non autem requiritur ut utriusque mysterii modum cognoscat; v. g. quod humanitas Christi propria careat subsistentia, quæ suppleatur per alienam; item quod personæ proprietatibus relativis constituantur: satis ergo est, ait Sylvius hic art. 8. concl. 7. si rudiores credant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, esse unum Deum, etiamsi distincte non sciant quid sit una essentia in tribus personis; & similiter quod credant Filium Dei, verum Deum & hominem propter nos & nostram salutem passum esse, & mortuum.

Hinc colliges quantum peccent sive parentes, præceptores, patrini & similes, qui pueris, statim ut rationis usum nacti sunt, non exponunt præcipua fidei mysteria, & motivum, ex quo credi debent; sive Parochi & alii, quibus incumbit animarum cura, si ovibus suis fidei obligationem sedulo & fortiter non inculcent, sicque eos exponant periculo damnationis æternæ, quæ nonnisi per explicitam Dei remuneratoris, trini & incarnati fidem evitari potest. Certe intimo, & juste quidem, doloris sensu percelluntur Pastores, si resciant e Parochianis suis unum aliquem decessisse non recepto Pœnitentiæ Sacramento; & tranquilli manent, dum sciunt aut scire possunt, multos e suis quotidie mori absque ulla Incarnationis fide; horum tam, quam illorum certior est damnatio, cum pœnitentiæ votum ministri vices supplere possit, nihil autem supplere valeat notitiam mysterii, cujus fides necessaria est necessitate medii. Væ ergo Curatis, qui satis esse putant si haice veritates e suggestu vel in Cathechismo aliquoties annuntient, cum constet nec omnes cuilibet instructioni interesse posse, nec ea, quæ palam in genere dicuntur, a rudioribus apprehendi in particulari: væ dominis, qui in pagis & oppidis vix servis concedunt ut intersint Missæ, nec domi supplent aut supplere possunt, id, quod suis aliunde deest.

CONCLUSIO. II. Ad salutem necessaria est insuper necessitate præcepti divini. 1. fides eorum omnium, quæ necessaria sunt necessitate medii. 2. fides eorum (quoad substantiam scilicet) quæ in Symbolo Apostolorum continentur. 3. Fides Sacramentorum, quæ vel necessaria sunt necessitate medii, vel licet non sint tam stricte necessaria, aliquando tamen recipienda sunt. His addenda est notitia tum Orationis Dominicæ, ejusque necessitatis, tum præceptorum Decalogi: singula paucis probanda sunt; qui plura volet, adeat Delugo ubi de fide disp. 13. sect. 4. 5.

Prob. 1. pars. quia, quo jure constituta est fides alicujus objecti ut medium ad salutem necessarium, eodem jure præcipitur obligatio medium illud usurpandi; ergo.

Prob. 2. pars contra Suarem disp. 13. sect. 4. Hæc enim Christi verba, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*; ut imponunt Apostolis obligationem communicandi notitiam Evangelii, sic & populis imponunt obligationem audiendi & credendi eidem Evangelio: sed necessitas & debitum credendi Evangelio, saltem importat necessitatem credendi articulos Symboli; ii enim præcipua sunt capita Evangelii, atque veluti ejus summa: unde non alio fine conditum fuisse videtur Symbolum, quam ut compendiose proponerentur ea, quæ ex divino præcepto ab unoquoque Fidelium scien- *Marc. ib.*

scienda sunt & credenda; nec dubium est, quia Apostoli, qui totum Evangelium singulis hominibus annuntiare non poterant, hoc saltem ejus compendium iis annuntiaverint; ergo. Vid. Lugo sect. 6. n. 159.

Confirm. quisque Fidelis tenetur verus esse Christianus: atqui, ut quis vere sit Christianus, debet saltem præcipua fidei christianæ capita possidere. Jam vero præcipua hæc capita continentur in Symbolo, quod est, ut loquitur Augustinus, *regula fidei nostræ brevis & grandis; brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum*. Hinc jam ab ipso Ecclesiæ exordio Cathecumeni ad Baptismum non admittebantur, nisi prius recitarent, & intelligerent Symbolum.

Serm. 135. de temp.

Prob. 3. pars, quia præceptum recurrendi ad certa quæda Sacramenta, supponit præviam eorum notitiam & fidem; cum Sacramenta non possint utiliter ab adultis recipi, nisi eorum naturam, vim, effectus, & dispositiones prærequisitas cognoscant & credant: atqui exstat præceptum Christi universale recurrendi ad Baptismum, ad Pœnitentiam, & Eucharistiam, imo & juxta multos, ad Confirmationem; ergo horumce Sacramentorum fides & notitia, omnibus, qui ejus capaces sunt, est præcepta. Unde Baptismi cognitio necessaria est iis etiam, qui in infantia baptizati sunt, tum ut sciant se gravi præcepto fecisse satis; tum ut cognoscant effectus ejus, & quam obligationem inde contraxerint, sive in ordine ad Ecclesiam, cui morem gerere debent, sive in ordine ad se ipsos, qui templa facti Spiritus sancti, vitam Deo dignam vivere tenentur. Pariter necessaria est Pœnitentiæ cognitio iis etiam, qui necdum mortaliter peccarunt, ut si eos peccare contingat, aut saltem dubitare an peccaverint, quod nemini non contingit, non ignorent secundam tabulam, qua ex naufragio redimi possunt.

Prob. 4. pars ex communi Doctorum sensu, qui, ut notat Lugo n. 132. omnes conveniunt necessum esse ut Fideles sciant esse orandum Deum, ab eoque petenda corporis & animæ bona: atqui hoc ipsum est scire Orationem Dominicam, quoad substantiam, ejusque vim & necessitatem credere; ergo.

Prob. 5. pars de præceptis Decalogi, quia ad id sciendum aut credendum tenetur homo, quod jure naturali vel divino observare tenetur: atqui jure naturali & divino tenetur quilibet ad observanda Decalogi præcepta.

Dixi, ea, quæ mox enumerata sunt, ex jure divino scienda aut credenda esse, *quoad substantiam*, circa quod quædam sunt notanda.

1. Itaque articulorum fidei substantiam scire censetur, qui etsi nec ipsa præcise verba, nec verborum ordinem memoriæ mandaverit, de quolibet tamen articulo interrogatus, respondere potest, quantum exigit fundus seu substantia articuli. Ita cum aliis Henricus a S. Ignatio tom. 2. lib. 2. n. 130. qui consequenter docet, non multum vexandos, sed benigne tractandos esse, qui rudes adeo sunt & simplices, vel memoria destituti, ut ista rerum & verborum ordine memoriter retinere nequeant: quod lubens quoque admiserim, si viri illi rudes debitam adhibuerint diligentiam, ut hæc edíscerent; alioqui enim, juxta Suarem, Granado, Navarrum Manual. c. 22. & alios plures, a quibus non recedit Habert, peccant venialiter; atque hoc peccatum sufficiens est ratio differendæ absolutionis, cum pœnitens jam monitus discere neglexit, nec aliter a somnolentia sua excitari potest.

2. eorumdem articulorum substantiam vere ignorat, qui totum v. g. Symbolum memoriter tenet, sed idiomate sibi ignoto, puta latina lingua, quam

nescit;

nescit; non enim creditur id, cujus omnis & quæcumque notio deest. Ita Sanchez, Suarez, Coninch. quos citat & sequitur Delugo ibid. n. 67. & 136.

3. Non omnes articuli Symboli ejusdem sunt necessitatis. Sic Passio Christi longe alterius est momenti, quam circumstantia ejusdem *sub Pontio Pilato*; unde ignorantia ipsius, ob materiæ parvitatem a culpa saltem gravi excusari potest, ut communiter tenent Doctores.

4. Licet stando in jure divino sufficiat, ut Symbolum, Oratio Dominica, & Decalogus, quoad substantiam teneantur, Ecclesiastico tamen jure necessum est, ut hæc memoriter teneantur: atque id patet 1. ex Can. 105. dist. 4. *De consec.* qui desumptus est ex Augustino, & sic habet: *Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite*: ergo jam a prioribus Ecclesiæ sæculis præceptum est, ut ipsi etiam infantes statim, ac doctrinæ capaces fiunt, *ante omnia* Symbolum, & alia ejusdem necessitatis ediscant: qua de re legendus est sermo S. Augustini de Symbolo ad Cathecumenos. 2. idem patet ex Concilio Braccarensi III. can. 1. ubi præcipitur Episcopis, ut per viginti dies ante Baptismum curent Cathecumenos ediscere Symbolum. 3. constat ex Ordine Romano, Amalario, Rabano Mauro, & aliis, eos, qui baptizandi erant, olim solitos reddere seu recitare Symbolum, aut per se, si adulti, aut per patrinos si infantes erant; unde merito variis in Diœcesibus sancitum est, ut ad matrimonium contrahendum non admittantur, qui Symbolum Apostolorum nescierint. Merito item præcepit S. Carolus, ut qui *articulos omnes Symboli Apostolorum*, (quoad substantiam ait Æthica amoris) non tenet, *insuper & præcepta Dei, sanctæque matris Ecclesiæ universa, quæ sub mortali obligant*, item *Orationem dominicam, & angelicam salutationem*, ut * alibi innuit Sanctus Pontifex, non absolvatur, *quin primo quoque tempore in addiscendis operam daturum se promiserit: Quamquam si aut a Confessario suo eodem vel diverso, vel sua ipse privatim conscientia jam alias monitus (quod diligentissime exquiretur) eam adhibere diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenii captu ad ea discenda sufficiens sit, non prius absolvatur, quam huic obligationi aliqua saltem ex parte fecerit satis. Si vero ea de re nusquam antea monitus fuerit, poterit tum ei gratiam absolutionis impertiri, ea tamen præmissa semper instructione, qua pœnitenti sufficere censuerit, ut tanto beneficio non sit indignus.*

Lab. tom. 3. p. 896.

Act. part. 4. tom. 1 p. 765. Edit. 1599.

*V. Con. 5. ibid. p. 211.

Præter hæc omnia, *tenentur tam majores, quam minores habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur & proponuntur*, ait S. Thomas hic q. 2. a. 7. unde inferunt Sylvius & Nat. Alexander tom. 2. p. 584. explicite credi debere & sciri, non ea solum, quæ ad Sacramenta singulis necessaria pertinent, sed & ea quoque, quæ spectant ad Sanctorum cultum, venerationem Reliquiarum, usum indulgentiarum, existentiam Purgatorii, modum juvandi animas ibidem detentas; hæc enim omnia in Ecclesia solemnizantur: & id quoque sciendum est, Ecclesiæ parendum esse, extra illam neminem salvari; & hæc, qui scire negligit, reus est peccati lethalis, ait idem Nat. Alexander.

Antequam ulterius progrediamur, juvat aliqua prælibare de Symbolo. Quæres itaque 1. quid & quotuplex sit Symbolum.

R. Symbolum, juxta græci nominis ethymologiam, est saltem, juxta aliquos, id, quod a multis contribuitur & confertur ad aliquod opus: quo sensu Proverb. 23. v. 21. qui in convivia *carnes ad vescendum conferunt*, dicuntur dare *symbola*. Sumitur etiam symbolum pro signo & tessera militari, qua veri milites ab aliis discernuntur. Utroque hoc sensu accipitur symbolum in

Eccle-

Ecclesia, nempe pro collectione articulorum fidei, ad quam multi concurrerunt, & pro signo, quo Fideles se produnt exterius, ut veros Christi milites, & ab iis, qui tales non sunt, distinguuntur.

Porro non idem sunt dogma, articulus, & punctum fidei. Dogma est id, quod docet fides, unde de puncto & articulo dicitur. Punctum, quod alii propositionem dicunt, est veritas revelata, sed non principalis, nec ab omnibus explicite credenda, v. g. quod Saul fuerit primus Rex Israel, quod Tobiam comitatus fuerit canis. Articulus vero fidei, de iis solum veritatibus dicitur, quæ præcipuæ sunt, & ad æternam salutem pertinent, ut sunt Verbi cum Patre consubstantialitas, & resurrectio mortuorum. Unde licet articulus sit propositio fidei, non omnis propositio fidei est articulus: sed ea solum veritas fidei, articulus dicenda est, quæ est *propositio catholica, principii rationem habens in fide, specialemque difficultatem, & ab omnibus explicite credenda*. Est *propositio catholica*, quia spectat ad fidem omnibus communem. *Principii &c.* quia primaria est, & pertinet ad præcipua fidei capita. *Specialem habens difficultatem*, quia non multiplicantur articuli fidei, nisi cum multiplicantur difficultates; unde quod Christus passus sit, mortuus & sepultus, unus est articulus fidei tres propositiones continens, quarum posteriores duæ non aliam, quam prioris difficultatem habent; si enim pati potuit Christus, potuit & mori, si mori potuit, potuit & sepeliri: quod vero Christus conceptus sit de Spiritu sancto, articulus est a præcedenti diversus, specialique indigens considerατione.

Quæres 2. quot sint Symbola?

R. quatuor recenseri posse. Primum est Symbolum *Apostolorum*, qui, ut una esset credentium omnium loquela, sicut erat cor unum, collegerunt brevem capitum fidei summam, ante cœtera Proselytis tradendam. Quomodo autem Apostoli Symbolum condiderint, an eorum unus totum opus confecerit, quod ab aliis fuerit approbatum; an omnes in unum convenerint, & singuli adhibuerint operi manum, non ita constat: posterior hic modus communiter admittitur; quin & aliqui suum ab unoquoque Apostolo articulum conditum fuisse putant. Ita auctor sermonis 115. inter sermones S. Augustini de tempore, & favet S. Leo Epist. 13. Ut ut sit, falsum est, quod aliqui post Calvinum docent, Symbolum scilicet, non aliter *Apostolorum* dici, quam quia eorum doctrinam continet, idque solide confurant Benedictini Congregationis S. Vitonj in libro, cui titulus, *Remarques sur la Biblioteque Ecclesiastique* &c. p. 81. & Nat. Alexander * differt. 12. in Historiam Ecclesiasticam sæculi 1.

* p. 240. *Edit. in fol.*

Secundum Symbolum est Nicænum, quod editum est in Concilio Nicæno ad convellendam Arii impietatem, qua negabat Filium Patri consubstantialem esse.

Tertium est Constantinopolitanum, quod sæpius confunditur cum Nicæno, a quo non discrepat nisi ob duas additiones, quarum prior impugnat Manichæos asserentes Deum non esse rerum corporearum & visibilium conditorem; posterior Macedonianos ferit, qui abnegata Spiritui sancto divinitate, negabant consequenter cum Patre & Filio adorandum esse & conglorificandum.

Quartum circumfertur sub nomine S. Athanasii, non quod ejusdem fœtus sit, quod nunc passim negant Critici, sed quia plene exhibet doctrinam, quam S. Doctor mira eruditione, & patientia, labores inter & omni generis ærumnas, ad mortem usque propugnavit.

Quæ-

Quæres 3. quid circa unumquemque ex duodecim Symboli Apostolici articulis explicita fide credere teneamur.

R. circa primum, credendum est unum esse Deum, cui nihil impossibile sit, quique omnia creaverit.

Circa secundum: *Christum* esse Patris æterni *Filium unicum*, ac proinde naturalem, qui solus est proprie & sine addito filius; eumdemque esse *Dominum nostrum*, cui proinde, non ut alicui e Sanctis, sed ut summo mortalium principi & capiti obsequium & honos impendi debent.

Circa tertium, eumdem Christum, qui utpote unicus Patris Filius est ab æterno, in tempore tamen *conceptum esse de Spiritu sancto*, ac proinde absque operatione humana, & sic de *Virgine*, cui nomen erat *Maria*. An autem explicite a singulis credendum sit Mariam non in conceptione solum & partu, sed & toto vitæ decursu virginitatem servasse, disputatur. Affirmant Bannes, Granado, & alii, quos sequitur Lugo disp. 13. n. 72. & merito, cum ex constanti Ecclesiæ usu, virginis nomen nulli fœminæ simpliciter & absolute attribuatur, nisi virgo semper permanserit.

Circa quartum, credendum est Christum passum esse & mortuum, idque non simpliciter: *sed propter nos homines, & propter nostram salutem*; Christus enim explicite credi debet ut redemptor noster, & ut objectum tenerrimæ nostrum omnium gratitudinis *ob nimiam charitatem, qua dilexit nos*. *Ephes.* 2. Cur autem id in Symbolo suo non expresserint Apostoli, ratio esse potuit, tum quia in ipsa antiqua lege necessaria erat explicita mediatoris fides, adeoque facile præsupponebatur; tum quia moraliter impossibile erat, iis præsertim temporibus, quibus adhuc fumabat in cruce sanguis Christi, ut qui eum passum esse & mortuum intelligebant, non statim intelligerent pro nostra salute passum esse.

Sed hic duplex exurgit dubium, an scilicet explicite credi debeat, tum genus mortis Christi, seu crucifixio, tum ejusdem sepultura. Quod ad crucifixionem spectat, dicendum est fidem ejus necessariam esse. 1. quia is Symboli articulus ita gravis est, ut Apostoli eum crebro & constanter seorsim a passione & morte Christi explicuerint, juxta id Pauli: *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum*. 2. quia signum crucis est quasi visibile symbolum, quo Christiani ab exteris distinguuntur; unde Angelus, Sylvester, Tabiena, Armilla, & alii plures, peccati mortalis eos accusant, qui culpa sua crucis signo signare se nesciunt: atqui necessum est ut Christiani noverint signum suum; neque illud nosse possunt, nisi crucifixionis mysterium noverint: ergo. Vide Salmanticenses tract. 21. c. 2. n. 44. *1. Cor.* 2.

Major est difficultas de sepultura, quæ posset ignorari absque eo, quod vacillaret fides mortis Christi, ejusque resurrectionis; & cujus proinde notitia non tanti videtur esse, ut, qui ea caret, mortaliter delinquat. Ita licet dubitanter Delugo n. 82. Medina & alii quidam; Fatendum tamen circumstantiam sepulturæ, quæ in Jona tam mirabiliter præfigurata est, a Christo tam exacte prædicta, in Baptismo etiam repræsentata, satis gravem videri, ut non leviter reus præsumi possit, qui eam culpa sua ignoraverit; de quo penes Magistros esto judicium.

Quintus articulus duo proponit, descensum ad inferos, & resurrectionem a mortuis tertia die. De resurrectione a mortuis non ambigitur, quin necessario sit credenda sub pœna peccati gravis, cum speciale sit fidei & spei nostræ fundamentum, juxta id Apostoli: *Si Christus non resurrexit ... inanis est fides nostra*; & Rom. 10. *Si in corde tuo credideris, quod Deus Dominum Jesum suscita-* *1. Cor.* 5.

vit a mortuis, salvus eris. Unde Augustinus in Psal. 120. *Fides Christianorum resurrectio Christi est: hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse*. Sed duo hic moventur dubia, an scilicet necessario credendæ sint, sive circumstantia diei tertiæ, sive descensus ad inferos, qui resurrectionem præcessit.

Quod spectat ad 1. circumstantia diei tertiæ non potest ignorari sine peccato. 1. quia in omnibus Symbolis apposita est, & ab Apostolis aperte inculcata, ut patet ex Act. 10. *Hunc Deus suscitavit tertia die*, & 1. Cor. 15. *Tradidi vobis in primis, quoniam Christus ... resurrexit tertia die*. 2. quia hujus circumstantiæ cognitio multum conducit ad confirmandam mortis ipsius veritatem, tollendamque suspicionem, ne reipsa mortuus non esset, qui statim vivus appareret. 3. quia eadem circumstantia & in Scripturis & ab ipso Christo expresse prædicta fuit. Non tamen auderem, ait Lugo n. 88. peccati mortalis damnare hujus solius circumstantiæ ignorantiam: tum, quia ex auctoribus, qui necessario credenda enumerant, ut Bannes, Palaus &c. plurimi solius resurrectionis meminerunt; tum quia cum Petrus ipsa Pentecostes die Christi doctrinam & resurrectionem prædicavit, hanc omisit circumstan-
Act. 2. tiam, solumque dixit: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*.

De Christi ad inferos descensu, circa cujus fidei necessitatem scinduntur Theologi, nobis ut tutius sic & certius videtur, ejus ignorantiam pro gravi peccato habendam esse. 1. quia etsi circumstantiæ articuli alicujus possent non haberi pro absolute necessariis, ipsi tamen articuli non possunt æstimari ut aliquid minoris momenti: porro descensus ad inferos non est alterius articuli circumstantia, sed articulus per se stans, ut ita loquar, continetque aliquid, quod ad notitiam Christi redemptoris plurimum conducit; cum hinc doceamur Christum redemptoris partes agentem, non in terram modo, sed & in inferos descendisse, ut inde educeret animas Sanctorum, qui pretio nondum pro ipsis soluto, ibidem detinebantur. Etsi enim ut brevitati, multorumque rudiorum tarditati consuleretur, non explicatæ fuerint descensus hujus causæ, ipse tamen descensus explicari debuit, sive ut Fideles ad investigandas ejus causas excitarentur; sive quia proposito descensu satis intelligitur, modo saltem generali, Christum, qui nec ob propria peccata, nec ob potentiæ defectum ad inferos descendere potuit, illuc nonnisi ad bonum illius loci & utilitatem descendisse. Ita Medina, Bannes, & alii non pauci, quos sequuntur Salmanticenses contra Suarem tom. 2. in 3. par. disp. 43. sect. 2. Granado &c.

Sexto articulo docemur Christum ascendisse ad cœlos, ibique sedere ad dexteram Patris: quibus tria præcipue significantur. 1. Christum secundum corpus ascendisse ad cœlos. 2. eum, prout Deus est, esse æqualem Patri in gloria. 3. eum, prout etiam est homo, supremam accepisse potestatem in Angelos, homines, & res creatas, quibus proinde ut supremus arbiter & ju-
Math. 28. dex, imperare possit: hoc enim sensu: *data est* ei *omnis potestas in cœlo & in terra*. *Pater* enim *non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Joan. 5. Hæc autem, quoad sensum & substantiam ab omnibus Fidelibus vulgo cognoscuntur, & cognitu necessaria sunt.

Docet articulus septimus, Christum e cœlis *iterum* venturum esse *judicare vivos & mortuos*; & is articulus dubio procul Fidelibus proponi, & ab iis necessario explicite credi debet, ut constat ex Act. 10. *Præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum*. Porro judiciaria potestas Christo etiam ut homini competit, juxta id

ta id Matth. 13. *Tunc*, instante scilicet judicio, *mittet Filius hominis Angelos suos* &c. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua*. Et Act. 17. *In quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit* &c. Cœteræ difficultates, quæ ad hunc articulum spectant, videri possunt apud Suarem tom. 2. in 3. p. disp. 52. sect. 1. Lugo disp. 13. n. 95. & sequent. Hic annotasse sufficiat, per vocem *vivos*, non intelligi eos, qui tempore secundi adventus Christi in terris vivi superfuerint, & non sint morituri; *quis* enim *est homo, qui vivit, & non videbit mortem*? sed vel bonos, qui malis sive mortuis opponuntur, uti explicat S. Augustinus l. de fide & symb. c. 8. vel eos, qui nunc vivunt, prout iis, qui jam decesserunt, opponuntur; ita ut his verbis profiteamur, judicium universale a Christo exercendum esse, non in eos solum, qui nunc vivunt, sed & in eos quoque, qui præcesserunt nos. *Psal. 88.*

Octavus articulus, quo credunt Fideles *in Spiritum sanctum*, supposita Trinitatis fide, quam medii necessitate necessariam esse diximus, nihil speciale habet. Etsi vero non absolute necessarium sit, ut simplices explicite sciant Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere, in his tamen explicandis utiliter operam suam impendent Parochi & Concionatores.

Articulus nonus duo complectitur, fidem scilicet sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & Sanctorum communionis. Quod ad primum spectat, nemo est Christianus, qui ignoret dari Fidelium multitudinem congregatam sub uno visibili capite successore S. Petri; unde difficultas est cur veritas a nemine Fidelium in dubium revocata, tam specialiter Symbolo inserta fuerit. Censet Lugo id factum, ut intelligeretur Ecclesiam simul *unam* esse & universalem, ad differentiam Synagogæ, quæ solos complectebatur Judæos, sicque ab Ecclesia Christi differebat, quia extra hanc nulla est salus, extra illam vero salvari poterant alii ex Gentibus Fideles. Miror sane, quod miretur Lugo articulum hunc tam fundamentalem Symbolo insertum fuisse; cum ii, qui ad fidem accedunt, in primis credere debeant existere veram Ecclesiam, quæ sola veritates ad salutem necessarias, genuinosque Scripturæ fontes, in quibus eædem reperiuntur, tradere & explicare potest. Cœterum vocatur Ecclesia sancta, tum quia in ea sunt Sacramenta, quibus sanctitas confertur; tum quia Caput ejus, Christus nimirum, fons est totius sanctitatis; tum quia extra eam nulli, in ipsa multi sunt Sancti; quin & Fideles omnes aliquo sensu Sancti sunt, ut patet ex 1. Petri cap. 2. *Vos genus electum, gens sancta*, & ex 1. Corint. c. 1. quia omnes speciali quadam ratione Deo consecrati sunt & dedicati; nam & hac de causa lapides, vestes, & alia Deo consecrata vocantur sancta.

Ex unitate Ecclesiæ sequitur communio Sanctorum, seu mutua bonorum spiritualium communicatio, qua Fideles, utpote ejusdem corporis membra, se se invicem juvant, quatenus bona unius opera cœteris prosunt.

Articulus decimus profitetur *remissionem peccatorum*, quam sicut, qui peccato infecti sunt, sibi procurare tenentur, sic & media, quibus ea procuratur, explicite scire debent: unde duo unicuique Fidelium scienda sunt. 1. esse in Ecclesia remittendi peccati potestatem, 2. potestatem hanc in Baptismi & Pœnitentiæ Sacramentis præcipue exeri.

Articulus undecimus exhibet *carnis resurrectionem*; carnis, inquam, non animæ, quæ cum mortua non sit, nec resurgere potest: rursus *resurrectionem*, non spiritualem a morte peccati ad vitam innocentem, ut ii delirabant, quos perstringit S. Paulus 2. ad Timoth. 2. sed corpoream, quæ fiat in eodem corpore, quod vivi olim habuimus; neque enim resurgit cor-

M 2 pus,

pus, nisi idem surgat, quod ceciderat; & hæc explicite credenda sunt.
Articulus ultimus *vitam æternam* promittit, seu, ut loquitur Symbolum Nicænum, *vitam venturi sæculi:* quod vitæ nomen generale est, & utramque vitam, beatam iis, qui pie vixerunt; infelicem iis, qui male, complectitur, ut in hæc verba notat tum Bellarminus in suo Catechismo, tum Catechismi Romani editores.

§. III.

Ad resolutionem tertiæ difficultatis, not. 1. cum S. Thoma 1.2.q. 62. a. 1. dari *præcepta in lege divina de actibus fidei, spei, & charitatis; dicitur enim Eccli. 2. Qui timetis Deum, credite illi:* unde merito proscripta est ab Innocentio XI. propositio ista: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Ista item ab Alexandro VII. *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.*

Not. 2. duplex esse fidei præceptum, aliud negativum, prohibens ne quis fidei mysteriis dissentiat, aut eorum veritatem vocet in dubium; affirmativum aliud, præcipiens ut iisdem veritatibus assensus detur. Præceptum fidei negativum, ut & alia quæcumque ejusdem generis, obligat semper & pro semper, quia nullum est tempus, quo fidei mysteria sufficienter proposita rejici possint: affirmativum vero præceptum aliquando quidem obligat, ut ex dictis patet, sed quo præcise tempore, controvertitur. Aliqui eo usque progressi sunt, ut crediderint *satis* esse actum *fidei semel in vita elicere*, quæ propositio ab Innocentio XI. ac deinceps a Clero Gallicano proscripta fuit. Alii censent sufficere, ut quis bis aut ter in tota vita eosdem actus eliciat. Alii præceptum fidei semel in anno urgere volunt, cum nempe urget præceptum confessionis & communionis. Alii, ut Henno disp. 3. de fide in ipso fine, putant requiri & sufficere si actus fidei, prout revelata omnia complectitur, eliciatur in majoribus festis Domini Sabaoth, aut circa illa tempora; alii unoquoque mense vel septimana; alii singulis Dominicis diebus; alii demum licet expresse tempus non determinent, contendunt actum fidei, & idem est de actu spei & charitatis, sæpius elici debere, tum ratione sui, tum ratione variarum circumstantiarum, in quibus versatur homo. Ita Nat. Alexander de fide art. 8. reg. 9. & seq. Henricus a S. Ignatio c. 9. Juenin dissert. 4. ar. 3. §. 1. P. Antoine q. 4. Sit

CONCLUSIO. Fidei præceptum sæpius urget in vita, cum ratione sui, tum per accidens.

Prob. 1. quia præceptum de re gravis momenti, quæ vitæ christianæ basis est, & sine qua diu in justitia perseverare non possumus, non raro, sed sæpius obligat: atqui præceptum fidei est de re gravis momenti, cum primum sit ex omnibus præceptis, & millies in Scripturis inculcetur: est etiam vitæ christianæ basis, cum ut ad primam justitiam, sic & ad ejus augmentum, necessarium sit: tale demum est ut sine eo in justitia diu perseverare non possimus, cum ii soli Diabolo circumeunti, & novas quotidie insidias paranti resistere valeant, qui *fortes* sunt in *fide*, & assumunt
1. Petr. 5. *scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere:* ergo.
Ephes. 6. Prob. 2. quia *justus ex fide vivit*, ex fide utique actuali vel virtuali, cum vivere actum importet: ergo eo ferme modo fides est animæ necessaria,
Gal. 3. quo corpori cibus: atqui non semel, sed sæpius cibum sustentando corpori sumi necesse est: ergo & sæpius fidei actus elici oportet: unde qui per eos actus, prout dat Dei gratia, virtualiter adhærere Deo negligunt, venialiter peccant, ait citatus Henricus n. 138. nec dubium est quin, si

eos

eos omittant in variis occasionibus, in quibus strictius urget fidei præceptum, mortaliter peccare possint, licet non possit mathematice definiri, quo momento tanti peccati reatum incurrant.

Ii porro casus, in quibus potissimum urget per se præceptum fidei; sunt juxta citatos Theologos,

1. Cum fides Catholica sufficienter proposita est Infidelibus, vel Hæreticis, vel iis, qui in infantia baptizati, rationis usum attingunt. Ratio est 1. quia in his casibus assensus fidei omitti vel suspendi nequit sine gravi divinæ authoritatis injuria. 2. quia adulti ubi primum, & prout possunt, se suaque omnia in Deum ut finem ultimum dirigere tenentur: ad id autem necessaria est fides actualis: *Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo*, ait Aug. Tract. 26. in Joan. 3. quia, qui moraretur credere, per hanc suam primæ Dei motioni resistentiam, subiret periculum duritiei ad credendum. 4. quia, quæ credenda proponuntur, vel credendá sunt ex necessitate medii, vel ex necessitate præcepti. Si prius, grave subit periculum salutis, qui differt credere, quia culpa sua medium omnino necessarium omittit ac proinde graviter peccat. Si posterius, gravissime etiam delinquit, qui Symboli substantiam discere ac proinde credere negligit; quia non paret in re gravi, cum parere potest & debet. Ita Mag. Grandin disp. 1. de fide p. 117. qui tamen excusat pueros a peccato, cum res fidei non satis ei proponuntur, & a mortali, si voluntaria quidem credendi mora, sed brevior fuerit.

2. In quolibet probabili mortis periculo: tunc enim tenetur unusquisque saluti suæ consulere quantum potest; tenetur omni nisu ad Deum accedere, ut ab eo illuminetur; & non confundatur in die mala; tenetur tentationes, quæ in hoc instanti maxime desæviunt, & mundum ipsum superare; tenetur munire se contra mortis terrores, & eam in se divinæ misericordiæ spem excitare, a qua removet vitæ præteritæ intuitus: atqui hæc omnia sine fidei usu præstari non possunt: *Hæc* enim *est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*: ea spes salvos facit, quæ nititur fide Christi 1. Joan. 5.
pro perditissimorum quorumcumque redemptione mortem perpessi: ergo tunc, si unquam, urget fidei præceptum.

3. Cum pulsat gravis contra fidem tentatio, quæ aliter propelli non potest; contraria enim contrariis repelli debent, odium per dilectionem, desperatio per actus spei &c. tunc itaque dicendum: *Adauge nobis fidem*; Luc. 17. 5.
& rursus: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Marc. 9. 24.

4. Et eadem de causa, cum quis in hæresim vel voluntariam dubitationem circa fidei mysteria lapsus est; tum quia injuria primæ veritati illata resarciri debet; tum quia explicitus ac formalis fidei actus ad justificationem necessarius est in adulto, qui per infidelitatem excidit a fide.

Prob. 2. pars. Actus fidei necessarius est per accidens, cum sine eo vel præceptum a fidei præcepto diversum impleri nequit, vel peccatum alteri, quam fidei, virtuti oppositum evitari non potest: atqui sæpe evenit ut sine actu fidei varia Dei vel Ecclesiæ præcepta, ut par est, impleri, varia item peccata vitari non possint. Sic seclusa fide magis aut minus explicita, nec Deum orare digne Deo, nec peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ remissionem consequi, nec Christi corpus spiritualiter in Eucharistia recipere quisquam potest: sic etiam aliquando tam graves corporis adversus spiritum exurgunt insultus, ut certo succumbat, qui non quæsierit robur a fide, repræsentando sibi eum judicem, qui corpus, & animam gehennæ tradit, incredulisque, & fornicatoribus partem assignat *in stagno ardenti igne, & sulphure.* Apoc. 21. v. 13.

Ex his, quæ passim in hac Sectione dicta sunt, colligi potest, quomodo Confessarius cum iis gerere se debeat, qui fidei mysteria ignorant; quod quia magni est momenti, paucis totum hic ob oculos reponere juvat. Itaque vel pœnitens ea etiam ignorat mysteria, quæ necessaria sunt necessitate medii, vel ea solum, quæ scitu necessaria sunt necessitate præcepti. Si primum, non est capax absolutionis, etiamsi ignorantia ejus invincibilis supponatur, quia nequidem capax est justificationis, cum careat medio ad justificationem necessario; & id patet ex censura propositionis supra relatæ p. 252. neque solum incapax est absolutionis hujusmodi homo, sed & tenetur ad præteritarum confessionum repetitionem, utpote quæ nullæ fuerint, cum per eas justificationem consequi non poterit. Quod si instet periculum mortis, curabit ante omnia Confessarius, ut pœnitentem instruat de præcipuis fidei mysteriis, ac præcipue de tribus, quæ necessaria sunt necessitate medii; excitabit etiam in eo dolorem de præterita negligentia.

Si secundum, vel id sequendum est, quod supra præscriptum videmus a S.Carolo, vel remittendus est pœnitens, donec Symbolum, & alia, quæ scienda sunt, didicerit pro ingenii sui captu, si ex quadam ejus inertia, & tepore subsit locus timendi ne accepta absolutione, promissi sui haud satis memor, quæ nescit, discere negligat.

Hinc sequitur 1. Confessarium teneri ad examen pœnitentis, quoties dubitat, aut cum fundamento suspicatur in hacce materia ignorantiam; quam quidem de iis suspicari debet, qui rudes sunt, salutis incurii, & in frequentandis Catechismis aut Concionibus negligentes: atque hoc examen ad eos etiam extendi debet mundanos homines, qui in tractandis sæculi rebus, solertiæ, & acuminis pleni, imo qui mysteria Religionis in juventute feliciter edocti, ex longa rerum Dei, salutisque suæ oblivione, eo usque aliquando deveniunt, ut vix Deum, & multo minus intricata fidei mysteria scire, & credere videantur. Ita docent Salmanticenses tract. 20. c. 2. n. 62.

Sequitur 2. Confessarium, etiamsi Pastor non sit, teneri aliquando ex charitate ad edocendos pœnitentes, eos præsertim, qui vel non possunt, vel præ pudore, quia grandiores sunt, non audent ad proprium Pastorem recurrere. An autem intra vel extra confessionale hoc præstare debeat, & possit, pendet ex circumstantiis. Certe qui pœnitentium corona circumdatus, ignarum fidei aliquem erudire cupit; & iis, qui expectant, gravamini est, & plerumque pœnitentem suum magis indispositum dimittit, quia, quo plura paucioribus edocere conatur, eo minus fructuose instruit: unde repetitis interrogationibus ac documentis hoc pene agit unum ut pœnitentis animum torqueat, & perturbet.

Quæres, quæ cognitio mysteriorum, & veritatum fidei exigenda sit ab adultis, qui ad Baptismum accedunt.

R. eos non antea baptizandos esse, quam edocti fuerint præcipua fidei mysteria, Symboli articulos, præcepta Decalogi, Orationem Dominicam, præcepta item Ecclesiæ, & ea, quæ respectu eorum sunt difficiliora, qualia merito censentur indissolubilitas matrimonii, monogamia; quia alioqui allegare possent se fuisse deceptos, dum exhibiti sibi essent Christianismi flores non spinæ: unde, qui Infidelem baptizat de iis omnibus nondum instructum, peccat mortaliter juxta Salmanticenses ibid. n. 61. si tamen urgeret mortis periculum, satis esset ut ea Cathecumeno proponerentur, quæ necessaria sunt necessitate medii.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.
De exteriore fidei actu.

NOt. 1. Actus exterior fidei nihil est aliud, quam exterior testificatio vel professio, sive fidei totius, sive alicujus ex ejusdem mysteriis.

Not. 2. Nemini dubium esse potest, quin extet præceptum fidem exterius profitendi. Quod enim ad salutem necessarium est, cadit sub præceptum: atqui exterior fidei confessio necessaria est ad salutem. Nam ex Apost. Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; hæc autem verba non continent merum consilium, ut patet tum ex istis, quæ præcedunt. *Si confitearis in ore, & in corde credideris.... salvus eris*; tum ex constanti Patrum traditione: unde dicit S. August. lib. de fide, & symb. c. 1. *Fides officium a nobis exigit, & cordis, & linguæ.*

Not. 3. Duplex est circa confessionem fidei præceptum: aliud affirmativum, quo jubemur aliquando fidem profiteri, & quod proinde violatur omissione hujus confessionis; aliud negativum, quo prohibetur nobis negatio ejusdem fidei, & quod proinde frangitur actu positivo, seu expresse per verba, seu virtualiter per signa, nutus, tergiversationes, & similia, quæ explicite vel implicite persuadent aliquem non esse e grege Fidelium. His positis videndum est, quando utrumque obliget, & censendum sit violari; unde sit

CONCLUSIO I. Præceptum confitendi exterius fidem *non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo tempore*, & duplici in casu, *quando scilicet per omissionem hujus confessionis, aut subtraheretur honor Deo debitus, aut etiam utilitas proximis impendenda.* S. Thom. hic q. 3. ar. 2.

Prob. 1. pars, quia præceptum affirmativum non obligat semper, & pro semper.

Prob. 2. pars, quia si aliquando urget fidei exterius profitendi præceptum, tunc utique cum professio hæc omitti non potest sine gravi Dei contemptu, aut proximi damno: atqui in duplici, quem assignavimus, casu omitti non potest fidei professio sine Dei contemptu, & damno proximi. Contemnitur enim Deus, cum honos eidem debitus aufertur; sicut etiam infertur damnum proximo, cum retardatur a suscipienda fide, quam non habet, vel ab ea, qua jam tenet, ubi opus est, profitenda: atqui utrumque, vel saltem alterutrum contingit in casibus, de quibus loquimur. Quod ut intelligatur, simul & explicetur mens Angeli Scholæ; notandum est cum Sylvio, & Boudart tom. 2. p. 102. vocem *subtrahendi*, qua utitur S. Doctor, non accipi mere negative, quasi toties censeatur, quis subtrahere honorem Deo, vel utilitatem proximo, quoties non præstat honorem Deo, aut obsequium proximo: alioqui confessio fidei, & actus aliarum virtutum semper essent in præcepto, quia sicut honoratur Deus per fidei professionem, sic & per ejus omissionem aliquis Dei honos omittitur. Itaque vox *subtrahendi* accipitur contrarie vel privative, ita ut tunc censeatur Deo honor subtrahi, quando vel Deus magna afficitur injuria, vel magno privatur honore, quod non contigisset, si quis fidem professus esset. Similiter utilitas proximo impendenda subtrahitur, cum vel avertitur a fide, vel a necessaria ejusdem professione.

Hinc peccant debitum Deo honorem subtrahendo. 1. qui a persona publica, etiam a Tyranno, & non legitimo judice, interrogati, an Christiani sint, silent, & conticescunt, tum quia in hoc casu tacere, est Christum, si non negare, saltem erubescere: porro, *qui me erubuerit*, ait Christus, & *Luc. 9.*

M 4 *ser-*

sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua; tum quia parvi admodum fidem pendere videtur, qui veritatem in injustitia captivam tenet, quo tempore gloriosius ei testimonium coram Principibus mundi, & quasi in orbis theatro perhibere potest; tum denique, quia adversatur unanimi SS. Martyrum sententiæ, qui cum steterunt ante Reges, & Præsides, ad Christi confessionem se se semper crediderunt obligatos; si non ob authoritatem interrogantis, at certe ob honorem Dei, quem qui non confitetur in hoc casu, ipsius Christi præcepto resistit. Merito igitur reprobata est ab Innocentio XI. hæc, quæ multorum erat, propositio: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo: tamen ut peccaminosum per se non damno.*

Eadem urget obligatio, ait Sylvius, etiamsi authoritas publica non publice interroget, ut cum Judex solus solum Fidelem exposcit, quæ sua sit Religio. Ratio est, 1. quia Judex vel Prætor, etiam cum solus est, servat aliquid publicæ authoritatis, nec ei ut alii cuilibet privato dici potest: Quid tua refert, sim-ne, an non Christianus? 2. quia Judex, qui privatim interrogat, paulo post publice interrogare potest: ergo id privatim responderi debet, quod publice respondendum esset, ne Judex occasionem habeat, fidem nostram insimulandi æquivocationis, dubii, & instabilitatis.

Sed poterit ne tacere, qui privatim interrogatur, ut majus ab eo vectigal, aut ampliores divitiæ extorqueantur?

Affirmant Salmanticenses, quia tunc interrogatio etiam a Judice facta, fit quasi a persona particulari, & non in odium Religionis.

Verum hæc opinio laxior videtur, & falsum supponit. Quare enim Judex Ethnicus majores a Christiano, quam ab alio divitias extorquere nititur, nisi quia Religionem ejus odit? ergo, qui ne divitias perdat, fidem dissimulat, & supprimit, fluxas opes fidei præferre convincitur, cum tamen ne ipsam quidem vitam eidem præferre debeat.

Fatendum tamen cum Sylvio, Æthica amoris, & aliis vulgo, eum, qui privato, sine caractere, & authoritate, interrogatur, quam teneat fidem, posse absque ullo peccato quasi ad ineptam interrogationem respondere: Quid tua refert? Quis te constituit judicem? Quo jure rogas, quid sentiam? & id patet tum ex communi Fidelium praxi, & sensu, tum quia nemo est, qui ex hoc responso colligere possit eum, qui ita respondet, Christianum non esse, sed solum contemni & interrogationem, & eum qui stulte interrogat. Si tamen vir gravis hac sua taciturnitate, vel grave scandalum pareret in populo, vel in eo esset rerum statu, ut ingens utilitas aut necessitas populi positivam, & apertam fidei professionem exigeret, teneretur fidem suam aperte profiteri. Ita Bonacina disp. 3. q. 2. p. 3. n. 6.

Peccant 2. ex eadem divini honoris subtractione Fideles, qui Gentili aut Hæretico fidem palam irridenti, Christum contumeliis afficienti, sacras Imagines conculcanti, non resistunt neque contradicunt, etiam cum vitæ periculo; nam illatas Deo injurias ferre patienter, hominis est re minus, quam nomine Christiani. Si tamen prudenter judicantur impios ex contradictione ansam arrepturos gravius impetendi fidem, tolerandum est id, quod impediri nequit; si enim, ut vetus fert adagium, ad actum inutilem nemo tenetur, multo minus tenetur, quis ad actum fidei periculosum. Hac de causa neque antiquitus, neque nunc sive apud Infideles, qui Diis immolant, sive apud Hæreticos, qui corruptos sectæ suæ ritus exercent, tenentur Catholici palam resistere. Imo sæpius, seclusa speciali S. Spiritus motione, sine peccato non resisterent

Æthica. Juenin. &c.

Mahu-

Mahumetanis Christiani & Sacerdotes, qui Tuneti, Algerii, aut Constantinopoli degunt; hoc enim agerent unum, ut in certam & infructuosam mortem se se præcipites darent, non sine magno captivorum, quibus utilia obsequia impendere possunt, detrimento: quin &, si bene memini, declaravit Ecclesia Romana, se hujusmodi temerarios, si morte damnentur, pro Martyribus habituram non esse.

Peccant 3. ex eadem causa, qui fidei professionem omittunt, quo tempore omissio hæc est implicita fidei negatio: ut si dum plures simul interrogantur, an sint Christiani, aliis affirmantibus, alii taceant, & abire permittantur, dum priores servantur ad necem; aut e contrario, si dum multi de fide interrogati, eamdem abnegant, alii tacent, & una cum negantibus dimittuntur: utique, qui in utroque hoc casu tacuerunt, fidem abnegasse censeri debent.

Peccant quoque proximum debita utilitate privando, qui fidem retinent. 1. quando adest dubium prudens, quod alii publica eorum confessione commoti, vel fidem axplexuri sint, alias in falsa Religione permansuri, vel in vera fide confirmandi sint, alias vacillaturi, aut defecturi. 2. cum ex suppressione confessionis futurum est, ut alii in errore aut falsa Religione confirmentur; quod ultimum iis temporibus, quibus grassatur hæresis, sæpius evenire potest. Etsi vero in hisce casibus teneantur quilibet Christiani, etiam cum periculo mortis, fidem suam profiteri, quia exigit ordo ut æternam fratrum salutem temporali nostræ saluti præferamus, ad id tamen strictius tenentur Pastores, qui non titulo solum charitatis, sed & justitiæ debito, animas suas pro ovibus sibi commissis tradere debent.

Quæres an persecutionis tempore liceat Tyrannum fugere, ut declinetur confessio fidei.

R. 1. aliquando licitum esse fugere; atque id probatur 1. ex verbis Christi apud Matth. c. 10. *Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam:* unde & ipse Salvator, & ejus Apostoli e manibus persecutorum fidei quandoque aufugerant, ut patet ex Matth. 4. Joan. 10. & 11. & 2. Corint. 11. 2. ex agendi ratione, quam tenuerunt Martyres & Confessores non pauci, ut Sylvester, Cyprianus, Polycarpus, & in primis Athanasius, qui multo plus fidei juvit fugiendo, quam juvisset pro ea moriendo: quique in Apologia de fuga sua, rigidiorem & falsam suggillavit opinionem Tertulliani contendentis in lib. *De fuga in persecutione*, verba Christi superius adducta locum non habuisse nisi in Apostolis, qui si neglecta fuga se statim tradidissent persecutoribus, Evangelium disseminari non potuisset. 3. quia, ut ait S. Cyprianus lib. de lapsis, & alibi pluries, *Qui interim cedit, non fidem negat*, non enim fugere cogeretur, si negare vellet; *sed tempus expectat: nam forte, qui non secedit, negaturus permansit:* unde cum licitum non sit exponere se periculo abjurationis fidei, sitque temerarium eam in se præsumere animi fortitudinem, quæ necessaria est ad christiane subeundos Tyrannorum cruciatus, pro certo tenendum est, aliquando teneri Christianum sub peccato ad fugiendum, & ad vitandam imprudentem fidei confessionem, quæ, ut paucis omnia complectar, talis est cum quispiam absque necessitate divini honoris, absque fidei vel proximi utilitate, se tormentis exponit, aut fidei persecutoribus in Fideles desæviendi occasionem præbet, aut perturbationem in Infidelibus causat. *Nolite*, ait Christus, *sanctum dare canibus, neque mittatis* *margaritas vestras ante porcos, ne... conversi dirumpant vos.* Matth 7. v. 6.

R. 2. Non tamen semper licitum est fugere: unde graviter peccant ii, quorum

rum præsentia necessaria est sive ad promovendam fidem, sive ad confirmandos in ea imbecilles, qui auxilio destituti, fidei negandæ periculo exponentur; tunc enim urget illud Christi præceptum: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*; nec scilicet ei similes simus, *qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, quia mercenarius est*.

Quia tamen *non vituperatur* quis præcise *quia fugit*, *sed quia dimittit oves*, ut apposite notat in hunc Joannis locum S. Thomas, ideo si possit fugere non dimittendo oves, non peccabit: ut autem judicetur an Pastor oves periculose dimittat, videndum est an persecutio Pastorem solum impetat, an gregem una cum Pastore. Si solus Pastor impetatur, grex vero tranquillus maneat, aut non careat aliis, qui vices Pastoris supplere possint, Pastor sibi fuga consulere, potest, prout fecerunt Sancti. *Si autem quæratur totus grex, aut oportet, quod Pastores omnes simul remaneant cum ovibus; aut oportet, quod aliqui ex eis remaneant, & aliqui recedant; si* enim *totaliter deserant gregem, tunc eis competit, quod hic dicitur: Videt lupum venientem, & dimittit oves*: quod qui faciunt, charitatem simul & justitiam violant, & multo plus peccant, quam nautæ, qui sub mortali tenentur etiam cum periculo vitæ tempestatis tempore non deserere navim. Hæc decisio tota habetur c. 47. v. 11. q. 1.

Salmant. n. 76.

Quædam hic addenda puto ad plenam quæstionis hujus, quæ metaphysica non est, intelligentiam. 1. itaque in dubio an fugere licitum sit, nec ne, prudenter se geret Pastor, si aliorum, qui Deum vereantur, & Ecclesiæ statum ac necessitatem cognoscant, consilio se regi sinat, ne in causa propria nativo vitæ suæ amore ducatur, aut ductus existimetur. 2. si comministri inter se non consentiant, quis fugere, quis remanere debeat; res, si vere dubia sit, forte definiri potest, juxta Delugo & eos, quos citat n. 42. 3. qui jam ob fidem captus detinetur, morti proxime tradendus, aliquando fugere potest, ut fugit S. Petrus Act. 12. Dixi, aliquando; quia fugere non poterit, si prævideat eos v. g. qui secum captivi tenentur, confirmatore & duce destitutos, recessuros a fide. 4. quod dixit Pesantius, Pastorem persecutionis tempore palam & in publico debere profiteri fidem, nec latere posse, omnino falsum est; alioqui paucos intra dies percuterentur omnes Pastores, unde certa suboriretur ruina gregis; quin & potius, ubi potest, latitare debet, ut etiamnum apud Hæreticos latitant Catholici Sacerdotes, non sine magno rei Christianæ profectu.

Sed, quid si Tyrannus jubeat Christianos gestare signum, quo ab aliis secernantur, ut eosdem morte condemnet; censebuntur fidei proditores, qui idem signum non ferent?

Affirmat Cajetanus 2. 2. q. 3. a. 2. dub. 1. quia, inquit, qui publica auctoritate interrogatur de fide Catholica, tenetur sub mortali non negare, neque occultare fidem: atqui prædicta Tyranni lex se habet ut interrogatio quædam publica auctoritate facta.

Alii vero complures censent secluso scandalo nullam esse legi huic obtemperandi obligationem. Ita Malderus, Bannez, Sylvester, Becan c. 9. q. 5. n. 39. Bonacina ibid. punct. 3. n. 8. Boudart tom. 3. p. 117. Ratio est 1. quia lex vere injusta non obligat, imo etiamsi justa esset, non obligaret, cum tanto incommodo: atqui ea lex vere injusta foret, cum justa esse non possit lex quæ directe mandat ut quis se prodat ad mortem injuste subeundam. 2. quia falsum est, quod hujusmodi lex vim habeat publicæ interrogationis fidei uniuscuique: tum quia lex præscribit, non autem interrogat, alioquin in qualibet alia lege includeretur hujusmodi interrogatio, quod inauditum est; tum

quia

quia non est in Principis potestate innumeros formare & extendere interrogandi modos, quibus succedat divinæ legis mandatum de fide confitenda; sic enim posset condere legem, qua quisquis ultro non compareret vel persecutionem fugeret, censeretur fidem abnegasse, quod nemo dixerit.

Præter recensitos casus, in quibus ex Dei ipsius præcepto fidem confiteri tenemur, alii sunt, in quibus ad ejusdem fidei professionem, ex Ecclesiastica lege obligantur aliqui Fideles, ut Parochi, Canonici, & alii, qui ad Ecclesiasticas Dignitates promoventur. Vid. Trid. sess. 24. cap. 12. & sess. 25. cap. 2. & Salmanticenses Tract. 21. c. 2. a num. 77. ad 95.

CONCLUSIO. II. Datur præceptum negativum, quo prohibetur negatio fidei, quodque semper & pro semper obligat, & multis modis violari potest.

Prob. 1. pars contra Priscillianistas, aliosque Hæreticos, qui fidem coram hominibus negari posse arbitrabantur, modo servaretur in corde, unde hæc eorum formula: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. Probatur, inquam, 1. quia fidei abnegatio sub æternæ damnationis pœna prohibetur, tum a Christo Matth. 10. ubi dicitur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*; tum ab Apost. 2. ad Tim. 2. *Si negaverimus, & ipse negabit nos*.

Vid. Euseb. lib. 6. Hist. c. 23.

Aug. lib. contr. mend. c. 2.

Prob. 2. quia quod malum est ab intrinseco, numquam licitum esse potest: atqui fidem negare est quid ab intrinseco malum. Vel enim negat quis fidem exterius simul & intus, judicando eam esse falsam, vel exterius tantum: atqui utrumque ab intrinseco malum est: primum quidem, quia est infidelitas divinæ veracitati opposita; secundum vero, quia est mendacium in re gravissimi momenti, quod nec tormenta, nec cruciatus licitum reddere possunt.

Ut probetur altera pars, quæ dicit negativum fidei præceptum pluribus modis violari posse; variæ hic proponendæ sunt & solvendæ quæstiones: quod antequam fiat, expendendum est, an circa externam fidei negationem possit dari peccatum dumtaxat veniale ob materiæ parvitatem. Sit in exemplum Concionator aut quilibet alius in publico vel privato sermone, sciens ex Scriptura constare Mathusalem vixisse 969. annis, diceret ut a Deo revelatum, eum non vixisse nisi 960. annis; & quæritur an ob materiæ levitatem peccatum hoc sit solum veniale.

Genes. 2. v. 27.

Circa quod certum est apud omnes 1. nihil pro levi haberi posse in iis, quæ pertinent ad fidei dogmata, ad honorem Dei, morum integritatem, aut quæ contra Hæreticos credenda proponuntur; unde, qui hæc palam explicaret aliter, quam revera sint, sive ex industria, sive ex ignorantia culpabili, perniciosi mendacii, gravisque peccati conscius esset.

Certum est 2. eum, qui veritati cuicumque revelatæ, quantumvis levis videatur, assensum interiorem denegaret, graviter etiam peccaturum esse; quia, qui credit Deum non in omni, quæcumque ea sit, materia, esse fide dignum, gravem veracitati ejus injuriam irrogat: unde tota quæstio procedit de narratione externa rei alicujus vel historiæ, cum circumstantia aliqua levi, quæ contra historiæ veritatem referatur, sive scienter, sive ex ignorantia vel negligentia culpabili; quod addo, quia sicut authoritas Dei postulat fidelitatem, ita & exigit advertentiam in referendis fideliter rebus a Deo revelatis.

His præmissis duplex est ea de re opinio Theologorum. Alii censent eum, qui exterius solum contradiceret rei, quæ relevata est, sed quæ relative ad mores & fidei dogmata, levis videri debet, nonnisi venialiter peccaturum. Ita Arriaga tom. 5. disp. 21. sect. 5. n. 35. & alii, ad quos inclinat Lugo disp. 14. n. 47.

n. 47. alii mordicus contendunt hic grave esse peccatum. Ita Cajetanus 2. 2. q. 110. ar. 4. Azorius 3. p. l. 13. c. 1. dub. 5. & 6. pag. mihi 1129. S. Antoninus part. 2. tit. 10. & alii plures, quos dabunt & sequuntur Salmanticenses ibid. num. 107. quibus assentimur.

1. Quia ex S. Thoma 2. 2. q. 110. a. 4. *mendacium, si sit circa res divinas, non solum opponitur virtuti charitatis, sed etiam virtuti fidei & religionis: & ideo hoc mendacium est gravissimum & mortale*: sed, qui scienter aut temere aliquid docent contra Scripturam, mentiuntur in materia, quæ ad fidem & ad religionem pertinet; ergo eorum mendacium est gravissimum & mortale.

2. Qui vocat Deum in testem mendacii, quantumlibet levis, peccat lethaliter, ut alibi probatum est; ergo & lethaliter peccat, qui contra mentitur id, quod in Scriptura revelatum est, quidquid illud tandem esse possit; quia sicut in priori casu Deus efficitur testis rei falsæ, sic & in posteriori, exhibetur ut revelator rei, quæ vera non est.

3. Qui quantum de se est, movet auditores ad exhibendam errori fidem divinam, eo ferme modo se habet ac qui scienter exhibens populo hostiam non consecratam, eumdem movet ad exhibendum pani honorem uni Deo debitum: atqui is peccat mortaliter; ergo & ille. Nec dicas cum Lugo, auditores falsa narratione deceptos, non præstare obsequium errori, sed veracitati divinæ, a qua id, quod sibi narratur, revelatum esse putant: nam eodem modo dicam populos non exhibere cultum pani, sed uni Deo, quem sub ejus speciebus latitare credunt; unde eorum error non est error objecti, sed loci: si ergo graviter peccet, qui panem proponit ut objectum adorationis, graviter etiam peccare debet, qui falsitatem dat ut objectum assensus interni & supernaturalis.

Objiciuntur quatuor. 1. mendacium non est mortale, nisi graviter sit perniciosum: atqui non est tale in casu præsenti; cum nec scandalum pariat in audientibus, ut supponitur, nec iisdem grave procreet detrimentum. 2. ideo mendacium, de quo agitur, esset grave, quia virtualiter exterius Deum exhiberet ut mendacem: atqui hoc non facit, sed potius contrarium: dicit enim v. g. credendum esse Mathusalem paucioribus vixisse annis, quam revera vixerit, quia id revelatum est a Deo, cui credi debet; ac proinde fatetur contrarium credi debere, si esset revelatum. 3. si quis privatam habuisset mortis suæ revelationem, posset id negare sine peccato mortali, quia nemini præjudicium faceret, & aliunde res est levis; ergo a pari negare quis sine gravi peccato potest, aliquid, quod leve est, revelatum esse in Scripturis. 4. ex opposita opinione sequitur mortaliter peccaturum Concionatorem, qui scrupulose non referet sacras historias prout sunt in textu; aut Jeremiam citabit pro Isaja; cum etiam de fide sit talem prophetiam esse Isajæ, non alterius: atqui hæc duriora sunt & communi omnium sensui adversantur: ergo. Verum hæc solide resolvi possunt: unde

Ad 1 neg. min. nam ex S. Thoma, mendacium eo ipso, quo est *circa res divinas, & Dei veritatem occultat vel corrumpit*, pro valde pernicioso, & mortali haberi debet, quidquid sit de fine extrinseco operantis: atqui mendacium, de quo nunc loquimur, est circa res divinas, Deique veritatem occultat & currumpit; ergo. Adde quod etiam perniciosum sit homini, quem cogit ad assentiendum errori, tamquam veritati a Deo revelatæ.

Ad 2. dist. min. non exhibet Deum ut mendacem, id est, non dicit Deum esse mentitum, cum econtra Deum exhibeat ut infallibilem veritatem, C.

id

id est, non dicit Deum revelasse & asseruisse rem, quæ reipsa falsa est, N. Porro, qui dicit Deum asseruisse aliquid veritati contrarium, eo ipso gravem veracitati ejus injuriam irrogat. Certe hæc adversariorum ratio probaret posse aliquem sine gravi culpa, coram imperitis integram sacræ Scripturæ historiam mutare; modo enim dicat rem a Deo fuisse revelatam, prout ea a se refertur, addatque Deo revelanti credendum esse, jam a peccato saltem mortali immunis erit. Hoc autem quis ferat?

Ad 3. negari solet consequentia. 1. quia, qui falso aliquam Scripturæ historiam narrat, proponit aliis ut objectum eorum fidei, id quod tale esse non potest: qui vero negat sibi aliquid fuisse revelatum, nec proponit nec subtrahit iis quidquam, quod eorum fidei objectum esse possit, quia, ut bene notat S. Thomas 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2. *fides nostra innititur revelationi Prophetis & Apostolis factæ, qui Canonicos Libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit, aliis Doctoribus* & privatis *facta*. 2. qui negat aliquid, puta diem mortis suæ sibi fuisse revelatum, non negat se hac die moriturum; qui vero vitiat historias Scripturæ, negat rem in Scriptura contentam, quia aliam proponit rem, quæ cum facto revelato subsistere non potest.

Vid. Scholast. Salmant. tr. 17. disp. 1. n. 104.

Ad 4. non peccat mortaliter Concionator, qui in aliqua sacræ historiæ circumstantia vel citatione errat, quia supponitur rem ut in se est, memoriæ ejus non occurrere; imo si sciens, Jeremiam citet pro Isaja, ut quandoque citatur Augustinus pro Hieronymo, quia in decursu sermonis non occurrit verum nomen, & turpe putat hic hærere, peccabit solum venialiter, ut fatentur omnes, sive quia non tam errat in doctrina quam in accidentibus ejus; sive quia nemini illudit, quia norunt omnes lapsum hic esse facilem. Quod si quis certo sciat, ejusque memoriæ occurrat Deum aliquid hoc vel illo modo revelasse in Scripturis, & tunc sponte & de industria contrarium afferat & proponat, quacumque intentione id faciat, non erit a peccato mortali immunis, ut expresse tradunt Salmanticenses morales, qui justo rigidiores esse non consueverunt.

Unum addo, eos qui variis ob Dei gloriam occupationibus alligati, conciones suas haud multum præparare possunt, ita ut sæpius extemporaneam orationem habere cogantur, non esse facile negligentiæ culpabilis arguendos, cum varia Scripturæ fragmenta citant prout occurrunt menti; alioqui ad ediscendos memoriter textus, qui sæpe, eo, pro pronuntiandi sunt, instanti, elabuntur, multa majoris boni negotia omittenda essent.

Cæterum quæstio mox agitata, etsi in speciem sterilis & quasi insolita videatur, multarum tamen magni momenti resolutionum radix & origo est. Ex ea enim a paritate rationis concluditur, quid sentiendum sit 1. de vitiis oppositis iis virtutibus, quæ circa Deum immediate versantur; qualia sunt peccata odii in Deum, desperationis simoniæ, perjurii, &c. 2. de iis, in quorum qualibet materia quantumvis levi, integra offensionis & irreverentiæ ratio salvatur, ut in homicidio, fornicatione, confessionis sigillo, pollutione, jejunio ad Eucharistiæ sumptionem necessario, omissione in formis Sacramentorum. 3. de transgressione præceptorum, quæ terminum indivisibilem præscribunt ut aliquid fiat, v. g. certam ætatem ad ordines suscipiendos, ad professionem emittendam &c. His præmissis, videndum, quibus modis præceptum negativum fidei violari censeatur.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

Quis negativum fidei præceptum violare censeatur.

QUæres 1. an neget fidem, qui negat se esse Christianum.
R. affirmat. qui enim negat se esse Christianum, negat se credere in Christum; sed qui negat se credere in Christum, abnegat fidem Christi: unde Augustinus tract. 113. in Joannem: *Debemus advertere*, inquit, *non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed ab eo etiam, qui, cum sit, negat se esse Christianum*. Atqui hoc fuit crimen Petri, qui præ metu ter negavit se esse Christi Discipulum.

Eadem de causa, qui ab Hæreticis interrogatus sitne Papista, Pontificius, Romanista, negat se talem esse; fidem negare censendus est; quia negat se sectatorem Ecclesiæ Apostolicæ & Romanæ, quam Protestantes hisce nominibus per contemptum designant.

Si tamen Christiani nomen politice sumeretur, non ad exprimendam Religionem, sed nationem, aut etiam nationis vitium, vel factionem: ut apud Indos, qui Christianorum nomine utuntur ut designent Hispanam Gentem, ipsis capitaliter invisam; & aliquando apud Turcas, qui eos quibuscum bellum gerunt, non proprio nationis nomine, sed per Christianorum nomen exprimunt; tunc non negaret fidem, qui negaret se esse Christianum: perinde enim faceret, ac si negaret se esse Hispanum, vel hostem eorum, a quibus interrogaretur. Ita Azor. tom. 1. l. 8. c. 27. Bonacina ibid. n. 4. Salmanticenses n. 97. Æthica amoris cap. 15. n. 204.

Neque etiam negaret fidem Monachus aut Sacerdos, qui etiam in odium fidei interrogatus, ut fit in Anglia, negaret se Monachum esse aut Sacerdotem; item, qui negaret se interesse Missæ, quia stat quempiam Monachum non esse, & esse Christianum. Ita cum aliis Æthica n. 205. Habert. pag. mihi 557. Idem docent Salmanticenses, qui addunt hoc fieri posse absque veniali, si subsit legitima ratio amphibologice loquendi; sed amphibologiarum & æquivocationum doctrinam alibi explosimus.

Quæres 2. an fidem neget, qui de Religione sua interrogatus, respondet se Turcam esse, aut Lutheranum.

R. affirm. non enim solummodo negat Catholicismum, cum neque Turcæ, neque Protestantes sint Catholici; verum etiam profitetur sectam Catholicitati essentialiter adversam.

Quæres 3. an licitum sit falsam fidem simulare.

Nota. Is dicitur falsam fidem simulare, qui absque ullo interiori consensu facit aliquid, quod hic & nunc natum est iis, qui præsentes sunt, significare eum falsam hanc fidem profiteri; ut si quis Idolis immolet, aut a Judæis circumcidi velit, aut cum Calvinianis cœnam recipiat.

R. simulationem falsæ fidei gravissimum esse scelus. Ita cæteri Theologi contra Adrianum in 4. tract. 1. de Baptismo q. 1. ar. 1. Lorcam, & alios quosdam.

Prob. 1. quia nunquam licet Christum erubescere, ejusque Religionem etiam metu mortis negare coram hominibus: sed, qui falsam simulat Religionem, usurpando ejusdem ritus, adolendo, v. g. thus Idolis, erubescit Christum, cujus hosti palam & aperte sacrificat.

Prob. 2. non licet etiam exterius cultum tribuere dœmoni: sed qui Idolis thus adolet, exteriorem dœmoni cultum tribuit, ejus enim actio nihil

aliud

aliud pro loco & tempore significat, nisi quod idem de Idolo sentiat, ac qui ipsum colunt: sicut locutio illius, qui dicit se Mahumetanum esse, solum exprimit eum de Mahumete idem sentire ac ejus sectatores.

Prob. 3. Quia nunquam licet mentiri, præsertim in rebus fidei & Religionis: sed qui exterius simulat falsam fidem, quam corde non gerit, mentitur in rebus fidei & Religionis, cum factis asserat, id quod intus detestatur. Hinc Eleazarus senex rogatus ab amicis, non ut manducaret, sed ut simularet *manducasse*, *sicut* Rex Antiochus *imperaverat de sacrificii carnibus... respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum; non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram.* 2. Machab. 6. Hinc etiam Libellatici, ii nimirum, qui ne cruciarentur pro fide, vel ad Magistratus traherentur, numerata pecunia emerant a Judicibus Libellos, quibus constaret eos ex Imperatorum præscripto Idolis sacrificasse, hi, inquam, fidem negasse existimati sunt, & gravissima affecti pœnitentia, ut videre est apud S. Cyprian. Ep. 15. 31. 52. & in tract. *De lapsis*. Non loquor de alia Libellaticorum specie, qui ne humana fragilitate deficerent, data Magistratui pecunia, ab eo obtinebant Libellum, quo, absque ulla sacrificii facti testificatione, prohibebantur Satellites latorem Libelli Religionis causa comprehendere: isti enim nihil illicitum perpetrabant, cum ut fuga, sic & pecunia vexationem iniquam removere licitum sit. Plura videris apud Suarem disp. 14. de fide, sect. 4. Lugo disp. 14. sect. 5. n. 115.

Objiciuntur varia veteris & novi Testamenti exempla, e quibus colligere est licitum aliquando esse falsam simulare Religionem. 1. enim Naaman ab Idololatria ad fidem conversus, adorabat ficte Idolum in Templo Remmon: atqui tamen nihil unquam in hoc fecit mali, cum ageret sciente & approbante Eliseo. Major & minor constant ex 4. Reg. c. 5. *Hoc solum est*, verba sunt Naaman ad Eliseum, *de quo depreceris Dominum pro servo tuo: quando ingredietur dominus meus* Rex Syriæ, *Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus* Deus *servo tuo pro hac re. Dixit autem Eliseus: Vade in pace*, id est, nullum in ea re scrupulum habeto, seu esto securus, ut exponunt Interpretes. 2. Jehu ibid. c. 10. palam testatus est se velle colere Baal amplius, quam Achab, eique *sacrificium grande* offerre: atqui simulationem hanc falsi cultus non redarguit Deus, sed laudavit his verbis: *Studiose egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis*. 3. Act. 16. S. Paulus circumcidit Timotheum; & c. 21. purificavit se ritu mosaico: atqui hæc fieri non potuerunt sine simulatione Religionis mosaicæ, quæ jam tunc rejecta erat. 4. multi Sancti ut Idola everterent, polliciti sunt se se iis esse sacrificaturos; ut videre est apud Surium ad diem 9. Januarii, & Februarii. Porro si licita fuit facta falsi sacrificii promissio, quidni & ejusdem ficta executio? sed hæc non nocent; unde

Ad 1. non una est omnium responsio. 1. enim censent aliqui actionem Naaman fuisse illicitam, utpote quæ esset externa Idololatriæ professio; quapropter hæc Elisei verba, *Vade in pace*, approbativa fuisse negant, sed solum tolerativa, quia Naaman recens conversus non poterat statim tantam portare correptionem; unde infirmitati ejus consulens Propheta, negative se habuit, donec commodiori tempore eum admoneret, quid sibi facto opus esset.

Ita

ta Valentia disp. 1. de fide q. 3. punct. 2. Idem docet Contenson. tom. 2. l. 7. dist. 7. c. 2. p. mihi 67. fol. Verum id Prophetæ, *Vade in pace*, alio & quidem novo modo explicat, cum ait Elisei verba non significare actionem Naaman a peccato vacare, sed eum hujus peccati remissionem consecuturum esse. Hæc explicatio, si a me capitur, stupendi aliquid habet, eumque Prophetæ verbis sensum affingere videtur: Vade, pecca in pace, quia Deus condonabit tibi.

2. Alii, quibus etiam actio Naaman illicita apparet, pressi Prophetæ verbis, quæ ad pacandam Naamani conscientiam prolata videntur; & aliunde non concipientes quomodo Eliseus in re tanti momenti dissimulare potuisset, præsertim cum homine tam pie disposito, ac Naaman; aliter hunc Scripturæ locum explicant, & dicunt, Naaman non petere licentiam pro futuro, sed indulgentiam pro præterito; seu petere ut indulgeat sibi Deus, eo quod olim una cum domino suo adoraverit in Templo Remmon. Hunc porro sensum ex hebræo & chaldaico textu sponte & facile colligi asserunt eruditi hujusce responsionis auctores, de quo adi P. Calmet differt. in hunc locum, ubi suam hanc opinionem, non solum Bocharti, sed & aliorum duodecim non infimi nominis Scriptorum testimonio confirmat. Addit idem, petitionem Naaman pro futuro intelligi non posse, quin idem Naaman Idololatriæ, Eliseus vero conniventiæ indecentis conscii habeantur. Hæc responsio difficultatem tollit, sed id habet dari, quod & vulgatæ Versioni, & Interpretibus Catholicis pene omnibus repugnet.

3. Demum alii omnino negant Naaman ficte adorasse in Templo Remmon, voluntque eum solummodo civilem & politicum cultum exhibuisse, non Idolo, sed Regi, cujus manum de more sustinere non poterat, si, Rege flectente genu, ipse rectus pedibus stetisset. Neque magis, inquiunt, dici potest Naaman Idolum ficte adorasse, aut adoranti domino cooperatum esse, quam impietati domini aut dominæ suæ cooperentur ancillæ vel servi, qui nudo capite Synagogam, aut Idolorum Templa ingrediuntur, & caudam dominorum deferentes, variis eorum motibus, intra & extra Templum, se se accommodant, sicque ad eos velut mechanice & per accidens se habent: atqui isti non peccant secluso perversionis aut scandali periculo; ergo neque etiam peccavit Naaman, qui nec subversionis periculum subibat, nec cuiquam poterat esse scandalo: eo quod utique palam profiteretur se non Idolorum, sed solius veri Dei cultorem esse, prout non clanculum, sed coram toto comitatu suo promiserat Prophetæ, dicens: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino*. Solutionem hanc confirmat Cornelius a Lapide auctoritate Tertulliani, qui lib. de Idololatria cap. 15. sub finem sic habet: *Utinam nec videre possimus, quæ facere nobis nefas est. Sed licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non Idolo, officiosos habent .... Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps Idololatriæ; si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii*. Ita locum hunc sol vunt Abulensis, Cajetanus, Lyranus, Becan, Lugo, & alii, quos sequuntur Habert & Henricus a S. Ignatio tom. 2. pag. 127. & 547. quibus adhærendum puto.

At, inquies, hæc actio Naaman usque adeo peccatum erat, ut pro ea veniam a Deo deprecaretur; neque id erroneæ ejus conscientiæ imputandum est, alioqui Propheta scrupulum ejus sustulisset, quod non fecit.

R. Concipi non posse, quo pacto Naaman petierit veniam peccati, cujus denuo committendi propositum servabat: sensus ergo verborum ejus ex Elisei responsione depromi debet. Cum itaque responderit Propheta, *Vade in pace*, idest,

id est, noli ea de re turbari, neque enim hæc agendi ratio tibi ad culpam imputabitur a Deo; verba Naaman non debent haberi ut petitio veniæ pro crimine deinceps committendo, sed ut quædam interrogationis species, an in talibus circumstantiis peccaret, suum, ut antea, ministerium exhibendo Regi Syriæ, sed animo plane, & quidem palam & evidenter dispari.

Ad 2. duplex est responsio. Nam 1. censent aliqui Jehu excusari posse ob ignorantiam, ex qua putabat id omne, quod egit, licitum esse ob bonum finem; quæ quidem ignorantia in viro militari, & parum versato in rebus divinis facile potest tolerari. Ita Mauden discursu 7. in 1. præceptum Decalogi. 2. alii Jehu gravis peccati accusant. Ita S. Th. 2.2. q. 111. a. 1. ad 2. his verbis: *Simulationem Jehu non est necesse excusari a peccato, vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab Idololatria Jeroboam non recedens*, ut patet ex eodē c. *commendatur tamen, & temporaliter remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal.* Eadem est solutio S. Augustini L. contra mendacium, cap. 2.

Nec dicas cum Delugo, qui hanc gemini Ecclesiæ Solis responsionem impugnat, Jonadab filium Recab, virum egregie sanctum, non permissurum fuisse Jehu hasce insidias, & fraudes, si illicitæ fuissent; qui tamen non permisit modo, sed & totius artificii Jehu particeps fuit. *Disp. 4. n. 12. 1.*

Nam 1. Rechab vir sanctus, metu viri ad malum perinde, ac bonum parati, peccare potuit. 2. interfuit quidem Rechab occisioni Sacerdotum Baal; sed probari non potest eum cognovisse iniquas vias, quibus ad actionem hanc se præparavit Jehu, multo minus approbasse. 3. si cognoverit, potuit ex circumstantiis conjicere, se, si resisteret, operam lusurum, & mali forte majoris causam futurum.

Ad 3. neg. min. quia quo tempore Mosaicos ritus exercuerunt Apostoli, lex vetus mortua erat, nondum autem mortifera, de quo vide, quæ dixi ubi de legibus cap. 4. art. 2. sect. 9.

Ad 4. vel dicendum est cum quibusdam, eos Sanctos materialiter peccasse, & iis ob bonam, in qua erant, fidem, suam hanc dissimulationem imputatam non fuisse: vel dicendum cum aliis, Sanctos illos non simulatorie, sed ironice locutos fuisse, idque ex circumstantiis potuisse colligi, ita ut ii solum ex eorum verbis decepti sint, qui decipi voluerunt. Sic non dissimulanter, sed ironice dixit Deus Genes. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis*: sic & ironice dixit Michæas ad Achab 3. Reg. 22. *Ascende, & vade prospere contra Ramoth Galaad, & tradet eam Dominus in manus tuas.*

Ex modo dictis colliges 1. eos gravissimi peccati reos fore, qui coram Idolo genuflecterent, aut thus adolerent, tametsi suam hanc actionem, vel ad Deum, vel ad Crucifixum sub veste sua, vel aliena absconditum dirigerent.

Colliges 2. eos etiam peccare, qui ut hereticos aliorum sensus detegant, simulant se eamdem cum ipsis habere fidem: *Si* enim, ait Aug. ib. c. 7. *si aliter omnino non possit educi de cavernis suis hæretica impietas, tolerabilius in suis foveis delitescerent vulpes, quam propter eas capiendas, in blasphemiæ foveam caderent venatores. Nam si propterea justa sunt ... mendacia, quia hoc animo fiunt, ut Hæretici occulti detegantur, poterunt isto modo, si eodem animo fiunt, casta esse adulteria.*

Colliges 3. non eos solum peccare, qui dissimulant in materia fidei, sed & eos etiam, qui dissimulant in materia morum, quales sunt 1. Confessarii, Concionatores, Pastores, Theologiæ Magistri, & tot hodie Ecclesiastici, qui Magnatum domos frequentant, & mensas aucupantur, quique de arcta Cœli via convicti, metu tamen mundano, sanctam Evangelii severitatem mitigant, viam justo latiorem aperiunt; atque ut omni, qua possunt, arte, pœnitentibus faveant, eadem in praxi rejiciunt principia, quæ specu-

lative admittunt. 2. tot utriusque sexus, & omnis conditionis personæ, quæ doctrinam Christi non confitentur in iis circumstantiis, in quibus confitenda est, puta cum ab impiis facto aut verbo impugnatur; aut quæ irrisionis aut contemptus timore, quæ meliora vident, & probant, in praxim reducere non audent; quæ spectaculis, & choreis intersunt, ne consuetudini resistere videantur; quæ ornamentis indecentibus utuntur, vestes parum modestas gerunt, liberiora in gracili castitatis materia verba proferunt, aut proferentibus arrident, ne verbum quidem pietatis coram mundanis hominibus effundunt. Hi utique, cum non ex prudentia, sed ex mollitie muti remanent, Christum erubescunt, si non ut magistrum fidei, certe ut magistrum morum, quod utrumq; prohibuit salvator his verbis: *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet.* Christi enim sermones ut ad fidem, sic & ad morum directionem pertinent.

Colliges 4. circumcisionem esse nunc ellicitam, non solum si exerceatur ut actio sacra, in quod conveniunt omnes, sed etiamsi assumatur ut mortificatio carnis, ut pluribus contra Cajetanum 3. part. q. 37. art. 1. Medinam in 1. 2. q. 103. art. 1. ad 5. ostendit Suarez 2. tom. in 3. p. q. 37. a. 1. Lugo disp. 14. n. 145. Unde Abissini; qui circumciduntur, ab hoc ritu desierunt, cum fidem catholicam amplexi fuere; neque ad eum reversi sunt, nisi cum ad errores suos rediere.

Quæres 5. an fidem dissimulare censeatur, qui infidelium vel Hæreticorum vestibus aut signis utitur.

Pro solutione nota vestes triplici modo esse posse Infidelium proprias. Aliæ propriæ sunt Infidelium, non ut sunt infideles, sed ut sunt natio quædam, quæ sic vestiri consuevit, & quæ licet fidem Christi amplecteretur. suam tamen indumentorum formam retineret. Aliæ propriæ sunt Infidelium, prout formaliter sunt Infideles; & hæ in duplici sunt differentia. Nam quædam ex iis per se & primario institutæ sunt ad professionem falsi cultus & falsæ Religionis, quales sunt vestes, quibus Templis utuntur Pseudosacerdotes Infidelium, quæque indumentis nostris sacerdotalibus respondenr: quædam licet ad falsi cultus professionem non ordinentur, ordinantur tamen ad distinguendos homines unius sectæ ab aliis, seu ad designandam partem multitudinis, quæ falsam Religionem tenet; tales sunt vestes, quæ Clericalibus nostris vel Monachalibus respondent apud Mahumetanos, ibi enim ut Martyres, sic & Religiosos suos habet diabolus. Talis etiam esse videtur pileus flavus, aut ejusdem coloris velum, quo uti Romæ coguntur Judæi, & Judææ mulieres, sive ut a Fidelibus dignoscantur & caveantur, sive ad finem politicum, pacis, v. g. facilius servandæ, tributi exigendi &c. His positis

R. 1. Non licet ad occultandam fidem uti Infidelium vestibus per se primo institutis ad Idoli cultum, aut quamcumque aliam falsæ fidei professionem. Ita Azor. tom. 1. l. 7. c. 6. Becan. c. 9. q. 5. n. 37. Cajetan. in Summa v. *Habitus*. Navarr. Tolet. N. Alexander art. 8. reg. 18.

Ratio est, ex S. Thoma 2. 2. q. 112. art. 1. *non refert utrum aliquis, verbo, vel quocumque aliquo facto mentiatur*, & fidem abneget: sed qui utitur vestibus ad falsæ fidei professionem institutis, mentitur facto. Ideo enim, qui hujusmodi vestibus utitur, juxta adversarios non mentitur facto, quia vestes, quas assumit, sunt indifferentes, & ad corporis tegumentum, perinde ac ad malæ Religionis professionem assumi possunt: atqui hæc ratio nec valet, nec vera est. Etsi enim vestes independenter a consuetudine, & institutione indefferentes censeri debeant, posita tamen institutione omnibus nota,

ta, jam cessant esse ex numero indifferentium; sicut voces licet institui potuerint ad aliud significandum, quam id, quod significant, posita tamen institutione usu confirmata, non possunt moraliter alio accipi sensu, quam quo ab omnibus usurpantur. Unde sicut magni scandali reus esset, qui diceret se adorare Baal, cujus nomine Deum verum tacite intelligeret; sic & in casu proposito magni conscius esset peccati, qui sacerdotalibus Judæorum, aliorumve Infidelium vestibus uteretur, quia non minus hoc facto Judæum se, vel Turcam diceret, quam si id exprimeret verbis.

Confirm. 1. quia adolere thus Idolo est aliquid indifferens, unde & sine peccato fit in Comœdiis: atqui tamen, qui thus adolet Idolo in circumstantiis, in quibus hæc actio ad falsæ Religionis professionem determinatur, immanis culpę reum se facit: ergo & qui in iisdem circumstantiis assumit prędictas vestes.

Confirm. 2. quia, qui videret hominem hisce vestibus indutum, prudenter judicaret eum a vera fide ad falsam defecisse: atqui non potest quisquam sine gravi peccato dare alteri occasionem tale judicium ferendi: ergo.

Dixi id non licere ad occultandam fidem: licitum enim esse potest ad occultandam v. g. nuditatem, si quis a latronibus propria veste spoliatus fuisset; tunc enim evidens foret hasce vestes, quæ immediate corpus afficerent, non autem aliis super imponerentur, ut moris est, spectari materialiter ut corporis tegumenta, non formaliter ut cultus sacrilegi instrumenta.

R. 2. neque etiam licitum videtur uti vestibus institutis ad distinguendam, non dico nationem a natione, sed sectam a secta. Ita apud & contra Salmanticenses, Cajetanus 2. 2. q. 3. art. 2. S. Antonin. 3. par. tit. 12. c. 6. Navarrus, & alii multi contra multos.

Ratio est 1. quia fidem negare censetur, qui dicit se talis esse sectæ & Religionis, v. g. se Judæum esse vel Musulmanum: sed qui utitur vestimentis sectæ hujus propriis, v. g. qui gestat pileum flavum iis in locis, ubi soli Judæi tali pileo utuntur; item, qui albam fasciam seu tobaliam, gallice *Turbam*, assumit in ea regione, ubi, qui tali utitur, ab omnibus accipitur pro Musulmano, palam dicit & testatur, non quidem verbis sed factis, se Judæum esse vel Musulmanum; nec est quispiam, qui prudenter non judicet eum, quem cum talibus signis obvium habet, non esse Christi discipulum, sed hostem infensissimum.

Confirmatur: Nam ex hypothesi signum hoc distinguit Infidelem qua talem a Fideli: atqui non potest Infidelem distinguere a Fideli, quin significet eum, qui tali signo utitur, esse Infidelem. Porro nemini unquam licet exhibere se ut Infidelem: ergo.

R. 3. licitum est Christianis apud Infideles degentibus assumere vestes, quibus natio uti consuevit, quæque non sunt infidelitatis, sed nationis characteres.

Ratio est, quia, ut bene docet Contenson ubi supra pag. 68. exigit prudentia Christiana, discretio, & charitas, ut, semoto scandali periculo, iis in victu & vestitu conformemur, quibuscum degimus, juxta receptum id: *Cum Romæ fueris, Romano vivito more*.

Objiciuntur quatuor contra secundam responsionem. 1. licitum est Religioso per Hæreticorum terras transeunti, aut apud eos commoranti, habitum suum dimittere, ut fit in Anglia; ergo & licitum est Christiano cuilibet Infidelium vestes gerere. 2. potest sæcularis, ut e Prætoris manibus effugiat, Monachi habitum inducere, absque eo quod censeatur monachalem statum profiteri: ergo poterit, ut incolumis per Hæreticorum loca transeat, vestibus eorum sectæ propriis uti, absque eo quod falsam sectam protestari cen-

 seatur.

featur. 3. licitum est exploratoribus, vulgo *Espions*, uti lingua, & signis Infidelium; licitum quoque est Christianis contra Turcas dimicantibus, eorum vexilli uti, ut eos capiant, aut ne ab iis capiantur: ergo a pari. 4. si pileus, quo utuntur Judæi; esset falsæ fidei protestativus, peccarent, qui eum ferre præcipiunt, cum illicitum sit quempiam ad falsæ Religionis protestationem inducere.

R. Ad 1. neg. conseq. licitum enim est fidem aliquando celare, cum nulla est ejus confitendæ obligatio, & hoc solum facit Religiosus habitum mittens: at nunquam licitum est fidem negare, aliisve præbere causam existimandi nos ab ea recessisse. Porro, qui Infidelium vestibus sectam ut sectam profitentibus utitur, negare videtur fidem, idque judicabunt viri etiam sapientes, qui eum hujusmodi vestibus indutum viderint.

R. Ad 2. eos, qui viderint hominem communibus S. Benedicti vestibus indutum, non aliud judicare posse nisi eum esse Benedictinum: ergo a pari, qui viderint hominem in loco, ubi plures sunt Judæi, proprio sectæ illius pileo coopertum, naturaliter existimabunt eum esse Judæum, ac proinde vel fidem non habere, vel fidem abnegasse: unde in posteriori casu grave est peccatum, in priori aliquid esse videtur sinceritati oppositum. Excusat tamen S. Thomas mulierem, quæ *utitur veste virili, propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi*; imo quæ ex levitate sola habitum mutat, secluso tam scandalo, quam intentione ac periculo libidinis, peccati solum venialis conscia est ex Sylvio ib.

R. Ad 3. cum S. Thoma hic q. 40. a. 3. insidias, quibus annuntiatur falsum hostibus, sive dicto, sive facto, illicitas esse; non item eas, ex quibus falluntur hostes, quia eis *propositum aut intellectum nostrum non aperimus*. Quæ S. Doct. verba explicans Sylvius, ait eos peccare in libello, qui habent animum significandi exterius id, quod revera non est; non eos item, qui solum occultare volunt quid in mente consilioque versent, etiamsi sciant hostes inde decipiendos esse. Addi forsitan posset, non committi dolum mendacem ab eo, qui jam ab initio monet, se navaturum esse operam ut alteri de improviso interveniat; sicut non sibi videbatur mentiri, qui historiam narraturus, in hunc præfabatur modum: Audite; ena capite ad calcem mentiar. Porro quotquot ad pugnam vel obsidionem se accingunt, ipsa sua hostium conditione palam admonent, se omni, quo poterunt dolo, & calliditate usuros esse, ut inimicis fucum faciant, eosq; opprimant in cautos; ubique enim receptum est istud: *Dolus an virtus, quis in hoste requirat*? His positis dato antecedente, neganda est consequentia. Qui enim signum sectæ infidelis, qua talis, proprium gerit, non solum Religionem suam celat, sed & virtualiter profitetur falsam, absque eo quod quispiam prudenter judicare possit eum a fide non recessisse: qui vero varios in acie motus fingit, nihil molitur, quod hostibus ambiguum & suspectum videri non debeat.

R. Ad 4. neg. maj. etsi enim peccet, qui ut ad falsam Religionem impellat, ejus signa palam præferri præcipit, non tamen, qui eadem signa ferri jubet ab hominibus in errore confirmatis, ut Fideles ab eorum consortio sibi caveant, & non seducantur; nam Republicæ interest cognosci malos.

Quæres 5. an Hæreticorum vel infidelium Templa adire liceat, eorumque concionibus vel cæremoniis interesse.

Supponunt communiter Doctores id esse licitum. 1. in casu necessitatis, ut si quis in Templum se recipiat, sive ut ab inclementia cœli, sive ut ab hostibus se tueatur. 2. in casu obsequii, ut si servus vel ancilla herum vel dominam ad Templum comitari teneatur; modo tamen, ait Mauden disc. 8. non

possint

possint id effugere sine gravi incommodo, & ita se gerant ut solum dominis suis, non autem Hæreticorum ritibus reverentiam exhibere videantur. 3. in casu publicæ utilitatis, ut si negotium aliquod hic tractandum sit absque ordine ad cultum loci.

Supponunt etiam omnes, si immineat periculum seductionis aut scandali, licitum non esse Hæreticorum concionibus interesse; e contrario licitum id esse doctis, ad detegendos & confutandos Infidelium errores: tum quia assistentia hæc non est falsæ fidei professio; tum quia id docet communis virorum etiam timoratorum praxis, ut notat Becan. c. 9. q. 5. n. 16. Tota igitur quæstio eo reducitur, an peccent, qui sola curiositatis causa, Judæorum Synagogas, Hæreticorumve Templa ingrederentur, eorumve concionibus interessent; ad quam

R. 1. Non eodem arguendi sunt modo, qui curiositatis causa Infidelium Templa ingrediuntur, quam qui concionibus eorum intersunt. Ratio est, tum quia in uno nullum, in alio magnum esse potest periculum subversionis; tum quia Infidelium Templa invisuntur sicut ædes prophanæ, ob architecturæ elegantiam, ædium amplitudinem &c.

R. 2. non possunt plebeji indocti sine peccato Hæreticorum conciones audire; imo peccatum hoc est mortale, saltem si pluries iisdem concionibus intersint.

Ratio primæ partis est, tum quia curiositas illa præcise sumpta, cum nulla ratione innititur, virum Catholicum non decet; tum quia sæpius aliquid habet periculi, unde sæpius fieri potest ut mortaliter peccet etiam, qui semel tantum iis concionibus interest, puta si iis intersit, qua die prævidet futurum ut Hæretici contra præsentiam realem, aut alia, in quibus a nobis diffident, fidei capita, insurgant; item si intersit, incertus, quæ materia in concione tractanda sit, quia exponit se periculo gravi. Non arguerem tamen peccati gravis eum, qui concionem audiret, cum certus est nihil ibi agitandum esse, nisi quod in Catholicorum Cathedris tractari consuevit; & qui solum animadvertere vellet ritum, ut ita loquar, & methodum, quam suis in concionibus sequuntur Hæretici. Et hæc quidem omnia, ut opinor, ex circumstantiis loci & personæ, sive loquentis, sive audientis æstimanda sunt.

Ratio secundæ partis est, quia, ut bene notant Sanchez lib. 2. Summæ c. 4. n. 26. Salmantic. ibid. n. 123. Coninch &c. qui frequenter Hæreticorum Templa ad audiendas eorum conciones ingreditur, & gravi se exponit periculo, quia corumpunt bonos mores colloquia prava: & aliis grave scandalum ingenerat, cum prudenter judicetur Hæreticus, aut Hæreticorum amator.

Quæres 6. quid faciendum si Princeps hæreticus, ut suam promoveat vel honoret Religionem, præcipiat Catholicis ut Hæreticorum Templa adeant, concionibus eorum aut precibus adstituri.

R. Moriendum potius esse, quam impio huic edicto parendum. 1. ob periculum seductionis. 2. ob scandalum. 3. ob triumphum, quem ex hoc Catholicorum concursu reportare solent Hæretici. 4. ob definitionem Pauli V. qui consultus a Catholicis Angliæ, an tali Regis sui edicto obsequi possent, his respondit verbis: *Non licet vobis hæc facere sine detrimento Dei cultus, & vestræ salutis*. Atque hæc opinio ubique recepta est, eamque late & erudite versavit Suares in defensione fidei, l. 6. c. 9.

Quæres 7. an liceat Hæreticorum Templa ingredi ad participanda cum eis, seu ad recipienda ab eis Sacramenta. Quæstio procedit solum de casu necessitatis; & quidem de casu, in quo nullum est periculum seductionis.

Respondet Becan. c. 9. q. 5. n. 18. 1. licitum non esse a Calvinianis aut Lutheranis

ranis Eucharistiam recipere, quia vel non habent verum Sacramentum, ex defectu Sacerdotum; vel si veros aliquando Sacerdotes habent, quod rarum est, specialem circa hoc Sacramentum errorem habent, Calvinianis præsentiam realem, Lutheranis transsubstantiationem negantibus. Hæc ultima ratio nonnihil habet difficultatis: nam in casu necessitatis licitum erat recipere Baptismi Sacramentum a Pelagianis, qui tamen speciali circa Baptismum errore laborant. Ut ut sit de hac ratione, haud censeo licitum esse Eucharistiam recipere a Græcis & Armenis, licet idem nobiscum de hoc Sacramento sentiant. Si quis tamen in eorum Ecclesiis occurrat, dum post consecrationem corpus Christi evelant, utique debet ipsum adorare, sicut & ibidem imagines Sanctorum, qui in Ecclesia Romana coluntur, venerari: neque enim sic approbat cultum catholicum, sed cultum Catholicis & Schismaticis communem. Addit Azo.t.1.l.8.c.11.q.10. Latinos, qui cum Græcis & Armenis permixti vivunt, si eorum Missæ intersint, Ecclesiæ præcepto facere satis, quia Græci, licet sint Schismatici notorii, non tamen vitandi sunt, quia non sunt denuntiati; ritus vero Græcanici, juxta quos Sacra celebrantur, catholici sunt & traditi a SS.Patribus Basilio, Chrysostomo &c. aliunde, inquit, non præcipit Ecclesia ut rem divinam audiamus hoc illo ritu, sed ritu legitimo, quisquis ille sit. Hæc licet speculative vera videri possint, in praxi tamen admodum difficilia sunt.

Respondet 2. idem Becan. Baptismum cum a Catholicis haberi non potest, a quibuscumque Hæreticis exigi posse; est enim eorum Baptismus idem cum nostro, nec institutus est ad cultum falsæ, sed veræ Religionis. Porro necessitas, quæ permittit ut Baptismus postuletur ab Hæretico, ad minus tanta esse debet, quanta sufficeret ut peteretur a Laico, juxta Card. Delugo ibid. n. 161. quod tunc dumtaxat verum puto, cum Baptisma ab iis requiritur Hæreticis, qui schisma cum hæresi jungunt, seque ab Ecclesia Romana separaverunt, ut Protestantes & Græci; & tunc verum etiam videtur, quod docet idem Lugo, fieri aliquando posse ut Baptismi a Græcis susceptio, censeatur communicatio cum iisdem in Religione & in secta. Tunc autem, inquit, etiam in casu necessitatis conandum potius esset adulto per contritionem justificari, quam hunc exercere actum communicationis in ritu; nisi ante præmissa protestatione, quod in ritu communicare nolit, sed solum ut jure suo ob necessitatem.

Expendit ibid. pluribus Lugo, an Catholici Hæreticorum patrini esse possint, & vicissim; an infantes nutricibus hæreticis committi valeant; an possint Catholici cum Hæreticis matrimonium contrahere; an eorum nuptiis vel funeribus interesse, quæ omnia ex principiis in Tractatu de Baptismo & Matrimonio positis a D. Tournely facile resolvi possunt.

Quæres 8. an esus idolothytorum, seu ciborum Idolis immolatorum vel consecratorum, importet cultum & professionem falsæ Religionis.

R. Non importare per se: unde iis cibis uti licet cum nec scandali quidquam timendum est, nec ulla apparet ethnicæ cooperationis species.

Ratio est 1. quia licet uti cibo de se indifferenti, præsertim cum gravis urget necessitas: atqui idolothytum est cibus de se indifferens; cum nec ullam in circumstantiis prædictis habeat ad Idolum relationem; nec Idolum, *quod nihil est*, quidquam immunditiæ ei communicare possit. 2. quia quæstionem hanc solvisse videtur S. Paulus 1. Cor. 10. his verbis: *Si quis vocat vos Infidelium* ad mensam, *& vultis ire, omne, quod vobis apponitur*, etiam idolothytum, ut patet ex contextu, *manducate, nihil interrogantes propter conscientiam .. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est Idolis, nolite man-*

manducare propter illum, qui indicavit, ne ei scandalum præbeatis; *& propter conscientiam .. non tuam, sed fratris tui*: atqui hæc verba supponunt idolothyti comestionem non fuisse malam & illicitam. Nam qui dubitat an actio, quam eliciturus est, mala sit, eamdem facere non potest, sed antea debet dubium deponere: porro Christiani, qui ad Infidelium mensam vocabantur, suspicari legitime poterant apponenda sibi esse idolothyta, nec tamen dubium illud expendere tenebantur. Et vero non vetat Apostolus ne idolothyta comedantur, nisi cum comestio hæc aliis scandalo & offendiculo esse potest: *Videte*, inquit, *ne forte hæc licentia vestra offendiculum fit infirmis*; ergo supponit eamdem de se non esse illicitam.

Objiciuntur tria, 1. auctoritas S. Augustini lib. de bonit. conjug. c. 16. & Epist. 47. alias 154. ubi interrogatus S. Doctor an satius esset fame mori, quam vesci idolothyto, respondet: *Si certum est esse idolothytum, melius christiana virtute respuitur*. Porro non loquitur hic Augustinus de casu in quo sit scandalum, cum supponat *nullum alium hominem* adesse, qui illo facto offendi possit: ergo vesci idolothytis non est res adiaphora, seu indifferens, sed de se mala, ait Curcellæus diatrib. *De esu sanguinis* c. 9. pag. mihi 968. edit. fol. 2. auctoritas S. Leonis magni Epist. 79. cap. 5. ubi eos *pœnitentiæ satisfactione* purgandos esse decernit, quos *sive terror sive fames, ad edenda immolatitia* impulerit. 3. varia Historiæ Ecclesiasticæ capita ex quibus liquet Christianos maluisse mori, aut mortis periculum subire, quam immolatiis vesci. Sic celebratur in Martyrologio Romano ad 11. Martii & 28. Aprilis, plurium Martyrum memoria, qui noluerunt immolatitias carnes comedere. Sic etiam cum Julianus Apostata *cuncta cibaria venum publice in foris exposita, sacrificiis Diis immolatis infecit, ac polluit, ut sic Fideles Urbis C. P. omnes cogerentur vesci cibis immolatitiis, nisi fame confici vellent*, nemo iis ad victum uti ausus est, sed *loco panis*, usi sunt *omnes cocto frumento*, prout refert Nectarius Archiep. C. P. in Orat. Quadragesi.

R. ad 1. vel Augustinus consilium dat, non autem præceptum, ut insinuant hæc ejus verba: *Melius* christiana virtute respuitur; vel si præceptum imponit, de iis intelligi debet circumstantiis, in quibus idolothyti manducatio, ex infirma manducantis conscientiæ reputatur quædam cultus Idolorum approbatio, prout satis communiter Augustini tempore reputabatur. Quin & sentiunt nec pauci, nec ignobiles Theologi, peccaturum, nisi excuset zelus & bona fides, qui hoc in casu ab idolothytis abstineret. Vide Vasquem in 1. 2. disp. 162. n. 32.

Confirmatur hæc solutio 1. quia docet ibid. Augustinus: *de escis Idolorum nihil amplius nos debere observare, quam, quod præcipit Apostolus*: atqui Apostolus idolothytorum usum non prohibet, nisi fiat cum aliorum scandalo, aut infirma conscientia. 2. quia, ut bene docet Augustinus, licet sint *complures, qui Sacra faciunt Soli, non tamen ob ejus luce uti veremur*; & licet inveniantur, *qui victimas immolant Ventis, nihilominus iis in nostris navigationibus utimur*. Porro si diis Gentium uti licet, quidni uti liceat carnibus iisdem immolatis, cum nec propria nostrum, nec aliena offenditur conscientia?

Ad 2. eadem est solutio: ideo enim captivos illos, qui idolothyta comederant, peccasse censet S. Leo, quia supponit id factum fuisse iis in circumstantiis, in quibus hæc comestio licet metu vel fame extorta, in exteriorem Idolorum cultum redundabat.

Ad 3. Martyres ab immolatitiis pie & laudabiliter abstinuerunt; quia non alio fine iis vesci cogebantur, quam ut dæmones honorare viderentur.

Ad aliud factum, detrectarunt quidem Christiani Constantinopolitani idolothyta comedere in odium Juliani, & summam Idolorum detestationem; at iis cibis secluso scandalo uti potuissent, ut usi sunt Antiocheni, apud quos cum *panes, carnes, olera item, ac poma, cuncta denique cibaria, lustrali aqua* aspersa fuissent, *edebant tamen*, ait Theodoret. l. 3. Histor. Eccles. c. 15. *obtemperantes legi Apostolicæ dicenti:* Omne quod in macello venumdatur, comedite. Neque in eo peccabunt, ut liquet ex citato textu, & docet Baronius ad an. Christi 362. n. 126. quia: *qui manducat, Domino manducat* &c. Et vero an *quia fontes, tum qui in urbe, tum qui in suburbano Daphnensi erant, abominandis sacrificiis* inquinaverat Julianus, jam ex iis aquam haurire & epotare non poterant Antiochenses? Numquid quia Atheniensis ager Minervæ consecratus erat, probabile est Paulum dum Athenis degeret, ejusdem fructibus vesci noluisse? Profecto hac arte paucos intra dies, omnibus dæmonio consecratis, sicque contaminatis, Christiani ad inediam adacti fuissent.

Edit. Vale s. p. 137.

Theod. ib.

Quæres 9. an Catholicis inter Hæreticos degentibus licitum sit diebus prohibitis carnes edere, ne ab Hæreticis agnoscantur, & agniti morte aut gravi pœna plectantur.

Not. duo supponit quæstio. 1. id extra casum necessitatis illicitum est; quia semper & ubique obligant Ecclesiæ præcepta, cum sine gravi incommodo servari possunt. 2. id nunquam esse licitum in casu, in quo id præciperet Tyrannus in contemptum veræ Religionis; quia divina & naturali lege Religionis contemptum etiam cum propriæ vitæ periculo vitare tenemur.

Nota iterum: multiplex est ea de re Theologorum opinio. Alii carnium comestionem licitam esse putant apud Infideles. Ita Azor. l. 7. c. 29. Becan. c. 9. n. 22. Lugo d. 14. n. 104. Salmantic. n. 129. & 130. 1. quia licet carnium esus alicubi, ut in Anglia, ad falsæ fidei professionem institutus sit, non excidit tamen a primaria sua ordinatione, quæ ipsa est corporis sustentatio. 2. quia si Hæretici instituere possent ut fidem ejurare censeretur, qui comederet carnes, idem instituere possent de eo, qui pisces, caseum, panem, & quodlibet aliud comederet, unde vel neganda esset fides, vel pereundum fame. 3. quia comestio carnis in nulla circumstantia esse potest fidei falsæ professio, cum multi ex Catholicis carnes comedant, sive ratione occulti, quo laborant, morbi, sive ex gula.

Alii tamen ex adverso pugnant, eamque carnis comestionem illicitam putant, ob rationes in secunda responsione afferendas. Ita Valentia tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. §. 4. p. mihi 972. Sylvius 2. 2. q. 3. ar. 2. Concl. 3. Henricus a S. Ignatio de fide c. 15. His positis

R. Si ejus carnium sit solum omissio confessionis fidei, licitum erit vesci carnibus, cum non obligat præceptum fidei profitendæ: si vero idem esus importet falsæ fidei professionem, plane illicitus erit. Ratio primæ partis est, quia sicut non peccat Religiosus, qui habitum suum dimittit, quia non negat, sed solum tacet se Catholicum esse, quod aliquando licitum est; sic nec peccat, qui in eadem suppositione carnes comedit. Ratio secundæ partis evidens est, nunquam enim licet id facere, quod fidei negationem involvit.

Sed difficultas est quandonam esus carnium importet fidei negationem, nec ne. Circa quod credo eum non importare negationem hanc in iis Regionibus, ubi Infideles carnibus utuntur ex antiqua Gentis consuetudine, & sine ullo ad Catholicos respectu. In Anglia vero, ubi instituta est carnium comestio *ad hæreseos protestationem*, & ut signum, quo Reformati a Catholicis distinguantur, plane illicitum videtur carnibus vesci. 1. quia is carnium esus in hoc

Salmant. ibid.

casu

casu non minus habet mali, quam usus vestimenti proprii sectæ infidelis, qua talis: atqui multo probabilius est hujusce vestimenti usum esse illicitum, ut supra docui cum S. Antonino; ergo a pari. 2. quia cum res ex indifferenti fit determinata ad unum falsum, jam ea uti non licet: atqui esus carnium in Anglia determinatus supponitur ad protestationem hæreseos, ut expresse fatentur Salmanticenses; ergo licet ex se non sit signum falsæ Religionis, est tamen falsæ hujus Religionis signum eo in loco, cum Hæretici hac carnium comestione significent, & ab aliis credant & velint significari Ecclesiæ Romanæ contemptum, ejusque legum irrisionem. Porro usurpare signum æquivocum sectæ fallæ, cum Infideles illud in sectæ suæ significationem intelligunt, est contra fidem. 3. quia, ut bene notat Sylvius, ubique notum est esum carnium iis in locis & temporibus frequentari in contemptum legis Ecclesiasticæ: atqui nunquam licitum est tali contemptui per actum positivum consentire, nequidem metu mortis, ut patet ex facto Eleazari supra citato; tametsi aliquando licitum sit contra eum non insurgere; ergo. 4. demum, quia hæc nostra opinio & securior est, & non minus probabilis quam opposita.

Nec responsione carent alterius opinionis momenta, unde

Ad 1. neg. ant. sicut enim vestes Idolorum cultui destinatæ, posita hac destinatione omnibus nota, cessant esse ex numero indifferentium; sic & carnes, prout ad significandam Catholicæ Religionis abnegationem ordinatæ jam ab ea præscindi non possunt, sicque ad malum determinantur, significantque exteriorem cum Hæreticis consensum, & sacrilegam prætensæ eorum libertatis participationem, nisi aliud ex aliis circumstantiis appareat, ut apparet in Oratoribus & Legatis Principum Catholicorum, qui si diebus ab Ecclesia vetitis carnes edere conspiciantur, non ideo Hæreticis assentiri præsumendi sunt, quia suam Ecclesiæ Romanæ subjectionem aperte profitentur, ut notat citatus Henricus ib. unde ulterius sequitur, infirmum, aut qui se talem astute fingeret, abnegatæ fidei reum non fore, sed mendacii solum, quia nullibi ignoratur eos e Catholicis, qui gravi infirmitate laborant, carnibus ubique vesci posse.

Ad 2. 1. fieri aliquando potest ut potius inedia & fame moriendum sit, quam cibo aliquo utendum, ut si Tyrannus in contemptum legis Ecclesiasticæ præcipit ut carnem comedas, nisi comederis occidendus; hoc enim casu illicita est ex omnium consensu ista comestio, ait Lugo ib. n. 103. 2. si Princeps ut ad cibi prohibiti comestionem adigeret, vel quodcumque aliud cibi genus auferret, vel escam omnem, qua uti paratus esses, in honorem Idoli comedere te juberet, ridiculum hoc præceptum cum risu potius & contemptu excipiendum esset, quam serio, servandaque lex naturalis, quæ vitam quocumque modo foveri jubet, quoties necessitas, etiamsi ab extrinseco sit, transit in necessitatem naturæ, ut transit, quoties nisi id, quod præ manu habes, comederis, vivere non potes. Censet tamen ibid. Lugo, præmittendam tunc esse protestationem, qua quis declaret se non in odium fidei, sed potius vitæ tuendæ gratia, cibis aliunde illicitis frui: quod an plane necessarium sit, dubitari merito potest, quia necessitatis casus per se loquitur.

Ad. 3. neg ant. quia carnium esus est saltem in hoc casu signum æquivocum falsæ Religionis, tum ex parte eorum, coram quibus comeduntur, qui eas hunc in finem instituisse & interpretari supponuntur; tum ex parte illius, qui comedit, quia iisdem vescitur ut Religionem suam dissimulet: atqui nunquam licet ad Religionem dissimulandam uti signo, quod saltem æquivoce falsæ Religionis protestationem importat: ergo.

S E-

SECTIO TERTIA.

De peccatis fidei oppositis.

NOt. 1. fidei opponitur infidelitas. Infidelitas vero triplex distinguitur, negativa scilicet; privativa, & positiva, seu contraria. Infidelitas *negativa* est carentia fidei in eo, qui vel nihil de fide audivit, audireve potuit, vel, ut ait Polman, cui fides non est annuntiata sufficienter, ut credere possit & debeat. Infidelitas *privativa* est carentia fidei in eo cui fides sufficienter est annuntiata ut credere possit & debeat, & qui tamen credere omittit, tametsi nec dissentiat positive, nec ullum errorem fidei contrarium admittat, ait Henricus a S. Ignatio, quod verum haberi potest in homine de Dei existentia per naturale lumen convicto, & necdum ullis erroribus imbuto. Infidelitas *positiva* est carentia fidei in eo, qui non solum non credit revelatis, sed positive negat aliquid revelati, vel errorem fidei contrarium tenet. Hæc divisio retineri potest, quia communis, non quia accurata; inculpabilis enim fidei carentia non est propria infidelitas, sicut mera & inculpabilis justitiæ & obedientiæ privatio, non est vera & proprie dicta injustitia & inobedientia. De his, aliisque ejusdem generis adi Lugo disp. 18. Suarem disp. 16.

Not. 2. positivæ infidelitatis tres assignantur species a S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 5. Paganismus scilicet, judaismus, & hæresis, ad quam reduci potest apostasia: quæ divisio, licet si metaphysice expendatur, valde difficilis sit, & Theologorum subtilitates acuat & exerceat, sumpta tamen moraliter retineri potest pro præsenti rerum statu. *Paganismus* est infidelitas eorum, qui renituntur fidei nondum susceptæ, & qui rejecto moraliter veteri & novo Testamento, nullum agnoscunt Redemptorem, qui venerit, aut venturus sit. Hinc mahometismus, sicut & atheismus, ad paganismum reducitur; quia licet Mahumetani, aliquos judaismi ritus v. g. circumcisionem, & porcinæ carnis abstinentiam servent, id adeo parum est relative ad totam Judæorum Religionem, ut inde moraliter loquendo Mahumetani non debeant computari inter Judæos, a quibus & ipsi abhorrent, & contra quos Messiam & Redemptorem pro figmento habent. *Judaismus* est infidelitas eorum, qui vetus Testamentum admittunt, novum rejiciunt, Messiamque expectant venturum, sed venisse negant. *Hæresis* est infidelitas eorum, qui vel admisso utroque Testamento, vel saltem suscepta Christi ut præsentis professione, aliquas tamen fidei veritates negant: unde Hæreticis accenseri possunt tum ii, qui totum novum Testamentum rejicerent, ut a Manichæis factum esse docet Maldonatus in præfat. ad Evangelia c. 2. tum ii, qui ut Paulianistæ, quos inter Hæreticos reponit Hieronymus sub finem Dialogi contra Luciferianos, vel Baptismum invalide suscepissent, vel nunquam suscepissent, ut Anabaptistæ, aut Cathecumeni, qui erroris aliquid habent, quia ii omnes & Christi fidem profitentur, & professioni huic suos errores adjungunt. *Apostasia* est infidelitas eorum, qui a Christianismo, totaque ejus professione discedunt; unde apostasia ex parte termini *a quo* pertinet ad hæresim, ratione scilicet fidei, quam semel acceptam deserit; ex parte vero termini *ad quem*, reducitur ad eam sectam in quam declinat Apostata. De his, qui plura volet adeat Lugo & Suarem ubi supra. Cajetanum hic & alios S. Thomæ interpretes.

Si quæras, quæ species infidelitatis sit omnium gravissima.

R. hære-

R. hæresim cœteris paribus esse peccatum intensive gravius judaismo, & judaismum paganismo. Ratio est, quia peccatum illud est aliis intensive gravius, quod plures habet gradus malitiæ: atqui talis est hæresis respectu judaismi, & judaismus ipse respectu paganismi; cum Hæretico qui fidem in re suscepit, & fides, & fidei motiva multo notiora sint, quam aliis; sicut etiam notiora sunt Judæo, qui fidem in figura suscepit, quam Pagano, qui eam nunquam suscepit.

Est tamen paganismi vitium extensive gravius cœteris, quia Ethnici regulariter circa plura errant, quam Hæretici, quorum aliquando error non est nisi in uno fidei capite. Dixi, *regulariter*, quia, ut notat S. Thomas, aliquando evenit ut Hæretici, v. g. Manichæi, & ut loquitur Valentia, nostræ ætatis Sectarii, circa plura *credibilia errent*, quam Gentiles. 2. 2. q. 1. a. 6.

Hinc sequitur, eum qui ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, debere confiteri qualitatem infidelitatis, in qua fuit, an, v. g. paganismum, judaismum, aut hæresim amplexus fuerit. Rursus, quia ex hæresibus aliæ aliis graviores sunt, & plus peccat, qui Trinitatem, quam qui minutius punctum negat, ipsa hæresis qualitas aperiri debet.

Multa hic agitant Theologi de Paganis & Judæis, an v. g. a Principibus Christianis tolerari possint; an, & quam iidem in ipsos potestatem habeant; an ad fidem compellendi sint. Sed quia hæc apud nos parum necessaria sunt, ab iis abstinebimus, tantumque de hæresi loquemur, circa quam videndum 1. quid & quotuplex sit. 2. quibus obnoxia sit pœnis. 3. an & quid cum Hæreticis commercii haberi possit.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid & quotuplex sit hæresis.

HÆresis, secundum græci nominis etymologiam, idem est, ac electio, ut notat S. Hieronymus in c. 5. Epist. ad Gal. unde absolute loquendo idem est ac secta, ac proinde in bonam & malam partem sumi posset, nisi ex constanti Ecclesiæ usu determinata fuisset ad exprimendam erroris electionem. Hæresis definiri potest: Error voluntarius & pertinax contra aliquam veritatem Catholicam, in homine Christianismum profitente. Colligitur ex S. Th. ib. q. 11. a. 1.

Dicitur 1. *error voluntarius*, quia hæresis grande est peccatum: nullum porro est peccatum nisi voluntarium.

Hinc 1. qui ex metu aut malitia thus adoleret Idolo, aut Christi corpus conculcaret, nec tamen cessaret idem interius sentire quod antea, esset quidem immanis peccati reus, sed reipsa Hæreticus non esset, quia nulla est hæresis sine voluntario dissensu veritatibus Catholicis. Unde ulterius homo ille non incurreret in foro interno pœnas contra Hæreticos latas, prout docent Suares disp. 14. de fide section. ultim. Sotus, Azor, Salmanticenses c. 3. n. 41. tametsi merito in exteriori foro pœnis Hæreticorum plectatur, quia Hæreticus judicatur, qui se ut Hæreticum gerit.

Hinc 2. qui graves infidelitatis & blasphemiæ contra Deum ejusque Sanctos tentationes patitur, Hæreticus non est, nec talem se præsumere debet, cum Hæretici hosce motus non inviti, sed volentes experiantur. De modo hasce tentationes vincendi legendus est S. Bonaventura opusc. de profect. relig. l. 2. c. 3. qui optime docet eas contemni debere, eodemque cum iis agendum esse modo, ac si non sentirentur.

Dici-

Dicitur 2. *pertinax*, quia, ut notat Augustinus Epist. 43. *qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt ... corrigi parati, cum* verum *invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi*. Notum est id S. Doctoris: *Errare potero, sed Hæreticus non ero*. Unde, ait Habert cap. 4. de fide, Hæreticus non est, qui ex ignorantia etiam crassa & affectata credit aliquid fidei contrarium, quia non est in errore pertinax. Atque, licet non habeat voluntatem adhibendi diligentiam, ut sciat, quæ sint a Deo revelata, potest tamen universalem habere voluntatem credendi firmissime omnia, quæ sibi proponentur, ut a Deo revelata: atqui talis voluntas non compatitur cum pertinacia ad hæresim requisita. Si tamen ignorantia affectata sit concomitans,adeo ut quis ita dispositus sit, ut credere nolit, etiamsi cognosceret ea, quæ ab Ecclesia proponuntur, utique non excusabit ab hæresi. Idem dicendum de iis, qui aliquid ab Ecclesia definitum esse credentes, quod definitum non est, pertinaciter credunt contrarium; ii namque actu credunt Ecclesiam falli posse, adeoque sunt in errore pertinaces; pertinacia enim in eo consistit ex S.Th. 1.p.q. 32. a. 4. quod quis sciens, teneat aliquid contra id, quod est ab Ecclesia definitum, sive neget id definitum esse, ut negare solent Hæretici; sive de definitione non curet. Unde dubio procul Hæretici sunt 1. qui ita propriæ sententiæ adhærent; ut parati sint eam non abjicere, etiamsi ab Ecclesia damnetur. 2. qui judiciorum Ecclesiæ formam ita ordinant, totque conditiones scitu impossibiles eidem apponunt, ut quamdiu volent, negare possint Ecclesiam esse locutam. 3. qui contra Ecclesiæ determinationem sentiunt, parati, inquiunt, a sententia sua recedere, si argumentis convincantur. 5. qui credunt fidei capita, non ob ipsius Ecclesiæ definitionem, sed ob evidentiam rationum, quam sibi affulgere putant, alias minime credituri; hi enim nec piam de mysteriis nostris affectionem habent, nec credunt ob formalem credendi rationem, prout notant Canus lib. 12. de Locis theolog. cap. 8. & seq. Ledesma, Salmanticenses ibid. n. 48. & alii apud ipsos. 5. qui voluntarie de rebus fidei dubitant, sive judicando incertum esse id, quod sibi proponitur; sive suspendendo consensum ob motiva fidei contraria, quibus mens quasi territa, consentire formidat: nam in priori casu positive errant contra infallibilitatem revelationis; in posteriori autem virtualiter asserunt, motiva fidei contraria tanti esse ponderis, ut dubium reddant id, quod ab Ecclesia proponitur. Lugo disp. 20. n. 16.

Dicitur 3. *contra aliquam veritatem Catholicam*. Ea porro dicitur veritas Catholica,quæ a Deo revelata est, & ut talis per Ecclesiam proponitur. Quandonam autem veritas aliqua censeatur satis revelata, ut fidei objectum esse possit, pluribus expendunt Suares de fide disp. 19. Lugo d. 20. n. sect. 2. de fide, Antonius de Panormo, integro volumine, cui titulus: *Scrutinium doctrinarum*, & author Compendii Tournelyani tom. 3. in Appendice pag. 208. & sequent.

Quær. 1. an qui revelationi privatæ sibi sufficienter propositæ dissentit, sit Hæreticus.

R. posse dici Hæreticum. Qui enim fidem denegat primæ veritati, certo sibi loquenti, est formaliter Infidelis ea infidelitate, quæ vel est hæresis vel magis accedit ad hæresim: sed qui revelationi privatæ sibi sufficienter intimatæ non credit, denegat fidem primæ veritati &c. ergo.

An autem idem homo aliorum Hæreticorum pœnis subjaceat, controvertitur. Affirmant Sanchez lib. 2. in Decal. c. 7. & Coninch. disp. 18. dub. 7. sed negant Suares ibid. sect. 5. n. 11. Azor. tom. 1. l. 8. c. 9. Lugo n. 36. 1. quia Ecclesia eos solum hactenus punivit ut Hæreticos, qui ejus decisio-

nibus

nibus resistunt: atqui is, de quo loquimur, non resistit decisioni Ecclesiæ, sed eamdem cum ipsa fidem communem habet. 2. quia Hæretici non reconciliantur Ecclesiæ, nisi prius errorem suum ad ejusdem Ecclesiæ imperium ejuraverint: atqui huic homini Ecclesia prudenter imperare non potest ut hanc suam hæresim abjiciat & ejuret, cum Ecclesia certa non sit de veritate revelationis privatæ. 3. quia Ecclesia non judicat de internis, & multo minus cum publica & externa fieri non possunt: atqui hæresis hujusce hominis vix unquam sufficienter fieri potest externa; hujus enim hæreseos declaratio & apparentia tota pendet ab eo, qui privatam revelationem habuit. Vel ergo dicet se habuisse revelationem sibi sufficienter propositam, cui tamen assentire non vult; & hoc ridiculum est, & quasi impossibile, cum ne ipsi quidem Hæretici dicere umquam ausi sint se rebus revelatis & sufficienter propositis credere nolle, pro casu autem impossibili & imaginario, & potius metaphysico quam morali, Ecclesia pœnas non constituit: vel dicet simpliciter se habuisse revelationem, cui credere non vult; & ne tunc quidem adhuc plecti poterit; quia non poterit convinci de peccato contra fidem. cum non possit convinci de veritate revelationis: ergo.

Dicitur 4. *in homine Christianismum profitente*, seu *qui Christiani nomen retinet*; qui enim etiam Christianismum abjicit, non dicitur Hæreticus, sed Apostata.

Quæres 2. an qui Christianismum profitetur, sed nondum baptizatus est, possit vere Hæreticus dici.

R. eum vere Hæreticum posse dici in foro Dei, sed non in foro Ecclesiæ, quasi ab ea pœnis in Hæreticos sancitis puniri possit.

Prob. 1. pars, quia Hæreticus est, qui Christum profitens, veritati alicui revelatæ dissentit: atqui fieri potest ut quis etiam nondum baptizatus, aut invalide baptizatus ob materiæ vel formæ defectum, veritati alicui revelatæ dissentiat: ergo fieri potest ut is sit vere Hæreticus. Et vero hujusmodi homo sit vere infidelis: atqui nec ethnica, nec judaica infidelitate sit Infidelis; ergo Indelis est infidelitate hæreseos.

Prob. 2. pars; quia ex Tridentino sess. 14. c. 2. *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus*: sed, qui Baptismum vel nullatenus, vel invalide defectu materiæ & formæ receperunt, in Ecclesiam per Baptismi januam ingressi non sunt.

Si quis tamen Baptismum receperit ex omni parte validum, præterquam ex ipsius recipientis intentione, poterit is ut Hæreticus puniri, quia in exteriori foro præsumetur valide baptizatus, nisi coactus fuerit ad Baptismi receptionem, & aperte contra eam renisus fuerit, ait Lugo d. 20. n. 147.

Quæres 3. an ille sit Hæreticus ab Ecclesia punibilis, qui, licet Baptisma receperit, nunquam tamen veram recepit fidem, ut si Infidelis fiat Londini Christianus, & Anglicanorum erroribus imbuatur.

Resp. Affirmative; idque patet ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ eos omnes, qui baptizati sunt, & errores fidei contrarios tenent, sive ab initio tenuerint, sive non excommunicatione, aliisque pœnis irretitos supponit. Ita Lug. ib. n. 149. Suar. disp. 16. sect. 4.

Hæresis dividitur in formalem, & materialem. Formalis ea ipsa est, quam definivimus. Materialis, est error, quo quis aliquid credit contra fidem, ignorans id esse contra fidem. Alii hæresim formalem distinguunt contra objectivam, & hoc sensu hæresis formalis est actus mentis discredentis; objectiva vero ipsum est objectum, quod male creditur, vel negatur.

Hæresis formalis dividitur in mentalem, seu pure internam, & in externam

simul & internam. Mentalis ea est, quæ nullo exteriori signo se prodit; interna simul & externa ea est, quæ non in sola mente consummatur, sed exterius se manifestat. Utraque subdividi posset in partialem, quæ circa quædam solum fidei capita versatur, & totalem, quæ ipsamet est apostasia, seu error voluntarius & pertinax contra omnem veritatem & doctrinam fidei Christianæ: unde hæresis & apostasia spectata prout importat recessum a fide, non distinguuntur specie, sed secundum magis & minus, ut communiter docent Thomistæ, licet eadem apostasia, si consideretur prout importat conversionem ad paganismum, aut judaismum, ab hæresi specifice distinguatur.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Hæreticorum pœnis.

Pœnæ adversus Hæreticos duplicis sunt generis: aliæ temporales, nempe bonorum confiscatio, infamia, & ex ea proveniens inhabilitatis ad honores, & officia quæcumque, pœna exilii, carceris, & ipsius mortis, de quibus consulatur titulus *De Hæreticis*, in utroque Jure, & Regia edicta ac declarationes an. 1685. & 1686. aliæ spirituales, quæ magis præsentis sunt instituti, ideoque paulo fusius hic evolvendæ.

Prima est excommunicatio major latæ sententiæ; quæ a Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & alibi passim in toto titulo *De Hæretico*, decernitur adversus *Hæreticos universos, quibuscumque nominibus censeantur*. Ea autem excommunicatio, licet inter censuras Apostolicæ Sedi reservatas reponatur ab innumeris pœnæ authoribus, quos fuse citat Barbosa in c. 6. sess. 24. Concilii Trid. in Gallia tamen non habetur pro reservata Papæ, sed Episcopo solum. Imo notat author Collat. Andegav. multas esse Diœceses, ubi hæreseos absolutio non reservatur Episcopo, nisi cum hæresis quemdam publicitatis gradum habet.

Cap. 13. de Hæret.

Tom. 1. in Decalog. pag. 114. Nov. Edit. §. 2. 104.

Gravis hic exurgit quæstio; an Hæretici sint excommunicati jure divino, an humano tantum. Affirmant Eckius in Enchiridio, Almainus, Penna, & alii, quos citat Suarez disp. 21. sect. 1. negant vero alii multo plures ut Soto, Valentia disp. 1. q. 11. punct. 3. p. 534. Henriquez, Suarez ibid. Alphonsus a Castro, Bannez, Lorca, Azor. tom. 1. lib. 8. c. 10. q. 2. Lugo disp. 23. n. 2. Salmanticenses tract. 20. n. 60. Pirhing. in tit. *De Hæret.* quibus assentimur.

1. quia Christus novæ legis conditor, nullam per se censuram instituit, ut communius docent Theologi, & nos alibi docuimus cum ipsis.

2. quia licet excommunicatio contra Hæreticos, omnium censurarum, quæ jure canonico institutæ sunt, antiquissima videatur, ut notat Azor ibid. q. 1. & colligit ex cap. *Achatius* 1. XXIV. q. 1. reipsa tamen hæc antiquiori jure non erat latæ, sed ferendæ sententiæ, juxta quod antiquum jus locutus videtur S. Thomas 2. 2. q. 11. a. 3. his verbis: *Ex parte Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem: & ideo non statim condemnat Hæreticum, sed post primam & secundam correptionem, ut Apostolus docet. Postmodum vero si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, cum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam.* Jam vero si Hæretici divino jure excommunicati essent, excommunicatio eorum ipso facto incurreretur, nec posset per Ecclesiæ misericordiem suspendi, & satis inutiliter decerneretur ab Ecclesia, cum jam ab ipso Deo lata esset.

3. Quia

3. Quia si excommunicatio in Hæreticos jure divino lata esset, eodem quoque jure suos omnes haberet effectus: atqui falsum consequens. Effectus enim, qui ipso divino jure, & quidem indispensabili, ut adversarii volunt, inferuntur; nec minui ab hominibus, nec suspendi possunt: atqui tamen effectus excommunicationis minui possunt & suspendi ab hominibus. Sic aliquando admittit Ecclesia Hæreticos ad participationem suffragiorum communium, ut feria sexta majoris hebdomadæ; sic Romanus Pontifex Hæreticis auferre potest inhabilitatem ad Beneficia, ut tradit ibid. Lugo: ergo.

Obj. 1. varios Scripturæ textus. Gal. 1. Si quis vobis *evangelizet, præterquam, quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Ad Titum 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*. 2. Joan. *Nec ave ei dixeritis* &c. atqui hæc verba ipsammet excommunicationem significant: neque enim Ecclesia aliis utitur verbis ut excommunicet, quam voce anathematis, devitationis, & separationis ab omni commercio.

R. neg. min. & dico 1. nullum esse e prædictis textibus, qui de excommunicatione proprie sumpta necessario intelligi debeat. Et quidem 1. de ea intelligi non debet textus Epistolæ ad Galatas, cum in eodem S. Paulus dicat anathema Angelo, qui falsam doctrinam afferret: porro Angelus censura proprie dicta affici non potest, cum Ecclesia nullam in eum habeat jurisdictionem. Et vero vult idem Apostolus 1. Cor. 16. ut *si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*; an ergo excommunicati sunt peccatores omnes, qui Dominum non amant?

Quod ad alium S. Pauli textum attinet, nihil est in eo, unde colligatur Hæreticum jure divino excommunicatum esse: imo est unde eruatur contrarium; si enim Hæreticus ipso divino jure excommunicatus esset, vitandus esset simul ac de ejus hæresi constaret, nec post alteram ejus correptionem differenda esset devitatio. Et vero S. Paulus eodem modo vitari vult peccatores scandalosos, & ne quidem permittit ut cum eis sumatur cibus: atqui tamen nemo est, qui dicere ausit eos omnes excommunicatos esse jure divino. 1. Cor. 5.

Ad textum S. Joannis dico eum intelligi debere, non de omni Hæretico, & quocumque in casu, sed de Hæretico hæresim suam disseminante, & antichristianam, qua imbutus est, doctrinam spargente; vel de Hæretico, qui ex bona Catholici receptione audacior redditur, ut sæpe evenit, suoque in errore pertinacior; aut demum de Hæretico, quem qui recipit, aliis scandalum præbet, suamque fidem suspectam reddit. Ita locum hunc passim explicant Interpretes, de quo consule Diarium Trevoltiense mensis Januarii an. 1725.

Dico 2. etiamsi in citatis textibus ageretur de vera excommunicatione, non statim sequi eam juris esse divini, ut jam alibi dictum est. De Cen. c. 1.

Obj. 2. varia Sanctorum exempla, ut S. Joannis, qui balneum, in quo erat Cerinthus, ingredi noluit; S. Antonii, qui nullum unquam cum Hæreticis commercium habere voluit; S. Hermenegildi, qui mori maluit, quam Eucharistiam de hæretici Ariani manu suscipere.

R. cum Suare & Lugo, non omnia, quæ in hac parte fecerunt Sancti, vel dixerunt, cadere sub præceptum, sed alia esse consilii solum. Et vero, quis peccati reum se credat, si ut corpus lavet, in eamdem ingrediatur domum, in qua lavat se Hæreticus? eane actio importat aliquod commercii genus cum Hæretico? Credo tamen, ait Lugo, factum Hermenegildi fuisse sub præcepto, quia susceptio communionis de manu Hæretici erat in hisce circumstantiis communicatio in ejus Religione; neque alio fine missus erat

Hære-

Hæreticus ad Hermenegildum, quam ut, Religione ejus tacite approbata, filius cum patre reconciliaretur.

Secunda pœna præcedenti affinis est privatio jurisdictionis spiritualis, circa quam grandis hac nostra ætate exarsit controversia. Alii censent hæresim eo ipso, quo publica est & notoria, inducere privationem jurisdictionis, absque eo quod ulla opus sit denuntiatione. Ita P. Paulus a Lugduno in Opere cui titulus: *Difficultè proposées a M. l' Eveque de Soissons, sur sa Lettere à M. d' Auxerre* an. 1724. cui merito attribuitur Opus aliud eodem fine elucubratum, sub hoc titulo: *Les ennemis de la Constitution, privès de toute jurisdiction spirituelle dans l' Eglise*; & P. Andreas de Grazac in variis Operibus, quæ ad hanc usque diem parit: ambo e familia PP. Capucinorum, qui & veteres multos Theologos, in assertionis suæ subsidium appellant, quos inter citari possunt Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. c. 30. Driedo lib. 4. de Scripturis c. 2. p. 2.

Alii privationem jurisdictionis hæresi quidem alligatam esse fatentur, non tamen ratione ipsiusmet hæreseos, sed ratione excommunicationis, eidem annexæ: unde quia excommunicati non privantur jurisdictione, nisi nominatim denuntiati sint, colligunt Hæreticos etiam non excidere a jurisdictione sua, nisi nominatim denuntiati sint. Ita Sanchez lib. 2. Decalog. c. 9. Suarez disp. 14. de fide sect. 5. n. 14. Navarrus lib. 5. Consil. Conf. 10. Lugo disp. 23. de fide n. 148. Cajetan. Pirhing. & alii, quos sequuntur Salmanticenses tract. 20. c. 3. n. 62. Ii ergo Theologi & Canonistæ censent Hæreticum valide approbare ad excipiendas confessiones, valide etiam absolvere a peccatis, valide dispensare, ejusque subditos ad eum recurrere posse in iisdem casibus, in quibus Sacramenta a malo Sacerdote recipi possunt. Unde etiam fatentur plures esse casus, in quibus ad Hæreticum recurri non potest, ut si inde oriatur scandalum, vel periculum subversionis; si Sacramenta ritu hæretico ministrentur; si ad alium Saccerdotem recurri possit &c. Hæc opinio cum iisce limitationibus omnino tenenda videtur.

1. Quia opinio adversariorum, ex qua, ut eorum aliqui palam & aperte conclamant, sequitur vix ullum in toto Regno esse Sacerdotem, qui valide absolvat, & cujus Missa sine peccato audiri possit, quatenus, inquiunt, alii Hæretici sunt notorii, alii vero nihilominus cum iisdem mediate vel immediate communicant; opinio, inquam, tam gravis consequentiæ, totque scrupulos, ne dicam turbas & tumultus parere nata, nec potest, nec debet admitti sine argumento cogente & ineluctabili: atqui talia non sunt adversariorum argumenta. Quis enim ea argumenta pro cogentibus habeat, quæ e decem Theologorum millibus, qui Ecclesiæ sunt addictissimi, & pro tuendis ejus decisionibus sanguinem fundere parati, vix unum aut alterum movent, & quæ aliunde probabiliter solvuntur?

2. Quia ex constanti & ubique recepta S. Augustini doctrina, Ecclesia; quæ sunt contra rectam fidem & bonos mores, nec approbat, nec dicit, nec tacet: atqui nihil magis rectæ fidei bonisque moribus oppositum esse potest, quam opinio nostra, si vera sit adversariorum opinio. Nam opinio; qua stante, innumeri Christiani misere pereunt, sive ob communionem sacrilegam cum sacrilegis, sive ob invalidam, quam ab iis quotidie recipiunt, absolutionem, rectæ fidei bonisque moribus capitaliter adversatur: atqui talis est juxta adversarios opinio nostra; ergo contra eam insurgere deberet Ecclesia, eamque unanimi voce condemnare, ut quæ in puncto ad praxim pertinente Fideles corrumpat: atqui tamen opinio hæc nec ullo Sedis Apostolicæ decreto,

nec

nec expresso ullo cujuspiam Episcopi Catholici mandato hactenus proscripta est; nec usquam vel Romæ in Hispania, ubi magis invisum est Hæreticorum nomen, damnati sunt Suarez, Lugo, & Navarrus, & alii, qui eam diserte, & expresse tuentur: ergo.

3. Quia ideo, juxta adversarios, Hæretici a jurisdictione excidunt, quia jure divino excommunicati sunt: atqui hoc principium communiori Theologorum sententiæ repugnat, qui fatentur concessam quidem a Christo fuisse Pastoribus excommunicandi potestatem; at simul negant pene omnes quemquam sive Hæreticum, sive alium ab eodem Christo excommunicatum fuisse.

4. Quia Sadducæi, qui dicebant: *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*, erant Hæretici notorii, ut per se patet: atqui tamen cœteri Judæi fideles cum iis communicabant, in precibus, sacrificiis, & oblationibus, aliisque Religionis cœremoniis, quæ in solo Hierosolymæ Templo ab omnibus Judæis fiebant. Imo & cum iis communicarunt, tum ipse Christus, qui licet doctrinam eorum argueret, palam & indistincte ascendebat quocumque tempore in Templum, nec unquam Pharisæos, quos in aliis levioribus carpebat, ob hanc cum Sadducæis communicationem redarguit; tum Apostoli, qui post Christi mortem publice cum aliis Templum ingrediebantur, ibidemque vota, oblationes, preces effundebant, tametsi Templo interessent, nec interessent solum, sed præsiderent Sadducæi, ut aperte colligunt Grotius, Menochius, Calmet, & alii ex Act.c.5.v.17. ubi Caiphas Sacerdotum Princeps dicitur e secta Sadducæorum, cui etiam inhærebat summus Sacerdos Hircanus multo ante Christum tempore, ut docet Josephus lib. 13.antiq.c.17. *Act. 23. v. 2.* *Act. 21.*

5. Si Hæretici notorii omni jurisdictione priventur, vel independenter ab Ecclesia, & indispensabili Dei constitutione; vel dependenter ab Ecclesia, & libera ejus ordinatione: atqui neutrum dici potest. Non primum, alioqui Ecclesia nullam unquam jurisdictionem Hæretico tribuere posset, ne quidem pro casu extremæ necessitatis: atqui hoc repugnat communi Doctorum sensui. Etsi enim negaverint viri graves, Hæreticum denuntiatum posse quempiam in ipso etiam mortis articulo absolvere, prout alibi animadvertimus, vix tamen reperire est, qui negaverint Ecclesiam posse ipsis etiam præcisis potestatem hanc largiri; multo minus, qui negaverint eam posse tribui toleratis. Non secundum: si enim concedere possit Ecclesia ut Hæretici nondum denuntiati sua jurisdictione utantur, non modo omnia pene adversariorum argumenta corruunt, sed & assertio nostra multum confirmatur: tum quia nulla extat lex, qua Ecclesia suam jurisdictionem auferat Hæretico nondum præciso, sed econtra, ut statim videbimus; tum quia, si quam hujusmodi legem tulisset Ecclesia, hanc utique suspenderet in casu, in quo ex ejus observantia sequeretur tot confessionum invaliditas, totque hominum jactura. *De Cens. c. 5.*

6. Si nulla in Hæreticis notoriis remaneat jurisdictio, vel propter excommunicationem, qua ligantur, vel ex natura rei propter hæresim, quam profitentur: atqui neutrum dici potest. Non primum, quia alioqui excommunicati omnes notorii a jurisdictione exciderent, quod post Extravagantem *Ad vitanda scandala*, falsum est, ut cum aliis docet Bellarm. ubi supra. Non secundum: si enim, ut eidem Bellarm. placet: *Hæretici etiam ante excommunicationem privati sint omni jurisdictione*. 1. exponant adversarii quem notorietatis gradum habere debeat hæresis, ut jurisdictionem auferat. Sufficietne ut duo noverint Parochum suum hæresim profiteri? Poteruntne ii duo ab eo valide absolvi? Privabiturne erga eos jurisdictione, quam erga alios servabit? Quo pacto revincentur, qui hæresim duobus solum cognitam, negabunt notoriam

 esse.

esse. 2. exponant quare Hæreticus occultus, aut etiam pure mentalis, non excidat a jurisdictione, sicut eum excidere putat Turrec. l. 4. par. 2. c. 20. Nam exterior fidei professio efficere potest ut Ecclesia, quæ de internis non judicat, suam Hæretico jurisdictionem non auferat: at in adversariorum sistemate jurisdictio a solo Deo dependet: ergo ubicumque erit hæresis, quæ ex natura rei jurisdictionem aufert, cessabit hæc jurisdictio. Quod si Deus eam conservare dicatur, donec hæresis erumpat, quidni dicatur eam conservare, donec Hæreticus per sententiam excommunicetur. 3. Ideo Hæreticus, juxta adversarios, excidit a jurisdictione, quia ipsa sua hæresi constituitur extra Ecclesiam: atqui hæc ratio nulla est. Nam excommunicati notorii sunt etiam extra Ecclesiam, ut docent plures cum Sylvio: tamen excommunicati notorii non privantur jurisdictione, nisi nominatim denuntientur: ergo potest quis extra Ecclesiam esse, & tamen ex Ecclesiæ dispensatione jurisdictionem servare: ergo jurisdictionis privatio male fundatur in privatione fidei, & sicut potest quis fidem servare, & tamen excidere a jurisdictione, ut patet in excommunicatis ob aliud, quam hæreseos, peccatum denuntiatis, sic & potest quis excidere a fide, & jurisdictionis, sicut & ordinis potestatem retinere.

Sylvius 2.2.q.39. & ar. 2.

7. Si conditor Decretalis *Ad vitanda scandala*, sensisset Hæreticos notorios omnem jurisdictionem deperdere, non minus monuisset eos esse vitandos, quam id monuerit de injustis Clericorum percussoribus, qui multo rariores sunt, quam Hæretici: atqui id non monuit: ergo.

Objic. 1. Patres, qui constanter docent *omnes omnino Hæreticos, & Schismaticos nihil habere potestatis, & juris*, prout expresse tradit S.Cypr. Epist. 76. edit. Pamel. 69. edit. Pearson., & alii quos citant Bell. ibid. & Andreas Duval. tract. de fide q.7. p. 360. 2. Conc. & Pontific. decreta, quibus non modo Hæretici, sed & qui cum iis communicant, anathemate feriuntur: *Ostendite*, ait Gelasius Epist. 1. ad Euphem. *quæ Synodus in unaquaque hæresi cum erroribus successores eorum bis communicantes simulque omnes non damnet & complices*. Consulatur P. de Grazac. in lib. cui titulus, *Principes des Catholiques, opposès à ceux des Tolerans*. 3. rationes theologicæ. 1. enim quisquis alicui communicat in peccato, fit reus peccati, cui communicat. 2. qui non sunt Ecclesiæ membra, ejusdem capita esse non possunt; seu, quod idem est, ullam in vera ejus membra jurisdictionem exercere: atqui Hæretici notorii non sunt Ecclesiæ membra. Ut enim quis Ecclesiæ membrum censeatur, debet ei per fidem, aut per fidei professionem adhærere: porro Hæretici manifesti neutro sensu adhærent Ecclesiæ. Sed hæc non obstant, unde

Pag. 1 20 & seq.

R. ad 1. frequens est apud Patres, ut qui potestatem, quam recepit, sine peccato exercere non potest, eam perdidisse dicatur, ut notat ipse Duval, qui licet opinionem nostræ oppositam tueatur, nostram tamen in praxi tutam esse ait. Mirum est, quod adversarii auctoritate S. Cypr. utantur, cum in Epist. cit. non tam loquatur de potestate jurisdictionis, quam de potestate Baptismi valide administrandi, quam Hæreticis male denegabat Cypr. Ita Sylv. ib.

R. ad 2. Non una fuit Ecclesiæ disciplina circa Hæreticos eorumque communicatores. Nam 1. censent multi, ut jam observavimus, sancitam primo & antiquiori jure contra Hæreticos excommunicationem non fuisse latæ, sed ferendæ sententiæ; atque id cum aliis cognoscit Duval, cum fatetur Hæreticos antiquitus non fuisse jurisdictione sua privatos, nisi prius admoniti fuissent. 2. Cum Hæretici ratione ipsius hæreseos excommunicati fuerunt ipso facto, excommunicari etiam cœperunt, qui cum iis vel hæresi, vel favore commu-

municabant; sed ex libera Ecclesiæ voluntate, quæ pœnam hanc mitigare potuit, & de facto mitigavit per Bullam *Ad vitanda scandala*, quæ cum Hæreticos non exceperit, nec nos excipere eosdem decet.

Ad 3. *dicendum* cum S. Th. 3. p. q. 64. a. 6. ad 2. *quod ille, qui ad Sacramenta accedit, suscipit Sacramenta a ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona. sed in quantum est minister Ecclesiæ: & ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministro, ille qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus; sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet: si vero ab ea Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ejus*. Is Angelici textus difficultatem omnem solvere videtur. Dicunt adversarii Hæreticum publicum ipso divino jure præcisum esse: negat id implicite S. Th. cum recensens in Ecclesia non toleratos, de iis solum loquitur, qu veldegrad ati sunt ab Ecclesia, vel excommunicati, vel suspensi, qui quidem tempore S. Th. vitandi erant antequam essent denuntiati; at de Hæreticis ne vocabulum quidem habet: Contendunt adversarii, eum qui ab Hæretico Sacramenta recipit, unitatem scindere, eique ut Hæretico communicare: negat id expresse Scholæ Angelus, censetque eum qui sic Sacramenta recipit, non impietati ministri, quæcumque ea sit, communicare, *sed Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet*.

Ad 4. Esto, quod qui nullo modo sunt Ecclesiæ membra, nullam habeant jurisdictionem: certe qui sunt membra utcumque tolerata, non statim ab omni jurisdictione excidunt; excommunicati enim ob aliud quam hæreseos crimen, cum palam excommunicati esse cognoscuntur, non sunt membra Ecclesiæ magis, quam Hæretici: tamen non excidunt a jurisdictione.

Dixi Esto: tum quia excommunicati etiam denunciati, licet omnimode præcisi, adhuc capaces sunt jurisdictionis, saltem in necessitatis casu, ut communior tenet opinio; tum quia Respublica functiones suas exercere potest per aliquem, qui non sit communitatis membrum, ut notat Azor: tum denique quia fides non est fundamentum omnino necessarium jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum fidem inter & jurisdictionem nulla sit necessaria connexio. Alioqui, ut bene ponderat hic Suar. n. 14. per hæresim etiam mentalem amitteretur jurisdictio, quod licet concedat a Castro, est tamen absurdissimum; alias fieri posset ut Pastor per multos annos absque ulla jurisdictione primas in Ecclesia partes teneret, quod Sanctæ Ecclesiæ constitutioni penitus adversatur. De his consule Gallicas quinque Epistolas, quas dedi sub hoc titulo: *Lettres d'un Theologien au P. de Gramac.*

Tertia pœna est irregularitas, de qua vide, quæ dixi in tr. de irreg. p. 3. c. 5.

Quarta pœna est privatio Beneficiorum antea acquisitorum, & inhabilitas ad nova acquirenda. Circa hanc inhabilitatem nulla est difficultas; quia cum Hæreticus excommunicatus sit & irregularis, collatio Beneficii eidem facta, pleno jure irrita est, & expresse irrita declaratur in jure, c. 2. *De Hæret*. in 6. Sed dubitatur an, qui ab occulta sua hæresi & annexa eidem excommunicatione, absolutus fuit, adhuc remaneat ad futura Beneficia inhabilis. Hæc quæstio pendet ab alia, an scil. hæresi exteriori, sed non publicæ, annexa sit irregularitas; si enim hæc illi annexa sit, sublata etiam excommunicatione, *Sup. p. 21.* permanebit irregularitas, quæ ex alibi dictis invalidam reddit Beneficiorum receptionem. Porro tutior nec probabilis minus nobis videtur opinio Suaresii quæ hæresi cuilibet, modo non pure mentali, irregularitatem jure communi annexam esse docet: quod quidem in Gallia locum non habere, notavi ubi supra.

Major est difficultas, an hæresis Beneficio quocumque ante eam adepto privet. Affirmant communiter Canonistæ, & Theologi: sed disputant inter se, an perdatur titulus ante sententiam, an non aliqualiter perseveret. Alii, iique innumeri, ait Lugo, censent titulum amitti per hæresim: sed quia iidem simul concedunt ante sententiam non perdi possessionem, quæ eosdem præstat effectus, quos titulus ipse præstaret, ac proinde agnoscunt Hæreticum posse Beneficium ante hæresim acquisitum retinere, percipere fructus, resignare in favorem tertii, quæ omnia per sententiam Judicis, si superveniat, rescindentur; idcirco controversia hæc pene tota reducitur ad quæstionem de nomine: qui enim titulum remanere contendunt, fatentur sententiam retrotrahi ad diem commissi criminis, ac proinde quidquid ante eam, sive permutando, sive resignando gestum est, plane irritum fieri.

Disp. 23. n. 140.

In Gallia Beneficium vacat ipso jure, non tamen ipso facto, per hæresim, ut alibi docuimus. An autem ut Beneficium hominis in hæresim lapsi a devolutario requiri possit, requiratur prævia Judicis sententia, disputant Canonistæ. Negat Pontas V. *Collation*, cap. 9. ubi docet Beneficia, quæ ipso jure vacant, qualia sunt Hæreticorum Beneficia, posse vel conferri a collatore, vel requiri a devolutario, ante quamcumque sententiam: tametsi qui Beneficia hujusmodi obtinuerunt, non possint eorum possessionem adire, nisi præcesserit sententia criminis declaratoria; quia alias homo male accusatus posset Beneficio suo spoliari. Ratio hujus decisionis sumitur ex art. 46. Constitutionis Blesensis Henrici III. cujus hæc sunt verba: *Tous Dévolutaires ayant obtenu provisions fondées sur vacations de droit, seront admis, & reçus à en faire la poursuite, encore qu'il n'y ait aucune déclaration précédente*. Contrarium pro præsenti hæreseos casu tenet D. Goard, quem consule tom. 1. p. 640. tom. 2. pag. 180. ubi hanc opinionis suæ rationem reddit, quod in hac materia notorietas facti locum non habeat in Galliis.

PUNCTUM TERTIUM.

De commercio cum Hæreticis.

IN hoc puncto, in quo occasione commercii cum Hæreticis, de commercio cum aliis Infidelibus licito, vel prohibito disputandum est, quatuor, eæque non levis momenti, quæstiones expendi solent: & quidem 1. An Fideles possint Hæreticos in matrimonium ducere. 2. An possit conjux a conjuge hæresim amplexo separari. 3. An & quomodo cum Infidelibus disputare liceat. 4. An peccet, qui libros Hæreticorum legit. Hæc omnia duplici paragrapho ob materiæ affinitatem, exequemur.

§. I. *De matrimonio cum Hæreticis, &c.*

Conclusio I. Matrimonia Fidelium cum Hæreticis jure Ecclesiastico prohibita sunt; non sunt tamen nulla, imo accedente Romani Pontificis dispensatione, contrahi aliquando possunt.

Prob. 1. pars ex Conc. Calcedonensi Can. 14. ubi sic habetur: *Hæreticum conjungere matrimonio nulli liceat, nisi utique persona, quæ orthodoxæ conjungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat*. Idem decernunt Conc. Illiberit. Can. 16. Sardicenum Can. 10. & 31. Carthagin. III. Can. 12. ac

ac deinceps inter alia multa, Concilia duo Provinciæ Burdigalensis ann. 1583. & 1584. quæ sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ vetant ne quis, seu regularis sit, aut sæcularis, Hæreticos conjungere ausit. Idem locum habet in Diœcesi Parisiensi.

Prob. 2. pars: quia si matrimonia hæc invalida forent, vel jure naturali, vel jure divino, vel demum jure positivo: atqui non sunt invalida; 1. jure naturali: nam Joseph duxit Aseneth filiam Sacerdotis idolorum; Moyses Sephoram filiam Sacerdotis Madian. Esther Assuerum gentilem, & hæc matrimonia semper pro veris, & legitimis nuptiis agnita fuere: ergo non erant nulla; imo nec absolute prohibita jure naturali; in quo nec ipse quidem Deus dispensare potest. Non 2. jure divino: tum quia alioqui Joseph, Moyses, & Esther divinam legem violassent in puncto admodum gravi, quod nemo dicere ausit; tum quia hæc S. Pauli verba, quæ difficultatis aliquid creare possent: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, meram prohibitionem important ex Theologorum fere omnium consensu. Non 3. jure positivo; cum econtra jus supponat matrimonia Catholicorum cum Hæreticis valida esse, ut patet ex cap. *Decrevit. De Hæretic.* in 6. unde S. Thomas: *Impedimentum*, inquit, quod dirimit matrimonium, *non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium; & propter hanc si aliquis fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam, sicut peccaret si cum excommunicata contraheret, non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur.* In 4. Dist. 39 q. 1. a. 1. ad 5.

Nec nocent Canones multi Ecclesiæ Græcæ, quia hæresis potest matrimonium dirimere apud Græcos, absque eo, quod illud dirimat apud Latinos. Vid. Collat. Parisiens. tom. 3. pag. 16.

Prob. 3. pars, quia causæ, propter quas viri pii in antiquo Testamento Infideles ducere potuerunt, in novo Testamento occurrere possunt. Aliunde etiam contingere potest, ut nullum in ea conjunctione subsit periculum subversionis, imo ut ex ea multum boni sperari possit, puta conversio Principis hæretici, favor ab eo præstandus Catholicis, qui ditioni ejus subsunt, &c. Atqui in hisce circumstantiis potest Papa dispensare, prout de facto sæpe dispensavit; sic enim concessit Clemens VIII. an. 1603. ut Dux Barensis Catharinam Henrici IV. Francorum Regis sororem, sed hæreticam duceret. Idem an. 1625. permisit Urbanus VIII. Henricæ Ludovici XIII. sorori, erga Carolum I. Anglorum Regem hæreticum, ut Catholici in Anglia degentes humanius tractarentur. Idipsum an. 1662. concessum est Catharinæ de Lusitania, quæ Carolo II. Angliæ Regi hæretico nupsit. Et eæ quidem dispensationes gravi urgente causa non raro conceduntur a Pontificibus Romanis, prout ab Italo Prælato audivi: quis vero, nisi temerarius, tot magni nominis Pontifices vel ignorati, vel impie neglecti officii sui arguere præsumat?

Circa difficultates e Sacramenti prophanatione petitas vid. Tournely ubi de Matrimonio. Ut solvantur cætera quæ hic moram injicere possent.

Quæres 1. an necessaria sit Pontificis dispensatio, si Hæreticus conversionem promittat.

Respondet Lugo, stando in jure dispensationem Pontificis non esse hoc in casu necessariam, quia Concilium Calcedonense supra citatum permittit matrimonia Fidelium cum Hæreticis, cum ii *se ad orthodoxam fidem converten-dos spondent*. Si tamen, ait idem Theologus, usu & consuetudine receptum sit ut in hoc etiam casu petatur dispensatio, utique petenda erit, quia Disp. 22. n. 17.

consuetudo vim habet legibus derogandi. Adde quod longe tutius sit in hoc casu recurrere ad superiorem.

Quæres 2. an liceat nuptias contrahere cum Hæretico, qui nec conversionem spondet, nec ullam illius spem injicit.

R. Affirmat. tum quia, etiam sublata conversionis spe, cessare potest periculum, propter quod matrimonia hæc jure naturali prohibita essent; tum quia etiamsi non speretur hæretici conversio, sperari possunt alia bona, quæ defectum hunc insigniter compensent: v. g. libertas fidei profitendæ, quæ antea negabatur, Catholica prolis educatio; &c. denique, quia Sancti, qui in antiqua Lege Infidelibus nupserunt, ut Esther Assuero, nullam eorum conversionis spem conceperant.

Cœterum, communiter loquendo, gravior requiritur casus ut Hæreticus accipiat uxorem Catholicam, quam ut Catholicus accipiat Hæreticam; quia vir uxoris animum potentius movere solet, quam uxor moveat animum viri. Etsi autem doceat Azor. dispensationem ad hujusmodi matrimonia non esse concedendam nisi *Primariis viris, & ad commune pacis bonum*; censet tamen Pontius in appendice de matrimonio Catholici cum Hæretico, & post eum Lugo ib. n. 28. commoditatem convictus humani sufficere aliquando posse, si aliunde cessent ea, quæ matrimonium hoc de jure naturæ illicitum reddere possent. Certo, ait Lugo, conjugia hæc semper id habent boni, quod aliquam injiciant spem conversionis Hæretici, aut saltem filiorum ejus, quæ spes nulla esset, si hæreticus cum hæretica contraheret. Addit Pontius, id confirmari ex usu Germanorum, & Polonorum, qui ex recepta consuetudine tales nuptias ob commoditatem convictus celebrant absq; Pontificis dispensatione: quod si verum est, non vacat ab incommodo; cum Ecclesiæ sit perpendere an periculum iis connubiis quasi ex natura rei annexum, cesset in casu particulari; anve bona, quæ sperantur, malis quæ timeri possunt, præponderent.

Azor. t. 2. l. 4. c. 2. q. 2.

CONCLUSIO II. Matrimonium inter baptizatos contractum non dissolvitur, quoad vinculum per hæresim alterius, bene vero quoad thorum, & habitationem.

Prob. 1. pars: tum ex iis omnibus, quæ congerit Tournely in Tract. de matrimonio p. 119. & seq. quæque hic repeti non decet; tum ex Concil. Trid. ubi sic habetur: *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

Sess. 24. can. 5.

Prob. 2. pars contra Hæreticos aliquos nostri temporis Ecclesiam arguentes, quod permittat conjugum separationem quoad thorum ob alias præter fornicationem causas, prob. inquam, tum ex constanti Ecclesiæ usu, quem clare exprimit Conc. Agathense anni 506. can. 25. tum ex Synodo Tridentina, quæ sic loquitur: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Porro hæresis, qua exitialius nihil fingi potest, non infimum habet locum eas inter causas, quæ ad divortium sufficere possunt; præsertim cum sit fornicatio quædam spiritualis, corporali deterior, ut docent S. Augustinus, L. 1. de Serm. Domini c. 10. & S. Thomas in 4. d. 31. a. 1.

Trident. ib. can. 8.

Nec nocet quod Christus Matth. 5. insinuare videtur uxorem a marito, *excepta fornicationis causa*, discedere non posse. Hic enim loquitur Christus de separatione perpetua, quæ in solo fornicationis casu locum habet: sed non ideo alias excludit causas divortii ad tempus, donec scilicet is, a quo separatur alter, ad meliorem mentem redierit. Ratio autem cur fornicatio rigoro-

sius

sius puniatur, hæc est, quod crimen illud committatur in materia matrimonii propria, & per ipsum violetur carnis unitas. Unde illicitus quicumque coitus, etiam contra naturam, quo eadem unitas violatur, fornicationis nomine censetur in præsenti, ut notat Vallensis in titulum *De divortiis*.

At, inquies, gratis dicimus separationem, quæ fundatur in adulterio, & de qua loquitur Christus, esse perpetuam.

R. Neg. ant. Christus enim eo loci concedit, quoad thorum ipsam hanc separationem, quæ per libellum repudii concedebatur etiam quoad vinculum: atqui separatio per libellum repudii concessa quoad vinculum, erat perpetua. Minor patet: major non minus evidens est ex contextu Evangelii: *Dictum est*, ait Christus, *quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii: ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*: ergo vox *dimiserit*, separationem perpetuam sonat in posteriori, sicut & in priori versus parte.

Confirm. ex c. 19. Matth. ubi Pharisæi Christum interrogant: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa*? quod utique intelligunt de dimissione perpetua, ut ipsimet statim explicant urgentes: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere*? libellus enim repudii non erat nisi ad perpetuam separationem: porro de hac dimissione respondet Christus, eam a Moyse concessam fuisse *ad duritiam cordis*, eamque jam amplius permittendam non esse, *nisi ob fornicationem*, idque, remanente matrimonii vinculo, ut fusius alibi expendunt Theologi: ergo dimissio, quam in solo fornicationis casu concedit Christus, est perpetua: ergo separatio ob aliam quamcumque causam, puta hæreseos, vel molestæ cohabitationis, tamdiu solum durare debet, donec durat ipsius causa, nisi forte a Judice imposita sit per modum pœnæ. Pœna enim non semper cessat, etiam cessante peccato. Hac occasione

Quæres 1. an Catholicus teneatur redire ad conjugem, qui ab hæresi sua recessit.

R. Vel Catholicus auctoritate propria ab hæretico discessit, vel interveniente Judicis auctoritate. Si primum, Catholicus ad hæreticum reverti, aut eum suscipere debet, & *si reverti noluerit compellatur*, ait Urbanus III. c. 6. *De illa*. *De divortiis*; idque verum est ajunt Sanchez disp. 15. n. 14. & Lugo disp. 22. n. 46. aliique plures cum iis, etiamsi Catholicus, vel Ordines sacros receperit, vel voverit in Religione: quia citatum caput indistincte præcipit, ut mulier, *quæ a viro suo labente in hæresim, sine Ecclesiæ judicio declinavit, ei, cum reversus fuerit*, reddatur. Quapropter emissum castitatis votum non impediret a reddendo debito conjugali, sed a petendo, & ab ulterioribus nuptiis post mortem mariti.

Si secundum, non una est de illo casu, sed varia & multiplex Canonistarum opinio. Potior sicut & communior nobis videtur eorum sententia, qui cum Pontio L. 9. de matr. c. 32. Lugo ibid. n. 49. Pirhing in hunc tit. n. 29. existimant Catholicam a viro suo, judicio Ecclesiæ separatam, non teneri ad eum cum resipuerit redire, si religionem professa fuerit; secus, si necdum professa fuerit. Ratio est, quia non aliter conciliari possunt variæ Pontificum Decretales eodem titulo relatæ: de quo vide Lugo ibid.

Quær. Igitur 2. an conjugum alter possit se ab alio propria auctoritate separare.

R. Posse, si separatio sit solum a thoro: ita post S. Thomam auctor Colat. Parif. tom. 5. p. 89. Si autem separatio sit quoad thorum, & habitationem, tunc necessaria est Judicis auctoritas, secundum id citati Concilii Agathen- *D. Thom. in 4 d. 3. q. 1. a. 3.*

sis can. 25. *Si quis cum uxore divortium facere velit, prius apud Provinciales Episcopos dissidii causas dicat*. In Gallia hodie separationis causæ apud Laicos judices dijudicantur, contra antiquam & Ecclesiæ, & Regni ipsius praxim, ut notat idem auctor Collat. Parif. p. 100.

Quæres 3. an Catholicus teneatur ad separandum se a comparte hæretica; seu, ut ajunt alii, an possit cedere juri, quod habet ad divortium ob hæresim conjugis suæ.

R. Catholicum aliquando teneri ad separationem, quoties scilicet hæc necessaria est, seu ad vitandum proprie perversionis periculum; seu ad retrahendam ab hæresi compartem, si hac via retrahi potest. Aliunde vero potest aliquando Catholicus cedere juri suo, etiam post sententiam Judicis, quia totum divortii jus conceditur Catholico in ipsius favorem; potest autem quilibet renuntiare favori sibi concesso, si nihil aliud obsit.

Quæres 4. an copula Catholici cum hæretico sit tacita & virtualis condonatio, qua semel posita, jam non possit Catholicus divortium facere.

Affirmant nonnulli, qui censent hæresim non minus per copulam condonari, quam adulterium. Sed negant alii, & melius, quia non eadem ratio militat in utroque casu. Injuria enim adulterii est divisio carnis, quæ per subsequentem copulam quasi connaturaliter redintegratur: hæresis vero peccatum est peccatum infidelitatis contra Deum, circa quod copula subsequens eodem modo non operatur, nisi ex parte Catholica intersit explicita, vel implicita condonandi voluntas. Imo si in accedente ad conjugem adulteram esset positiva voluntas non condonandi, nulla reipsa esset condonatio, licet in exteriori foro facta præsumeretur. Vid. Lugo n. 86. & seq.

Cœterum si Catholicus nuptias contrahat cum hæretico, renuntiat juri divortii: frustra enim contraheret, si non intenderet, non obstante hæresi, thorum habere communem. Si tamen hæreticus, vel conversionem suam vel prçstandum Catholicis favorem spopondisset, nec staret promissis, item si Catholicus ex cohabitatione cum hçretico amittendæ fidei periculum sibi imminere sentiret, posset a comparte recedere; quia in priori casu, frangenti fidem in re tanti momenti, non est servanda fides; in posteriori vero, non obligat promissio de re, quæ illicita evadit.

Quæres 5. an sicut in adulterio carnali datur compensatio, sic & detur in spirituali hæreseos adulterio; ita ut conjuges duo hæretici divortium non magis inire possint, quam conjuges duo adulteri.

R. Si ambo conjuges in hæresim lapsi sunt, non magis unum ab alio recedere posse, quam si ambo adulterium commiserint; quia jus divortii nonnisi Catholico conjugi concessum est in jure. Idem dicendum, si ambo redierint ad fidem, quia jus divortii non conceditur nisi contra hæreticum in hæresi permanere volentem. Si vero alio in hæresi permanente, alter ad fidem redeat, poterit ab alio recedere: quia hæresis præterita neque dat jus ad divortium, neque jus conjugis ad fidem reversi impedire potest; imo & jus illud potest adaugere, cum uxor conversa plus aliquando mali timere possit a conjuge hæretico, quam si semper idem sensisset.

An detur compensatio adulterii carnalis cum spirituali; seu, quod idem est, an hæreticus Catholico divortium petenti objicere possit adulterium ipsius Catholici, & hac via separationem ejus impedire, & vicissim, pluribus expendunt Sanchez de matrim. L. 10. disp. 16. Pontius L. 9. cap. 22. n. 6. & Lugo ibid. n. 99. quibus sententia negans videtur pro-

probabilior: quia, inquiunt, cum duo idem jus habent, absque eo quod alter alterius jus impedire possit, compensatio locum habere nequit, sed potius permutatio quædam juris cum jure: porro permutatio non fit invitis permutantibus; ex quo inferunt neutrum conjugem in præsenti casu posse invito alio divortium facere.

§. 2. *De disputatione cum Hæreticis, & librorum hæreticorum lectione.*

Disputatio de rebus fidei duplex institui potest: alia *formalis*, quæ fit ad defendendum aut persuadendum alteri id, quod ab eo negatur; alia *materialis*, quæ fit, cum duo idem credunt, solumque exercendi ingenii gratia disputant. Non loquimur hic de disputatione solum materiali; hæc enim *per se* licita est ratione objecti, finis, & circumstantiarum: cum & animo catholico fiat, & eo instituatur fine, ut fidei veritates profundius investigentur, & deinceps nervosius defendantur contra hæreticos. Cavendum tamen ne hujusmodi concertationes vel habeantur lingua vulgari coram indocta plebe, quæ, ut notat S. Thomas, difficultates facile percipit, solutiones vero non ita; vel ex aliqua disputantis dubitatione procedant: alioqui enim peccaret *tanquam dubius in fide, & infidelis*, ait 2.2. q. 10.
idem S. Thomas, sicque disputatio de se licita fieret mala *per accidens*. art. 7.
Quæstio igitur tota est de disputatione formali, non circa res, quæ in opinione consistant, sed circa fidei dogmata.

CONCLUSIO I. Disputatio cum Hæreticis si fiat cum debitis conditionibus, licita est, sed non omnibus.

Prob. 1. pars 1. ex Scriptura. Act. 17. Paulus *disputabat in Synagoga cum Judæis*. Epist. ad Tit. c. 1. *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possit eos, qui contradicunt, arguere*. 1. Petr. c. 3. *Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem*, græce *ad apologiam*, *omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, sed cum modestia*. Atqui non potest is, qui secundum doctrinam est fidelis sermo defendi contra eos, qui contradicunt; absque aliqua cum infidelibus disputatione; & hæc necessaria etiam est ad faciendam fidei apologiam, quam Christianis imperabat Apostolorum Princeps: ergo.

Prob. 2. ex constanti SS. Patrum exemplo, qui, ut ex polemicis eorum operibus constat, omne omnino infidelium genus impugnarunt, debellarunt, protriverunt, secundum id Augustini: *Cum Hæreticis verbis etiam* Epist. 92.
agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum. alias 48.

Prob. 2. pars ex ipsa enumeratione quarumdam conditionum, quibus sublatis, disputatio cum infidelibus, nec Deo plene accepta, nec proximo utilis esse poterit.

1. Itaque ex parte disputantis duo requiruntur: primum, ut eam habeat in fide firmitatem atque constantiam, quæ impediant ne disputationis occasione, dubii quidpiam & tentationis patiatur: alias fieri posset ut excideret a fide, cum fidem aliorum animis instillare satageret. Secundum, ut doctus sit & capax, quantum ad id muneris sustinendum requiritur. Hæc autem capacitas ex adversariorum viribus metienda est: minus enim requiritur scientiæ ut quis cum hæretico simplici & imperito congrediatur, quam ut cum docto & sagaci, quales in Anglia, Batavia, finitimis locis complures reperiuntur. Monent autem Coninch. disp. 18. n. 141. & Lugo disp. 22. n. 132. eruditionem ad hujusmodi prælia non tam ex ipso scientiæ fun-

fundo æstimandam esse, quam ex praxi, & usu, ac facilitate quadam sese explicandi ad captum audientium: quæ si desit, disputatio facile cedet in contemptum fidei, & adjutorum periculum.

2. Ex parte illius, quo cum initur disputatio, requiritur ut hæc ei profutura prudenter judicetur. Regulariter enim loquendo, illicitum est cum iis disputare, qui non ex ignorantia, sed ex malitia errant; & qui nihil verentur magis, quam ne aperiantur sibi oculi. Ratio est, quia tunc disputatio non solum otiosa est, sed & scandalosa, quatenus sine utilitate præbetur infideli occasio committendi nova peccata per obstinatam proprii erroris defensionem. Hoc sensu, ait ibid. Lugo, intelligitur id Pauli ad Titum: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, cum sit proprio judicio condemnatus*. Porro gravis hæc obstinatio facile in Hæreticis præsertim doctis præsumitur, prout indicant verba hæc antiqui auctoris sub nomine S. Chrysostomi: *Audi homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis; si Pharisæi victi non sunt, ut certando contra hæreticum poteris eum placare cum viceris?* Hæc item Augustini c. 12. Libri contra Faustum: *Non disputationem amant Hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pertinacia, ut congregent, quæ non pepererunt.*

Ad Tit. 3.

Op. imper. Hom. 12 in Matth.

Dixi *regulariter*: quia permissa aut etiam necessaria esse potest disputatio cum hæreticis, 1. si speretur auditores, qui hæretici sunt, hinc convertendos esse; 2. Catholicos in fide, a qua forte deficerent, confirmatum iri. 3. hæreticos ipsos deinceps timidiores fore, nec tam insolenter Catholicis insultaturos. Tunc enim, *etsi hæretici non surgant ex fæce, Ecclesia tamen confirmatur in fide*, ait S. Bernardus. Iis ferme de causis Christus plerumque cum Pharisæis manus conseruit, quia tametsi sua hæc disputatio iis non esset profutura ad conversionem, proderat tamen tum ad obstruendum os eorum, tum ad alios, vel confirmandos in fide, vel a præjudiciis suis revocandos.

Serm. 64. in Cantic.

3. Requiritur ex parte auditorum, 1. ut disputatio iisdem nocere non possit; quod magis cavendum est, cum auditores alias in fide tranquilli, argumentis contra fidem proponendis facile moveri possint, quia rudes sunt & imperiti; item cum locus est timendi ne perturbari incipiant, cogitando ea in dubium revocari, de quibus nusquam hactenus dubitaverant, qui primus est ad introducendam hæresim gradus. Si tamen viri simplices, vel probabiliter sollicitandi sint, vel jam sollicitentur ab hæreticis, & timeri possit ne ex silentio nostro colligant malam esse causam, quam tuemur, tunc instituenda erit coram iis disputatio, ut saltem confuse intelligant Ecclesiæ fidem suis niti momentis, licet hæc non satis possint ab omnibus percipi. *Sicut* enim, ait S. Gregorius Papa, *incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore* vel in dubio *relinquit*. 2. requiritur etiam ut nulla coram Laicis quasi coram judicibus habeatur contestatio de fide; quia res fidei Episcoporum judicio, non autem Principum sæcularium examini subsunt. Hac de causa S. Ambrosius ad disputandum *cum* Auxentio Ariano coram Imperatore Valentiniano vocatus, ire noluit; quia, inquit Ep. 32. *in causa fidei, vel ecclesiastici alicujus ordinis judicare debet, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo judicasse?* &c.

Pastor. par. 2. c. 4.

4. Ex parte modi requiritur modestia, & sincerus veritatis amor in disputante, adeo ut adversarios tam moribus vincat, quam rationum pondere: unde procul abesse debent injuriæ, æmulatio; & quidquid con-

ten-

tentionis, superbiæ & contemptus animum spirat. Et vero ne disputatio fructu careat, necessum est ut is, contra quem disputatur, grate audiat: *grate autem affici eum, qui injuriis afficitur, vix contingere potest*, ut belle notat S. Chrysost. Hom. 6. in 2. ad Timoth. 5.

His duo addit Sylvius: 1. eos qui cum infidelibus disputant, curare debere, ut quæ utrinque dicuntur, excipiantur a Notariis, ut sæpius a S. August. factum est. 2. rarissime expedire ut ineatur cum Hæreticis disputatio, cum hæc raro admodum felicem habuerit exitum, ut patet ex Tertull. L. de præscript. c. 14. Nicephoro Lib. 8. Hist. c. 13. & Socrate, qui merito animadvertit disputationem *non solum unire schismata, sed etiam hæreses & contentiones majores adducere*. Unde merito Tertullianus: *Hæretici*, inquit, *firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt*. Hac de causa abstinere debent Concionatores ab agitandis quasi in utramque partem fidei dogmatibus, ne, ut jam dixi, intelligantur objectiones, non vero responsa. Sylv. 2. 2. q. 10. a. 7.

Prob. 3. pars ex c. *De Hæret.* in 6. ubi sic loquitur Alexander IV. *Inhibemus quoque; ne cuiquam Laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare; qui vero contra fecerit; excommunicationis laqueo innodetur*; ergo jure positivo prohibitum est aliquibus, Laicis videlicet, ne disputent; idque sub pœna peccati mortalis, cum jus levi culpæ gravissimam excommunicationis pœnam non comminetur.

Hæc Conclusionis nostræ pars ab extraneis Theologis communiter extenditur. 1. ad Religiosos Laicos, qui non ad studia, sed ad opera domestica destinantur: ii enim vere & in rigore sunt Laici, & aliunde sufficienti doctrina carent. 2. ad Laicos etiam doctos: etsi enim respectu eorum cessset aliqua ratio legis prædictæ, non tamen omnis. Ratio enim adæquata legis, quæ prohibet ne Laicus ingerat se ad disputandum, est periculum tum disputantis tum auditorum: atqui si Laicis doctis permissa sit disputatio, subsistet periculum illud. Quoti enim Laici se satis doctos existimabunt, ut tuto disputare possint? Quoti de se confidenter & gloriose sentiunt, de aliis vero cum contemptu? Ad summum ergo ii disputare possent, quibus id permissum esset ab Episcopis, penes quos est judicium de scientia ad obeundum id munus necessaria.

Confirmatur duplici ratione. 1. prædicta Decretalis ut inutilis haberi non potest: esset autem inutilis, si nihil prohiberet de novo. Porro nihil prohiberet de novo, si Laicis solum imperitis disputationem prohiberet, cum hæc ipsis etiam indoctis Clericis jure naturali jam prohibita esset: 2. quia cessante in aliquo casu particulari legis fine, modo non contrarie, non cessat ipsa lex, ut dixi in Tract. de Legib. c. 5. sect. 6.

Duplex huic doctrinæ afferri solet limitatio. Nam 1. disputare potest Laicus cum Hæretico in casu necessitatis, aut magnæ utilitatis, puta cum absente Clerico, qui fidei partes tueri possit, refellendus est hæreticus, qui cum injuria fidei ejusque præjudicio loquitur. Ratio est, quia quoties in casu etiam particulari cessat finis legis *contrarie*, tunc & ipsa lex cessat: atqui in præsenti casu cessaret finis legis contrarie; quia tunc esset de re positive Ecclesiæ contraria & nociva; ergo in hoc casu posset, imo teneretur Laicus ad disputandum. 2. prædicta Ecclesiæ lex per usum contrarium abrogata videtur in regionibus, & Provinciis ubi grassantur hæreses: unde iis in locis, sub oculis & cum plausu Episcoporum, Laici vere capaces frequenter disputant cum Hæreticis. Ita Salmaticenses Tract. 21. c. 2. n. 136. quibus præiverant Valentia disp. 1. q. 10. punct. 4. Suarez & Lugo ibid. n. 142.

Su-

Supereſt ut paucis dicam de lectione librorum hæreticorum, circa quam ſit CONCLUSIO II. Lectio hujuſmodi librorum multis prohibita eſt jure naturali, & multo pluribus jure Eccleſiaſtico.

Prob. 1. pars, quia lectio hæc jure naturali iis omnibus eſt prohibita; quibus eſt periculoſa: atqui periculoſa eſt multis, cum pauci vafritiem, & tricas Hæreticorum, quorum ſermo ut cancer ſerpit, detegere valeant, pauciores ab eorum laqueis, & difficultatibus ſeſe expedire: ergo merito dixit Sylvius, rudes & in Theologia leviter inſtructos, quales, inquit, ſunt ii *fere omnes*, *qui duobus aut tribus* tantum *annis Theologiæ ſtuduerunt*, *non ſine gravi peccato legere poſſe iſtiuſmodi Libros*, *etiamſi nulla eſſet lex Eccleſiaſtica*.

Prob. 2. pars ex Bulla *Cum pro munere*, quam Pius IV. prædeceſſorum ſuorum, & præſertim Julii III. & Pauli IV. veſtigiis inſiſtens, promulgavit an. 1564. die 24. Martii; qua quidem Bulla omnibus quantacumque dignitate fulgentibus, exceptis pravitatis hæreticæ Inquiſitoribus, librorum hæreticorum lectio ſevere interdicitur. Idem habetur tum in Bulla Cœnæ Domini, tum in Indice librorum, ubi prohibetur etiam ſub excommunicationis pœna lectio eorum etiam *Hæreſiarchæ*, cujuſvis librorum, qui neque hæreſim continerent, neque tractant de Religione. Idem valet, ait Bonacina Tract. de excom. diſp. 2. q. 5. punct. 4. in eo, qui legit librum alicujus *Hæretici*; nondum approbatum, & examinatum a Theologis Catholicis juſſu Epiſcopi. Idem cum extraneis docet Sylvius.

Ib q. 81. a 3. p. 81.

Hæc autem excommunicatio incurritur. 1. ab iis, qui etſi lingua non exprimant id, quod legunt, percurrunt tamen oculis; nam & ii legere dicuntur. 2. & ab heris, qui præcipiunt famulis, ut ſibi tales libros legant. Si quis tamen, ait Sylvius, neque hæreſi neque hæretico favens, quempiam audiat tales libros legentem, valde probabile eſt, quod cenſuram non incurrat: tum quia is nec per ſe, nec per alium proprie legit; tum quia verba pœnalia ſtricte accipienda ſunt. Extendit hoc Sylvius, etiamſi, qui legentem audit, cauſa ſit, cur alter legat, quod tutum non videtur. 3. Cenſet idem Duacenſis Theologus, eum, qui partem aliquam libri hæretici memoriter recitaret, puta, qui Clementis Marot Pſalmos caneret ex memoria, immunem fore a cenſuris, ſi nec ſcriptorem laudare vellet, neque dicta ejus quaſi iis fidem adhibens referret; alioqui enim obnoxius eſſet excommunicationi contra hæreticorum fautores vel defenſores latæ. 4. Et is quoque cenſuræ expers judicari ſolet, qui in Catholicorum libris legit hæreticorum dicta ex eorum libris ad verbum deſumpta: idque verum eſt, ait Bonacina, etiamſi hæc legat animo imbibendi erroris. Idem docent Suarez, Azor, Sanchez, & Sylvius. Verum hæc deciſio, quam poſt Navarrum admittit etiam Ethica amoris, nec tuta eſt, nec multum probabilis: utique enim cenſuram incurreret, qui verba libri hæretici ex libro catholico ſolitarie tranſcripta, aut etiam typis mandata perlegeret; quia is vere legeret ſcriptum vel librum hæreticum, aut partem ejus. Quare ergo cenſuram non incurrat, qui in libro catholico legit eadem verba ſolitarie ſumpta, & independenter ab antidoto ibidem contra venenum præparato? Sane liber Catholici tunc ſeſe habet per accidens, cumque periculum non minuat, nec cenſuram auferre poſſe videtur. 5. Etſi exiſtimet Sylvius eum, qui librum hæreticum legit eo ſcriptum idiomate, quod non intelligit, ſubjacere cenſuræ, quia prohibitio librorum hæreticorum non ſolum eſt ad præcavendum erroris periculum, ſed & ad deteſtationem hæreſeos; mihi tamen probabilius eſt nullam

Ethic. l. 2. p. 1. n. 278. p. 140.

hic

hic incurri censuram, quia lectio hæc non formalis est, sed prorsus materialis. Ita Eticha ibid. n. 276. *Dummodo*, inquit, *non legat coram aliis idioma intelligentibus*. 6. Qui legeret librum auctoris Catholici, cui addita essent scholia auctoris hæretici fidei contraria, is si etiam scholia legeret, non esset a censura immunis, quia volumen illud duos, ut ita dicam, continet libros, quorum alter est auctoris hæretici. Ita auctor Ethices, qui cum Sanchez, Ugolino, & aliis passim, eum etiam subjicit censuræ, qui solum libri proœmium, vel Epistolam dedicatoriam legeret: tum quia prohibito libro, quælibet ipsius pars prohibita censetur: tum quia periculum est, ne lectio proœmii vel Epistolæ dedicatoriæ, quæ vulgo magna cum arte exarata sunt, ad reliqui operis lectionem trahat: excipit idem auctor, nisi excuset materiæ levitas.

Sanch. L. 2. Decal. c.10.n.30.

Verum hic movetur difficultas seria, an scilicet in lectione libri hæretici detur materiæ parvitas. Affirmant multi, sed in assignando parvitatis hujus gradu plurimum inter se differunt. Sanchez, cœteris liberalior, magni folii lectionem a mortali, ac proinde a censura excusat; Ariaga nonnisi parvum folium permittit; Azor unum dumtaxat, vel alterum versiculum; Sayrus decem lineas, Suarez duas vel tres; ego cum Ethica amoris, ne unam quidem. Ratio est quia libri hæretici præcipue & communiter prohibentur ob periculum seductionis, a quo nemo nisi superbior, & hoc ipso decipi facilior, immunem se æstimare debet in materia tam lubrica, in qua Romani Pontifices ne ipsis quidem Cardinalibus, & Episcopis fidunt: atqui periculum illud in qualibet libri hæretici parte rationabiliter timeri potest: una enim linea continere potest, vel gravissimæ contra fidem probationis initium, vel antecedentes plurimas maximi momenti consequentias inferens; unde vel dubium grave, vel ingens plura legendi prurigo enascatur; ergo cum ille, qui hæreticum librum aperit, ignoret quam in periodum oculos ad aperturam conjicere possit, ac proinde quo in loco lateat respectu sui periculum, quod Ecclesia præcaveri voluit, consequens est, quod graviter se exponat, & proinde quod graviter peccet, sicque censuram incurrat.

Secundum hanc regulam judicandum est de lectione librorum impurorum, vel aliunde periculosorum, quales sunt libri multi Romanenses, fictæ Fontanii historiæ. Dictionarium Bailii, quo tota Christi Religio concutitur, & cujus lectione novimus non ita pridem subversam fuisse adolescentis alicujus mentem, qui in Deismo, vel Atheismo misere mortuus est.

Contes de la Fotaine

De modo, quo Athæi, Pagani, Judæi, ac præsertim Hæretici ad fidem catholicam perducendi sunt, legatur Henricus a S. Ignatio ibidem cap. 34. & sequentib. utiliter quoque consuletur breve opus, quod inscribitur: *Mèthode courte & facile pour rapeller à l'unitè de l'Eglise ceux qui en sont sèparès*, auctore Dom. Michel, Seminarii S. Firmini, alias Bonorum-Puerorum olim Superiore.

Burdigalæ typis de la Court. 1728.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Spe.

FIdem sequitur spes, a qua, ut apposite notant Salmanticenses, paucis se expediunt morales Theologi, quia præcipuæ, quæ in hujus virtutis indagatione suboriuntur difficultates, ad Scholasticos pertinent.

Ut

Ut ergo, quæ nostri sunt instituti, persequamur, sufficiet inquirere, 1. quid sit spes, & quomodo dividatur. 2. quodnam sit ejus objectum. 3. quod subjectum. 4. quæ ipsius proprietates. 5. qui sint ejus effectus. 6. quæ vitia eidem adversentur.

SECTIO PRIMA.

De natura & divisione spei.

Ad Tit. c. 4. Spei nomen multiplici sensu accipitur: & quidem 1. pro re ipsa, quæ speratur; ut cum ait Apost. *Expectantes beatam spem.* 2. pro causa sive primaria, sive secundaria, cui spes nostra innititur, ut Psal. 60. *Factus es, Domine, spes mea, turris fortitudinis.* Et in Officio beatæ Virginis, *Spes nostra salve.* 3. pro habitu, vel actu sperandi, ut apud Apostolum I. Cor. 13. *Manent tria hæc, fides, spes, &c.* & Job. 19. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Spes hoc sensu sumpta, spectari potest vel generice, vel specifice.

Spes generice sumpta definitur a Philosophis: Desiderium efficax boni absentis, ardui, & possibilis, cum fiducia illius assequendi; seu, ut aliis placet, Motus appetitus efficaciter prosequentis bonum absens, arduum, & possibile: cum fiducia assecutionis.

12. q. 40. a. 3. Dicitur 1. *motus*, id est tendentia, qua *appetitus*, sive sensitivus, ut in belluis, juxta S. Thomam, sive rationalis, ut in homine, fertur in bonum sibi propositum, id est in objectum aliquod, quod apprehendit ut naturæ suæ conveniens: ex quo inferes spem non pertinere ad intellectum, cum intellectus pro objecto habeat verum, non autem bonum.

Dicitur 2. *efficaciter prosequentis*; quia spes necessario distinguitur tum a pura velleitate, tum a simplici complacentia, quales esse possunt in plebejo regiam majestatem & fastum contemplante; & qui tametsi hæc utcumque sibi exoptet, non tamen sperat. Ad spem ergo necesse est, ut quis efficaci desiderio, & per media necessaria & proportionata in objectum sese ferat, quod est efficaciter objectum prosequi.

S Thom. ibid a. 1. Dicitur 3. *bonum absens*, & sic spes differt tum a timore, *qui est de malo*, tum ab amore, qui est boni præsentis, sicut & absentis; tum a gaudio, quod est fruitio boni præsentis & possibilis. Unde licet spes ex amore procedat, non potest esse nisi boni nondum possessi, ac proinde absentis, juxta id Apostoli: *Spes, quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?*

Rom. 8. Dicitur 4. *arduum*, id est obtentu difficile. Hoc sensu spes distinguitur a desiderio simplici; nam desiderium versatur quidem circa bonum absens, sed

Ibid. simul versatur circa bonum obtentu facile: *Non enim*, ut ait S. Thomas, *aliquis dicitur sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat.* Sic dives esuriens v. g. desiderat, sed proprie non sperat alimenta, quia novit ea sibi apponenda esse statim ut volet; pauper vero ea desiderat & sperat, quia scit hæc sibi comparanda esse, vel in sudore vultus, vel precibus multis quibus divitum duritiem flectat. Hinc Philosophi desiderium reponunt in appetitu *concupiscibili*, qui bonum facile obtinet, aut malum facile devitat; spem vero in appetitu *irascibili*, quem ita appellant, quia quasi irritatur difficultatibus, & ad eas superandas stimulatur & accenditur. Ergo spes consistit quidem in desiderio; cum sperare sit velle sibi bonum; & velle sibi bonum, sit desiderare; sed simul *supra desiderium addit quem-*

dam

dam conatum, & quamdam animi elevationem ad consequendum bonum arduum. Vid. P. Simonnet tom. 5. p. 188. & seq.

Dicitur 5. *possibile*; quia, ut notat Doctor Scholæ, *nullus movetur ad id quod æstimat impossibile adipisci*. Et vero inpossibilitas finis obtinendi desperationem creat, & spem abigit: unde obiter inferes, nullum spei actum ab iis elici posse, qui persuasum habent mandata Dei sibi secundum præsentes, quas habent, vires, conantibus & volentibus, esse impossibilia. S. Thom. 1.2. q.23. art.1.

Dicitur 6. *cum fiducia assequendi*, quia nemo efficaciter intendere potest id, cujus consequendi nullam habet fiduciam: unde is solum proprie sperat, qui, non obstante objecti arduitate, confidit se ipsum assequi posse, sive per proprias vires, sive aliena ope, quam sibi ad superandas difficultates adfuturam esse prudenter judicat.

His præmissis facilior erit spei specifice consideratæ definitio. Itaque

Spes theologica merito definitur: Virtus theologica, per quam certa cum fiducia expectamus a Deo tum beatitudinem æternam, tum media illius consequendæ.

1. Quidem spes est *virtus*, quia facit habentem se & actum ejus, bonum: bonum enim est tendere in Deum, & auxilio ejus inniti. Unde id Psal. 33. *Beatus vir qui sperat in eo*; & Psal. 117. *Bonum est sperare in Domino*.

Præterea, habitus de se inclinans ad bonum est virtus: atqui spes de se inclinat ad bonum. Inclinat enim ad possessionem Dei tanquam finis nostri ultimi; quod certe bonum est: quia si bonum est Deo ut fine ultimo perfrui, utique bonum est Deum ut ultimum finem exoptare & in eum toto mentis impetu ferri.

Nec nocet, quod spes reperiatur in peccatoribus, qui qua tales boni non sunt. Virtus enim non dicitur *facere bonum habentem se*, quasi quælibet virtus hominem simpliciter & absolute perfectum efficiat; sed quia nulla est virtus, quæ hominem non perficiat in genere suo; & id ipsis quoque peccatoribus convenit, qui licet, ut peccatores, mali sint & contemnendi, ut tamen in Deo sperant, laudabiles sunt & hoc sensu boni. Unde se habent virtutes eo fere modo, quo sidera, quæ omnia quidem lumen suum emittunt; sed alia ut sol, tale ac tantum ut tenebras omnes expellant, alia longe minus, adeo ut nonnisi aliquam tenebrarum partem excutiant. Vide quæ dixi tom. 1. in Tract. de virtutibus moralibus.

2. Est virtus *theologica*, ac proinde supernaturalis & divinitus infusa, quia pro objecto immediato habet Deum ut summum hominis bonum, & supernaturaliter possidendum. Unde Apostolus: *Deus spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus sancti*. Rom. 15.

3. *Per quam certa cum fiducia expectamus &c.* quia spes Dei promissis potenter innixa, animam tentationibus quasi procellis obrutam, firmat velut anchora medios inter fluctuum æstus inconcussa, juxta id Apostoli: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*. Sed de hac spei certitudine dicam paulo infra. Heb. 5. v. 19. & 20.

4. Per quam expectamus *a Deo*; quia beatitudo solis naturæ viribus comparari nequit, cum, ut bene docet S. Thomas, *infinitæ virtutis* sit, *ad infinitum bonum perducere*. Quest. 17. art. 2.

5. Expectamus *beatitudinem & media illius obtinendæ*, quæ verba exhibent duplex spei objectum, aliud primarium, quod est ipsa Dei possessio; secundarium aliud, quod & a Deo & a nobis dependet. A Deo quidem,

quia

quia sine ejus gratia nihil possumus; a nobis vero, quia unusquisque satagere debet, ne gratia Dei in vacuum recipiat. Verum de objecto spei expressius loquemur sectione sequenti.

Spes sicut & fides dividitur in *formatam* & *informem*. Formata ea est, quæ in justis cum charitate conjuncta reperitur: informis vero ea est, quæ reperitur in Christianis, qui a charitate exciderunt per peccatum, modo peccatum illud non sit desperationis; quia sicut fides per peccatum infidelitatis destruitur, sic & spes per peccatum desperationis extingui debet. Quæritur an hæc spei divisio sit legitima; seu, quod in idem recidit, an spes informis sit vera spes, & virtus theologica, ac donum Dei supernaturale.

R. affirmative, & prob. 1. ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 2. ubi de peccatoribus dicitur, quod *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*. Unde sic: Qui in spem eriguntur, quique confidunt Deum sibi propitium fore, non sunt vera spe destituti: atqui tamen iidem adhuc sunt peccatores, cum sperent peccata sua sibi intuitu meritorum Christi remittenda esse: ergo.

Prob. 2. Spes est virtus, per quam homo fidelis vitam æternam expectat a Deo: atqui talis virtus in homine etiam peccatore subsistere potest. Potest enim peccator sperare se gratiæ auxilio ad meliorem frugem reversurum esse, & consequenter se peracta pœnitentia consecuturum esse vitam æternam, quam Deus sincere pœnitentibus & toto corde conversis promisit: ergo. Vide quæ dixi in citato Tract. de virtutibus cap. 1. p. 15.

Dices 1. Ex Proverb. cap. 24. *non habent futurorum spem mali*: ergo.

R. per *malos* eos hic intelligi, qui nec in Deum, nec in alteram vitam credunt, & qui proinde nec fidem nec spem ullam habere possunt; vel si de malis Judæis sermo sit, sensum esse, quod ita se gerant ac si futuræ vitæ nec prœmia expectarent, nec suplicia vererentur: quod etiamnum Christianis innumeris contingit, qui etsi fidei & spei habitum non amiserint, vix tamen ullos utriusque virtutis actus eliciunt, & hoc sensu dici possunt vivere sine fide, & sine spe.

Dices 2. Ubi deest causa, deesse debet & effectus: atqui in peccatoribus deest causa spei. Nam causa spei est charitas, ut docet tum S. Ambrosius
In cap. 7. Luc. his verbis: *Ex fide charitas, ex charitate spes*; tum Apostolus Rom. 7. *Probatio spem operatur: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*: atqui peccatoribus non est charitas; ergo nec spes.

R. 1. ad 1. neg. maj. potest enim causa cessare, & sic deesse, absque eo quod desinat effectus ejus: cum ergo Fideles, qui in baptismo justificati sunt, charitatem aliquando habuerint, potuerunt ab ea excidere, absque eo, quod exciderint a spe.

R. 2. neg. min. ad 2. dist. charitas est causa spei formatæ & perfectæ, quia ii melius & majori cum fundamento æternæ vitæ bona præstolantur, qui Deum ex toto corde, & ex totis viribus diligunt, C. charitas est necessario causa fidei cujuslibet etiam imperfectæ. N. Solutio est S. Thomæ. *Charitas*, ait S. Do-
2. 2. q. 17. a. 8. ctor, *secundum ordinem perfectionis prior est naturaliter* spe; *& ideo adveniente charitate, spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus; & hoc modo dicit Ambrosius, quod spes est ex charitate*. At vero *in via generationis spes est prior charitate, quia sicut aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipso puniri cessat a peccato, ut Augustinus dicit: ita etiam spes introducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo, accen-*

accenditur ad amandum Deum: ergo charitas non semper est causa spei; sed sæpius spes est causa charitatis.

SECTIO SECUNDA.

De objecto spei.

NUlla est difficultas de objecto materiali. Patet enim ex dictis primarium spei objectum esse Deum, secundarium vero esse media omnia seu spiritualia seu temporalia, per quæ Deus decrevit homines adducere ad sui possessionem. Temporalia spiritualibus adjungo, quia licet hujus vitæ bona sæpius sint impedimenta salutis, possunt tamen Deo sic ordinante ejusdem salutis adjumenta esse. Hinc Sanctorum alii per egestatem regnum Dei comparaverunt; alii per divitias, quas per pauperum manus in cœlestes thesauros transtulerunt: unde temporalia bona non propter se & absolute, sed relative & ex affectu ad vitam æternam quæri, & à Deo postulari debent, ut alibi docuimus. An autem Deus ipse sit primarium spei objectum, ut communiter docent Theologi; an non potius objectum illud sit is ille actus, quo Deum possessuri sumus, ut Durando placet, expendunt Scholastici, & inter alios Suarez in Tractatu de spe sect. 1. n. 4. superest ergo ut dicamus de objecto formali spei, circa quod major, majorisque momenti exurgit difficultas. Tom. 2.

Porro variæ sunt ea de re Theologorum opiniones. Prima eorum est, qui censent *arduitatem*, ut vocant, seu difficultatem Dei possidendi esse *rationem formalem sub qua*; vel, ut alii loquuntur, *objectum motivum* spei theologicæ. Pro hac sententia citantur Richardus & S. Bonaventura. Secunda est eorum, qui volunt rationem formalem spei esse bonitatem objecti sperati, non quidem absolute sumptam, sed prout relativa est ad personam sperantem, cui utilis est & conveniens. Ita Scotus & alii quidam juniores. Tertia illorum est, qui existimant omnipotentiam Dei ut auxiliantem, esse rationem formalem sub qua spei, sicut veritas prima ut revelans, est objectum formale fidei. Ita post Vasquem Meratius tom. 2. disp. 30. Gonet disp. 9. art. 3. & Thomistæ communiter. Quarta posteriores duas opiniones complectitur, & præsupponens duo, saltem æquivalenter reperiri in actu spei, nempe desiderium beatitudinis, & nisum in illam, reponit objectum formale adæquatum spei in complexo tum ex bonitate Dei respectiva, tum ex infinita ea virtute, qua paratus est nobis auxiliari, nosque contra innumeras, quæ in salutis negotio observantur, difficultates tueri & protegere. His positis, sit

CONCLUSIO I. Arduitas objecti sperati non est ratio formalis spei.

Prob. Ratio formalis virtutis alicujus ea est, cui virtus illa innititur tanquam medio, & propter quam eadem virtus ad actum reducitur; sic eliciuntur actus fidei & charitatis, tum ob auctoritatem Dei loquentis, tum ob infinitam ejus bonitatem: atqui eadem arduitas non est medium, cui innititur spes nostra, neque est id, propter quod spes ad actum reducitur; cum econtra arduitas sæpius retrahat a sperando, fitque motivum desperationis, ut sæpe docet S. Thomas, & sæpius experientia: ergo.

Prob. 2. Se habet arduitas respectu spei, sicut obscuritas respectu fidei: atqui obscuritas non est ratio formalis, sub qua fides objectum suum attingit, sed tantum conditio seu modus objecto fidei inhærens: ergo à pari arduitas est solum modus spei objecto inhærens. Porro evidens est non id

omne, quod intrinsecus est objecti modus, formalem ejus rationem ingredi, sed id solum, quod est ratio primaria & specifica, sub qua objectum aliquod consideratur. Sic tametsi corpus prout est medicinæ objectum, sit extensum physice, corpus tamen prout physice extensum, non est objectum medicinæ, quia ratio specifica, sub qua medicina corpus attingit, est ejusdem sanabilitas, non autem extensio: ergo.

Confirmatur: Illud solum, ut jam dixi, rationem formalem spei ingredi debet, quo ut motivo mens determinatur ad prosecutionem objecti sperati: atqui arduitas non est motivum mentem determinans; quia non tam habet rationem boni, quam mali, ideoque nata est movere non ad prosecutionem, sed ad fugam beatitudinis: ergo non potest primario ingredi objectum formale spei, quæ essentialiter est actus boni prosecutivus. Arduitas ergo non est nisi circumstantia beatitudinis, quæ necessaria quidem est ad spem, cum spes versari non possit nisi circa objectum arduum & difficile; sed quæ formalem spei rationem non constituit, quia mens non movetur in objectum per arduitatem ejus, sed per ejus bonitatem & auxilium Dei, ut statim dicam.

CONCLUSIO II. Bonitas Dei relativa non est adæquatum spei objectum formale.

Prob. Ratio formalis virtutis theologicæ ea est, in quam prædicta virtus ultimate resolvitur. Sic ratio formalis fidei est Dei testificantis auctoritas, quia non credimus nisi propter eam auctoritatem; unde interrogatus quis quare credat, illico reponit se credere, quia Deus revelavit: atqui spes adæquate sumpta, non resolvitur ultimate in bonitatem objecti sperati. Si enim spes ultimate resolveretur adæquate & secundum se totam in bonitatem rei speratæ, interrogatus quis quare speret, respondere deberet se sperare, quia res sperata sibi commoda est & conveniens: porro nemo est sanæ mentis, qui respondere possit se sperare assecutionem rei, præcise quia bonum est, ut rem illam assequatur. Dicere quidem poterit se rem amare aut desiderare eo, quod hæc sibi bona sit; at non dicet, si sapit, se hanc eadem de causa sperare. Sic nemo ægrotus aut mercator eo præcise valetudinem aut divitias sperat, quod sibi bonum sit vel valere, vel divitem esse; sed utique quia confidit se medici aut propriæ industriæ auxilio posse bona hæc assequi: ergo.

At, inquies, actus spei importat actum desiderii; adeoque in actu spei duo occurrunt, desiderium scilicet objecti, & tendentia in illud, vel saltem occurrit unum aliquid his duobus æquivalens: atqui ratio desiderandi optime resolvitur in bonitatem relativam rei, cum ex mox dictis interrogatus quare quidpiam desiderem, respondere possim, me id desiderare, quia bonum mihi sit: ergo.

R. hinc sequi bonitatem relativam esse rationem formalem spei inadæquate sumptæ, non autem ejusdem secundum se totam consideratæ. Unde sit

CONCLUSIO III. Objectum formale spei, prout spes est desiderium efficax beatitudinis, est bonitas Dei respectiva: objectum vero formale ejusdem spei, prout est tendentia, nisus, &, ut ita loquar, mentis erectio adversus difficultates, quæ a consequenda beatitudine retardant, est virtus Dei auxiliatrix; non quidem simpliciter, sed prout per divinam promissionem nobis quodammodo obligata.

Prob. 1. pars, 1. ratione mox proposita. 2. quia desiderium est essentialiter motus animi bonum aliquod qua tale prosequentis: ergo spes theologica, prout est desiderium, tendere debet in Deum qua bonum: atqui non tendit in Deum quatenus absolute & simpliciter in se bonus est: is

enim

enim Deum prosequendi modus, pertinet ad charitatem, quæ Deum propter Deum diligit: ergo spes tendit in Deum prout nobis bonus est & conveniens.

Prob. 2. pars. Illud est *ratio sub qua* spei, cui spes innititur tanquam medio obtinendi vitam æternam; quemadmodum illud est ratio sub qua fidei, quod est ratio & motivum assentiendi veritatibus revelatis: atqui spes virtuti Dei auxiliatrici, prout sibi per divinas promissiones quodammodo obligatæ, innititur tanquam medio beatitudinis obtinendæ. Ideo enim spero vitam æternam, quia confido & Deum satis esse potentem ut mihi conferat gratias, quarum ope beatitudinem consequi valeam, & satis in me misericordem, ut non solum conferre eas possit, sed & de facto conferre velit. Hinc Psaltes in medium spei assumit auxilium Dei, non possibile dumtaxat, sed certum & quoties opus fuerit, præsto futurum: *Deus meus*, inquit, *adjutor meus, & sperabo in eum*. Hinc Deus ipse ut Abrahæ animum ad sperandam beatitudinis mercedem erigeret, suam ei protectionem spondet: *Ego*, inquit, *sum protector tuus, & merces tua magna nimis*. Hæc omnia clare & paucis expressit Angelus Scholæ: *Sicut*, ait, *objectum formale fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his, quæ dicuntur; ita objectum formale spei est auxilium divinæ pietatis & potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei*; in qu. disp. q. unica de spe art. 1. *Psal.* 117. *Gen.* 15.

Obj. 1. Objectum spei debet esse Deus ipse; alioqui spes non erit virtus theologica, cui essentiale est ut Deum ipsum immediate attingat: atqui virtus Dei auxiliatrix non est ipse Deus, sed aliquid creatum a Deo dimanans: ergo virtus auxiliatrix non est objectum formale spei etiam inadæquatum.

R. 1. necesse non est ut virtus theologica solum Deum habeat pro objecto, sed sufficit ipsum habeat pro objecto partiali primario, ita ut tamen Deus ipse sit ratio per quam eadem virtus in alia objecta minus præcipua tendit: idque evidens est, tum in fide, tum in charitate, quarum prior pro objecto habet, non Deum modo, sed & id omne, quod revelatum est; posterior vero attingit bonum omne, quod creatura Creatori propter ipsum velle potest.

R. 2. neg. min. nam objectum spei non est solum auxilium creatum & extra Deum existens, quo Deus nobis succurrit, sed & ipsa increata Dei omnipotentia atque bonitas, prout gratiæ ad debellandos salutis nostræ hostes necessariæ fons & origo: unde se habet gratia nobis in tempore concessa, ad spem, sicut se habet revelatio exterior ad fidem: ergo sicut fides ita innititur externæ Dei revelationi, ut simul quoque increatæ ejusdem veracitati innitatur; sic spes ita creato Dei auxilio confidit, ut ulterius iis innitatur Dei attributis, a quibus auxilium illud descendit, potestati scilicet & pietati divinæ, ut supra docebat S. Thomas. Vide Meratium ibid. Sect. 3.

Inst. Auxilium Dei, quod spei naturam ingreditur, non potest esse nisi gratia efficax; alioqui spes incerta esset: atqui auxilium efficax non potest esse spei motivum, nec ex parte sui ipsius, nec ex parte Dei, cum Deus suis etiam amicis gratiam efficacem sæpe deneget: ergo ratio formalis spei in auxilio Dei reponi nequit.

R. neg. maj. & dico spei motivum esse gratiam, quæcumque ea sit, modo certus sit homo eam sibi defuturam non esse, nisi prior ipse eidem defuerit. Hæc veritas, quam acriter impugnat auctor quatuordecim Epistolarum contra Documentum Pastorale Emin. Cardinalis de Bissy adversus Theo-

 log-

omne, quod intrinsecus est objecti modus, formalem ejus rationem ingredi, sed id solum, quod est ratio primaria & specifica, sub qua objectum aliquod consideratur. Sic tametsi corpus prout est medicinæ objectum, sit extensum physice, corpus tamen prout physice extensum, non est objectum medicinæ, quia ratio specifica, sub qua medicina corpus attingit, est ejusdem sanabilitas, non autem extensio: ergo.

Confirmatur: Illud solum, ut jam dixi, rationem formalem spei ingredi debet, quo ut motivo mens determinatur ad prosecutionem objecti sperati: atqui arduitas non est motivum mentem determinans; quia non tam habet rationem boni, quam mali, ideoque nata est movere non ad prosecutionem, sed ad fugam beatitudinis: ergo non potest primario ingredi objectum formale spei, quæ essentialiter est actus boni prosecutivus. Arduitas ergo non est nisi circumstantia beatitudinis, quæ necessaria quidem est ad spem, cum spes versari non possit nisi circa objectum arduum & difficile; sed quæ formalem spei rationem non constituit, quia mens non movetur in objectum per arduitatem ejus, sed per ejus bonitatem & auxilium Dei, ut statim dicam.

CONCLUSIO II. Bonitas Dei relativa non est adæquatum spei objectum formale.

Prob. Ratio formalis virtutis theologicæ ea est, in quam prædicta virtus ultimate resolvitur. Sic ratio formalis fidei est Dei testificantis auctoritas, quia non credimus nisi propter eam auctoritatem; unde interrogatus quis quare credat, illico reponit se credere, quia Deus revelavit: atqui spes adæquate sumpta, non resolvitur ultimate in bonitatem objecti sperati. Si enim spes ultimate resolveretur adæquate & secundum se totam in bonitatem rei speratæ, interrogatus quis quare speret, respondere deberet se sperare, quia res sperata sibi commoda est & conveniens: porro nemo est sanæ mentis, qui respondere possit se sperare assecutionem rei, præcise quia bonum est, ut rem illam assequatur. Dicere quidem poterit se rem amare aut desiderare eo, quod hæc sibi bona sit; at non dicet, si sapit, se hanc eamdem de causa sperare. Sic nemo ægrotus aut mercator eo præcise valetudinem aut divitias sperat, quod sibi bonum sit vel valere, vel divitem esse; sed utique quia confidit se medici aut propriæ industriæ auxilio posse bona hæc assequi: ergo.

At, inquies, actus spei importat actum desiderii; adeoque in actu spei duo occurrunt, desiderium scilicet objecti, & tendentia in illud, vel saltem occurrit unum aliquid his duobus æquivalens: atqui ratio desiderandi optime resolvitur in bonitatem relativam rei, cum ex mox dictis interrogatus quare quidpiam desiderem, respondere possim, me id desiderare, quia bonum mihi sit: ergo.

R. hinc sequi bonitatem relativam esse rationem formalem spei inadæquate sumptæ, non autem ejusdem secundum se totam consideratæ. Unde sit

CONCLUSIO III. Objectum formale spei, prout spes est desiderium efficax beatitudinis, est bonitas Dei respectiva: objectum vero formale ejusdem spei, prout est tendentia, nisus, &, ut ita loquar, mentis erectio adversus difficultates, quæ a consequenda beatitudine retardant, est virtus Dei auxiliatrix; non quidem simpliciter, sed prout per divinam promissionem nobis quodammodo obligata.

Prob. 1. pars, 1. ratione mox proposita. 2. quia desiderium est essentialiter motus animi bonum aliquod qua tale prosequentis: ergo spes theologica, prout est desiderium, tendere debet in Deum qua bonum: atqui non tendit in Deum quatenus absolute & simpliciter in se bonus est: is

enim

enim Deum prosequendi modus, pertinet ad charitatem, quæ Deum propter Deum diligit: ergo spes tendit in Deum prout nobis bonus est & conveniens.

Prob. 2. pars. Illud est *ratio sub qua* spei, cui spes innititur tanquam medio obtinendi vitam æternam; quemadmodum illud est ratio sub qua fidei, quod est ratio & motivum assentiendi veritatibus revelatis: atqui spes virtuti Dei auxiliatrici, prout sibi per divinas promissiones quodammodo obligatæ, innititur tanquam medio beatitudinis obtinendæ. Ideo enim spero vitam æternam, quia confido & Deum satis esse potentem ut mihi conferat gratias, quarum ope beatitudinem consequi valeam, & satis in me misericordem, ut non solum conferre eas possit, sed & de facto conferre velit. Hinc Psaltes in medium spei assumit auxilium Dei, non possibile dumtaxat, sed certum & quoties opus fuerit, præsto futurum: *Deus meus*, inquit, *adjutor meus, & sperabo in eum*. Hinc Deus ipse ut Abrahæ animum ad sperandam beatitudinis mercedem erigeret, suam ei protectionem spondet: *Ego*, inquit, *sum protector tuus, & merces tua magna nimis*. Psal. 17. Gen. 15. Hæc omnia clare & paucis expressit Angelus Scholæ: *Sicut*, ait, *objectum formale fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his, quæ dicuntur; ita objectum formale spei est auxilium divinæ pietatis & potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei*; in qu. disp. q. unica de spe art. 1.

Obj. 1. Objectum spei debet esse Deus ipse; alioqui spes non erit virtus theologica, cui essentiale est ut Deum ipsum immediate attingat: atqui virtus Dei auxiliatrix non est ipse Deus, sed aliquid creati a Deo dimanans: ergo virtus auxiliatrix non est objectum formale spei etiam inadæquatum.

R. 1. necesse non est ut virtus theologica solum Deum habeat pro objecto, sed sufficit ipsum habeat pro objecto partiali primario, ita ut tamen Deus ipse sit ratio per quam eadem virtus in alia objecta minus præcipua tendit: idque evidens est, tum in fide, tum in charitate, quarum prior pro objecto habet, non Deum modo, sed & id omne, quod revelatum est; posterior vero attingit bonum omne, quod creatura Creatori propter ipsum velle potest.

R. 2. neg. min. nam objectum spei non est solum auxilium creatum & extra Deum existens, quo Deus nobis succurrit, sed & ipsa increata Dei omnipotentia atque bonitas, prout gratiæ ad debellandos salutis nostræ hostes necessariæ fons & origo: unde se habet gratia nobis in tempore concessa, ad spem, sicut se habet revelatio exterior ad fidem: ergo sicut fides ita innititur externæ Dei revelationi, ut simul quoque increatæ ejusdem veracitati innitatur; sic spes ita creato Dei auxilio confidit, ut ulterius iis innitatur Dei attributis, a quibus auxilium illud descendit, potestati scilicet & pietati divinæ, ut supra docebat S. Thomas. Vide Meratium ibid. Sect. 3.

Inst. Auxilium Dei, quod spei naturam ingreditur, non potest esse nisi gratia efficax; alioqui spes incerta esset: atqui auxilium efficax non potest esse spei motivum, nec ex parte sui ipsius, nec ex parte Dei, cum Deus suis etiam amicis gratiam efficacem sæpe deneget: ergo ratio formalis spei in auxilio Dei reponi nequit.

R. neg. maj. & dico spei motivum esse gratiam, quæcumque ea sit, modo certus sit homo eam sibi defuturam non esse, nisi prior ipse eidem defuerit. Hæc veritas, quàm acriter impugnat auctor quatuordecim Epistolarum contra Documentum Pastorale Emin. Cardinalis de Bissy adversus Theolog-

logicas Jvenini Institutiones datum an. 1710. hæc, inquam, veritas diserte traditur a Concilio Trid. sess. 6. cap. 13. his verbis: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debent; Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet*. Ergo auxilium, cui innititur spes nostra, tale est, ut ei homines deesse possint, & sæpius desint, ac proinde non est gratia efficax, cui homo nunquam resistit. Idipsum luculente docet S. Thomas: *Objectum spei*, inquit, *est uno modo beatitudo æterna, & alio modo divinum auxilium ..... & utrumque eorum proponitur nobis per fidem, per quam innotescit, quod ad vitam æternam possimus pervenire, & quod ad hoc paratum est nobis divinum auxilium*. Quæro an fides doceat paratam esse nobis gratiam efficacem, quæ tot hominum miriadibus deest. Vide aliud Pastorale Documentum citati Cardinalis contra prædictas Epistolas, datum an. 1716. p. 3. & seq.

Ibid q. 17. art. 7.

Quæ sit fidei certitudo, & qualiter hæc cum systemate nostro concilietur, dicam inferius. Unum annotare sufficiat, impossibilem esse spei theologicæ actum in systemate Janseniano: spes enim non nititur sola Dei omnipotentia & bonitate, sed præcipue ejus promissis, ut expresse docet Catechismus Meldensis * ab Illustr. Bossueto compositus: ergo sublata Dei promissione necesse est spem tolli: jam vero nulla est Dei promissio de danda cuipiam gratia efficaci: ergo spes sola gratia efficaci inniti non potest.

Obj. 2. Idem non est objectum materiale simul & formale spei: atqui auxilium divinæ pietatis est objectum materiale spei, cum illud auxilium possit & debeat a nobis sperari: ergo auxilium illud non potest esse objectum formale spei.

R. neg. maj. quia, quod sub uno respectu est objectum materiale, sub alio esse potest objectum formale. Sic v. g. revelatio est objectum formale fidei: atqui tamen eadem revelatio potest esse, & est de facto objectum materiale ejusdem fidei: potest enim fide divina credi tale mysterium, puta incarnationem, in hoc vel illo Scripturæ loco revelatum esse: ergo a pari id, quod sub uno respectu est objectum materiale spei, sub alio esse potest ejusdem objectum formale. Vide Meratium, disp. 31. sect.

SECTIO TERTIA.

De subjecto spei.

DE subjecto spei hæc paucis tradimus, quæ alii latius expendunt.

1. Spes reperitur in omnibus viatoribus, nisi sint Infideles, Hæretici, aut de salute sua desperantes. Ratio primæ partis est, quia Christiani viatores, vel sunt justi, & tunc omni virtutum theologicarum numero & apparatu instructi esse debent; vel sunt peccatores, & in his perseverat spes, nisi vel excidant a fide, quæ spei & charitatis fundamentum est, vel in desperationem spei capitaliter infensam abeant, ut paulo ante dictum est. Ratio secundæ partis est, quia fides est fundamentum spei: porro nec Infideles, nec Hæretici fidem habent theologicam: ergo nec spem theologicam habere possunt, sed naturalem solum & acquisitam, quæ est amor quidam naturalis summi boni, & humana quædam in ipsum tendentia.

2. Remanet spes in animabus, quæ purgatoria flamma torquentur. Ratio est 1. quia

* D. Pourquoi dites-vous que vous esperez la vie eternelle que Dieu a promise ? R. Parce que la promesse de Dieu est le fondement de notre esperance. *Catech. Meld. 3. p. 161. n. 27.*

1. quia eædem animæ fidem, quæ spei fundamentum est, conservant, cum non videant facie ad faciem. 2. quia ubi occurrit expectatio boni absentis, & ita ardui ut nonnisi per graves cruciatus obtineri possit, ibi spem occurrere oportet: atqui animæ *purgantes* expectationem hanc habent. Idem eadem de causa dicendum de animabus Patriarcharum, quæ ante Christi passionem tenebantur in lymbo: unde Sap. 3. *spes illorum immortalitate plena* esse dicebatur. Nec nocet certitudo futuræ gloriæ: hæc enim spem non evertit; alioqui Beata Virgo vixisset sine spe; unde si cui futura sua beatitudo revelata esset, non desineret sperare.

3. Nulla manet spes in damnatis: tum quia ad eorum damnationem pertinet ut de ejusdem perpetuitate certi sint, juxta id Job 15. v. 22. *Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem*; tum quia damnati non possunt salutem suam apprehendere ut possibilem; tum denique, quia reprobatus ubique fuit error Origenis, & similium, qui Misericordes dicti fuere, quique docebant imponendum aliquando esse finem damnatorum pœnis, eosque proinde non omni spe destitui: unde de Origene scribit Aug. *eum misericordiorem fuisse, quam decere, & tanto errasse deformius, quanto sensit hac in re clementius.* *Lib. de Hæres. c. 43.*

4. In comprehensoribus non remanet spes, saltem prout est in nobis. 1. quia jam fruuntur beatitudine, quæ in nobis præcipuum est fidei objectum. 2. quia licet expectent gloriam corporis sui, & accidentalia quædam gaudia, non tamen hæc proprie sperant: *Quia objectum spei est arduum; bonum autem, cujus jam inevitabilem causam habemus, non comparatur ad nos in ratione ardui,* cum præsertim illud nullo labore nobis est comparandum. *Ergo illi, qui habent gloriam animæ, non proprie dicuntur sperare gloriam corporis, sed magis desiderare.* *S. Thom. hic q. 18. ar. 2. ad 4.*

Quærunt hìc Theologi, an homo, cui facta esset futuræ suæ damnationis revelatio, adhuc teneretur ad sperandum.

Not. 1. Licet is casus absolute non repugnet, quia potest Deus scientiam suam, cui voluerit, communicare, repugnat tamen de potentia ordinaria, ut docet S. Th. q. 23. de verit. ar. 8. ad 2. & *si alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum prophetiæ prædestinationis, vel præscientiæ, sed per modum prophetię comminationis, quę intelligitur, supposita conditione meritorum.*

Not. 2. Duplex est ea de re opinio. Prima negat hominem hunc posse sperare, adeoque negat eum jam amplius teneri ad sperandum: ita Gonet disp. 9. art. 5. & alii non pauci. Secunda contrarium tuetur, & pro ea pugnant Mantinon tom. 3. disp. 16. sect. 8. pag. 346. Contenson lib. 7. dissert. 3. cap. 1. specul. 3. & hæc videtur probabilior. Unde

Prob. 1. Quia homo ille ante revelationem damnationis suæ poterat sperare: ergo & post eamdem revelationem potest adhuc, & debet sperare. Prob. conseq. Ideo ante revelationem poterat reprobus sperare, quia beatitudo erat illi possibilis, ac præsto illi erant auxilia sufficientia ad salutem obtinendam necessaria: atqui revelatio damnationis ob peccata infligendæ, nec tolleret media ad salutem necessaria, nec proinde salutis ipsius possibilitatem. Sicut enim Dei præscientia nec ullam rebus præscitis necessitatem imponit, nec impedit quin Deus ipsis etiam reprobandis, media ad salutem necessaria conferat; sic nec id impediret ejusdem præscientiæ manifestatio, quæ non mutat objectum, sed futuram dumtaxat liberæ voluntatis malitiam, & pœnam ei juste infligendam declarat: ergo in hac hypothesi posset adhuc reprobus sperare: si posset vero, jam teneretur. Ita & iisdem fere verbis Contenson. Unde obiter colliges, ineptum esse, & falsum id, quod Janseniani dicti-

dictitant, gratiam sufficientem non esse in Thomistarum systemate Christianæ spei motivum.

Confirm. 1. ratio, cur ante revelationem speret reprobus, non est ignorantia reprobationis; neque enim ignorantia sperandi motivum esse potest; tota ergo ratio sperandi ante revelationem est beatitudinis possibilitas per gratiam sufficientem, & expedita voluntatis facultas ad præceptorum adimpletionem: atqui extrinseca revelatio nec tollit auxiliorum sufficientiam, nec liberam voluntatis ad implenda præcepta potestatem: ergo nec spem, quæ iis innititur, tollere potest.

Confirm. 2. non magis damnationis futuræ revelatio a sperandi obligatione eximeret, quam futuræ negationis revelatio Petrum exemerit ab obligatione non negandi: atqui hæc non: ergo nec illa. Porro si S. Petrus posita etiam negationis revelatione, adhuc tenebatur ad non negandum; adhuc etiam tenebatur ad sperandum fore ut non negaret, cum, ait citatus Thomista, nullus teneatur ad illud peccatum fugiendum, cujus vitandi spem non habet, sed desperationem.

Prob. 2. ideo juxta Gonet, spes omnis desineret in præsenti casu, quia tunc tolleretur objectum spei, quod est beatitudo, non solum ut possibilis, sed etiam ut futura, & prudenter expectata: atqui tale objectum non tolleretur. Objectum enim spei non est beatitudo certo, & absolute futura; sed eadem beatitudo futura sub hac conditione, si fecerit homo id, quod potest cum auxilio gratiæ, quæ non deerit: atqui post prædictam revelationem, beatitudo esset adhuc eodem modo futura, cum revelatio nec auxilia sufficientia semoveat, nec adimat voluntati potestatem illis bene utendi: ergo. Ita ferme Martinon e Soc. Jesu, & Contenson e familia Prædicatorum.

Prob. 3. a posteriori. Si posita hac revelatione homo nec posset nec teneretur sperare, neque etiam ad ullam legis observationem teneretur; sed posset placide, & citra culpam in omni vitiorum cœno se volutare: atqui horrendum consequens. Minor patet, prob. maj. Qui non tenetur ad prosequendum finem, nec etiam teneri potest ad prosequenda media, quibus ad finem hunc pervenitur; cum ergo bona opera, & fuga peccati sint media, quibus ad beatitudinem pervenitur, utique homo, qui nullam finis spem haberet, ad hæc media non teneretur.

Probant 4. aliqui a contrario, quia Apostolus, qui certam habuit revelationem de salute sua, nihilominus timebat ne reprobaretur, juxta id 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum .·. ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*: ergo qui certam haberet revelationem de damnatione sua, adhuc sperare posset.

Sed argumentum hoc certo non probat, quia urgeri potest vel Apostolum cum hæc scripsit, necdum certam habuisse revelationem de salute sua; vel eum non in propria, sed, quod sæpius facit, in cujuslibet nostrum persona locutum esse, ut ostenderet eos etiam, qui plura & magna pro Christo præstiterunt, adhuc vereri debere, ne tandem aliquando cadant, & demum reprobentur.

Obj. 1. Objectum spei necessario includit judicium prudens de futuritione beatitudinis: atqui in eo, qui per revelationem certus esset de sua reprobatione, non esset judicium prudens de futuritione beatitudinis, cum in eo econtra esset judicium prudens, & certum de non futuritione ejusdem beatitudinis.

R. dist. maj. objectum spei includit judicium prudens de futuritione conditio-

ditionata beatitudinis. C. de futuritione absoluta, N. Ut homo de reprobatione sua certus, spem habere debeat, unum sufficit, ut nempe salutem eo modo post revelationem sibi factam apprehendat, quo apprehendebat antea. Porro sic se res haberet in hypothesi prædicta: ante revelationem enim salus non apprehendebatur ut certo futura, sed futura sub conditione divini auxilii, & boni usus liberi arbitrii: atqui eodem apprehenderetur modo post revelationem.

Confirm. Tam posset homo salutem suam sperare in hoc casu, quam Deus serio velle possit salutem illius, quem absoluta voluntate vult damnare: atqui Deus vult seria voluntate, antecedente, & conditionata salutem illius, quem voluntate absoluta, & consequenti reprobare intendit, quia nempe, ait citatus Contenson, vult præbere auxilia sufficientia, *per quæ ad optatum salutis exitum perveniret reprobus, si vellet*: ergo sicut voluntas Dei conditionata per absolutam ejus voluntatem non tollitur, sic nec certitudo reprobationis absoluta spem ejus conditionatam auferre deberet.

Obj. 2. Non magis posset is, cui damnatio sua revelata foret, salutem suam sperare, quam Ecclesia posset sperare salutem illius, quem sciret prædestinatum esse *in æternum ignem ire cum diabolo*: atqui ex S. August. Ecclesia hujus hominis salutem sperare non posset. Si enim sperare eam posset, posset & pro ea orare: atqui ex S. Augustino non magis pro hujus hominis salute orare posset, quam pro diabolo: ergo. *Lib. 21. de civ. c. 24.*

R. neg. maj. cum eodem Theologo. Magnum quippe est discrimen inter salutem propriam, & alienam; quia aliena non est in manibus nostris, sicut nostra: unde quamdiu possumus salutem nostram velle, (& semper possumus cum gratia Dei semper oblata) tamdiu possumus, & tenemur sperare. At vero cum aliorum voluntatis domini non simus, si de obstinata eorum malitia, revelante Deo, certiores facti essemus, sicut eorum voluntatem flectere non possemus, sic nec pro iis orare tenemur.

SECTIO QUARTA.

De proprietatibus spei.

INter spei proprietates recenseri possunt. 1. ejus certitudo. 2. necessitas eliciendi actus ejusdem. 3. honestas eorumdem actuum, præsertim vero amoris concupiscentiæ, quem spes naturaliter importare videtur.

PUNCTUM PRIMUM.

De certitudine spei.

PSeudo-reformati existimant fidem esse certam animi fiduciam, qua unusquisque indubitanter sibi applicat promissiones futuræ beatitudinis generatim factas: unde sequitur, quod Novatoribus absurdum non videtur, unicuique firmiter esse credendum se esse ex prædestinatorum numero. Aliter sentiunt Catholici, quibuscum sit

CONCLUSIO. Spes est certa ex parte Dei, incerta vero ex parte nostri: seu, ut loquuntur alii, spes est certa certitudine conditionata, non autem certitudine absoluta; potest tamen, & debet dici spes simpliciter, & in se certa. *L'herminier t. 17.*

Prob. 1. pars 1. ex Scriptura. Psalm. 24. v. 3. *Universi, qui sustinent te,*

non confundentur. Eccli. 2. v. 11. *Scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est*. Rom. 8. *Spes non confundit*. 2. Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare*. Unde sic: Si spes incerta esset ex parte Dei, spes suo quandoque frustraretur effectu, quia Deus creaturis suis deesset, sicque confunderentur ii, qui sperant in Domino: atqui hoc repugnat citatis Scripturæ textibus: ergo.

Prob. 2. Illa virtus est certa ex parte Dei, quæ certis, & inconcussis Dei attributis innititur; certitudo enim medii probat certitudinem habitus, qui in illo medio fundatur, ut patet in scientia: atqui spes certis, & inconcussis Dei attributis nititur. Spes enim innititur tum omnipotentiæ Dei, tum ejus veracitati, seu fidelitati in promissis, ut patet his Apostoli verbis: *Per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancboram habemus animæ tutam, ac firmam*. Porro quid indubium, quid inconcussum magnis, quam omnipotentia, & veracitas Dei? Fidelis est, se ipsum negare non potest. Hinc S. Bernardus expendens hæc Psaltis
Ps. 36. verba: *Adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos .˙. & eruet eos a peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo*, sic loquitur: *Si hæc sapimus, ut quid cunctamur? .˙. Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres; sed verbo omnia potest .˙. An vero de facilitate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? Plane & voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis .˙. Quis speravit in eo, & confusus est? Facilius est cœlum, & terram transire, quam verbum ejus evacuari*: ergo spes Christianorum ex parte Dei omnino certa est.

Prob. 2. pars. Illud non est certum absolute ex parte nostri, quod pendet ex conditione, de qua certi non sumus: atqui spes pendet ex conditione de qua nec certi sumus, nec, seclusa Dei revelatione, certi esse possumus. Spei enim exitus pendet a bono gratiæ nobis concedendæ usu: atqui de bono illo usu certi non sumus. Si enim de eo certi essemus, jam nullus esset nobis locus ex parte nostra timendi in negotio salutis, sicut non est timendi locus ex parte Dei: atqui falsum consequens, & toti Scripturæ repugnans. Eccles. 9. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo utrum amore, vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*. Textum hunc terribilem vocabat S. Bernardus, licet spei alioqui plenissimus, & ad ejus lectionem totum se infremere testabatur. Rom. 11. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time*. 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. Phil. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Quæ loca dum timorem, & sollicitudinem imperant, necessario excludunt certitudinem absolutam, quæ cum metu, ac tremore tanto compati non posset.

Prob. 2. ab absurdis. Si spes ex parte nostri absolute certa sit, poterit, ac proinde tenebitur unusquisque certo credere se esse ex prædestinatorum numero: atqui consequens est plusquam absurdum; ipsi enim Protestantes pro certo habere debent multos esse ex ipsis, qui in æternum pereant, cum illic sicut alibi, verum sit paucos esse electos: qui ergo fieri potest ut ii omnes indubitata fide sese prædestinatos esse credant? Merito itaque Trident. Synodus errori huic anathema indixit his verbis: *Si quis dixerit .˙. neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum .˙. anathema sit*. Verum circa hæc recurrendum est ad Tractatum de justificatione.

Prob. 3. pars. Res qualibet æstimari, & denominari debet ex iis, quæ sunt ei propria, non autem ex iis, quæ ipsi per accidens adveniunt: atqui ex dictis,

dictis, spes est ratione principii sui & intrinsece certa, cum præcipue fundetur in omnipotentia & provida Dei bonitate, quæ sine peccato in dubium revocari non possunt. Quod autem sperans incertitudini & fluctuationi obnoxius sit, non oritur a motivo spei, quo nihil potentius, nihil firmius, sed ex defectu liberi arbitrii, & instabilitate humanæ voluntatis, qua nihil debilius, nihil magis inconstans: ergo sicut ars & prudentia merito habentur ut habitus in se certi & infallibiles, tametsi subjectum, cui insunt, sæpius aberret a scopo, quia error ille non est artis aut prudentiæ defectus, sed operantis; ita & a pari spes verissimo illo sensu dici potest in se & simpliciter certa.

Obj. Ea virtus non est certa ratione sui, quæ est causa timoris & anxietatis: atqui spes est causa timoris & anxietatis. Ubi enim est spes, sibi necessario est desiderium possidendi bonum arduum & obtentu difficile: atqui ubi est tale desiderium, ibi necessario est anxietas & timor, nempe non obtinendi idem bonum; & is quidem timor eo acrius torquet, quo pluris æstimatur bonum, quod est objectum spei: unde qui beatitudinis æternæ jacturam non veretur, aut omni spe caret, aut temere de se præsumit: ergo spes non minus incerta est ratione sui, quam opinio.

R. dist. maj. ea virtus certa non est, quæ ratione sui est causa timoris, C. quæ per accidens solum & propter defectum alterius est causa timoris, N. Timor excidendi ab objecto spei non nascitur ex ipsa spe, sicut timor deviandi a vero nascitur ab opinione. Opinio essentialiter innititur motivo fallibili; spes vero omnipotentiæ & veracitati divinæ, quæ fundamenta sunt *immobilia*, ut ait Apostolus. Tota ergo anxietas, quæ spem comitatur, oritur ex defectu hominis, qui timet, & merito timet ne divinæ bonitatis divitias contemnat: sed nihil inde contra spei ipsius certitudinem colligi potest; sicut ex eo, quod artifex, cum præsertim materiam pretiosam tractat, anxius sit & plurimum timeat ne contra artis regulas peccet, nihil contra ipsam artis certitudinem inferri potest. Cœterum timor, quem parit spes, suam habet suavitatem; imo hoc habet, quod objecti sperati desiderium adaugendo, spem ipsam adaugeat, juxta id Psalm. 13. *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino*. Quare vero? quia non se habet timor Dei sicut timor hominum: timor hominum avertit nos ab hominibus, ut qui nobis male velint; timor Dei efficit ut in Dei sinum nos projiciamus, ne ab eo separemur.

Ex quibus duo magni momenti corollaria erui possunt cum Theologo Parisiensi. 1. eum qui vere sperat in Domino, exuere utcumque humanitatem, & induere fortitudinem Dei, ut jam cum Apostolo dicat: *Cum infirmor, tunc potens sum; omnia possum in eo, qui me confortat*. Quid enim non possit, qui innititur omnipotentiæ & bonitati divinæ, quam docet fides nobis non esse defuturam, nisi priores ei defuerimus? Hinc confidenter S. Bernardus: *Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo*. 2. in id præcipue Confessariis & Pastoribus incumbendum esse, ut spei spiritu eos impleant, quorum saluti deserviunt, eosque doceant, timorem illum, quem Ecclesia Dei donum esse credit, nedum animos dejiciat, & repellat a Deo, imo ad ipsum totis velis impellere; quod ut præstet, & in spem erigi debet, & annexam habere sui ipsius diffidentiam. *Serm. 9. in Psal. 90.*

Unum addo quod licet spes ex parte nostri sit incerta, non desunt tamen signa, ex quibus & amor Dei in nos, & nostri in Deum affectus quasi certo cognosci, ac proinde mens in spem firmam erigi possit: ut si nihil in nobis

gra-

Eccles. 7. 19. grave & lethale redarguat conscientia; si constans divinæ legis desiderium experiamur, si crebro revocemus illud Scripturæ: *Qui timet Deum, nihil negligit.*

PUNCTUM SECUNDUM.

De necessitate spei.

Sup. art. 1. sect. 2. p. 226. TRiplex hic difficultas examinanda venit, an scilicet, quando, & quibus spes necessaria sit. Quod ut melius intelligatur, repetendum est iis, quæ supra diximus, quotuplici modo possit aliquid ad alterius consecutionem esse necessarium.

CONCLUSIO I. Spes est necessaria necessitate medii, & præcepti tum naturalis, tum divini. Tres sunt partes.

Prob. 1. pars. Homo vel est peccator, vel justus: atqui utrique necessaria est spes. 1. quidem peccatori. Ei enim necessaria est spes necessitate medii, qui sine spe justificationem obtinere non potest: atqui sine spe non Sess. 6 c. 6. potest peccator justificationem obtinere, cum Concilium Tridentinum inter dispositiones adultis peccatoribus necessarias exigat, ut *in spem erigantur, fidentes sibi Deum propitium fore.* Atque id sæpius inculcant Scripturæ. Proverb. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Matth. 9. & alibi pluries, spem requirebat Christus his similibusve verbis: *Confide, dimittuntur tibi peccata tua.* 2. Nec minus est necessaria spes homini justo, cum ea seclusa gratias ad perseverandum in bono necessarias nec postulare ut par est, nec proinde assequi valeat, juxta id Scripturæ: *Non ergo æstimet homo ille*, qui hæsitat diffidentiæ, & proinde germanam spem non habet, *quod accipiat aliquid a Domino.*

Jacobi 1. v. 7. Hæc spei necessitas vel ad ipsos infantes extenditur, quibus tamen sufficit spei habitus, quem in baptismo cum aliis virtutibus recipiunt.

Prob. 2. pars. Quod enim necessarium est necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti naturalis, cum præcipiat lex naturæ ut media ad finem necessaria, cum in nostra sunt potestate, adhibeamus: atqui ex modo dictis spes est necessaria necessitate medii: ergo.

Prob. 3. pars 1. quia lex divina innumeris prope in locis spem imperat. Sic Psalm. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Eccli. 11. *Dirige viam, & spera in illum.* Oseæ. 12. *Spera in Deo tuo semper.* 2. Petri c. 1. *Sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam.* 2. quia Alexander VII. hanc reprobavit propositionem, *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*; eademque an. 1700. a Gallicano Clero proscripta est ut scandalosa, in praxi perniciosa, erronea, fidei & Evangelii oblivionem inducens; ergo datur præceptum divinum de eliciendis spei actibus, ac proinde spes necessaria est necessitate præcepti divini.

Jam vero ut intelligatur, quando urgeat præceptum spei, notandum, spei præcepto duo imperari, nempe spem ipsam beatitudinis, & damnationis æternæ timorem, duo item prohiberi, desperationem scilicet, & temerariam præsumptionem. His positis, sit

CONCLUSIO II. Præceptum negativum spei semper & pro semper obligat, præceptum vero affirmativum ejusdem spei, aliquando obligat per se, aliquando per accidens.

Prob. 1. pars; quia hæc est præcepti negativi conditio, ut semper & pro semper obliget; unde nunquam est desperandum, nunquam præsumendum.

dum. Quale autem sit desperationis præsumptionisve peccatum dicam sect. 6.

Prob. 2. pars. Ut præceptum spei aliquando obliget per se, aliquando per accidens, sufficit ut detur speciale præceptum spei, tunc enim obligabit per se; & ut sæpius aliarum, quæ ad salutem necessariæ sunt, virtutum actus, sine spei auxilio exerceri non possint, tunc enim obligabit per accidens: atqui utrumque verum est. 1. quidem datur speciale spei præceptum, sicut & datur de aliis virtutibus theologicis, ut patet ex censura propositionis mox adductæ. 2. sæpius contingit ut virtutum ad salutem necessariarum actus sine prævio aut concomitante spei actu elici non possint: sic ex Tridentino pœnitentiæ & contritionis actus requiruntur, ut homo in spem erigatur, *& Deum sibi propitium fore confidat*; ergo spei præceptum aliquando obligat per se, aliquando per accidens.

Porro spei præceptum seu per se, seu per accidens in iisdem casibus obligare videtur, in quibus & ipsum fidei præceptum. Unde obligat per se. 1. cum moraliter loquendo infans rationis usum attigit, satisque instructus est de fine ultimo, de beatitudine, & de mediis, quibus eadem & possibilis redditur & probabiliter futura; tunc enim ut ad finem suum ultimum convertere se tenetur homo, sic & beatitudinem suam efficaciter & cum firma in Deum fiducia desiderare debet: alioqui fictitia esset ejus conversio in ultimum finem, circa cujus consecutionem iners maneret & otiosus. 2. cum quis versatur in periculo desperationis, nisi spei actu titubantem animum confirmet. Ratio est, quia præceptum idem, quod spem imperat, prohibet desperationem; & aliunde repetitus spei actus efficax est medium, quo ingruens desperationis tentatio procul amandetur, his ergo casibus dicendum est cum Propheta Psalte: *Quare tristis es anima mea? Spera in Deo*, &c. 3. cum quis in desperationem aut præsumptionem lapsus est: sicut enim elicitis fidei actibus, ab infidelitate; sic elicitis spei, & timoris, qui ad spem pertinet, actibus, a desperatione & præsumptione resurgendum est. 4. in periculo mortis: tum quia hic maxime urgent præcepta, ea præsertim, quæ ad Deum immediate spectant; tum quia vix aliter tueri se moribundus potest contra insidias inimici, ejusque conatus, quam ad Deum spe firma recurrendo. 5. sæpe sæpius in decursu vitæ. Imo quia jugiter & continuo ad æternam vitam nobis enitendum est, quod propriis viribus non possumus, *cum maledictus sit qui confidit in homine*, tam in se, quam in alio; sequi videtur spem nobis non minus esse necessariam, quam ipsum Dei auxilium, quod spes allicit, quodque iis præcipue conceditur, qui ad omnipotentiam & misericordiam Dei sperando confugiunt, juxta id Psalm. 113. *Qui timet Dominum, speraverunt in eo, adjutor eorum est.* Jerem. 17.

Obligat etiam per accidens præceptum spei, cum ex præcepto eliciendi sunt actus aliarum virtutum, quæ necessario actum spei præsupponunt, orationis v. g. & pœnitentiæ. Nam orandum est in fide & cum fiducia, ut alibi docuimus; & *nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi speraverit indulgentiam*, ait S. Ambrosius lib. 1. *De pœnit.* cap. 1. hinc adulto peccatori spes necessaria est ad justificationem, ut jam dixi. 2. cum in alia, quam spei, materia, occurrit gravis tentatio, quæ superari nequit, nisi animus per spei actum corroboretur.

Ex quibus semel & iterum colligere liceat, quam graviter aberrent tum ii, qui raro & vix unquam theologicarum virtutum actus exercent: tum ii e Confessariis, qui nusquam interrogant pœnitentes an huic officio satisfecerint.

Sensus quæstionis hic tertio loco examinandæ, est an in omni præsentis vitæ statu spes sit necessaria. Non enim defuerunt postremis hisce temporibus,

bus, qui crediderint Fideles aliquos nonnunquam eo usque perfectionis assurgere, ut jam nullo nisi puri amoris motivo conducantur & moveantur; qui quidem purus amor ita ab omni *interesse* proprio remotus sit, ut ipsum felicitatis æternæ desiderium, velut aliquid mercenarii, excludat; & ita excludat, ut anima absoluto sacrificio, simplicique consensu salutem suam æternam devoveat, & suæ condemnationi atque reprobationi simpliciter acquiescat. Ita sentiebat Michael Molinos Hispanus Præsbyter, vir hypocrita & ad deceptionem natus; atque hoc ejus systema exhibent istæ ejusdem propositiones, quæ sunt 7. & 12. inter 68. quas anno 1687. damnavit Innocentius XI.

Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.

Ex omnimoda hac liberi arbitrii in manibus Dei resignatione, colligebat Molinos,
Prop. 14. 1. non decere, ut homo perfectus *a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis*; unde ajebat, *illud Evangelii*, Petite & accipietis, *non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem*.
Prop. 17. 2. *non* amplius *habendam esse* in eo tantæ perfectionis statu *rationem tentationum, nec eis resistentiam fieri debere, nisi negativam, nulla adhibita industria; & si*, inquiebat, *natura commovetur, oportet sinere, quia natura est*.
Prop. 13. 3. ita *relinquendam esse Deo curam de omni re nostra*, ut sinatur *in nobis sine nobis facere suam divinam voluntatem*.
Prop. 21. 4. *in oratione opus* esse *manere in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis*; sicque *inserviendum esse Deo absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet*.
Prop. 24. Unde 5. sequebatur stupendum illud & horrendum, quod scilicet, *qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, sed cum indifferentia & resignatione tolerantur, non impediunt orationem fidei, imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata manet*.
Prop. 37. Unde 6. *in occasione tentationum etiam furiosarum non debet anima*, juxta Molinosum,
Prop. 42. & 47. *elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore & resignatione manere*: & tunc non solum homo ab omni peccato immunis manet, sed plus meretur, & sanctam acquirit libertatem, idque verum est, etiamsi exteriora contra castitatem, non pollutionis modo, sed & fornicationis peccata committantur. Cœterum quia docebant spurii mystici
Prop. 58. hominem ad sublimem hunc perfectionis gradum pervenire, *non reflectendo amplius ad proprias operationes*, sed manendo in quiete, & sinendo ut Deus operetur in nobis sine nobis, hinc inditum iis Quietistarum nomen.

Doctrinam hanc quatenus spem e perfectorum statu excludit, & absolutum æternæ salutis sacrificium continet, renovare, ac proinde Semi-quietismum inducere visus est vir omnimoda pietate, sublimitate ingenii, teneroque in Ecclesiam affectu commendandus, Illustrissimus D. Franciscus de Fenelon Archiepiscopus, Dux Cameracensis, in Libro cui titulus: *Explication des maximes des Saints*, ut patet ex his propositionibus, ad quas totam Operis ipsius summam redigere visa est Sedes Apostolica.

Prop. 1. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

In

In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum. Prop. 6.

Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus, quam maxime desinteressatis circa æternam earum beatitudinem, sunt conditionalia ... In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum ... anima in hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem. Prop. 10.

Doctrinam hanc acriter insectati fuere Ludovicus Antonius postea Cardinalis de Noailles, Paulus Godet des Marets Carnotensis Episcopus, sed acrius quam aliorum quisquam doctissimus Bossuet Episcopus Meldensis: qui an, in aliud impegerit extremum, & spem cum dispendio charitatis stabilierit, docendo, ut aliqui volunt, non modo impossibilem esse in hac vita statum, in quo absque ullo ad nos respectu diligatur Deus; sed etiam impossibilem esse actum quemlibet puri amoris, adeo ut motivum charitatis sit ipsum spei motivum, proprii scilicet commodi amor; an inquam in id extremi impegerit Bossuetus, nostrum non est expendere. Unum est, quod neminem fugit, Cameracensem Archiepiscopum, censuræ contra Librum suum latæ subscribendo æternum sibi nomen peperisse. Uni omnium summam tanti viri humilitatem improbarunt, hinc quidem Pater Gerberon celebris pene usque ad mortem Jansenista, & vix obedientiæ capax; inde vero Minister Juricæus * qui unanimi hoc Episcopatus concentu, suas de proximo Ecclesiæ Romanæ excidio, & subversione Prophetias, inter Nostradami prædictiones ablegari intuebatur & ægre ferebat. His positis sit

* Traite historique concernant le jugement d'un Protestant, pag. 339.

CONCLUSIO III. Non datur in præsenti vita status, in quo mens Deum tam pure diligat, ut jam nec pœnarum metu, nec mercedis desiderio moveatur; & multo minus, in quo imperfectum sit & periculosum elicere actus spei, & virtutum, quæ ad utilitatem nostram, nostrumque *interesse* relativæ sint.

Prob. 1. quia hæc Quietistarum & Semiquietistarum opinio dum charitatem commendare videtur, eam subvertit de facto. Primum enim & maximum Dei mandatum, a quo universa lex pendet, & Prophetæ, unicuique præcipit, ut proximum diligat sicut seipsum: atqui in statu, in quo Deus unice propter se diligeretur, absque ullo ad nos respectu, jam homo semetipsum non diligeret, sed ita Deum quæreret, ut jam nec sollicitus esset de merito suo, nec de propria sua perfectione, & fœlicitate æterna; ergo in hoc statu non impleretur primum Dei mandatum. Matth. 22.

Prob. 2. Hæc Christi verba: *Quærite primum regnum Dei*; hæc item: *Sic orabitis .. adveniat regnum tuum*, ad omnes prorsus Fideles diriguntur, nec ad solos imperfectos restringi possunt, ut temere a Molinoso restricta fuere: atqui hæc verba spem necessario involvunt, & ad proprium hominis commodum relativa sunt. Per ea enim, ait S. Cyprianus lib. de Orat. domin. *desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque ut in eo regnare mereamur*: cui consonat S. Augustini: *Non sic dicimus, veniat regnum tuum, quasi optemus ut regnet Deus; sed hoc est, quod cogitamus & rogamus, ut nobis veniat*. Matth. 6. Serm. 57. de divers.

Prob. 3. Mystici hujus temporis nec perfectiores, nec Dei amantiores sunt, quam fuerint Abraham, Moyses, David, S. Paulus, & alii, quibus gratulatur Scriptura, quod *de omni corde* suo Deum dilexerint: atqui ii nunquam eo usque perfecti fuerunt, ut desiderium remunerationis nullam apud eos partem haberet; immo fictitiam eam perfectionem ubique a se exclusam voluē-

luerunt. Abraham enim Pſ. *expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus*, Hæb. 11. Moyſes *aſpiciebat in remunerationem*, ib. David, *Unam*, inquit, *petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, 26. & Pſ. 118. *Inclina cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*. S. Paulus de Chriſtianis omnium perfectiſſimis loquebatur, cum ajebat Rom. 8. *Nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis noſtri; ſpe enim ſalvi facti ſumus ... ſi autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus*. Porro ſi vir uſque ad tertium Cœlum raptus, & cui hominum nemo ſeſe adæquare præſumat, ſemetipſum avidus ſpei roboraverit, quis eo uſque perfectum ſe credet, ut ſpei motivum quaſi imperfectum abjiciat?

Prob. 2. ex Patribus, quorum inſtar ſint Auguſtinus & Bernardus. *Cum*, ait Auguſtinus Tract. 9. in Jo: *cœperit deſiderare venientem Chriſtum caſta anima, quæ deſiderat amplexus ſponſi .. fit virgo interius ipſa fide, ſpe, & charitate. Habet jam fiduciam in die judicii .. & dicit, adveniat regnum tuum .. Ergo fratres date operam, ut deſideretis diem judicii; aliter non probatur perfecta charitas, niſi cum cœperit dies ille deſiderari*. Ubi nedum S. Doctor omne proprii intereſſe motivum abjiciat a charitate, vult econtra ſedulam propriæ beatitudinis inquiſitionem, ejuſque juge deſiderium, eſſe perfectæ charitatis indicium & probationem. S. Bernardus Tract. de dilig. Deo c. 14. *Nunquam erit*, inquit, *charitas ſine cupiditate, ſed ordinata*. Et iterum: *Neſcio ſi a quoquam hominum quartus in hac vita gradus perfecte apprehenditur, ut ſe ſcilicet diligat homo tantum propter Deum: afferant hoc, qui experti ſunt; mihi, fateor, impoſſibile videtur*; ergo fictitius & impoſſibilis eſt, teſte S. Bernardo, ſtatus ille, quem ſpurii myſtici cumulum perfectionis appellant. Plura in hanc rem videris, tum in Documento Paſtorali Epiſcopi Carnotenſis dato an. 1698. tum in variis, quæ ea de re edidit doctiſſimus Boſſuet, Operibus, in quinque tomos diſtributis.

Prob. 3. ratione theologica, eaque duplici, ſed raptim & paucis proponenda. 1. ſi ſpei & timoris motivum e ſummo perfectorum ſtatu exulare debeat, jam quo quis perfectior erit, eo plus circa ſalutem ſuam æternam habebit indifferentiæ, ſicque conſtitutus erit, ut perinde ſibi ſit, ſive ſalvandus ſit, ſive damnandus, dummodo adimpleatur voluntas Dei: atqui abſurdum conſequens; ergo & antecedens. Major conſtat, tum ex adductis ſupra Molinoſi & Archiepiſcopi Cameracenſis propoſitionibus; tum ex iſtis, quæ paſſim in Operibus* Dominæ Guyun reperiuntur. 1. *L'abandon parfait, qui eſt la clef de tout l'interieur, n'excepte rien, ne reſerve rien, ni mort, ni vie, ni perfection, ni ſalut, ni paradis, ni enfer. 2. Que craignez vous, cœur lache! vous craignez de vous perdre? helas pour ce que vous valez, qu'importe*. Prob. min. 1. quia ſi nobis circa propriam ſalutem indifferentes eſſe liceat, idem licebit a fortiori circa ſalutem, ſive temporalem, ſive æternam aliorum; unde imperfecti eſſe debuerunt homines Apoſtoli, qui tanto cum ardore mundi totius converſioni operam ſuam impenderunt. 2. quia ſi perinde nobis ſit ſalus, vel damnatio, perinde etiam eſſe debebit, ſive pie & chriſtiane, ſive gentiliter & irreligioſe vivamus, dummodo impleatur voluntas Dei, quæ ex iis, quæ intra nos actu geruntur, ſemper dignoſcitur, juxta hanc ejuſdem fœminæ propoſitionem, *Ce qui nous eſt le plus neceſſaire, eſt egalement le plus aiſé ſcavoir de connoitre la volonté de Dieu; & c'eſt ſans neceſſité qu'on ſe met en peine de la decouvrir: la volonté de Dieu n'eſt autre choſe que ce qu'il permet nous arri-*

MS. cui titulus, *Les torrens*.

* Joanna Maria Bouvieres de la Mothe Guyon.

Arriver à chaque moment. 3. demum quia indifferentia hæc omne laboris proprii studium extinguit, & inertiam fovet, dum qui se jam ad summum perfectionis gradum pervenisse credent, inertes & otiosi manebunt, & mere passive se habentes expectabunt, donec Deus in ipsis id omne operetur, quod volet : ergo Quietisticum systema in præcipitium trahit.

2. Si amor Dei ut perfectus sit, unice ferri debeat in Deum prout in se bonum, absque ullo ad nos respectu, qui essent in eo perfectionis statu, nec Deum amare possent ob collata sibi beneficia, nec ab eo quidquam postulare : atqui falsum consequens. 1. quia Deus ipse collata nobis beneficia, ut amoris nostri motivum proponit, tum apud Joannem his verbis ; *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret* ; c.3.v. 13.
tum apud Apostolum Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam .... Christus pro nobis mortuus est*. 2. quia Ecclesia sponsum suum imitata, nobis, omnibusque multa tum in hoc, tum in futuro sæculo utilia precatur; ergo vel male precatur Ecclesia, quod dictu impium est; vel si bene precatur, censet aliquem esse, eumque verum Dei amorem, qui non sit sine omni ad nos respectu.

Obj. 1. caput 32. Exod. & cap. 9. Epist. ad Romanos, in quorum priori Moses optat deleri de libro viventium ; in posteriori vero Paulus a Christo anathema esse desiderat. Sed utrumque locum solvimus in Tractatu de Religione, par. 2. cap. 2. ar. 6. concl. 2.

Obj. 2. Ex Apost. 1. Cor. 13. *Charitas non quærit, quæ sua sunt* : atqui quæreret, quæ sua sunt, si proprium *interesse* quæreret : ergo.

R. sensum Apostoli esse, quod homo vera charitate præditus, privata sua bona non præferat utilitati publicæ, aut bono divino, quod est universale bonum : unde vera charitas se ipsam aliis communicat, eoque est contenta magis, quo plures ad Dei notitiam & amorem adducit, & idipsum est, quod docet ibid. Apost. cum ait : *Nemo quod suum est, quærat, sed quod est alterius* ; ubi non prohibet simpliciter, ne quis rebus suis invigilet, sed ne ita sibi adhæreat soli, ut de vero proximi bono non sit sollicitus. Cap. 10.

R. 2. ex hoc Pauli textu strictius sumpto ad summum sequi, hominem, quatenus & prout ex perfectæ charitatis motivo operatur, propter Deum solum absque ullo ad semetipsum respectu operari; non autem eum male, vel imperfecte operari, cum aliis in momentis spei motivo utitur : unde sic in forma responderi potest cum distinctione : Charitas non quærit, quæ sua sunt, modo inordinato, C. nullo modo, subd. id est, qui ex charitate agit, pro tunc solo Dei intuitu movetur, C. id est male, vel imperfecte agit, cum inspirante Dei gratia motivo spei, aliisve similibus conducitur, N.

Porro innumeras S. Joannis a Cruce, S. Theresiæ, aliorumque mysticorum locutiones, quibus se tuebatur Illust. Cameracensis Antistes, qualque fuse expendit in Documento circa librum cui titulus: *Maximes des Saints*, hic sigillatim discutere non vacat : legi poterit eximium Bossueti Opus, quod inscribitur : *De nova quæstione Tractatus tres*. 1. *Mystici in tuto*, &c.

PUNCTUM TERTIUM.

De bonitate, seu honestate spei.

NOt. 2. Hæc quæstio hic pertractanda est ob suam cum precedenti affinitatem; non sic tamen quasi Quietistę spem potentius aggressi fuerint:

rint : ea enim iniquiores nacta fuit adversarios in Jansenianis, qui nullum vitiosam inter cupiditatem & laudabilem charitatem, medium admittentes, actum spei nisi a charitate ipsa imperetur defectuosum esse crediderunt. Quod quia quibusdam durius visum est, sic illi spem intellexerunt, ut eam quasi charitatis partem traduxerint, docendo quod amor, quo Deus amatur velut summum bonum nostrum, & felicitas nostra, sit amor charitatis stricte sumptæ; amor, inquam, purus, non mercenarius, gratuitus non interessatus, verba sunt Ethicæ amoris l. 3. c. 2. n. 9. sicque putat facile conciliari posse Theologos *super divini amoris necessitate ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ*; *cum*, inquit, *exceptis paucis rigidis Molinistis, cæteri fere conveniant saltem amorem spei, sive Dei quatenus summi boni, & ultimi finis nostri ad eam necessarium esse*.

Not. 2. Ut hæc quæstio secundum se totam discuteretur, videndum esset an duo actus ad spem relativi, qui sunt amor concupiscentiæ erga beatitudinem, & ejus admittendæ timor, boni sint & laudabiles. Sed quia de timore dixit Doct. Tournely in Tractatu de Pœnitentia, idcirco solius concupiscentiæ amoris honestatem vindicabimus in præsenti. Sit igitur

Conclusio I. Amor concupiscentiæ, quo Deum prosequimur ut summum nostri bonum, honestus est & supernaturalis ; unde licitum est, ac virtuosum operari intuitu beatitudinis solius.

Prob. 1. ex Tridentino sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*; atqui in sistemate adversariorum peccat, qui intuitu æternæ mercedis operatur, quia in hoc systemate peccat quisquis non agit ex motivo charitatis stricte sumptæ : porro ex eo motivo non agimus, dum Deum non propter se, & absolute, sed prout nobis bonum diligimus & prosequimur; ergo adversariorum opinio a Concilio Tridentino reprobata est. Reprobata quoque fuit a Pontificibus Romanis Concilio Tridentino posterioribus. Has enim propositiones damnavit Alexander VIII. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*. Et iterum : *Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est bona, nec Deo placens*.

Prob. 2. Ideo censent adversarii actum spei, seu amoris concupiscentiæ per se solum non posse sine peccato elici, quia existimant nullam esse actionem ex omni parte bonam, nisi quæ refertur ad Deum propter se dilectum : atqui id omnino falsum est, ut probavimus in Tractatu de actibus humanis.

Prob. 3. quia alioqui vituperandi essent quotquot fuerunt in utroque Testamento viri sanctiores, qui, ut Sectione præcedenti probatum est, propter retributionem operati sunt, unamque beatitudinem intendere videbantur : atqui impium consequens.

Nec solum honestus est amor ille, sed & supernaturalis. 1. quia per hunc amorem diligimus Deum ut summum nostrum bonum supernaturale, nobisque per actus beatificos uniendum : atqui amor, quo sic diligimus Deum, necessario superat naturæ vires. 2. quia amor, per quem disponimur ad justificationem, debet esse supernaturalis & a gratia proficisci : atqui per amorem spei ad justificationem disponimur, ex Tridentino supra citato : ergo.

Obj. 1. Amor undequaque vitiosus nihil habet honesti : atqui amor quilibet concupiscentiæ est undequaque vitiosus. Prob. min. Amor cupiditatis est ex omni parte vitiosus : atqui amor concupiscentiæ est amor cupiditatis

ex

ex S. Bernardo. Sic enim loquitur S. Doctor in Tract. de diligendo Deo *c.* 12. *Facit, & Mercenarius* opus Dei; *sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur. Porro ubi proprietas... ibi sine dubio sordes, seu rubigo.*

R. Ad 1. neg. min. si enim quilibet concupiscentiæ amor esset omni ex parte vitiosus, nisi ex charitate ad ipsum charitatis finem referretur, perperam, & injuste prorsus Conc. Trident. dixisset anathema Calvino, & Luthero contendentibus hominem peccare, dum operando æternam sibi mercedem concupiscit. Neuter enim abjiciebat intuitum mercedis, si ad eam ex charitate tenderetur: ambo fatebantur hominem mercede *tanquam optimo stimulo ad bene agendi studium incitari*; ac proinde hominem tunc dumtaxat reum faciebant, cum actus ejus sistebat in intuitu mercedis solius: ergo ex Concilio Tridentino datur amor concupiscentiæ, qui nihil habet mali: neque id mirum videri debet; sunt enim, ut docet Origenes, concupiscentiæ malæ, sunt & bonæ, juxta id Sap. 6. v. 14. *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum Cœlorum.* *Calvin. in Antid. ad. can. 31. sess. 6.* *Hom. 7. in Levit.*

Confirm. Velle frui Deo nihil habet mali, imo multum boni, cum toties præcipiatur in Scriptura: atqui ex S. Thoma hic q. 26. a. 3. ad 3. *quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiæ*: ergo licet tempore S. Augustini obtinuisset usus, *ut si cupiditas vel concupiscentia dicatur, nec addatur, cujus rei sit, nonnisi in malo possit intelligi*, nunc tamen passim apud Scholasticos amor concupiscentiæ bonum in sensum accipitur. De hac materia utiliter leges Documentum Pastorale Illustrissimi nunc Cameracensis Archiepiscopi circa necessitatem omnes, & singulos actus ad Deum referendi ex motivo charitatis. *L. 14. de Civ. c. 7.*

Ad 2. dist. min. amor concupiscentiæ malæ est amor cupiditatis, C. amor concupiscentiæ bonæ, & sanctæ, qualis ille est, quo quis vult *Deo frui*, ut ait S. Thomas, N. is enim fuit amor Prophetæ, qui *unam petiit a Domino*, Domini ipsius possessionem. Is est amor quem Deus in hominibus accendere curat, cum se hominibus ut eorum mercedem magnam nimis proponit: is denique est amor, qui aliorum hominis amorum scopus est, & finis; cum juxta omnes mundi Catechismos homo ideo creatus sit, ut Deum cognoscat, & amet, & hoc pacto vitam æternam consequatur.

Inst. Atqui amor concupiscentiæ, ipsius etiam beatitudinis, est amor malæ cupiditatis: ergo.

Prob. subs. Amor inordinatus non potest esse nisi amor malæ cupiditatis: atqui amor, quo beatitudo concupiscitur pure, & simpliciter, est amor inordinatus. Ille enim amor est inordinatus, per quem homo constituit ultimum finem respectu ipsius Dei: atqui per amorem concupiscentiæ constituit se homo finem ultimum respectu Dei ipsius. Prob. min. quia per hunc amorem homo Deum ad se refert, ac proinde se, non autem Deum amare convincitur.

R. Ad 1. neg. subs. ad 2. neg. min. Ille enim amor vere est ordinatus quo tendimus in Deum secundum ordinem a Deo constitutum: atqui per amorem, quo Deo frui volumus ut nobis a Deo bene sit, tendimus in Deum secundum ordinem ab ipso constitutum: cum Deus velit non solum ut eum amemus propter se, & sine ullo ad nos respectu, sed etiam ut eum amemus tanquam bonum nostrum, nostramque mercedem. Et vero quid aliud volunt singulæ novi Testamenti paginæ, dum ubique nobis proponit amorem Dei in Christo, & per Christum? An non ut Deum diligamus quia ipse prior dilexit nos; quia nobis omnia donavit in Christo;

quia exemplo Christi enitendum nobis est, ut per patientiam curramus ad bravium supernæ vocationis?

Ad 3. neg. min. Per eum enim amorem non constituit homo finem suum ultimum in se, per quem essentialiter constituit finem suum ultimum in Deo: atqui per amorem, de quo loquimur, homo essentialiter constituit finem suum ultimum in Deo. Qui enim sibi vult Deum ut finem suum ultimum, qui Deum ut beatificatorem volendo, non vult nisi suam cum fine suo ultimo unionem, ille finem suum ultimum constituit in Deo: atqui hoc facit homo, cum Deum sibi concupiscit, solum enim vult Deo tanquam summo suo bono perfrui: ergo.

Ad 4. dist. homo per amorem concupiscentiæ Deum ad se refert, relatione sibi permissa, nec permissa solum, sed & præcepta, C. relatione Deo injuriosa, & homini prohibita, N. Nomen *referendi*, quod prima fronte odiosi aliquid habet, valde ambiguum est; res enim ad aliam referri potest multiplici sensu. Aliquando unum refertur ad aliud, ut ignobilius, & inferius ad id, quod superius judicatur, & nobilius; & hoc præcipue locum habet cum id, quod refertur ad aliud, eam solum æstimabilitatem habere censetur, ex qua nobis ut ipso melioribus prodesse potest: sic homo pecuniam comparat, quam eo solum nomine æstimat, quod sibi ad vitam pecunia pretiosiorem inservire possit. Aliquando unum refertur ad aliud, ut superius ad id, quod multo inferius judicatur: unde id, quod tunc referri dicitur, non refertur si stricte loqui velis, sed quæritur ut nostri perfectivum, & ut nobis ab eo bene sit. Porro, qui Deum amat amore concupiscentiæ, non utique eum ad se refert priori sensu, sed posteriori solum. Hæc autem relatio, si relatio est, nedum Deo sit injuriosa, imo demonstrat eum haberi pro ente omnium perfectissimo, quo scilicet cœtera omnia indigeant, & a quo solo perfici, & omnimode beari possint. Quapropter, qui Deum ad se referunt hoc sensu, Deo ipsi obsequuntur; idipsum enim est, quod præcipitur Deuter. 12. v. 28. his verbis: *Observa, & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi*. Ecquis, ait Ethica amoris, redarguere ausit amorem, qui prorsus est secundum ordinationem Dei, seu amoris ordinem a Deo institutum & præceptum?

Huic redit communis hæc aliorum distinctio in hunc modum: Per amorem spei homo Deum ad se refert, ut ad subjectum, cui tantum bonum optat & desiderat, C. ut ad finem ultimum, N. Ille enim non refert Deum ad se ut ad finem, qui Deum sibi exoptando ut summum bonum, refert se ad Deum ut ad finem ultimum: atqui homo dum Deo frui & inebriari desiderat; refert se ad Deum ut ultimum finem suum. Ille enim refert se ad Deum ut ad finem ultimum, qui ita tendit in Deum ut eo obtento nihil amplius desideret: atqui homo per spem tendit in Deum ut bonum, quo obtento nihil amplius desiderare possit: ergo talis relatio laudabilis admodum est, & honesta; cum, ut bene advertit Habert, qui in hisce materiis suspectus esse nequit, per eam testemur summam Dei bonitatem, & perfectionem omnimodam. Sic refertur causa ad effectum, fons ad rivulum, plenitudo ad vacuum, misericordia ad miserum, perfectivum ad perfectibile.

Obj. 2. Vitiosus est amor, per quem utimur Deo; cum, ut docet Augustinus L. 83. qq. quæstione 30. *omnis humana perversio sit fruendis uti velle, atque utendis frui*: atqui per amorem concupiscentiæ homo utitur Deo, scilicet ad proprium sui commodum.

R. neg. min. usus enim proprie versatur circa media: atqui amor concupiscen-

ſcentiæ non reſpicit Deum ut medium; amor enim concupiſcentiæ non tendit in amantem ut finem ultimum Dei, ſed tendit in Deum ut finem ultimum amantis ipſi per actus beatificos conjungendum. In hoc autem nihil eſt inordinati, nihil quod non probet eum, qui ſperat, Deum intueri ut finem rerum omnium, & omnis creaturæ perfectivum: ergo nihil etiam eſt, quod probet Deum ſolam medii rationem habere apud eos, qui ſolius mercedis æternæ deſiderio operantur.

Inſt. Ideo, qui alimenta quærit ad vitam, eadem ut medium habere cenſetur, quia non judicat ullam iis ineſſe amabilitatem niſi in ordine ad vitam: atqui pariter, qui ſolius mercedis intuitu operatur, nec judicat ullam Deo ineſſe ambilitatem niſi in ordine ad ſeipſum: ergo.

R. Neg. min. judicium enim hoc, quod ne Deiſta quidem efformaret, multo minus efformabit vir, qui agit ex motu Spiritus Sancti. Quapropter, qui intuitu mercedis ſolius operatur, actu quidem non proponit ſibi abſolutæ Dei bonitatis motivum, cum id pertineat ad charitatem; ſed bonitatem hanc abſolutam non denegat Deo, imo implicite eam animadvertit, cum non quærat Deum ut ſummum ſui bonum, niſi quia certo detegit Deum eſſe omnimode perfectum. Et certe judicium, quo denegaretur Deo bonitas abſoluta, penitus retraheret a Deo propter ſe ſolum diligendo: atqui amor concupiſcentiæ ſenſim conducit ad Deum propter ſe ſolum diligendum: qui enim Deum ſibi ardenter concupiſcit ut ſummum ſui bonum, ita omnes Dei perfectiones explorat paulatim, ut iis accenſus quaſi naturaliter tandem exclamet cum S. Franciſco Xaverio: *O Deus amo te: nec amo te ut corones me, nec quia non amantes te æterno crucias igne*. Quod etiam factitabat mulier illa, quæ a P. Yvone Dominicano in Campis Damaſci interrogata, cur una manu ignem, altera aquam geſtaret, reſpondit velle ſe inferorum flammas extinguere, & comburere paradiſum, ut jam homines, nec pœnarum metu, nec ſpe mercedis, ſed puro, & ſolo Dei amore moverentur.

Obj. 3. Amor proprius eſt vitioſus: atqui amor concupiſcentiæ, quo Deum diligimus ut ſummum noſtrum bonum, eſt amor proprius. Amor enim benevolentiæ reſpectu noſtri, eſt amor proprius: atqui amor, quo Deum nobis concupiſcimus, eſt ſimul, & indiviſibiliter amor benevolentiæ reſpectu noſtri, cum per eum nobis bene velimus: ergo.

R. Ad 1. diſt. maj. amor proprius, quo bona ſenſibilia nobis inordinate concupiſcimus, eſt amor vitioſus, C. amor proprius ſumptus pro amore, quo Deum ut noſtri ſumme perfectivum nobis uniri deſideramus, eſt amor vitioſus, N. amor enim ille nedum vitioſus ſit, imo a vitio retrahit, atque in id unum tendit, ut nos Deo intime conjungat.

Conclusio II. Amor, quo Deum diligimus ut ſummum noſtrum bonum, non eſt amor charitatis, quæ proinde pro objecto habet Deum propter ſe dilectum, & ita dilectum propter ſe, ut adhuc diligeretur, ſi futurus non eſſet ſummum hominis bonum.

Prob. 1. authoritate S. Thomæ, quo nemo clarius, nemo majori cum præciſione in hiſce materiis locutus: *Spes, inquit, & omnis appetitivus motus ex amore derivatur ... Amor autem quidem eſt perfectus, quidam imperfectus; perfectus quidem amor eſt, quo aliquis ſecundum ſe amatur, utpote cui aliquis vult bonum, ſicut homo amat amicum: imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundum ipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat, ſicut homo amat rem, quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo ſecundum ſeipſum: ſed ſpes* 1.2.17 a.8

Q 2 perti-

pertinet ad secundum amorem, quia ille, qui sperat aliquid, sibi obtinere intendit; & ideo in via generationis spes est prior charitate, &c. Idem expresse docet Scotus in 4. dist. 27. n. 3. docet proinde universa Thomist. ac Scotist. Schola; neque ii solum, sed & *pars multo maxima Theologorum tradit id omni actui charitati intrinsecum esse, ut anima Deum diligeret, etiamsi nullam ab eo speraret beatitudinem*, verba sunt ipsius Bossueti, in Tract. cui titulus: *Mystici in tuto* p. 99. Neque ita soli Scholastici senserunt, & piissimi quicumque vitæ spiritualis magistri, ut de S. Francisco Salesio fatetur Ethica; & de aliis innumeris bona fide fatendum esset. Ne vero de his omnibus dicatur, quod improvide satis de Francisco Salesio dixit Ethica, eum scilicet *Scholasticorum sui temporis principiis (a quibus edoctus fuit) præventum, a S. Augustino, aliisque Patribus recessisse*, dum scripsit *amorem spei imperfectum esse, quod in bonitatem infinitam non tendat ut in se talis est, sed ut talis est nobis*: ne, inquam, id irreverenter & temere dicatur.

Eth. t. ib. v. 19 p. 218.

Prob. 2. ex Patribus S. Gregorius Nyssenus hom. 1. in Cantica sic loquitur: *Nonnullis fit etiam salus per timorem, quando intuentes ad minas, supplicii gehennæ separantur a malo. Sunt etiam aliqui, qui propter spem mercedis repositam iis, qui pie vixerint, se recte & ex virtute gerunt, non charitate bonum possidentes... Sed qui animo currit ad perfectionem, expellit quidem timorem; est enim ejusmodi servilis affectio... Despicit ipsas quoque mercedes, ne videatur mercedem pluris facere, quam eum, qui donat lucernam*. Ibi, ut videre est, S. Doctor tres distinguit gradus in ascensu ad Deum: in primo sunt, qui timoris intuitu separant se a peccato; in secundo, qui alliciuntur spe mercedis, quo nomine intelligitur Dei possessio, cum hæc *reposita sit iis, qui pie vixerint*; & aliunde pie non vivant, sed procul aberrent, qui aliam a Deo ipso mercedem quærerent: in tertio demum ii versantur, qui Deum propter se amant, abstrahendo tum a pœnis in eos ferendis, qui non diligunt; tum a mercede iis repromissa, qui diligunt: atqui in hoc tertio gradu, qui cœteris perfectior est, quique ideo est ipse charitatis status, sola Deum diligendi ratio est ipse Deus sine ordine ad proprium interesse. In secundo autem gradu, in quo post mercedem curritur, nondum charitate possidetur Deus, seu, quod idem est, nondum Deo adhæretur per charitatem: ergo charitas tendit in Deum sine respectu ad propriam amantis mercedem.

S. Ambrosius L. 4. de interp. David c. 11. *Qui illum sequitur Christum, non præmio ducitur ad perfectionem, sed perfectione consummatur ad præmium; imitatores enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro amore virtutis: Christus enim per naturam bonus, non propter præmii cupiditatem*: ergo datur amor, per quem tenditur in Deum independenter a spe boni, & præmii; is autem amor, cum omnium sit præstantissimus, & Christum propius imitetur, necessario est amor charitatis.

S. Augustinus L. 21. de civ. Dei c. 15. in fine: *Sed si, quod absit, illius tanti boni spes nulla esset, male debuimus in hujus conflictationis molestia remanere, quam vitiis in nos dominationem non eis resistendo permittere*.

Idem S. Doctor Serm. 385. c. 3. n. 4. alias hom. 38. inter 50. *Non enim propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet. Si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale; non illum amas, sed illud quod præstat: amicus gratis amandus est, propter se se, non propter aliud. Si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas; quam gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas!* Unde sic: Amor, ad quem hic exhortatur Augustinus, est amor charitatis, ut patet: qui amor ille ita ten-

tendit in Deum propter se, ut Deum diligat gratis, atque etiamsi nulla spes esset ejus possidendi: ergo amor charitatis habet pro objecto Deum propter se dilectum. Plures hujusmodi textus reperire est in Documento Pastorali Illustr. Cameracensis Archiepiscopi circa Librum suum, cui titulus: *Maximes des Saints*; ubi post multos Patrum textus hæc adducuntur S. Bernardi verba: *Amor iste merito gratus, quia gratuitus.. Qualis suscipitur a Deo, talis & redditur: qui enim sic amat, haud secus profecto, quam amatus est, amat; quærens & ipse vicissim non, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi: quemadmodum ille nostra, vel potius nos, & non sua quæsivit.. Domino confitetur, non quoniam sibi bonus est, sed quoniam bonus est: hic vere diligit Deum propter Deum, non propter se ipsum.* De dilig. Deo.

Prob. 3. ratione. 1. Non minus Deus præcise propter se ipsum diligi potest, quam homo: atqui homo quotidie propter se ipsum, & absque ullo ad proprium commodum respectu diligitur. Sic quandoque hæroes & summi ingenii viros ob præclaras, quibus referti erant, cordis & animi dotes eo usque diligimus, ut æternam eorum damnationem serio defleamus: quo pertinet notum illud cujusdem Franciæ Polemarchi, qui Mariannem ab Herode occisam indigne ferens, arrepto pene gladio nulli Herodum pepercisset, si quem forte habuisset obvium.

2. Si Deus absque æternæ mercedis intuitu diligi non possit, jam diligendus non fuisset ab homine, si vel æternam ei mercedem non destinasset, vel suam ei probationem revelasset: atqui utrumque falsum est, & communi Theologorum Catholicorum sententiæ repugnat: ergo.

Obj. 1. cum Ethica amoris: Dilectio Dei perfecta imo & perfectissima præcipitur his Scripturæ verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: atqui hæc dilectio non præcipitur sine respectu Dei ad creaturas; hunc enim Dei ad nos respectum significant voces istæ: *Dominum Deum tuum*: ideo enim Dominus tuus, quia creator tuus, quia benefactor tuus, quia bonum tuum; ergo omnis Dei amor tendit in Deum ut nobis summe bonum. Tom. 2. p. 217. Matth. 22.

R. 1. Si valeat hæc ratiocinatio, impossibile ergo est, ut Deus propter semetipsum pure & simpliciter & gratis diligatur, adeoque jam diligendus non esset, si forte futurus non fuisset merces nostra magna nimis: atqui hoc non modo Mysticis omnibus, sed & sanctis Patribus repugnat, ut statim ostendi.

R. 2. Falli Ethicam cum credit ex consideratione Dei tanquam benefactoris & Domini non posse hominem accendi ad amorem Dei gratuitum: nihil enim æquitati & cordis bene constituti dispositionibus magis est consentaneum, quam ut propius inspectis Dei perfectionibus tum absolutis, tum etiam ad hominem relativis, eo usque progrediatur ut secum dicat: Deus ille, qui tot me beneficiis cumulavit, toties reo mihi pepercit, sanguinemque suum pro me effudit, tanto nunc mihi amore dignus videtur, ut eum diligerem, etiamsi jam nihil ab eo mercedis expectarem; eique deinceps confitebor: *non quoniam mihi bonus est, sed quoniam bonus est.* Quapropter dicendum est, objectis Christi verbis præcipi dilectionem Dei, quæ nunc magis aut minus perfecta est, prout ex motivo magis vel minus perfecto elicitur. Communiter tamen Scriptura ad amorem invitat proposito mercedis intuitu, quia, ut docet S. Chrysostomus, hæc ad Deum tendendi via infirmitati nostræ magis congruit; & pauci admodum Deo adhærerent, si nihil ab eo expectarent boni: unde illud Christi: *Quærite primum regnum Dei.* Hom. 13. in Epist. ad Hebr. Matth. 6.

Obj. 2. multos Patres, quos inter Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. c. 22.

Tunc, inquit, *est optimus homo, cum tota sua vita pergit ad incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi*; & S. Bernard. Serm. 25. de divers. *Hæc sunt, pro quibus incessanter .. ad Deum clament desideria tua, ut ... in eo vivas, & moriaris in ipso, ut gloriam ejus videre, & ipso frui in perpetuum merearis:* ergo non datur amor Dei pure gratuitus, ac proinde amor charitatis, ad Deum ut in se, simulque nobis bonum tendit.

R. neg. conseq. ii enim, aliique innumeri ejusdem generis textus probant quidem contra Novatores licitum & sanctum esse operari intuitu mercedis æternæ, eamque incessanter prosequi; sed non probant vel Deum non fore amandum, si mercedem non destinasset homini, vel neminem esse, qui ita aliquando Deum propter Deum diligat, ut tota ejus dilectionis ratio sit summa & absoluta Dei amabilitas.

Obj. 3. Amor, quo Deum ut nobis summe bonum prosequimur, est amor, quo tendimus in Deum ut finem ultimum: atqui amor, quo tendimus in Deum ut finem ultimum, pertinet ad charitatem stricte sumptam: ergo amor quo diligimus Deum ut nobis bonum est amor charitatis.

R. neg. min. ille enim solum amor juxta nos, &, ut supra dicebat Illustr. Bossuet, juxta Theologorum partem multo maximam, pertinet ad charitatem, quo Deus diligitur propter se solum, seu propter absolutam sui bonitatem: atqui Deus non diligitur gratis & propter se solum per amorem omnem, quo in eum ut in finem ultimum tenditur: qui enim tendit in Deum ut sibi ab eo bene sit, utque in eo obtento suaviter conquiescat, ille profecto non alium habet finem ultimum, quam Deum: porro implicat in terminis, ut quis in sensu composito Deum ut sibi ab eo bene sit, quærat, & tamen Deum gratis diligat & propter se; alioqui enim & gratis & simul *mercenarie* diligeret: ergo aliud est operari propter Deum propter se dilectum, aliud operari propter Deum tanquam ultimum finem; mirumque est quod Theologi, imo & Præsules eruditi hæc duo confundere videantur.

SECTIO QUINTA.

De effectibus spei.

Quatuor recenseri possunt vivæ spei effectus. 1. enim sperantem reddit bonis operibus intentum: spes enim spectata ut mera passio, id habet proprii ut animos accendat, diligentiam excitet, & acuat solertiam, ut vel removeat obices, vel etiam eos, si fieri potest, proprios in usus convertat: unde Sapiens, *Qui sperat*, inquit, *quocumque pergit, prudenter intelligit*, id est tali, ac tanta utitur circumspectione ut nullum prætereat medium, quo ad optatum finem devenire possit: idque, ut monet Christus, in hujus sæculi filiis cernere est, qui ut divitias comparent, vel a malo negotio se se expediant, improbo & antelucano labori incumbunt, industriam atque sagacitatem ingeminant, & in omnem se vertunt partem, ne a scopo suo excidant. Porro si ea sit vis spei in ordine naturali consideratæ, quid non præstabit, quid non aggredietur, quid relinquet intentati spes viva Christianorum? habet hæc pro objecto bonum, quod oculus non vidit, nec auris audivit, ut docet Apostolus, cui concinens sanctus gratiæ Doctor; *Vita*, inquit, *vitæ mortalis spes est vitæ immortalis*: ergo quo nobilior est finis ille, eo ardentius media omnia, quibus in eum tendat, inquirere homo, & inquisita amplecti debet. Neque vero trans mare currendum est ut hæc

Prov. 17.

Conc. 4. in Psal. 103. sub fin.

inve-

inveniantur, cum prosperis ut & adversis, gloria non secus, ac ignobilitate, bona perinde, ac mala fama regnum cœleste obtineri possit.

2. Spes theologica firmat in adversis, & mentem inter innumeras vitæ hujus varietates Deo arctis nexibus conjungit, juxta illud Apostoli: *Confugimus in medio calamitarum æstu, ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Sicut ergo, ait Augustinus in Psalm. 64. *de navi, quæ in anchoris est, recte dicitur, quod jam in terra sit; adhuc tamen fluctuat, sed in terra quodammodo educta est contra ventos & tempestates: sic contra tentationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa civitate Jerusalem facit nos non abripi in saxa.* Hinc est, quod justi tot ab Apostolo encomiis ditati, adversa quæcumque contempserint: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* In his autem omnibus superabundabant gaudio: quare vero? quia expectabant *fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus*; quia patriam inquirebant, & appetebant *meliorem, id est cœlestem*: ergo spei proprium est, ut in adversis nutantes animos confirmet.

Hebr. 6. 18.

Hebr. 11. v. 37.

Ibid. v. 10. & 14.

3. Eadem spes, nisi mortua sit, timorem mundanum fugat: mundanus enim dicitur ille timor, quo quis bonis temporalibus ita addictus est, ut, ne ea perdat, paratus sit vel legem aperte transgredi, vel eam falsis interpretationibus eludere: atqui timorem hunc ut plane sibi oppositum procul ejicit spes viva; secundum id Scripturæ, Isaj. 51. *Quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* 1. Petr. 3. *Timorem eorum ne timueritis.* Ergo quisquis spe viva instructus est, id solum timere debet, ne quidquam præter Deum timeat. Et vero si Deus omnipotens & auxiliator, qualis spe apprehenditur, sit pro nobis, quis contra nos? Unde belle Augustinus in Psal. 32. *Fera sævit, Deum time; serpens insidiatur, Deum time; homo te odit, Deum time; diabolus te impugnat; Deum time: tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere.* Et in Psalm. 26. *Protegitur imperator scutatis, & non timet: protegitur a mortalibus mortalis, & securus est: protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit?* &c.

Sed hic cave nos solum eum timorem rejicere ut mundanum vel humanum, quo quis ne malum aliquod ab hominibus patiatur, Dei legem violat, aut violare paratus est. Cæteroqui enim est aliquis hominum timor ita justus, ut in Scripturis præcipiatur. Sic Rom. 13. ait Apostolus: *Si malum feceris, time Principem: non enim sine causa gladium portat.* Ideo autem tunc timeri debet Princeps, quia gerit personam Dei, ejusque *minister est*, & ab eo constitutus *vindex in iram ei, qui malum agit.*

4. Demum spes Dei amorem inspirat, nutrit, & fovet. *Timor* enim, ait S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 3. *ex amore nascitur*; quandoquidem *illud timet homo amittere, quod amat*: atqui in spe theologica reperitur amor Dei, ejusque possidendi desiderium: ergo ex eadem spe nascitur timor supremum hoc bonum amittendi, qui ipsissimus est timor Dei: an autem & quatenus timor ille bonus sit & supernaturalis, expendit Tournely ubi supra.

Ibid.

SECTIO SEXTA.

De peccatis spei oppositis.

DUpliciter contra spem peccari potest, omissione scilicet, cum non elicitur actus spei eo tempore, quo urget ejusdem eliciendi præceptum; & commissione, cum vel nimium, vel non satis speratur de misericordia Dei, seu, ut communiter ajunt, cum de ea præsumitur aut desperatur. Cum necessitas eliciendi actus spei satis colligatur ex necessitate eliciendi actus fidei charitatis, superest ut de præsumptione & desperatione differamus.

Præsumptio est futilis & temeraria expectatio beatitudinis, & mediorum illius assequendæ; seu inordinata fiducia beatitudinem a Deo obtinendi aliter, quam ipse statuit obtinendam esse: ut cum quis confidit se consecuturum gloriam, vel per solam fidem sine operibus, quæ est præsumptio Lutherana; vel per solas naturæ vires, quæ est præsumptio Pelagiana; vel per auxilium beatæ Virginis, cui satis esse credunt aliqui si certum quoddam orationis pensum singulis diebus persolvant, etsi interim vitam omnino carnalem degant; vel, ut vulgo dicitur, per bonum *peccavi*, in hora mortis emittendum; quia, inquiunt, scriptum est: *Impietas non nocebit* impio, *in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Ad præsumptionem revocari potest tentatio Dei, de qua dictum est tom. 2. p. 304.

Desperatio est voluntaria animi dejectio & diffidentia, per quam abjicitur spes obtinendæ beatitudinis: *propter existimatam impossibilitatem*
2.2. q. 48. art. 4. *ejusdem obtinendæ*, ait S. Thomas; ut cum quis ob peccatorum suorum
Gen. 4. v. 13. multitudinem & excessum exclamat cum Cain: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*. Item cum apprehendit aliquis aut peccati fugam, aut mandatorum Dei executionem ut adeo difficilem & arduam, ut animum despondeat, & desperet futurum ut illa vitare, & ista adimplere possit.

De præsumptione & desperatione tria inquiri possunt. 1. an sint infidelitati conjunctæ. 2. an sint peccata lethalia, & lethalium gravissima. 3. quænam sint eorum causæ & remedia. De quibus sit

CONCLUSIO I. Præsumptio & desperatio semper denotant modicam & infirmam fidem, non tamen semper infidelitati connexæ sunt in Catholicis.

Prob. 1. pars. Præsumptio spem injicit divinæ bonitati male intel-
Joan 3. lectæ innixam; desperatio vero avertit oculos ab eximia ea charitate, qua *Deus sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: atqui utrumque erroris genus fidem admodum infirmam designat. Qui enim fide viva instructus est, cum timore & tremore salutem suam opera-
Eccli. 5. tur, & non tardat converti ad Dominum, neque differt de die in diem, quia fide cognoscit eos, qui in peccato suo consenuerunt, a via sua difficile admodum recedere; ergo ubi est fides viva, ibi præsumptio locum non habet. Aliunde vero neque ibidem locum habet desperatio: quia fides viva hanc Apostoli sententiam præ oculis semper habet: *Qui etiam proprio filio non pepercit: quomodo non etiam cum illo nobis omnia*
Rom. 8. *donavit? Quis ergo nos separabit a charitate Christi?* Hæc autem sententia spem a

spem inflammat, ac proinde desperationem abigit : ergo ubi viget præsumptio vel desperatio, ibi spem languidam esse oportet.

Prob. 2. pars. Ut præsumptio & desperatio infidelitati semper annexæ essent, necessum foret ut nemo præsumere posset vel desperare absque judicio speculative falso contra fidem: judicando v. g. cum Pelagianis se per naturæ vires salvari posse; vel cum Novatianis, se admisisse crimina, quæ per Ecclesiæ claves remitti non possint : atqui potest quis absque hujusmodi judicio vel præsumere, vel desperare : sicut potest, quis fornicationem committere, absque eo, quod contra fidem judicet licitum esse fornicari; ut docet S. Thomas. Hinc est, quod ex iis, qui desperant, multi sint, quibus persuasum est Deum & omnium hominum salutem velle, & iis media ad eam consequendam necessaria largiri; licet hæc ob ignaviam, & repetitos tentationis insultus non amplectantur. Aliunde multi ex iis, qui præsumunt, pœnitentiæ difficultatem, horrorem judiciorum Dei, angustam justitiæ & salutis viam, abunde norunt, & data occasione prædicant; tametsi iidem officia sua perfunctorie adimpleant, languide & fastidiose orent, studium & plerumque nugas præferant meditationi, &c. ergo potest quis & fidei dogmata speculative credere, & eadem non credere in praxi, ut ii faciunt, qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Vide Sylvium 2. 2. q. 10. art. 2.

CONCLUSIO II. Desperatio & præsumptio, si sufficiens adsit consensus, sunt peccata ex genere suo lethalia; non tamen omnium maxima, nisi hoc sensu, quod omnium sint maxime perniciosa.

Prob. 1. pars. 1. ex Scripturis. Eccli. 2. *Væ* dicitur *illis, qui perdiderunt sustinentiam* seu spem. Rom. 8. *Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ* : ubi desperatio tanquam grave peccatum reprehenditur. Nec minus reprehenditur præsumptio ibid. cap. 2. *Existimas, o homo .... quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Merito igitur dixit Augustinus Serm. 87. de verb. Evangel. *Ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes*. *Ad Tit. 1. v. 16.*

Prob. 2. ratione S. Thomæ. *In quolibet peccato mortali, principalis ratio mali & gravitas est ex hoc, quod avertit a Deo* : atqui peccata, de quibus loquimur, necessario avertunt a Deo. *Cum enim virtutes theologicæ habeant Deum pro objecto, peccata eis opposita important directe & principaliter aversionem a Deo:* atqui nemo negaverit peccata desperationis & præsumptionis suo unumquodque modo spei, quæ virtus est theologica, opposita esse : ergo necessum est ut avertant a Deo. Et id quidem evidens est 1. in desperatione : qui enim desperat, sic a Deo recedit & avertitur, ut jam ad comparandam ipsius possessionem laborare & conari nolit. 2. idem manifestum est in præsumptione; qui enim præsumit, pœnitentiam differt spe misericordiæ : atqui hæc agendi ratio horrendam a Deo aversionem complectitur. Quis enim ab ipso etiam facinoroso Principe veniam expectare ausit, postquam cædibus, rapinis, & sanguine Rempublicam turbaverit? Quis nisi animi impos sub spe veniæ hujus, quasi extra dubium omne positæ, scelera & facinora ingeminate præsumat? Quis dicat : Per annos viginti vel triginta leges omnes infringam, & tunc remittes quidquid deliquero quia deliquisse pœnitebit? Hæc tamen est in praxi agendi ratio præsumptoris : ergo grande est ejus peccatum.

Dixi

Dixi 1. *Si adsit sufficiens consensus:* quia licet conscientiæ timidiori homines, se aliquando desperationis reos esse credant, & hujus pecati se se accusent in tribunali pœnitentiæ, plerumque tamen aut nullum aut non nisi imperfectum præstant consensum turbulentis, quibus quatiuntur, desperationis motibus. Unde, ut monet Habert, veritatem explorare debent Confessarii, inquirendo præsertim an pœnitens ex illo affectu consueta pietatis officia intermiserit. Si enim ut solebat, officio suo satisfecerit, judicandus est non consensisse; quia desperatio ab exercitio virtutis, utpote jam inutili, avocat: secus si neglexerit, præsertim urgente præcepto: tunc enim pro negligentiæ gradu & præcepti gravitate plus aut minus consensisse reputabitur.

Dixi 2. *Peccata ex genere suo lethalia:* quia sicut levis offensa contra charitatem proximo debitam, charitatis habitum non aufert, sic videtur posse fieri ut leviter peccet, qui leve aliquod peccatum committit, præsumens se ejus veniam facile obtenturum; aut qui aliquem virtutis actum omittit, desperans se eum, ut par est, exequi posse: quo in puncto differt peccatum contra spem a peccato infidelitatis, quod nunquam leve est ratione materiæ, quia Deum & Ecclesiam, cum loquuntur, aspernari, semper est aliquid gravissimum.

Raro tamen præsumptio & desperatio a mortali vacant: unde gravis peccati reos se faciunt, 1. qui creata bona Dei possessioni præferunt, ideoque in hac vita perpetuo manere vellent. 2. qui ex diffidentia de Dei bonitate, vellent vel nunquam fuisse, vel annihilari. 3. qui de obtinenda peccatorum venia, & auxilio Dei necessario desperant. 4. qui se vitam æternam absque pœnitentia consecuturos temere confidunt. 5. qui ex spe misericordiæ Dei, vel in peccatis perseverant; vel postquam in unum mortale lapsi sunt, alia plura perpetrant, hoc prætextu, quod tam facilis sit plurium, quam unius condonatio.

Prob. 2. pars. Quia desperatio minus est peccatum, quam odium Dei, blasphemia, & sacrilegium; cum crimina hæc Deum ut in se est, impugnent, & majorem ejus contemptum includant; idem dicendum de præsumptione.

Confirm. quia duo hæc peccata spei soli adversantur: ergo minus gravia sunt quam quæ adversantur charitati, quæ omnium est virtutum nobilissima.

Eadem de causa desperatio & præsumptio sunt ex genere suo peccata iis graviora, quæ contra virtutes morales pugnant, ut avaritia, & injustitia: quia eo peccatum gravius est, quo præstantiorem virtutem aufert & destruit.

Prob. 3. pars. Quia spes revocat a malis, & inducit ab bona: ergo a contrario sensu, qui desperant, vitiis omnibus laxant frœna, ut saltem in hoc mundo bonis aliquibus fruantur. Hinc Jerem. 18. *Desperavimus: post cogitationes nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Et Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam;* ubi a desperatione gravia quæque crimina, tanquam ab infelici vitiorum omnium fonte scaturiunt.

Eumdem effectum parit præsumptio, quia qui præsumit, facilem cujuscumque criminis veniam sibi pollicetur. Merito igitur dixit Augustinus Serm. 20. *Si desperes, peris: si speres, peris; ubi tibi tutus locus erit ut ab utraque fovea te eripias? male desperabas, audisti:* In quacumque die conversus

ſus fuerit iniquus, omnes iniquitates ejus obliviſcar; *male ſperare cæperas, audiſti*: Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem.

Obj. 1. contra ſecundam Concluſionis partem. Peccatum contra Spiritum ſanctum, cœteris eſt gravius; cum ideo ſit remiſſu difficilius, ut patet ex Matth. 12. Marci 3. & Luc. 12. atqui ex S. Thoma, aliiſque omnibus, deſperatio & præſumptio ſunt peccata contra Spiritum ſanctum. Nam peccata contra Spiritum ſanctum ea ſunt, quæ ſpecialiter impugnant Dei bonitatem, & dona ejus, quibus revocamur a malo: atqui hoc faciunt deſperatio & præſumptio; deſperatio quidem, cum importet diffidentiam de bonitate Dei, ſaltem prout ad præſentem deſperantis ſtatum relativa: præſumptio vero, cum hæc non ſubſiſtat ſine contemptu aliquali vel juſtitiæ divinæ, vel donorum, quibus hic & nunc incitatur homo ad bene operandum: ergo deſperatio & præſumptio ſunt peccata omnium graviſſima.

R. neg. maj. & dico peccatum minus grave, aliquando & periculoſius eſſe & remiſſu difficilius, quam peccata alia in ſe graviora. Ratio eſt, quia peccatum eo remittitur difficilius, quo majorem habet oppoſitionem cum ſpiritu pœnitentiæ, ſine quo non remittuntur peccata: atqui fieri poteſt ut peccatum etſi minus grave, quam aliud, majorem habeat oppoſitionem cum ſpiritu pœnitentiæ, ſine quo non remittuntur peccata. Sic, & hoc utinam aliquando ponderent & ponderati faciant Oratores Chriſtiani in Cathedra veritatis, furens vindictæ appetitus facile magis coercetur, quam frigiditas erga proximum, etſi hæc minus ſit gravis, quam ille: ergo non ſemper ex remiſſionis difficultate æſtimanda venit gravitas peccati, ſed ex oppoſitione peccatoris cum ſpiritu pœnitentiæ. Hanc porro cum pœnitentiæ ſpiritu oppoſitionem habent peccata contra Spiritum ſanctum, ut ſaltem de deſperatione & præſumptione patet ex iis, quæ hactenus dicta ſunt: ergo licet minus gravia, ſunt tamen condonatu difficiliora.

Cœterum haud credo, ex citatis trium Evangeliſtarum locis colligi poſſe an deſperatio vel præſumptio tam difficile remitti poſſint, quam blaſphemia contra Spiritum ſanctum, de qua in iiſdem locis agitur. Hæc enim blaſphemia in eo ſita erat, quod Judæi divina Chriſti opera attribuerent principi dœmoniorum, non ex ſubreptione paſſionis, ſed ex mera malitia: quo quidem crimine vix gravius ullum excogitari poteſt.

Obj. 2. Deſperatio Deum in ſe impugnat, ut patet in eo, qui deſperat eo, quod Deum credat immiſericordem: ergo deſperatio ejuſdem eſt gravitatis, ac odium Dei, & ſimilia.

R. 1. neg. conſeq. ſi enim ſpes licet Deum immediate attingat, minus nobilis eſt, quam charitas; ſic econtra deſperatio licet Deum in ſe impugnare dicatur, minus gravis eſt, quam Dei odium, quod plenius & indigniori modo Deum offendit.

R. 2. in hac hypotheſi lædi quidem Deum in ſe, ſed per infidelitatem deſperationi tunc conjunctam, non vero per deſperationem præciſe & ſolitarie ſumptam: qui enim deſperat, abſolute credere poteſt Deum eſſe ſumme bonum & miſericordem, licet ab iis attributis oculos avertens, eoſque in propriam infirmitatem & lapſus repetitos, nimium intendens, diffidat ſe juſtitiæ ejus unquam ſatis eſſe facturum.

CONCLUSIO III. Duæ ſunt deſperationis cauſæ, luxuria ſcilicet, & præci-

præcipue acedia : duæ item causæ præsumptionis, superbia nimirum ; & inanis gloria.

Prob. 1. pars, quia homo luxuriæ deditus, ita venereis delectationibus abripitur, ut vel cœlestia bona nihil ducat ; vel cum ad proprium cor reverti incipit, simul desperet tum de miseræ & adhæsivæ libidinis victoria, tum de beatitudinis consecutione.

Prob. 2. pars, quia acedia est fastidium, languor & tædium in exercitio virtutis, quam quis nimis difficilem reputat, & ideo abjicit : atqui vitium illud præcipua est desperationis causa ; cum impediat ne bonum sperandum videatur possibile ? & idcirco maxime adversetur spei, quæ subsistere nequit, nisi subsistat objecti sperati possibilitas.

Prob. 3. & 4. pars, præsumptio aut propriis viribus innititur, cum nempe existimat homo se propria industria consequi posse id, *quod propriam virtutem excedit* ; aut *innititur inordinate divinæ misericordiæ vel potentiæ*, cum quis *sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel veniam sine pœnitentia* ; vel demum se cum volet & ubi volet facturum esse pœnitentiam : atqui prior præsumptionis species oritur ex inani gloria ; cujus proprium est ut in id tendat, quod supra vires suas positum est : posterior vero nascitur ex superbia ; quia qui sic præsumit *: tanti se æstimat* ut credere videatur, quod *Deus etiam peccantem non puniat ; vel non excludat a gloria*, aut saltem & tempus & efficacem pœnitentiæ gratiam, ad nutum sit ei concessurus. Et vero, ut pie discurrit Theologus Parisiensis, an non intolerandæ est superbiæ, quod vir reus mortis, dignus gehenna, nedum Deum sibi precibus & lachrymis propitium reddere enitatur, de illius misericordia disponere præsumat, tanquam dominus, qui famulo diceret : Recede nunc, non placet opera tua uti, præsto eris cum vocavero, vel in id solum nunc adesse te volo, ut iniquitatibus meis servias ? atqui hæc tamen est præsumptoris agendi ratio. Cum enim pœnitentiam differt, nonne legem Deo imponit, præscribitque ei tempus, quo debeat opitulari ? Nonne se gerit, quasi salus, non jam sit Dei miserentis opus, sed volentis hominis ? &c.

S. Thom. 2.2.q. 21. art. 4.

Cum contraria contrariis curentur, luxuriæ, quæ desperationem parit, opponendus est amor castitatis, cui annexa est spes beatitudinis secundum id Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Acediæ substituendus cœlestium gustus : unde sicut fastidiens stomachus levatur malorum humorum egestu, ut solidiores cibos appetat ; sic mens, quæ cœlestia fastidit, quia gravatur terrenis, iisdem est exoneranda, ut cogitet, quæ sursum sunt, & ad ea conetur. Superbiæ & inanis gloriæ vices excipere debet tum humilitas, tum humilitatis comes profunda justitiæ Dei, ejusque judiciorum meditatio. Cogitandi sunt dies antiqui, & sæpe revolvenda hæc Scripturæ oracula : *Dies Domini sicut fur in nocte*. 1. Thess. 5. *Qua hora non putatis, filius hominis veniet*. Luc. 12. *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem*. Eccli. 5. ad quod alludens gratiæ & charitatis Doctor : *Si mihi legis*, inquit, *de Libro sancto, sicut indulgentiam tibi promissam esse converso ; sic tibi promissum crastinum diem, differt ad crastinum ; prorsus, quando te converteris, dabit : sed ipsum quando, quando est ?*

A R-

ARTICULUS TERTIUS.

De Charitate.

CUM charitas sit ignis ille, quem Salvator de cœlo venit mittere in terram; hæc virtutum gemma, quæ cœteras ornat & perficit; hæc nuptiarum vestis, quam qui non habet, mittitur in tenebras exteriores, quam econtra qui gestat, multitudinem exuit peccatorum; ideo nobis de ipsa in præsenti Tractatu, quam fieri poterit, accurate disserendum est. Priscam ergo methodum impensius secuti, dicemus 1. de essentia & divisione charitatis. 2. de ejusdem objecto. 3. & 4. de necessitate & ordine ipsius. 5. de ejus actibus internis & externis, præcipue vero eleemosyna & correctione fraterna. 6. de peccatis charitati oppositis. *S. Thom. 2. 2. q. 23. & seq.*

SECTIO PRIMA.

Quid charitas, & quotuplex.

AMbiguum valde est charitatis nomen: sumitur enim 1. pro dilectione etiam mala, qualis est amor meretricis. 2. pro dilectione bona quidem, sed in ordine naturali, qualis esse potest propriæ uxoris dilectio; quo sensu intelligitur a quibusdam id Proverb. 15. *Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio.* 3. pro eo amore, quo a Deo diligimur *in charitate perpetua.* 4. pro amore supernaturali, quo Deum, proximumve actu vel habitu diligimus. Hæc pene omnia docet celebris ille sancti Augustini locus: *Charitas alia est divina, alia humana; alia humana licita, alia illicita .... licita est humana charitas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix vel uxor aliena* &c. De Charitate quarto sensu accepta loquimur in præsenti. Cum autem Deus supernaturaliter diligi possit, vel gratis & propter se, vel ut ab eo nobis bene fit, palam est nos de sola priori dilectionis specie, quæ stricte charitas nuncupatur, sermonem habituros in hocce Tractatu. Hæc vero in genere habitus considerata definitur: Virtus infusa theologica, qua Deum propter se super omnia diligimus, & cœtera propter ipsum. *Grandin hic pag. 171. Habert. &c.* *Tom. 5. Serm 349. de charit.*

Dicitur 1. *virtus*. Nullus enim est habitus, qui virtutis nomen æque mereatur ac charitas. Charitas enim facit hominem simpliciter & ex omni parte bonum, cum & ab eo excludat omne peccatum saltem grave, & virtutes omnes perficiat atque informet; cœteri vero habitus, quicumque sint, non faciunt hominem bonum nisi secundum quid, & inadæquate. Unde belle Augustinus: *Habere nomen Christi*, adeoque a simili habere temperantiam, castitatem, aliasque ejusdem generis virtutes, *& malus potest: habere autem charitatem, & malus esse non potest.* *Tract. 4. in Ep. 1. Joan. n. 6.*

Dicitur 2. *infusa*: quia talis ac tanta virtus propriis viribus comparari nequit: unde Apostolus Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Hinc obiter intelliges erroneam esse opinionem Magistri Sententiarum contendentis charitatem esse ipsummet Spiritum sanctum. Charitas

S. ∬. 6. c. 11. tas enim, juxta Tridentinum, ita cordibus nostris infunditur ut iis inhæreat: porro ipsa Spiritus sancti substantia cordibus nostris nec inhæret, nec, ut accidens, inhærere potest. Quapropter id S. Joannis: *Deus Charitas est*, hoc solum sensu intelligi debet, quod Deus & objectum & principium sit charitatis. Illud vero S. Augustini Lib. 8. de Trinit. cap. 8. *Fraterna dilectio, qua diligimus invicem, non solum ex Deo est, sed etiam Deus est*, quod, ut notat S. Thomas, quibusdam errandi occasionem dedit, solum significat charitatem esse quamdam Dei participationem. Ideo enim, præsertim in usu Platonicorum, *quorum doctrinis imbutus fuit Augustinus*, dicimur *boni*, *bonitate*, *quæ est Deus*, & *sapientes*, *sapientia quæ est Deus*; *quia bonitas, qua formaliter boni sumus, est participatio quædam divinæ bonitatis* &c. Et vero alibi pluries distinguit Augustinus charitatem, qua Deum diligimus, a charitate quæ Deus est. Sic Tract. 26. in Joan. *Justitia Dei*, inquit, *hic dicitur, non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit per Deum*: porro justitia, qua justi sumus, idem est ex Augustino cum ipsa charitate, juxta tritum

Illic art. 2. ad 1.

Lib de nat. & gr. c. ult. istud S. D. *Charitas incboata, incboata justitia*, & Tract. 6. in Epist. S. Joannis: *Quid est*, inquit, *Spiritus interpellat pro nobis, nisi ipsa charitas, quæ in te per Spiritum facta est*?

Dicitur 3. *theologica*, quia Deum pro objecto immediato habet, eumque attingit perfectissime: fides enim credit, spes inquirit, at charitas quasi tenet & amplectitur. Hinc author Lib. de divinis nominibus, amorem vocat omnium divinorum divinissimum. Unde patet charitatem cæteris virtutibus longe perfectiorem esse: tum quia cæteræ virtutes ad eam ordinantur; tum quia charitas non evacuatur, sed in æternum manet;

1. Cor. 13. *major* ergo est omnium virtutum *charitas*, ait Apostolus.

Dicitur 4. qua Deum *propter se* diligimus; & sic distinguitur amor charitatis ab amore spei, qui pro objecto habet bonitatem divinam, non in se simpliciter, sed prout est bonum nostrum. Hinc amor charitatis ille ipse amor est, qui dicitur *benevolentiæ*, quo nimirum alteri benevolumus & facimus quantum in nobis est, non nostri, sed illius gratia. Sicut enim pater amore benevolentiæ suppeditat alimenta filio, pabulum vero jumentis amore concupiscentiæ, quia primum facit in gratiam ipsius filii, secundum vero in gratiam sui, propriumque commodum; sic charitas in Deum tendit ob solum Dei intuitum; amor autem concupiscentiæ quisquis ille sit, Deum inquirit ut sibi bene sit ab eo. Quod motivum etsi redargui nec possit nec debeat, cum & naturæ nostræ admodum conveniat, & legibus a Deo constitutis plane consonet, minus tamen perfectum est, ut ex se patet. Cæterum si is solum amor sit benevolentiæ, quo alteri bene volumus & facimus quantum in nobis est, manifestum est charitatem non in sterili complacentia de Dei perfectio-

1. Ep. c. 3. nibus, sed in operatione totam consistere, secundum illud S. Joannis *Non diligamus verbis, neque lingua, sed opere & veritate*, cui belle concinit S. Gregorius his verbis: *Amor magna operatur, si est: aut si operari renuit, amor non est*. Qui ergo, ut pie notat Habert, verba hæc ingeminat, *Sanctificetur nomen tuum*, & tranquillus manet, cum læditur honor Dei, cum detrahitur proximo; cum impura verba proferuntur; ille profecto verbo tenus, non reipsa Deum amat amore benevolentiæ.

Dicitur 5. *super omnia*. Quoniam vero Deus duplici modo diligi potest

est super omnia, *intensive* scilicet, cum voluntas in eum maximo conatu tendit; *appretiative*, cum eadem voluntas Deo tam plene, tamque firmiter adhæret, ut nihil timeat magis, quam ei displicere, & ab eo separari; expendemus infra, an ad veram charitatem sufficiat dilectio appretiativa; ut cum aliis plerisque docet Tournely tom. 1. de Pœnit. quæst. 4.

Dicitur 6. *Deum .... & proximum propter Deum*, quibus indicatur adæquatum charitatis objectum, de quo dicemus paulo post.

Ex his colligere est charitatem spectatam in genere actus esse actum amoris benevolentiæ, quo Deum super omnia propter se; & nosmetipsos, ac proximum sicut nos, propter Deum amamus. Is autem benevolentiæ actus simul est actus amicitiæ. Ad amicitiam enim quatuor requiruntur, 1. ut amor sit benevolentiæ erga amicum; *ridiculum enim est dicere*, ait S. Thomas, *quod aliquis habeat amicitiam ad vinum vel ad equum, quos propter se amat*. 2. ut amor sit mutuus. 3. ut notus sit utrique amanti, ac proinde ut natus sit ex amore actuali, qui saltem virtualiter perseveret. Nam ne ipsi quidem justi dicere possunt se esse amicos eorum, quos nondum amarunt, etsi omnibus justis insit generalis amor charitatis erga omnes homines. 4. ut fundatus sit in communione bonorum, quia inter amicos omnia sunt communia: atqui eæ conditiones apprime conveniunt charitati, sive qua Deus hominem, sive qua homo Deum prosequitur. *Hic art. 1.*

1. enim charitas in utroque, Deo scilicet & homine, est amor benevolentiæ, ut jam diximus. Nec refert, quod Deus ad gloriam suam referat bonum, quod homini vult. Non enim bonum, quod homini vult, refert Deus ad gloriam suam ex effectu proprii commodi, & quasi propriam non autem hominis utilitatem intendat, sed quia aliter non potest ordinate velle bonum homini; cum necesse sit ut ipse supremus sit rerum omnium finis. Ut ergo vera sit Dei ad hominem amicitia, sufficit ut, quas Deus hominibus confert gratias, has iisdem propter ipsorum commodum conferat. Eadem de causa tametsi bonum, quod amicis nostris optamus, ad Deum referatur, non desinit tamen eos inter & nos vera esse amicitia, quia & bonum, quod optamus amicis, iisdem in ipsorum gratiam optamus, & reipsa bonum illud in eorum utilitatem cedit. Et certe Scriptura cujus litteræ semper inhærendum, quantum fieri potest, veram Deum inter & homines amicitiam pluribus in locis exprimit: sic Psal. 138. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*. Sic Joan. 15. *Vos amici mei estis*.

2. Amor Deum inter & hominem mutuus est, ut patet ex Joan. 24. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum*.

3. notus est & manifestus tum Deo, qui illum infundit, tum hominibus, qui certitudine non omnimoda quidem, sed morali norunt se Deo adhærere, ita ut eorum alii cum Apostolo utcumque exclamare possint: *Certus sum, quia neque mors, neque vita ..... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei*; alii cum Augustino in teneras illas voces erumpere: *Non dubia, sed certa conscientia, Domine, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te*. Cur autem moraliter cognoscat homo Deum a se amari, docet Apostolus his verbis: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. *Rom. 8.* *L. 10. Conf. c. 6.* *Ibid.*

4. de-

4. Demum amor ille mutuam importat bonorum communicationem; quia quidquid habet justus a Deo, hoc in Deum refundit, juxta id Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Quod exigit Aristoteles, ut par sit amicorum conditio, pertinet ad eam amicitiæ speciem, quæ dicitur *æqualitatis*, non ad eam, quæ vocatur *supereminentiæ*.

Charitas dividitur in habitualem & actualem, ut patet ex dictis. Actualis dividitur in perfectam, quæ multos habet intensionis gradus, & imperfectam, quæ pauciores habet. An autem imperfecta homini justificando per se sufficiat, an non vero ad hoc necessum sit ut ad certum usque intensionis gradum progrediatur, fuse expendit Tournely in loco jam citato. Charitas imperfecta dividitur a quibusdam, in eam, quæ est super omnia, qualis inest iis, qui in remissiori gradu justi sunt; & eam, quæ non est super omnia, qualis inesse potest ei, qui pauperi stipem erogat propter Deum, & tamen mortalem ad creaturas affectum conservat. Verum is misericordiæ actus, nec ab habitu charitatis theologicæ procedit, nec in sententia ejusdem Tournely, pro amore essentialiter vero haberi potest, nisi sit super omnia.

SECTIO SECUNDA.

De objecto charitatis.

Efficientem charitatis causam esse Deum, subjectivam vero ipsam esse hominis voluntatem, fatentur omnes, & expresse docet Apostolus, his verbis: *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Tota igitur, quæ hic suboriri potest, difficultas spectat ad causam materialem *circa quam*, seu, ut clarius nunc loquimur, ad objectum charitatis: de quo ut aperiam, quid sentiendum sit, notandum cum S. Thoma, aliquid dupliciter diligi posse, 1. quidem ut diligitur amicus. 2. ut diligitur res amici. Aliud enim est persona ipsa amici, cui bonum volumus, aut de cujus bono delectamur; aliud bonum ipsum, quod volumus amico, aut quod in eo esse gaudemus. Ut quis ex charitate diligatur tanquam amicus, necesse est ut in eo eluceat divina bonitas, & ut capax sit beatitudinis, in cujus communicatione fundatur amor charitatis; sed hæc necessaria non sunt, ut quid tanquam res amici diligatur. His positis, sit

[Margin: Rom. 5. — 2. 2. q. 25. art. 2.]

Conclusio I. Objectum charitatis, cui bonum volumus, est primo Deus; secundo nos ipsi; tertio proximus.

Prob. 1. pars. Ille est primum & principale charitatis objectum, ad quem charitas primario terminatur: atqui charitas ad Deum primario terminatur. Ad eum enim primario terminatur charitas, qui ita diligitur, ut propter se ametur, cœtera vero nonnisi propter ipsum: atqui Deus &c.

Prob. 2. pars. Qui jubetur proximum diligere sicut seipsum, ille profecto seipsum diligere debet, ut amor sui sit ipsi regula amoris proximi: atqui homo se ipsum diligere jubetur his Christi verbis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

[Margin: Luc. 10.]

Prob. 3. pars, 1. ex ratione mox data. 2. quia charitas id omne pro obje-

objecto materiali habet, in quo relucet objectum formale charitatis; ut ex terminis patet: atqui formale charitatis objectum, quod est divina bonitas, & in nobis, & in proximo relucet. Quod enim Deus per essentiam habet, hoc proximus, & nos habemus per participationem.

Hic autem proximi nomine intelliguntur ii omnes, quibus beatitudinem, aliaque supernaturalia bona ad beatitudinem conducentia velle possumus. Unde proximi nostri sunt. 1. omnis homo viator, sive fidelis sive infidelis, sive justus sive peccator, quia iis omnibus, & beatitudinem, & media ad ipsam, puta fidem vel resipiscentiam velle possumus, & debemus. 2. omnis homo comprehensor. 3. eadem de causa Angeli, quia de eorum felicitate gaudendum est: & aliunde si non de ipsis nos, at ipsi de nobis bene mereri possunt: is autem proximus noster censeri debet, de quo vel bene meremur, vel qui bene meretur de nobis. 4. Christus ut homo, qui, qua talis, capax est & particeps summæ beatitudinis.

Obj. contra secundam partem. Si homo seipsum ex charitate diligere teneatur, vel secundum corpus, vel secundum animam: neutrum dici potest. Non primum, quia carnem nostram jejuniis, vigiliisque affligere debemus, juxta id Apostoli: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt*. Gal. 5. 25. Non secundum: tum quia amor sui est periculosus ex eod. Apostolo 2. ad Timoth. 3. tum quia *nemo proprie ad semetipsum charitatem habere dicitur*, ex S. Gregorio: unde charitas nonnisi duos inter subsistere potest.

R. ad 1. neg. min. Ad 2. tenemur quidem corpus affligere, sed non ex ipsius odio, bene vero ne adversus spiritum rebellet, & ne perceptis in hac vita cum divite epulone bonis suis, in altera cum eodem crucietur. Ad 3. periculosus quidem est amor sui inordinatus, sed non ille, quo anima semetipsam in Deo, & propter Deum diligit. Quod dicit S. Gregorius, intelligendum est de amicitia stricte sumpta, quæ, qua talis, necessario reciproca est, & duos exigit; non autem de ipsa charitate sumpta simpliciter, quæ nos, sicut & proximum habet pro objecto. *Hom. 17. in Evang.*

Obj. 2. contra tertiam partem. Peccatores odisse debemus, cum *odio* sint & *Deo*, & viris justis, secundum id Psaltæ: *Iniquos odio habui*. *Psal. 118. & 138.* *Perfecto odio oderam illos*: ergo eosdem diligere non possumus.

R. dist. peccatores odisse debemus ratione peccati, C. ratione naturæ, N. Natura enim in quolibet viatore, quantumvis longe videatur a regno Dei, semper est capax pœnitentiæ, &, quæ pœnitentiam sequitur, beatitudinis: atqui utrumque peccatoribus velle, & pro viribus procurare tenemur: ergo & eos ex hac parte diligere tenemur, licet reduplicative prout Dei hostes, odio perfecto habendi sint, quocumque aliunde vinculo nobis connectantur.

Hinc sequitur damnatos non constituere partem proximi illius, quem ex charitate diligere tenemur; quia ratione naturæ incapaces sunt beatitudinis, cujus tamen possibilitas est conditio in iis prærequisita, quibus charitatis amorem impendere tenemur.

Conclusio II. Objectum materiale charitatis, quod diligitur tanquam res amici, est illud omne, quod aliis velle possumus in ordine ad beatitudinem. Res per se patet. Porro ea, quæ sive Deo sive proximo volumus, sunt 1. propagatio divini cultus. 2. ipsamet charitas,

aliæque virtutes, quas proximo exoptamus, 3. creaturæ etiam irrationales, quarum aliæ, utpote quæ sint in ordine supernaturali, ut dona gratiæ & gloriæ, simpliciter & per se diligi debent; aliæ vero, ut divitiæ & valetudo, non possunt diligi nisi in quantum ad Dei gloriam, nostramque & proximi beatitudinem ordinantur. De his & similibus adi Sylvium q. 25.

Conclusio III. Objectum formale charitatis, qua Deum & proximum diligimus, est bonitas ejus absoluta; seu est infinita illa perfectio, qua Deus redditur summe amabilis: bonum enim & perfectum voces sunt hic synonimæ.

Prob. 1. pars de charitate erga Deum. Objectum formale virtutis est ratio formalis, sub qua eadem virtus objectum suum attingit; seu, ut loquuntur alii, est motivum illud, quod agens ad ejusdem virtutis exercitium determinatur: atqui summa & infinita Dei perfectio illa ipsa est ratio, illud motivum, quo ad charitatis exercitium determinamur. Hæc enim unica assignari potest ratio charitatis; quæ si proprium in exercitio suo commodum & *interesse* quæreret, jam non esset charitas, sed amor concupiscentiæ, ut ex dictis Articulo præcedenti evidens est: ergo.

Confirmatur. Objectum charitatis debet omnium esse præstantissimum; ergo motivum ejus debet esse omnium præstantissimum: atqui nullum esse potest motivum præstantius, quam ipsa infinita Dei perfectio, propter se solam dilecta: ergo.

Prob. 2. pars, de charitate erga nos & proximum. 1. ex S. Augustino
Lib. 8. de sic loquente: *Ex una eademque charitate Deum proximumque diligimus;*
Trin. c. 8. *sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.*

2. Ut divina bonitas sit objectum formale charitatis, qua nos & proximum diligimus, satis est ut per charitatem non diligamus proximum in se & simpliciter, sed vel prout in eo relucet divina perfectio, vel prout proximus est quoddam bonum, quod Deo volumus propter Dei ipsius gloriam; atqui res ita se habet. Dilectio enim proximi propter ipsum non esset virtus theologica, quia Deum non haberet pro objecto;
2. 2. q. 10. sed esset *alia amicitia differens a charitate secundum alias rationes, qui-*
a. 3. ad 2. *bus homines amantur*, ait S. Thomas; ergo ratio diligendi proximum ex charitate est sola Dei bonitas, quæ in proximo consideratur, vel sola Dei gloria, cui proximum volumus ut bonum quoddam, quo ipsa extrinsece augeri potest; seu, ut loquitur Contenson, diligitur ex charitate proximus, quia spectatur ut Deus participative, secundum id Psalmi: *Ego dixi: Dii estis.*

Dices: Ratio diligendi proximum non potest esse aliquid proximo extrinsecum: atqui divina bonitas est quid extrinsecum proximo.

R. neg. maj. tam enim proximus propter Deum diligi potest, quam res amici propter amicum, & medicina propter sanitatem; ad hoc ergo ut unum propter aliud diligatur, sufficit ut aliquam ad ipsum relationem habeat: hanc autem ad Deum habitudinem habemus nos & proximus; ergo Deus ratio esse potest, cur nos & proximum diligamus.

An autem actus, quo diligeretur proximus secundum se, puta ob supernaturales, quibus abundat, virtutes, abstrahendo a consideratione Dei, an inquam is actus eliciatur a charitate, ut docet Martinon disp. 18. sect. 1. & 2. an non potius eliciatur ab aliqua virtute, quæ chari-

charitati inferior sit, ut censent Vasquez, Lessius, & alii, nostrum non est perpendere, sed Scholasticorum: ad utiliora, & magis practica properamus. Sit itaque

SECTIO TERTIA.

De necessitate, & conditionibus charitatis.

CErtum est 1. dari præceptum de diligendo tum Deo tum proximo: *Diliges*, ait Christus Matth. 22. *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* 1. Joan. 3. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Atque ea diligendi proximi obligatio ad ipsos etiam inimicos extenditur; nam & eos diligi præcipiunt Scripturæ. Matth. 5. *Ego autem dico, diligite inimicos vestros*. Rom. 10. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*, juxta scilicet exemplum Christi, *qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur*, sed pro crucifixoribus suis orabat. In re tam manifesta superfluum esset plura Patrum testimonia congerere; omnium instar sit August. qui sic Deum alloquitur lib. 1. Conf. cap. 5. *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?* Ibid. lib. 10. cap. 6. *Et cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles*. Et vero, quod necessarium est necessitate medii, est quoque necessarium necessitate præcepti: atqui Dei, & proximi amor est necessarius necessitate medii; tum quia *qui non diligit, manet in morte*. Joan. 3. 15. tum quia *si habuero omnem fidem.. & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* ad salutem, ait Apostolus 1. Cor. 13.

Certum est 2. præceptum charitatis negativum obligare omni tempore, quia nihil unquam agere licet, quod Dei proximive charitati adversetur. Tria igitur hic discutienda manent. 1. quando obliget amor Dei. 2. quando amor proximi. 3. quæ in amore inimicorum servandæ sint leges.

CONCLUSIO I. Præceptum charitatis Deo debitæ, prout affirmativum, non obligat semper, & pro semper; obligat tamen sæpissime.

Prob. 1. pars. 1. auctoritate S. Thomæ, qui præceptum charitatis comparat cum præcepto honorandi parentes, & ita *ista* esse *duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper*, quæ proinde *possunt pro diversis temporibus obligare*: unde *potest contingere quod aliquis implens* verb. gr. *præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis*. 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2.

Confirmatur ratione, qua ibidem utitur Sanctus Doctor in argumento sed contra. Si præceptum charitatis obligaret pro semper; seu, ut loquitur Sanctus Thomas, si modus charitatis caderet sub præcepto erga omnes cujuscumque virtutis actus, quisquis eliceret actum virtutis absque charitatis imperio, peccaret mortaliter, quia, ut expresse docet Angelus Scholæ, *quicumque non servat præceptum* charitatis; quo tempore obligat,

peccat mortaliter: atqui *hoc est inconveniens*, & eo usque inconveniens ut sit hæreticum, quia alioqui homo nunquam peccaret nisi mortaliter: ergo.

Cum hac doctrina stat, omnes & singulos hominis actus ad Deum referendos esse, ut alibi dictum est.

Prob. 2. pars. 1. ex censura tum a Romanis Pontificibus, tum an. 1700. a generalibus Cleri Comitiis lata adversus scandalosas laxiorum Casuistarum propositiones, quarum prima est: *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis*. Secunda, *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum*. Tertia, *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. Quarta, *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus*. Quinta, *Sufficit ut actus tendat in finem ultimum interpretative; hunc homo non tenetur amare, neque in principio neque in decursu vitæ moralis*. Quæ quidem propositio cœteris pejor, damnata est a Clero Gallicano ut hæretica.

Prob. 2. magis definite ex Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum.*.. *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis* (notent Parochi, ut per eos notent parentes), *& meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ*. Quare autem meditandum est præceptum de dilectione Dei, nisi quia implendum est? quare vero tam crebro meditandum est, nocte scilicet & die, in domo, & itineribus, nisi quia crebro implendum est?

1. Tim. 1. Prob. 3. ratione fidei, naturæque innixa. Charitas homini imperata quædam est amicitia cum Deo; amicitia, inquam, *ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*, ut loquitur Apostolus; seu ut loquitur

Luc. 19. Christus ipse, *ex tota anima, & ex omnibus viribus*. Quæro autem an talis charitas potuerit præcipi cum licentia suspendendi exercitii ejus per annos plures, vixque semel intra quinquennium exercendi. An non amicum contemnere censetur, qui raro de eo cogitat, rarius loquitur, rarissime invisit, præsertim cum hæc omnia nullo negotio, sed facile æque ac utiliter præstare potest? An pater, & quisquis jus habet inconcussum exigendi ut ab alio ametur, sibi satis esse factum credet, si semel tantum, aut raro, aut velut ab invito, & in casu necessitatis diligatur? Sane qui odiosa hæc principia circa Dei amorem statuerunt, impatientissime ferrent si quis eadem de amore ipsis debito docere præsumpsisset. Sæpius ergo obligat præceptum divinæ dilectionis, licet expresse definiri non possit per quot dies absque gravi culpa differri queat.

Sunt tamen casus non pauci, in quibus saniorum Theologorum judicio charitatis actus sub præceptum cadit. Sic 1. juxta multos docet S. Thomas, cui assentire videtur S. Franciscus Salesius Lib. 10. de

1. 2. q. 89. art. 6. amore Dei cap. 6. hominem a primo usus rationis momento teneri sub mortali ad eliciendum amoris Dei actum, quo Creator cœteris omnibus præferatur. Hæc doctrina, licet non paucis videatur esse severior, ad duo tamen inservire potest. 1. ut moneantur parentes, magistri, tutores, quanta cura parvulis suis Deum prout super omnia

nia

nia amabilem proponere debeant, ut sensim adolescente jam ratione ad efformandum veræ charitatis actum habiles, & prompti efficiamur. 2. ut in dubio an officio huic satisfecerimus in infantia, peccatum hoc quod multi contra multos graves esse putant, apud Confessarium deponamus, ut deponendum esse docent Cajetanus, Navarrus, & Pontas v. *Charité* cas. 3.

2. Urget charitatis præceptum in quodlibet probabili mortis periculo, etiamsi recepta sint Sacramenta: ita communiter, ait P. Antoine. Ratio est 1. quia veniente sponso virgo prudens lampadem suam ornare debet, eique obviam exire ardentissimo, quo possit, amore. 2. quia tunc, si unquam, necessarius est charitatis actus ad muniendum cor adversus graviores tentationum procellas, quæ in hoc instanti præcipue dæserviunt. Merito igitur Pastores, & Confessarii juxta Ecclesiæ disciplinam a morientibus fidei, spei, & charitatis actus exigunt; & nisi exigant, graviter deliquunt.

3. Cum ad vitandum mortalis peccati periculum, aut vincendam, quæ urget, tentationem, necessarius judicatur charitatis actus: tenetur enim quisque amplecti media, quæ sibi ad peccati fugam necessaria videntur.

4. Cum necessarius est contritionis actus, puta si quis Confessarii copiam non habens, Sacramenta ministrare, aut sacrum facere debeat. Ratio est, quia contritionis actus actum charitatis involvit.

5. Addit Habert Orationem dominicam, vel mendaciter recitari, vel non recitari sine aliquo charitatis actu. Quid enim exprimunt hæc verba: *Sanctificetur nomen tuum?* nisi nos Deo ante omnia summam gloriam expetere. Quid hæc rursus: *Fiat voluntas tua?* Sane ait Sanctus Cyprianus, *voluntas Dei est, quam Christus, & docuit, & fecit. ...... Deum toto corde diligere, amare in illo, quod pater est timere, quod Deus est, Christo nihil præponere, quia nec nobis ille quidquam præposuit, charitati ejus inseparabiliter adhærere &c.* ergo ne ex numero simus, de quibus scriptum est: *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei*, necessum est, ut lingua amorem exprimere, cor amorem eliciat. Unde Bellarminus Lib. 1. de bonis operib. cap. 6. expendens an, qui ex animo remittit injurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntarie perseverat, possit hac Oratione aliquid impetrare; respondet eum, si solis labiis orat ex consuetudine, & conversionis gratiam ex animo non petat, non solum nihil impetrare, sed etiam orationem ejus fieri in peccatum, quia in singulis fere petitionibus mentitur. Dicit: *Pater noster*, qui non vult esse filius. Dicit: *Sanctificetur nomen tuum*, & nomen Dei facinoroso affectu inhonorat. Dicit: *Adveniat regnum tuum*, qui Domini adventum super omnia formidat, & ita se gerit quasi regnum diaboli Christi regno præponat &c. Ex quo infert auctor Coll. Andeg. eliciendum esse amoris actum cum Missæ sacrificio intersumus.

Cyp. L. de Orat. Dom.

Psal 77.

T. 1. Decal. p. 183.

Ex iis colligere est cum Grandino in hisce materiis cœteroqui laxiore, ne unam quidem hebdomadam, (sponte dicam, ne unum quidem diem) sine actu charitatis prætermittendam esse, ut si forte sæpius nos amare contingat, quam tenemur sub peccato, tantum saltem amemus quantum tenemur. Curent ergo, qui Seminariis præsunt, juvenes sibi commissos ad eliciendos virtutum theologicarum actus sic

Grand. p. 181.

assuefacere, ut eos illi nulla unquam die omittant, & deinceps plebem in Parochiis sibi credendam, ad eamdem praxim, quæ jugum leve est, informent.

Divini hujus amoris conditiones, quas alii alias recensent, quatuor numerari possunt. 1. debet esse interior, quia alioqui non potest esse ex toto corde.

2. Summus; eo sensu quod *nihil amplius diligere debeamus*, quam Deum *qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*, ait Salvator Matth. 10. Et vero id exigit summa Dei amabilitas, cui amor noster saltem appretiative proportionatus esse debet, unde S. Bernardus: *Modus diligendi Deum*, est *diligere sine modo*. 3. gratuitus. *Causa digendi Deum Deus est*, ait Doctor mellifluus ibid. ... *non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit ... verus amor præmium non requirit, sed meretur*. Et vere eo solum nomine distinguitur amor charitatis ab amore concupiscentiæ, quod prior Deo propter Deum adhæreat, posterior non item.

Aug. l. de morib. Eccl. cap. 11. Lib. de dilig. Deo. Vid. supra p. 401.

4. Efficax, & in opere universalis: neque enim charitas est mera de divinis perfectionibus complacentia, sed affectus voluntatis efficaciter movens ad faciendum id omne, quod sine peccato saltem gravi omitti non potest, & econtra. Quapropter verus Dei amor continet propositum actuale, vel virtuale omnibus Dei mandatis adhærendi, secundum id 1. Joan. 5. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*. Unde Christus, *qui habet*, inquit, *mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me*. Quæ quidem Scripturæ verba non intelligenda sunt sensu formali, quasi aliorum Dei mandatorum executio sufficiant ad impellendum charitatis præceptum, sed sensu causali, quia cum verus amor nunquam vacet, movet, & quasi trahit ad impletionem totius divinæ legis. Unde proscripta est a Clero Gallicano an. 1700. hæc propositio 5: *Præceptum amoris ei proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.* Hæc fusius non exponam, quia libri de amore divino, ejusque conditionibus, & characteribus tractantes, omnium manibus teruntur, nec concionatorem agere oportet, qui Theologum agit.

Joan. 4.

Conclusio II. tenemur proximum diligere actu formali, seu interno, & hoc præceptum sæpius obligat.

Prob. 1. pars, 1. quia tenetur unusquisque proximum suum diligere, sicut diligit seipsum: atqui nemo est, qui seipsum non diligat amore formali, seu interno. 2. Joan. 15. *Hoc est præceptum meum*, ait Christus, *ut diligatis invicem sicut dilexi vos*: atqui Christus interno amore dilexit nos, ut nemo nisi Antichristianus diffireri potest: ergo jure proscriptæ sunt ab Innocentio an. 1679. duæ istæ propositiones. Prima: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*. Secunda: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*. Aliud sane sentiebat Apostolus: *Si*, inquit, *distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Quæ verba ab iis enixe ponderanda sunt, qui licet famulorum suorum pauperumque necessitatibus data occasione medeantur, eos tamen, nedum pro amicis, & fratribus habeant, vix prioribus animæ cordisque labiis diligunt.

S. Thom. hic q. 44 art. 7. In hoc autem præcepto vox diligendi proximum *sicut* seipsum non plenam dilectionis æqualitatem importat, sed similitudinem; ita ut homo proximo suo id omne velit, quod sibi vult, non tamen eodem intensionis gradu:

du: quisque enim plus saluti suæ, quam alienæ, consulere debet; unde ne venialiter quidem peccare potest, ut proximum a peccato mortali coerceat. Certe prudentes virgines, etsi oleum suum cum fatuis partiri noluerint, haud tamen violatæ charitatis incusatæ fuerunt.

Ad legitimam proximi dilectionem tria requirit S. Thomas ibid. 1. ut sit sancta. 2. ut sit justa. 3. ut sit vera. Tunc enim & non aliter proximi dilectio similis erit ei, qua unusquisque semetipsum prosequi tenetur.

Ut proximi dilectio sit *sancta*, necesse est, ut sicut nosmetipsos propter Deum, sic & proximum propter Deum diligamus, seu, prout docet Augustinus, *quod agis tecum, id agendum cum proximo est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis*. Idem L. 1. de doctrina christiana c. 29. *Velle debemus*, inquit, *ut omnes nobiscum diligant Deum, & totum, quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est*. Et alibi: *Ille veracius amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo*. Ex his principiis colligit Sanctus Doctor, amicitiam, qua sponsus uxorem, pater filium, propinqui cognatos, familiaris familiarem suum naturaliter diligit, licet honesta sit, toto tamen cœlo differre a charitate his imperata verbis: *Diliges proximum sicut te ipsum*: prædictæ enim amicitiæ, nedum humanæ, imo ne pecorinæ quidem naturæ vires superant. An igitur, ait Augustinus, *pro magno laudaturus sum in homine, quod video in tigride? Si non amaveris* pater filium; *a serpentibus vinceris*. Ergo ut proximum sancto diligamus amore, eique simili, quo nos diligere debemus, idem utriusque dilectionis motivum esse debet, idem & finis, ac proinde illud omne proximo procurandum est bonum, quod nobis rationabiliter velle possumus, & debemus, & quidem præcipue beatitudo æterna, & quidquid ad eam consequendam inservire potest.

De morib. Eccl. c. 16.

Serm. 335.
Serm. 393.

Ut dilectio proximi sit *justa*, requiritur *ut aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis: sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis*. Id quidem aliquando impatienter feret amicus, & amicum cupiditatibus suis servire nolentem, inhumanum esse conqueretur; forte etiam tanquam ingrato collata beneficia exprobrabit: at is ejus furor tanquam phrænesis sustinendus erit; sequendumque id, quod docet Sanctus Augustinus: *Cum inveneris in proximo iram, indignationem, odium, iniquitatem, sic coneris expellere morbum animi, quomodo amicus sæculi morbum corporis. Ad hoc ama ut facias, quod tu es, & erit in te perfecta charitas*.

S. Thom. ibid.

Serm. 335.

Ut dilectio proximi sit *vera*, necessum est, ut procedat ab animo benevolo, seu, quod idem est, *ut non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, sed ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi ... nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem, vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum*. Ita Sanctus Thomas: præiverat Sanctus Charitatis Doctor Libro de vera Religione caput 46.

Ex his genuinæ germanæque charitatis characteribus perspicuum est, raro admodum impleri hoc naturalis, & Evangelicæ legis præceptum: *Diliges proximum tuum* &c. Ut enim voluptuosos, aleatores, amatores mulierum, viros temporalis fortunæ avidos prætermittam, aliosque id

genus complures, qui in amicis suis vel ipsa eorum vitia, vel propriæ libidinis gustum inquirunt, nonne in usu est, ut patres in filiis, cognati in cognatis sanguinem ament; ut qui aliorum consuetudine lubenter utuntur, vel indolis similitudinem, vel commodum temporale sectentur &c.? Is ergo omnium unus proximum diligere censendus est, teste Augustino Lib. de morib. Eccl. cap. 26. *qui agit quantum potest ut proximus salvus corpore, salvusque animo sit*, quique curam *corporis ad sanitatem animi* refert, ut *referenda est*. Quoti vero proximum tam sancte, tam juste, tam vere diligunt.

Prob. 2. pars, nempe quod præceptum charitatis proximo debitæ sæpius obliget. Prob. inquam: duplex distingui potest amor proximi; *affectivus* scilicet, qui in benevolo voluntatis erga proximum affectu consistit; & *affectivus*, qui ipse est effectus a prædicto affectu exterius erumpens: atqui præceptum charitatis fraternæ ad utrumque sæpius obligat.

1. Quidem ex præcepto charitatis fraternæ sæpe tenetur homo ad amorem proximi effectivum, quoties nempe proximo sive spiritualiter sive corporaliter indigenti suppetias ferre potest, prout infra dicam agendo de eleemosyna, & correctione fraterna.

2. Sæpius quoque ex eodem præcepto tenetur ad amorem affectivum. Ratio est, tum quia præceptum dilectionis fraternæ *simile est* præcepto dilectionis Dei; hoc autem sæpius obligat, ut mox dictum est: ergo & illud: tum quia Oratio dominica, quæ pro omnibus fundi debet, sæpe, & frequenter fundenda est, ut ex ipsa ejus lectione constat: atqui hæc Oratio pie, & utiliter dici non potest, sine aliquo charitatis saltem latius sumptæ impulsu; hæc autem charitas etiam latius sumpta, cum disponat ad charitatem proprie acceptam, pertinet ad primum Decalogi
2. 2. 9. præceptum, ut docet Sanctus Thomas. Verum hæc ex iis, quæ modo sunt, magis, ac magis elucescent.

Unum hic annotare liceat, ex tot Theologis, qui de amore proximi disserunt, vix unum esse, qui definiat quoto tempore actus hujusce amoris sine peccato veniali vel gravi differri possit. Hanc regulam statuit Ethica amoris tom. 2. L. 4. n. 111. & 113. ut quoties ex præcepto charitatis proximo opem ferre debemus vel spiritualem, vel corporalem, quoties etiam onera ipsius, seu infirmitates spirituales portare debemus, toties id nos ex interno charitatis affectu facere oporteat. Hæc lex si stricte obliget, dicendum erit singulis ferme passibus obligare præceptum charitatis fraternæ. Ut enim animadvertit Cardinalis Bona in principiis vitæ Christ. pag. 2. §. 43. *Tot sunt hominum miseriæ, tam spirituales, quam corporales, ut vix gressum movere possimus, vel oculos vertere, quin multi occurrant ope nostra vel supportatione indigentes.*

Conclusio III. Præceptum charitatis fraternæ prohibet sub mortali odium inimici; & internum ejus amorem, idque multis in occasionibus, præcipit etiam sub mortali.

Prob. 1. pars, ex 1. Joan. cap. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est; & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem*; atqui homicida, & quisquis vita æterna indignum se facit, mortaliter peccat: ergo, qui odit fratrem, peccati mortalis reatum incurrit.

Hinc non licet cuipiam ex odio ipsius malum desiderare: potest tamen

men alicui etiam laudabiliter optari malum temporale, nimirum si optetur ex sincero vel conversionis ejus, vel boni communis affectu; cum scilicet judicatur ejus conversionem, aut commune bonum non posse moraliter alia via procurari. Hoc sensu oramus Deum, *ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare* dignetur: & hæc oratio verus est charitatis actus, tum erga inimicum, qui impletus ignominia facilius revertetur ad Dominum; tum erga Ecclesiam, cui pacem & tranquillitatem supplices deprecamur. *Psalm 82.*

Hic tamen duo attendenda. 1. imperfectos, quales in hac materia sunt multi, ab hujusmodi desideriis abstinere debere propter morale periculum, ne quis vindictæ appetitus obrepat. 2. etiam dum odio habetur vitium inimici, æstimandam esse hominis conditionem. *Quid est, perfecto odio oderam illos?* ait Augustinus; sane id: *Oderam in eis iniquitatem eorum, & diligebam conditionem tuam, id est, quod a te acceperant.* *Psal. 138. v. 22.*

Prob. 2. pars. Matth. 5. *Audistis quia dictum est*: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum. *Ego autem dico vobis*: *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Verba hæc secundum Ecclesiæ & Patrum interpretationem verum continent præceptum; *Grave præceptum*, diligite inimicos, ait Augustinus, *sed grande præmium .... audisti opus, expecta mercedem*: atqui per præceptum illud non exterior solum, sed positivus interior erga inimicos imperatur charitatis affectus. 1. quia vox *diligite*, distinguitur contra vocem *benefacite*; ac proinde si hæc externum, illa interiorem charitatis motum significat. 2. quia ibidem præcipitur oratio pro inimicis hæc autem sine interiori cordis affectu vera oratio esse non potest. 3. quia hic jubet Christus aliquid, quod Pharisæi necessarium esse non existimabant: atqui neque negabant, neque negare poterant Pharisæi exteriorem charitatis actum præcipi in lege. Hæc enim diserte habentur Exod. 23. v. 4. & 5. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, redue ad eum. Si videris asinum odientis te, jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.*

Omitto Patres, quorum unanimis est ea de re consensus; sufficiat Augustinum adduxisse: sic ille Serm. 5. de luct. Jacob. *Dilige inimicum tuum, dicit Dominus .... res in corde est .... Deus videt, si diligis*. Non ergo credidit S. Doctor præcepto de inimicis diligendis per actum mere exteriorem satisfieri posse.

Prob. 3. pars, recensendo praxim & occasiones amoris iis, qui oderunt nos, exhibendi.

Primo itaque, cum inimici nostri vere proximi nostri sint, id omne iis debemus, quod debemus proximo.

Secundo, omnem in eos odii & vindictæ affectum procul abjicere debemus; adeo ut, etiam perseverante in eis contra nos odio & omni mala voluntate, perseveret in nobis erga eos charitas, & exterius charitatis testimonium, secundum id Apostoli Rom. 12. *Benedicite persequentibus vos*: *benedicite, & nolite maledicere ... nulli malum pro malo reddentes*. Et vero, *Si non dimiseritis hominibus*, ait Salvator Matth. 6. *nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Peccant ergo contra charitatem, qui de malo inimici, prout ejus malum est, lætantur, qui de bono ejus, prout ejus bonum est, dolent; qui ex malo in personam affectu, injuriæ sibi illatæ vindictam a Deo & ab hominibus expectant,

imo

imo, & qui saltem generatim inimicum non includunt in interno, & externo charitatis actu, quem erga proximum eliciunt.

Dixi *saltem generaliter*: quod ut intelligatur, notandum cum S. Thoma hic q. 25. art. 9. signa charitatis erga proximum duplicis esse generis. *Sunt enim quædam, quæ exhibentur proximis in communi; puta cum aliquis orat pro omnibus Fidelibus, vel pro toto populo, aut aliquod beneficium impendit toti communitati ∴ alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis*. His positis

Tertio, tenemur & generalem charitatis affectum servare erga inimicos, & generalia ejusdem charitatis signa iisdem præbere; idque, ait S. Thomas ibid. *est de necessitate præcepti: si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ*. Hinc illicitum est excludere inimicum a communibus orationibus, a resalutatione, a venditione mercis expositæ, ab eleemosynis, quæ vel toti communitati fiunt, vel certis diebus porriguntur pauperibus omnibus, qui ad januam se offerunt. Eadem de causa peccat, per se loquendo, qui cognatos omnes visitat, eo dumtaxat excepto, quem infensum habet, qui a salute, quam viciuis omnibus dat, inimicum excludit, qui ad prandium, cui interesse solebat, accedere non vult, eo quod ad idem invitatus sit inimicus, qui inimicum alloqui se volentem arcet a colloquio. Ex eodem charitatis generalis defectu peccat etiam, qui inimico in necessitate constituto non benefacit, quantum proximo benefaciendum est: ut si bestiam ejus errantem, & expavefactam non reducat, si malum ipsi in fama, honore, aut bonis imminens non

Ethic. l. 4. n. 256. impedit, cum impedire facile potest. Et hoc peccatum grave est, si malum, quod avertere potuisti, grave sit.

Si quis tamen inimicum suum invisere aut alloqui nolit, vel quia novit eum ingenii adeo periculosi esse, ut nihil nisi mali ab ejus commercio expectandum sit, vel quia, ut loquitur S. Bernardinus, *probabiliter timet ex hoc aliquid pejus accidere*, abstinendum erit ab exterioribus illis amicitiæ signis, cum duplici tamen præcautione; prima, ut hujus suæ agendi rationis causam *debeat intuentibus propter vitationem scandali propalare, si bono modo hoc facere potest*: secunda, ut cordi suo invigilet, ne sub circumspectionis prætextu intus servetur odium. *Nam sæpe*, ait S. Gregorius Lib. 22. Mor. in Job. *in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere æstimat, si vitæ ejus contrarius non existat, sed dilectionis vim occulte, & veraciter, aut profectus inimici aut casus interrogat ∴ si enim de prosperitate* dolet, *& de calamitate se odientis lætatur, constat, quod non amat, quem non vult esse meliorem* &c.

Quarto, quod spectat ad specialia charitatis signa, docet ibid. S. Thomas, eorum exhibitionem non esse *de necessitate salutis, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet inimicis subveniatur in articulo necessitatis*, secundum illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*. Ratio hujus decisionis est, ait P. Antoine, quod præceptum charitatis, per se loquendo; non plus obliget ad dilectionem inimici, quam cujuslibet alterius; neque enim conditio inimici duplicat conditionem proximi, atqui ut impleatur præceptum dilectionis proximi, satis est communiter loquendo, ut extra casum necessitatis ametur in communi, eique communia benevolentiæ signa pro cujusque conditione, & statu exhibeantur: ergo & id respectu inimicorum sufficere debet.

Quin-

Quinto, aliquando tamen & specialis erga inimicum charitas in corde vigere debet, & specialia eidem hujusce charitatis signa exhiberi.

Sic cum, accepta gravi ab aliquo injuria, imminet periculum odii, vixque ab optando ei malo abstineri potest, is inimicitiæ exurgentis sensus opposito amoris & orationis actu cohiberi debet; quia amor ille medium est ad peccati fugam, & mandati observationem necessarium. Sic etiam sæpe exigunt speciales circumstantiæ, ut inimico specialia amoris signa exterius impendas; & id locum habet,

1. Ut cum alioqui futurum est ut proximo scandalum injiciatur.

2. Cum inimicus vel veniam orat, vel specialia hæc amicitiæ indicia prior exhibet; tunc enim non respondere, est vindictam charitati contrariam exercere.

3. Cum exigit spiritualis aut temporanea inimici necessitas, ut plus ejus gratia præstes, quam alioqui consueveras.

4. Cum subest vera & probabilis ratio sperandi, fore ut inimicum Deo tibique reconcilies, si speciali amore, salutatione v. gr. vel alloquio, eum prævenias: tunc enim etsi prior ille aggressus te fuerit, debes eum prævenire, saltem si possis sine gravi incommodo: quia obligat charitas ad avertendum grave proximi damnum, præsertim spirituale, licet ex ejus culpa proveniens, cum illud absque gravi incommodo avertere possumus. Non teneor quidem aureos mille erogare ei, qui, nisi erogem, spondet se sibi necem illaturum, sed dubio procul hunc ejus furorem avertere tenerer, si facile possem. Et id erga ipsos inimicos verum est, seccundum id Apostoli Rom. 12. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

5. Si ante injuriam consueveras inimicum salutare, alloqui, ad conversationem admittere, hæc, tametsi specialia sint benevolentiæ signa, eodem post offensam modo ac ante præstare debes, ut docent Suarez, Coninch, Bonacina, aliique temperantioris Ethices Theologi. Ratio est, tum quia specialia amicitiæ signa nunquam ex solo injuriæ acceptæ motivo denegari possunt, cum hoc ad livorem vindictæ pertineat; tum quia horumce signorum suppressio odium nutrit ac fovet, & proximo scandalum creat, ut quæ contemptus & vindictæ indicium reputetur.

Fatentur tamen omnes, alias circumstantias aliam aliquando agendi rationem postulare. Ut 1. si prudenter judicetur specialis dilectionis exhibitionem plus obfuturam inimico, quam profuturam; puta si sit ex eorum numero *quibus cum benefeceris, pejores fiunt.* 2. si prævideatur eum austeriori vultu ad agnoscendam culpam adducendum esse. 3. si is, qui læsus est certam in eos, qui læserunt, superioritatem habeat, qualem habent pater in filios, Prælatus, aut alius Superior in inferiores. Sic enim David, concessa Absalon invisendæ Jerosolymæ licentia, sui ipsius conspectum denegavit. *S. Ignat. Epist. ad Rom.*

Hic duo monenda. 1. in his omnibus servandam semper esse charitatem. 2. magna in hisce casibus opus esse circumspectione, ne scilicet ex passione agat, qui ex zelo agere se putat, aut ne officio suo desit Superior, cujus est turbatos subditorum animos ad sanam mentem reducere; quod plerumque non faciet, nisi jure suo cedat paulisper, & ovem a grege profugam misericorditer inquirat. Hæc Ethicæ amoris doctrina, justitiæ veritatique consona videtur.

Sed

Sed difficilius est, quod idem auctor improbare videtur eos, qui sentiunt hominem, cui atrox aut infamis injuria illata est, posse per aliquod tempus abstinere ab exhibendis, quæ ante consueverat, amicitiæ signis; quique docent nihil tunc timendum esse scandali, eo quod exterior illa legum charitatis suspensio, non possit prudenter refundi in odium, sed in justum doloris sensum, quem austeriori vultu foris manifestari convenit, ne injuriæ atrocitas parvipendi videatur. Ego quidem hæc ex circumstantiis & injuriarum natura, dijudicanda esse puto. Nec enim reum habebo maritum patremve, qui ut vim conjugi vel filiæ illatam, publice detestetur, non iisdem ac ante oculis stupratorem intuetur; imo haud satis scio, an cuipiam ejus agendi ratio placeret, si eodem ac prius modo cum infami hoc homine conversaretur: quanto severius gerere se debebit, si præceps & immatura delicti condonatio, novæ insultationis periculum inducat? Sed hic stringendæ magis, quam laxandæ habenæ, ob summam hominis ad vindictam & odia propensionem.

Ut solvantur aliæ difficultates, quæ ad hanc materiam pertinent,

Quæres 1. quis in ineunda reconciliatione servandus sit ordo.

R. Hunc esse servandum. 1. qui alterum injuste offendit, aut saltem prior aggressus est, & rixam excitavit, is prior veniam petere, aut viam ad pacem aperire debet; id enim exigit justitiæ ratio. 2. si duo mutuam sibi injuriam intulerint; tunc, si offensio utrinque ejusdem sit gravitatis, nec ulla sit ratio, cur alter alterum præveniat, utrique incumbit obligatio fratrem suum præveniendi: si autem offensio unius gravior fuerit alterius offensione, præire debet, qui gravius offendit, tametsi in offendendo posterior. 3. etiamsi certæ personæ gravius ab aliis læsæ fuerint, nunquam tamen possunt iis salutationis, allocutionisve officium subtrahere; ut patet in filio respectu patris, aut inferiore respectu Superioris; hæc enim officia iis, qui erga nos Dei ipsius locum tenent, tam stricte debita sunt, ut vix unquam subesse possit legitima ratio, quæ ab iis etiam ad tempus dispenset.

Quæres 2. an inimico veniam petenti statim ac injuriam intulit, exteriora veniæ signa statim exhiberi debeant.

R. Affirmative, si de privatis agitur. Ratio est 1. quia Christus & Sancti suis id nos exemplis & verbis docuerunt. Sic enim Salvator & discipulo neganti, & latroni gratiam primum postulanti, & Saulo cædem & minas uno ante momento spiranti pepercit. Sic etiam Stephanus pro inimicis actu lapidantibus oravit; sic Apostolus 1. Cor. 4. *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus* &c. sic
Matth. 18. Christus Luc. 17. *Si frater tuus septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi*; nec solum *septies*, sed & *septuagies septies* venia hæc iteranda est, ut alibi docet Scriptura. 2. quia in eadem mensura, qua nos metitur Deus, & nos proximum remetiri debemus: atqui Deus nobis toties & statim debita longe graviora dimittit, quoties legitime veniam petimus. Hinc sanctus Chrysologus Serm. 67. *O homo, qui vis semper tibi dimitti, dimitte semper ..... homo intellige, quod remittendo alii, veniam tibi tu ipse dedisti.*

Dixi, *si de privatis agitur*: quia, ut jam dixi, possunt aliquando Superiores externa veniæ signa differre, ut qui contra eos peccarunt, culpam

pam suam & sentiant & emendent: quamquam & hæc in Superioribus veniæ dilatio suos habere debet limites, ne subditos hinc ultra modum exacerbari contingat. Cœterum nemo est, qui non videat, non unam apud omnes esse veniæ petendæ rationem. Neque enim filius aut famuli, si a patre vel hero læsi fuerint, eadem ab ipsis exigent humiliationis signa, quæ pater aut herus a famulis vel filiis. Filio, aut famulo satisfactum erit, si amice salutentur, si quibusdam donentur munusculis, quæ benevolentiam denotent; plura exigent pater & dominus, iisque reipsa plura debentur.

Quæres 3. an ut veniam inimicis dare, sic & debitam honoris v. g. famæ, aut pecuniæ satisfactionem remittere teneamur.

Resp. negative cum sancto Thoma 2. 2. quæst. 108. art. 1. quia solus vindictæ appetitus, non autem ordo justitiæ repugnat charitati: atqui quod ei, quem læsisti, satisfacias, pertinet ad ordinem justitiæ: ergo.

Quæres 4. an pars læsa possit apud judicem agere ad obtinendam satisfactionem, cum is, qui læsit, satisfactionem offert prudentum arbitrio sufficientem.

R. Cum Haberto, Ethica amoris, P. Antoine, hancce agendi rationem charitati & christianæ misericordiæ consentaneam non esse, 1. quia qui tam rigorose proximum insequitur, non videtur eum diligere sicut seipsum, nec facit alteri id, quod sibi fieri rationabiliter optare potest. 2. quia, qui pro centum denariis tam acerbe vexat, ut quid decem talentorum millia sibi remissum iri confidere potest? 3. quia inimicum sumptibus & expensis onerare, absque eo, quod quidpiam in te utilitatis inde redeat, ipsis etiam justitiæ legibus repugnat.

His adde, quod etsi litigatio in universum prohibita non sit, sed certis in circumstantiis permissa, cum alioqui pateret janua furtis & sceleribus, est tamen hæc eadem litigatio plena periculi. 1. quia, qui litigant, eo impelli solent nimio temporalium amore, vixque ab odio, malevolentia, detractione, & calumniis abstinere possunt. 2. quia litibus, quasi ex natura rei annexa est jactura temporis, & pacis illius internæ, sine qua difficile admodum moventur pedes in via pietatis: unde litigatores pro temporali bono, a quo etiam sæpius excidunt, in discrimen boni longe præstantioris veniunt: ergo regulariter loquendo non est apud judicem exigenda satisfactio, quam, qui alium læsit, eidem sponte sua offert.

Dixi *regulariter*: quia, ut docet Theologus Parisiensis, aliquando expedit, vel etiam necesse est satisfactionem injuriarum coram judicibus prosequi, ut 1. si gravis sit offensa, & creet infamiam, quæ in totam familiam recidet, nisi satisfactione juridica diluatur. 2. si reus sit noxius Reipublicæ, & concives injuria afficere solitus: quamquam & in hoc utroque casu stet responsionis nostræ veritas, cum ideo tunc coram judicibus agere liceat, quia insufficiens est satisfactio a reo oblata. *Habert.*

Quæres 5. quis sit sensus horumce Christi verborum, Matth. 5. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.*

R. cum

R. Cum SS. Chrysostomo & Augustino, per *altare* intelligi, vel illud, in quo Sacerdotes Missam celebrant, & Fideles Eucharistia reficiuntur, vel ipsum cor nostrum, a quo proficiscuntur sacrificia omnia, quæ Deo tanquam munus acceptum placere possunt, orationes, v. gr. & eleemosynæ. His positis, sensum sermonis Christi diserte explicat Augustinus his verbis: *Si in mentem* nobis *venerit, quod aliquid habeat adversum nos frater, id est si nos eum in aliquo læsimus; tunc enim ipse habet adversum nos: nam nos adversus illum habemus, si ille nos læsit*: & tunc nobis *non opus est purgare ad reconciliationem; non enim veniam postulabis ab eo, qui tibi fecit injuriam, sed tantum dimittes .... Pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit, quod nos forte fratrem in aliquo læsimus. Pergendum autem, non pedibus corporis, si longius absit, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem chara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus, cui munus oblaturus es*, id est sincere protestando ei, qui corda & renes scrutatur, paratum te esse ad placendum quacumque legitima via læsi fratris animum, quod statim ac penes te erit, exequeris. Quod si frater tuus non absit longius, adeundus est, quam primum moraliter fieri potest, seu, ut explicat Jansenius, statim ac *prudentiæ ratio, tempus, & locus permittunt*. Atque hæc obligatio leniendi fratris juste irati, tam arcta est, ut, qui proximum graviter læserunt, non ante, communiter loquendo, debeant absolvi, quam vel cum eo redierint in gratiam, vel redire pro virili conati fuerunt.

De Serm. Dom. in monte c. 10. n. 17.

SECTIO QUARTA.

De ordine charitatis.

Certum in charitatis exercitio servandum esse ordinem, ex ipso dilectionis præcepto manifestum est; unde juxta Augustinum Lib. de doctrin. Christ. cap. 27. *ille* dumtaxat *juste & sancte vivit, qui ordinatam dilectionem habet; ne amplius diligat, quod minus est diligendum; aut æque diligat, quod vel minus vel amplius diligendum est; aut minus vel amplius, quod æque diligendum est*. De hoc igitur charitatis ordine nobis est in præsenti differendum: quod ut plane fiat, varia charitatis objecta, Deus nempe, anima nostra, anima proximi, corpus nostrum & proximi corpus, ac demum omnia corporis & animæ bona, cujuscumque ordinis ea sint, inter se comparari debent; ut intelligatur quodnam illorum alteri præferri debeat: id est, quodnam magis & perfectius sit diligendum, sive objective, sive appretiative, sive demum intensive.

PUNCTUM PRIMUM.

An nos rebus extra nos positis præferre teneamur.

Conclusio I. Tenetur homo Deum magis quam se & proximum diligere, tum objective, tum appretiative, tum etiam intensive, saltem aliquo sensu.

Prob. 1. pars. Quia aliquem magis diligere objective, est ei majus velle

velle bonum, sive per complacentiam, sive per desiderium: atqui majus Deo bonum velle debemus, tum per complacentiam, quia magis in infinitis ejusdem perfectionibus complacere, de iis gaudere amplius, earumque, si ita loqui fas est, possessionem Deo gratulari debemus; tum per desiderium, quia majorem ei gloriam, quam cuilibet, vel omnibus simul creaturis velle & optare debemus, secundum id Apostoli Rom. 16. *Soli Deo honor & gloria*.

Prob. 2. pars. Ille plus unum, quam alia quæcumque diligit æstimative, qui sic affectus est, ut malit cœterorum omnium jacturam pati, quam hujusce unius: atqui homo sic Deum diligere debet, ut malit totius mundi, quam Dei solius jacturam pati, secundum id S. Pauli: *Quis ergo seperabit nos a charitate Christi?* &c. Præiverat Christus ipse Matth. 10. his verbis: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*.

Et vero amor charitatis erga Deum debet esse super omnia: atqui non potest esse super omnia, nisi sit appretiative major alio quocumque amore. Is enim solum amor vere & integre est super omnia, per quem ita objecto alicui adhæremus, ut & ei nihil præferamus aut adæquemus, & omnia ad eum referamus tanquam ad *finem cui*: atqui hæc non conveniunt nisi amori, qui appretiative major sit alio quocumque amore. Amor enim vel minor, vel æqualis, nec omnia præfert, nec omnia ad unum aliquod objectum referre potest, cum non referat saltem illud, quod plus aut æque diligit: ergo.

Antequam probetur tertia Conclusionis pars, quam plures in dubium vocant, aut etiam irrident, attente notandum est quæstionem hic non moveri de dilectione affectus sensitivi. Certo enim constat amorem, quo mater v. g. diligit puellum, quem in ulnis gerit, multo plus eam movere & afficere, quam quo Deum prosequitur: unde si prolem decidere, aut aliter lædi contingat, fluunt ubertim matris lacrymæ, quæ post admissum ab ea peccatum, vel nullæ, vel non ita uberes defluent.

Neque etiam quæstionis sensus est, an Deus diligi debeat dilectione intensive summa. Dilectio enim necessario finita nunquam potest esse summa intensive, cum semper crescere possit; porro puri hominis dilectio necessario finita est.

Sensus ergo quæstionis est, an quoties urget præceptum amandi Dei, toties majori in eum fervore tendere debeamus, quam in quodlibet aliud objectum. Affirmant non solum Theologi rigidiores, ut Ethica amoris, sed & ii quoque, qui justos intra limites facilius consistunt, ut post Scotum Scotistæ complures, & inter alios Henno. His præmissis

Prob. 3. pars 1. quia jubemur Deum diligere, quanto possumus, conatu & fervore, cum eum *ex totis viribus, & ex tota fortitudine* diligere jubeamur: atqui possumus Deum ferventius diligere quam creaturam: imo proprius ille est charitatis character, ut intensius & ferventius ferat in id, quod magis est diligibile, quodque aliorum diligendorum ratio est & causa: ergo.

Confirm. Exigit charitatis ordo, ut gradus dilectionis proportionatus sit, quantum mortaliter fieri potest, rationi ejusdem dilectionis: atqui si creatura intensius possit diligi, quam Deus, jam prorsus subverteretur ordo ille, ut ex terminis patet: tunc enim majori conatu prosequeretur

seque-

sequemur id, quod multo minorem voluntatis nostræ nisum meretur; contra vero remissius in id feremur, quod tota est cœtera quæcumque amandi ratio: ergo.

Prob. 2. Ex omnium confesso Deus super omnia diligi debet appretiative: atqui non potest Deus appretiative diligi, nisi diligatur etiam intensive: Qui enim Deum appretiative diligit, hunc necessario elicit actum: o Deus amo te, & quidem tam efficaciter, ut malim bonis omnibus, & ipsa vita privari, quam a te per peccatum mortale separari: atqui actus ille, si modo mendax non est, necessario importat amorem Dei quocumque creaturæ amore intensiorem. Quomodo enim, qui secundum rationalem affectum intensius & fortius adhærebit creaturæ, quam Deo, Deum, cui remissius & languidius adhæret, efficaciter præponet creaturæ? Certe *amor meus, pondus meum*, ait Augustinus, *illo feror, quocumque feror*? ergo si intensius ac vividius ferat me in creaturam, vix fieri potest ut Deum creaturæ efficaciter anteponam.

Prob. 3. Creatura non potest ordinate diligi ut finis, sed solum instar medii ad Deum tanquam ultimum finem, ordinati: atqui hoc posito non potest creatura rationalis affectu intensius diligi, quam ipsemet Deus. Si enim creatura non possit ordinate diligi, nisi ut medium, quod ad Deum orrdinari debeat, jam tota creaturam diligendi ratio est ipsemet Deus: atqui si Deus ipse sit tota creaturam diligendi ratio, jam implicat creaturam magis & intensius diligi quam Deum. Si enim in hac hypothesi creatura intensiori amore diligeretur, quam Deus, jam Deus esset simul & non esset tota creaturæ diligendæ ratio: esset quidem, ut supponitur; non esset tamen, quia major intensionis gradus erga creaturam non esset a Deo, cum Deus majorem creaturæ cujusvis, quam sui ipsius dilectionem non inspiret: Ergo cum *propter quod unumquodque tale est, & illud magis* sit, Deus magis intensive diligi debet, quam creatura, si Deus sit id, propter quod creatura charitatis amore diligitur. Fortassis ergo non ita inepte scribebat Soto in Instit. Sacerd. lect. 15. *Distinctio appretiationis ab intensione, qua quidpiam magis diligatur appretiative, & non magis intensive*, intensione rationali scilicet, *nova est, & S. Thomæ incognita, nihil aliud babens, quam nomina, nisi quod interim illa persuasione ingeneratur hominibus securitas quædam, & tepiditas, quod valde timendum est.*

Obj. cum Tournely. 1. si ad impletionem præcepti charitatis, requiratur dilectio intensive summa, sequitur 1. cœteros præter Petrum Apostolos, qui Christum minus intensive diligebant, quam diligeret Petrus, præcepto charitatis defuisse. 2. unumquemque semper anxium esse debere, an magnum legis mandatum impleat; cum vix unquam cognosci possit an intensius in Deum feratur, quam in creaturam.

R. neg. maj. non enim ut quis charitatis præceptum adimpleat, requirimus ut intensius adhæreat Deo, quam alius quisque, alioqui e creaturis puris sola Virgo Deipara præcepto huic satisfecisset; sed ut intensius in Deum, quam in aliam, quæcumque ea sit, creaturam se ferat. Unde hic non comparamus duos homines quantum ad amorem Dei, sed unum eumdemque hominem quantum ad amorem Dei & creaturæ, & majorem illius, quam hujus ardorem esse debere contendimus.

dimus; quod si quibusdam Theologis displicet, at ipsi Deo probatum iri confidimus.

Neque nostra hæc doctrina, scrupuli & anxietatis origo esse potest; tum quia quisquis cor suum interrogando, deprehendit se Deum appretiative super omnia diligere, eo ipso intensivum ejusdem amorem sibi inesse moraliter judicare potest, ut patet ex modo dictis; tum, quia ubi viget legitimus & prædominans Dei amor, ibi est & amor intensive sufficiens: porro non desunt signa, quibus dignoscere possimus, an amor Dei in nobis dominetur.

Primum sinceri & dominantis amoris signum est summa Deo placendi cura, ac proinde declinandi a malo, & bonum prosequendi, juxta illud Christi Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Et vero, ut belle notat Augustinus Præfat. in Psal. 31. *Numquid charitas permittit aliquid mali facere ei quem diligis? .... dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quidquid potest boni operetur.*

Secundum signum est constantia in observatione mandatorum, & fuga peccati. Etsi enim in ictu oculi excidat homo a charitate & justitia, habet tamen nescio quid ambigui charitas pauco tempore perseverans. Et sicut arbor vi ventorum facile & cito dejecta, non videtur bene radicata fuisse, tametsi aliquando vere radicata fuerit; sic charitas quasi momentanea, admodum suspecta esse debet.

Tertium signum est frequens & libens cogitatio de Deo. *Vis scire*, ait S. Bonaventura Conc. 2. de S. Maria Magd. *si Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo ames? attende si de Deo, plusquam de aliis rebus cogitas: quia de illo plus cogitas, quod plus amas ... ergo si plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de carnali amico, vel socio, quam de Christo, non vertas in dubium, sed sit tibi certissimum argumentum, quod amas ista plusquam Christum*. Et ratio est, quia ut docet Christus Matth. 6. *Ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum est*; ubi autem cor, ibi cogitatio & oculus. *Libenter* enim *aspicimus, quem multum diligimus*, ait Richardus Victorinus.

Quartum signum est sincerus proximi amor. *Redeat*, ait Augustinus Tract. 5. in Ep. Joan. *unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit fraternam charitatem, securus sit.*

Hinc colliges accuratum non esse id, quod docet Contenson L. 7. diss. 6. in Appendice pag. 138. actuum intensionem discerni non posse, ac proinde sicut non cadit sub scientiam, ita nec cadere sub legem: cadit enim sub scientiam id, quod *unusquisque ad cor suum* redeundo detegere potest.

Obj. 2. Illud per charitatis præceptum non imperatur, quod non est essentiale charitati: atqui major vel minor intensio non est essentialis charitati, cum charitas sine ea graduum intensione esse possit: ergo.

R. dist. min. graduum intensio non est essentialis charitati, ut sic & generatim consideratæ, C. charitati comparatæ cum amore creaturæ, N. Unde qui creaturas remisse admodum amat, & Deum satis quidem remisse, sed tamen magis, quam creaturas, veram habet charitatem. Hanc autem non haberet, qui majori conatu in creaturam tenderet, quam in Deum, quia reipsa non diligeret Deum ex totis viribus.

Obji. 3. Si extet præceptum diligendi Deum super omnia intensive, vel gradus ille determinatus est a lege charitatis, vel non. Si non sit determinatus: ergo quolibet gradu impletur præceptum: si determinatus sit, ostendatur, ubi determinatus sit.

R. intensionis ad genuinam charitatem requisitæ gradum esse determinatum ipso dilectionis præcepto, quo jubemur plus erga Deum, quam erga creaturam quamcumque, amoris habere: ubi enim vere est major ille Dei amor, ibi est & dilectio intensior, ut suadent probationes nostræ.

CONCLUSIO II. Unusquisque vi præcepti charitatis tenetur se magis, quam proximum æstimative diligere, quoad bona spiritualia necessaria; imo & communiter loquendo, quoad bona etiam temporalia, quæ necessaria sunt, seu quæ homini præcipiuntur, ut vitæ propriæ conservatio. Aliud est, si agatur de iisdem bonis temporalibus comparate ad spiritualia proximi bona, eidem proximo necessaria.

Prob. 1. pars. Bona spiritualia nobis necessaria ea sunt, quorum privatio ab æterna salute, aut saltem a Deo nos removeret: atqui tenemur nos proximo in hisce bonis præferre. Si enim ad id non teneremur, licitum nobis esset & peccare, ut proximi peccatum impediremus; & proximi salutem, etiam cum propriæ salutis dispendio procurare: atqui utrumque plane illicitum est, & illicitum esset, etiamsi mundi universi salus per leve mendacium esset procuranda, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*: Rom. 3. ergo.

Confirm. quia amor nostri debet esse regula amoris proximo debiti: ergo cum regula sit prior regulato, postulant ordo & æquitas, ut nobis salutem velimus, potius quam proximo. Atque id docet Christus cum ait Matth. 16. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*? Ex quo colligere est animarum Directores, item Prædicatores divini verbi, quos experientia docet se munia hæc sine peccato non exequi, ab iis quantum in se est, abstinere debere, nec ad ea revarti, nisi postquam omni bonorum operum genere, in eo se constituerint statu, in quo spes affulgeat futurum ut jam non peccent in earumdem functionum exercitio.

Obj. 1. votum Moysis e libro vitæ deleri petentis; Pauli item volentis esse anathema a Christo. Sed difficultas hæc soluta manet ex iis, quæ dixi in Tractatu de Religione.

Obj. 2. Ordo charitatis postulat, ut plus amemus, quæ meliora sunt: atqui alii homines plerumque nobis meliores sunt & sanctiores: ergo eos præ nobis diligere debemus.

Confirm. Qui amat ut Deus, ordinate amat: atqui Deus sanctiores aliis omnibus præfert: ergo & eos aliis omnibus, ac proinde nobis ipsis anteponere debemus.

R. dist. maj. postulat ordo charitatis, ut plus amemus objective, quæ meliora sunt, C. ut plus amemus appretiative, N. Itaque, quæ meliora sunt, plus a nobis amari debent objective, sive *per complacentiam*, quia si alii sanctiores sint, pluris æstimanda est eorum sanctitas, quam nostra, magisque in illa complacendum; sive *per desiderium*, quia majorem gloriam magis sanctis desiderare convenit; at non ideo debemus sem-

per,

per, quæ meliora sunt & aliena, plus amare æstimative, quam quæ minus perfecta sunt & nostra. Qui enim plus æstimative unum amat, quam aliud, sic affectus est, ut malit tolli unum quam aliud: atqui nemini licet sic affectum esse, ut malit tolli a se sanctitatem etiam in gradu remisso, quam a fratre suo majorem ejus sanctitatem: ergo.

Ad confirm. R. 1. retorq. qui amat ut Deus, amat ordinate: atqui amat Deus, ut quisque justitiam suam, alterius cujuscumque sanctitati præferat; nec approbaret ut quis mundi totius sanctificandi causa, peccaret etiam venialiter, aut proximo venialiter peccandi periculo se exponeret: ergo qui sic se amat, amat ordinate.

R. 2. neg. maj. tanquam de falso supponente. Supponit enim, vel Deum instar hominis bona sua comparare posse cum aliorum bonis, & sic affectum esse, ut suis, si per impossibile minora essent, privari malit, quam alios suis, si per idem impossibile majora essent: vel hominem posse semetipsum cum alio quopiam homine comparatum, iisdem oculis intueri, quo Deus duos homines extra se positos intuetur. Hæc autem ridicula sunt & absurda: unde tota hæc ratiocinatio, cum de diversis objectis instituatur, merus est paralogismus. Æquum certe est ut Deus sanctiores plus amet, quam minus sanctos, quia utrique sunt extra se; & eadem de causa e duobus inæqualiter sanctis, sanctiorem magis, quam minus sanctum, amare debemus, quia uterque a nobis diversus est: sed si instituenda sit nostram inter & extranei alicujus sanctitatem comparatio, nostra utique alterius justitiæ præferenda erit, quia nobis conjunctiores sumus, quam proximo, etiam sanctiori. Hæc autem ratio, quæ in hacce materia, primitiva est & capitalis, non habet locum in Deo, qui non est conjunctior minus sancto, quam sanctiori.

Inst. Magis placet Deo ut unum fiat veniale peccatum, quam ut mundus totus ob peccatum mortale damnetur: ergo debeo paratus esse ad peccandum venialiter, ut mundi totius damnationem avertam.

R. hic occurrere vitium in præcedenti ratiocinatione animadversum, unde dist. magis placet in genere, quia Deus generatim mavult leviter offendi, quam gravissime, C. magis placet in particulari, hoc sensu, quod Deus velit me venialiter peccare, ut mortalem aliorum offensam, & annexam ei damnationem removeam, N. Imo contrarium vult, qui vult ut me plus amem quam proximum.

Obj. 3. Potest quis, cœteroqui pie magis in Religione victurus, manere in sæculo, ut proximorum saluti allaboret: atqui hoc fieri non posset, si unusquisque spirituale bonum suum proximi bono præferre teneretur: ergo.

R. posse hominem in proximi gratiam velle pati detrimentum charitati extrinsecum, puta velle carere tum suavi ea delectatione, quæ contemplationi annexa est; tum gratiis illis, quæ vocantur gratis datæ: sed non ita constat an possit homo, ad procurandum bonum spirituale proximi, velle pati detrimentum aliquod spirituale, quo impediatur meriti & gratiæ sanctificantis augmentum. Alii negant, quia, inquiunt, id contrarium est naturæ charitatis, quæ ex se habet ut subjectum suum inclinet ad perfectissimam cum Deo conjunctionem, tum in vita præsenti per sanctitatem, tum in futura per gloriam. Alii vero censent licitum

esse ob spirituale proximi bonum, aliquam pati jacturam spiritualium hujus vitæ bonorum, quæ hominem faciunt meliorem, sed quibus potest quis absque peccato carere. Et hac de causa, ait Sylvius, omitti aliquando possunt opera non præcepta, ex quibus profici posset in charitate, *quia non tenemur eam semper augere*. Hinc etiam tenetur interdum quis, postposita virginitatis laurea, assumere statum matrimonialem, ne regnum ad iniquos, aut hæreticos devolvatur.

Sylv. hic q. 26. art. 4. quæs. 1. concl. 4.

Si eligatur prima opinio, neganda est major propositio, & evanescit difficultas. Si vero eligatur secunda, quæ mihi verior videtur, neganda est minor, & dicendum thesim nostram procedere de bonis spiritualibus necessariis, qualia non sunt ea, de quibus loquitur Objectio. Unde etiam approbari potest id, quod docent Boudart tom. 3. pag. 466. & Ethica amoris pag. 240. non peccare, sed econtra heroicæ virtutis actum elicere eos, qui omnem prorsus cujus capaces sunt satisfactionem animabus in Purgatorio languentibus applicant: quia exponere se periculo vel acerbiores vel diuturniores Purgatorii pœnas patiendi, ut alii ab iisdem pœnis eripiantur, magnum quid & heroicum importat.

Sed hic quæso animadverte, secundam, quam adoptavi, responsionem, non esse accuratam, quatenus supponit, eum qui Dei intuitu spirituale quoddam lucrum abjicit, non compensari aliunde, profecto magis est impossibile, ut qui de bono sibi alioqui plurimum profuturo, spiritualem proximo eleemosynam erogat, non recipiat centuplum a Deo, qui factum sibi deputat, quod fit uni ex minimis suis amicis; quam ut idem non recipiat, qui de bono corporali sibi necessario eleemosynam facit.

Quæres, an ob spirituale proximi bonum liceat exponere se periculo peccandi.

Nota, bonum proximi duplex: aliud necessarium, ut si homo sine baptismo moriturus sit, nisi ad eum Baptizandum convoles; aliud non necessarium. Periculum vero triplex a quibusdam distinguitur, remotum, proximum, & probabile, quod inter utrumque medium esse putant. His positis

R. 1. licitum est exponere se remoto peccandi periculo propter bonum proximi etiam non necessarium. Hoc enim faciunt, qui aliorum peccata excipiunt in confessione etiam absolute non necessarie: ibi enim multiplex occurrit periculum negligentiæ, tædii, impatientiæ, præsertim cum excipiuntur confessiones devoti fœminei sexus.

R. 2. nunquam licitum est proximo etiam venialiter peccandi periculo exponere se ob bonum spirituale etiam necessarium proximi. Ratio est, quia, ut bene notat Suarez disp. 9. de char. sect. 1. n. 8. in moralibus idem est peccatum committere, & illius committendi periculo se exponere: idque, ut monet idem Theologus, præcipue verum est, quando periculum est in materia determinata, in qua se aliquis fragilem esse jam sensit & expertus est. Ergo cum nunquam liceat etiam leviter mentiri, aut aliud peccatum admittere ob spiritualem proximi salutem, ut docet Augustinus L. de mendacio, c. 21. neque etiam ejusdem peccati proximo periculo se se exponere licitum est.

Confirm.

Confirm. ex censura propositionis 63. ex iis, quas anno 1679. proscripsit Innocentius XI. Ea vero sic habet: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*.

Major est difficultas de periculo probabili. Censent enim multi, eo non obstante, succurrendum esse proximo in extremo necessitate spirituali constituto. Si infans, ajunt Salmanticenses Tract. 21. cap. 6. n. 28. necessario moriturus sit sine baptismo apud Infideles, nisi accedas, & accedendo times probabiliter subversionem, tunc non solum potes, sed etiam teneris accedere, eique periculo te exponere. Ratio est, inquiunt, 1. quia peccandi periculum non est peccatum, nisi quatenus est moraliter voluntarium: sed, qui urgenti de causa objicit se periculo, cui alias objicere se nollet, non voluntarie, sed invitus subit periculum, ut docet S. Basilius, in Constit. Monast. cap. 4. ergo nec dicendus est peccare. 2. quia periculum solummodo probabile non potest haberi pro peccato, cum causa adeo legitima illud subiri exigit. 3. quia infans, de quo statim, & alius quilibet in simili casu constitutus non potest spoliari jure certo, quod habet, ad baptismum, propter damnum incertum, & solum probabile. Pro hac sententia stant Bannes; Azor tom. 2. L. 12. cap. 4. Sanchez in Decalog. L. 1. cap. 8. Soto L. 5. de justitia & jure q. 1.

Contrarium tenet Sylvius hic q. 26. art. 4. & docet, quod si periculum ita sit probabile, ut probabilior sit lapsus, quam perseverantia, non liceat ei se propter alios exponere: quia unusquisque plus suam, quam aliorum salutem diligere debet. Accedit, quod probabile periculum vix differat a periculo proximo, quicum etiam sæpius confunditur: non licet autem proximo peccandi periculo se objicere: ergo ut Sylvii verbis concludam, tunc solum proximo periculose opitulari tenemur, *quando etsi sit periculum, magis tamen speratur peccatum non secuturum*: & hoc quidem magis ab eo sperari potest, qui non temporali, sed præstanti fraternæ charitatis motivo ducitur. Quod si, ait Suarez ibid. n. 8. periculum in confuso animadvertatur, non potest certa tradi regula, sed res pro ratione necessitatis, & periculi absolute vel relative sumpti pensanda erit.

Nec nocent alterius opinionis momenta.

Non primum, semper enim voluntarie subit periculum, qui eidem exponit se, cum ab eo abstinere potest.

Non secundum, nam nisi terminis abutamur, periculum est peccatum, cum exponit hominem peccato moraliter certo, adeo ut probabilior sit lapsus, quam perseverantia: atqui periculum vere probabile sic exponit; nulla autem causa exigere potest ut tanto me discrimini committam ad avertendum alterius damnum. Neque is jus habere potest, ut salutem ipsius meam ante salutem reponam; unde patet solutio ad tertium.

Prob. 2. pars Conclusionis, nempe, quod communiter loquendo quilibet se etiam proximo præferre debeat, quoad bona temporalia necessaria; prob. inquam 1. quia exigit charitas, ut bona, quæ nobis conjunctiora sunt, præferamus iis, quæ minus sunt conjuncta, quando utraque ejusdem sunt ordinis: atqui bona nostra nobis utique conjunctiora sunt, quam bona aliorum; unde Augustinus Lib. de men-

dacio cap. 6. *Si quis*, inquit, *pro alterius vita temporali suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sane doctrinæ regulam excedit*. 2. quia se habet vita nostra ad vitam proximi, sicut anima nostra ad animam proximi: ergo sicut hanc, sic & illam alteri præferre debemus.

Dixi, *communiter loquendo*, quandoque enim licitum est, imo & quandoque necessarium homini privato vitam suam pro servanda alterius hominis vita exponere. Licitum quidem, si is, cujus vita servari potest, sit bono communi, vel saluti animarum utilior: necessarium vero, si servanda sit vita Principis, aut alterius personæ ad Reipublicæ salutem necessariæ; item si malum communitati imminens aliter averti non possit. Qua de causa milites tenentur non deserere stationem suam; & telis se objicere, licet probabiliter noverint futurum ut occidantur. Ita Sylvius hic q. 26. art. 4.

Quæres, an non alii sint casus, in quibus vitam pro vita privati exponere aut etiam profundere liceat.

R. Esse. Nam 1. licitum est incurrere probabile mortis periculum, ut proximus eripiatur morti certissimæ; quia periculum probabile quidem, sed tamen incertum mortis meæ, minus est malum, quam mors non solum probabilis, sed etiam certissima proximi mei. 2. licet ab eo mortem accipere, cui utpote injusto invasori mortem inferre posses; tum, quia sic consulis æternæ ejus saluti, de qua actum est, si eo in statu occidatur; tum, quia præceptum servandæ vitæ, quatenus affirmativum, non obligat cum gravissimo incommodo, unde si vita nonnisi difficillimis mediis servari potest, puta membrorum aliquot amputatione, aut etiam, ut alii volunt, comestione humanæ carnis, non tenetur quis amore vitæ media hæc amplecti: atqui hominis alterius occisio est medium, quod pluribus durissimum videri possit: ergo.

Gravior est difficultas an possit quis certe morti se se objicere, ut alterius sibi plene æqualis vitam conservet. Circa quod docet

Sylv. p. 160. Sylvius id esse illicitum, 1. si is, qui morti se exponit, vel æternæ salutis discrimen merito veteri possit, quia sentit se etiamnum peccato adhærere; vel necessarius, aut multum utilis sit sive Reipublicæ, sive familiæ suæ, aut iis, quorum ipsi cura incumbit. 2. si vitam pro amici vita profundendo, non spectet aliud, quam vitam & vitam, aut si ad summum, ut olim solebant Ethnici, solam moralis virtutis, quæ huic agendi rationi annexa est, honestatem attendat. Ratio est, quia in hisce casibus charitas esset prorsus inordinata, utpote, quæ rem minoris prætii, qualis est aliena vita, aut etiam honestas pure naturalis, præferret rei, quæ erga nos multo majoris est momenti.

Tota igitur, quæ hic superest, quæstio, in eo posita est, an alterius privati vitam, vitæ tuæ dispendio servare possis ex motivo christianæ alicujus virtutis, puta, quia sic proximum subtrahes damnationi æternæ; aut insigne animi bene memoris exemplum exhibebis, conservando vitam patris, aliusve intimi amici, cui, pro collatis in te beneficiis nihil æque dignum rependere potes. Qua de re

Dico cum S. Thoma in 3. dist. 29. art. 5. ad 3. quod in casibus modo allatis, aliisve similibus; *tradere seipsum morti propter amicum, est perfe-*

perfectissimus actus virtutis : unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem .

Prob. hæc opinio 1. quia ex Christo *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* : atqui hæc Christi sententia intelligi potest non solum de spirituali , sed etiam de temporanea proximorum salute ; & sic reipsa intelligitur a S. Chrysostomo L. 2. de Sacerdotio.

2. Quia hæc Apostoli verba Rom. 5. *Vix pro justo quis moritur , nam pro bono fortasin quis audeat mori* ? insinuant eum laudabiliter acturum esse , qui pro alio moreretur , sed paucos esse, qui id faciant : porro mors hisce verbis commendata , ea est, quæ pro justo in extrema necessitate corporali constituto subiretur ; neque enim vir justus in extrema necessitate spirituali supponi potest.

3. Quia quamvis illicitum sit plus amare vitam amici præcise , qua vita est , quam propriam vitam , licet tamen plus amare actum præstantissimæ virtutis , quam propriæ vitæ conservationem ; prout ibidem docet Sanctus Thomas : atqui vitam pro vita proximi profundens , aliud nihil elicit , quam actum præstantissimæ virtutis ; cum supponamus eum hoc uno virtutis motivo determinari . Et vero summis omnium laudibus extolluntur , tum Tobias , qui pro sepeliendis fratrum corporibus se toties morti exposuit ; tum Sanctulus , qui , ut refert Sanctus Gregorius Libro 3. Dialog. cap. 37. certissimo vitæ periculo pro Diacono quodam se objecit ; tum ii , qui peste infectis temporalia ministrant , moraliter certi se hinc evaturos non esse ; tum denique , Sanctus Eduardus , qui dum conservandæ virginitatis gratia a nuptiis abstinendo , mortem subiit , non alio titulo excusari potest , quam quia magnam virtutem innato vitæ amori præposuit.

Ex his sequitur , ait Sylvius , quod si duo sint in extrema necessitate , potest alter alteri ex virtutis motivo cedere panem , quem unicum, & uni tantum sufficientem habet . Si in fuga coram hostibus , potest suum ei , ut fugiat , equum concedere , etiamsi ipse pedibus effugere non possit. Si in naufragio , potest ei dimittere tabulam , quam occupare , & cujus auxilio salvari posset . Nam posset tamen, ait idem Sylvius , tabulam , qua jam uti ipse cœpisset , cedere alteri , si cedere non posset nisi conjiciendo se in mare, quia hæc sui in mare projectio ad sui ipsius occisionem pertinere videtur, nisi ob natandi peritiam abesse judicetur periculum mortis.

Sed potestne homo juste damnatus ut pereat, cibum sibi clam oblatum respuere, ut suam judici obedientiam exhibeat ?

Non potest: tum, quia id de facto judex nec præcepit , nec utpote inhumanum nimis præcipere potuit ; tum quia vix ulla fingi potest justa necessitas, quæ barbaram hanc obedientiam laude dignam efficiat.

Dixi in Conclusione, teneri hominem se plus, quam proximum diligere in bonis temporalibus necessariis ; nam aliud est si agatur de bonis , quæ non sint necessaria . Licet enim contemnere bona , quæ neque nobis, neque nostris sunt necessaria porro si ea contemnere possumus, possumus & in alios conferre rationabili de causa , ac proinde alios nobis hoc in puncto præferre.

Ut probetur tertia Conclusionis pars , nempe , quod spiritualia proximi

 bona

bona eidem necessaria, bonis nostris temporalibus etiam necessariis præferre teneamur.

Not. 1. triplicem esse proximi necessitatem, extremam scilicet, gravem, & communem: *Extrema* ea est, in qua salus est absolute impossibilis proximo, nisi hìc & nunc juvetur, ut si infans ob pestem inter Infideles derelictus, sine baptismo, nisi promptam opem feras, decessurus sit; vel difficultatis tantæ, tamque fere insuperabilis, ut moraliter loquendo censeri possit impossibilis vitatu. *Gravis* est ea, in qua potest quidem aliquis sine alterius auxilio salvari, sed valde difficile: ut si homo peste infectus; & inveteratam habens peccandi consuetudinem, non habet Confessarium; is enim etsi per veram contritionem peccati veniam obtinere possit, rationabiliter sine contritione moriturus judicatur, si nemo auxilium ei præbeat, & pœnitentiæ viam hactenus pene ignotam docere festinet: *Communis* ea est, in qua potest quis absque magna difficultate salvari sine alterius auxilio; talis est necessitas eorum, qui expositi sunt communi peccandi periculo, leviori in aliis, in aliis graviori.

Not. 2. non omnes habere eosdem respectus ad proximum: alii enim ex officio eidem invigilare debent; alii ad ejus curam nonnisi generali charitatis lege tenentur, & quia *unicuique mandavit Deus de proximo suo*. His positis

Dico 1. unumquemque teneri ad subveniendum cum periculo vitæ propriæ proximo suo spiritualem extermam necessitatem patienti, si spes sit, quod juvari possit. Ita communiter Doctores.

Prob. 1. quia ex præcepto Christi, Joan. 13. & 15. tenemur proximum diligere, & sicut diligimus nos, & *sicut dilexit nos Christus*: atqui sic nos diligere debemus, ut æternam vitam vitæ corporali præferamus; sic etiam nos dilexit Christus, ut vitam suam pro salute nostra tradiderit: ergo & *nos debemus pro fratribus animas ponere*; quæ Christi lex vel nunquam, vel saltem in extrema fratrum necessitate spirituali obligat.

Prob. 2. ex utroque Ecclesiæ sole, Augustino, & Thoma. Prior sic habet Lib. de mendacio cap. 6. *Temporalem plane vitam suam, pro æterna vita proximi, non dubitabit Christianus amittere*. Posterior sic loquitur hìc q. 26. art. 5. *Illud magis ex charitate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate*; vult enim charitas ut bona pro dignitate dirigantur: atqui *consociatio in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus*. Certe enim multo magis glorificari potest Deus in proximi anima, quæ per se capax est actus beatifici, quam in temporali corporis nostri vita; atqui insuper anima quælibet longe præstantiori, quam corpus nostrum, modo participat divinam bonitatem, quæ est objectum formale charitatis: ergo tenetur unusquisque vitam corporalem exponere pro spirituali proximi vita. Circa quod tamen observandum cum Sylvio, *eos, qui ex pura ma-*
Hic p. 162. *tia exponunt se damnationis periculo, necessario tractandos, tanquam, qui sint in extrema necessitate; cujusmodi sunt, qui bellum injustum sponte aggrediuntur, duellum suscipiunt, & similes, qui propria voluntate facile possunt se eripere, si velit.*

Ex jacto mox principio colliges. 1. infanti, qui Christianorum filius sit

sit, (nam de filio Infidelis dubitant Doctores) & qui alioqui sine baptismate statim sit moriturus, subveniendum esse etiam cum propriæ vitæ periculo. Idem dic cum Vericelli tit. 2. qu. 60. n. 7. de puero usum rationis recens adepto, quia & ipse est in extrema necessitate, ob insuperabilem pene difficultatem eliciendi perfectum contritionis actum. Haud tamen licitum est, ut alteri subvenias, quidpiam facere, quo tibimetipsi mortem directe inferre videaris: quapropter ut puerum aquis innatantem baptizes, non potes te in aquam dare præcipitem, si nulla affulgeat spes evadendi: esset enim hæc directa tui occisio, quæ lege Dei prohibita est.

Colliges 2. cum eodem, defendendam vitæ tuæ periculo, esse vitam adulti, qui ebrius, dormiens, vel non cogitas occidendus sit in statu peccati mortalis, in quo eum esse certo moraliter cognovisti.

Colliges 3. matrem gravidam in desperatione partus naturalis teneri ad patiendum sectionem cæsaream, ut baptizetur proles, quam utero gestat, & quæ alias sine baptismo moritura est: modo tamen & mulier ita robusta sit, & Chirurgus ita solers & peritus, ut spes adsit probabilis operationem illam nec matri nec infanti fatalem fore, tametsi nunquam fieri possit ut ea careat periculo. Ita censet Theophilus Raynaudus, Ethica amoris, & alii quidam, qui salutem matris sectæ inter casus metaphysicos recensendam non esse probant, tum Chirurgorum plurium judicio, tum frequenti experientia. Qua de re profertur insigne exemplum Patris Jacobi Robini ex Ordine Minorum, qui sæpius testificatus est quintum se esse ex fratribus, cæso semper matri utero, editum, opera Chirurgi cujusdam, qui ope remedii soporiferi dolorem sectionis solerter præclusit. Quod si sectio cæsarea, attenta matris infirmitate aut Chirurgorum imperitia, ita periculosa judicaretur, ut probabili maternæ incolumitatis spe destituta foret, non liceret eam tentare, quia, juxta Sanctum Thomam 1. part. quæst. 68. art. 11. ad 2. *non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum*, cum nunquam *facienda* sint *mala, ut eveniant bona*.

Colliges 4. obstetricem sagam, quæ plurimos infantes variis in locis dispersos in nomine dæmonis, & absque solita baptismi forma baptizavit, absolutionis incapacem esse, nisi crimen suum reparare velit, etiam prodendo se Magistratui, a quo consequenter extremum luet supplicium; si omnibus mature perpensis nulla alia tanti sceleris reparandi via possit excogitari. Ratio est, quia licet in hoc casu nihil debeat intentatum relinqui ut obstetricis vitæ consulatur, postulant tamen justitia & charitas, ut multo magis provideatur æternæ tot infantium saluti, qui per summam injuriam in tantum discrimen conjecti sunt. Eadem de causa, ait Boudart tom. 3. p. 488. prægnans extra matrimonium, non potest instante morte absolvi, nisi cum jactura famæ vita ipsa potioris, det Confessario licentiam crimen ab ea commissum revelandi, ut infantis saluti consulatur.

Colliges 5. teneri te cum eodem periculo ad ferendam opem peccatori etiam rationis compoti, quem extremo morbo laborantem prudenter judicas sine sufficienti contritione ex instructionis defectu moriturum. Imo, ajunt multi, si vir aliunde instructus, sed nequam & qui diu vixit in crimine, sit in primo periculo moriendi, absque

absque confessione, sine qua nonnisi difficillime salvari potest, quamvis absolute possit perfectæ contritionis actum elicere, ei tamen succurrendum est, quia ubi proximi salus tantopere periclitatur, necessitas censeri debet extrema. Ita Suarez disp. 9. sect. 2. nu. 3. P. Simmonet, Boudart, &c.

Addunt Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 4. Grandin pag. 188. quod si Turca quempiam cogeret ad fidem abnegandam, aut Hæreticus plebeculam jamjam corrupturus esset, & in hæresim pertracturus; & ego eos possem verbo aut facto in fide confirmare, ad id tenerer, etiamsi corporis vitam amissurus essem. Contrarium docet Suarez ibidem his verbis: *Si periculum proximi tantum esset peccandi mortaliter, habiturus tamen esset postea tempus pœnitentiæ, non obligat cum periculo vitæ subvenire, ut vitet illud peccatum, quia absolute est voluntarium, & est damnum reparabile*, quale vulgo non est damnum extremæ necessitatis.

Hic quædam apponi solent limitationes. Itaque non tenemur proximo in extrema necessitate posito opitulari, 1. cum valde probabile est inutilem ei fore operam nostram, puta si infantulus nondum baptizatus ante certo moraliter debeat in flammis suffocari, quam ad eum perveniri possit: imo ut alteri cum vitæ periculo subvenire tenearis, oportet ut certo, juxta Suarem, aut saltem juxta P. Antoine, ut *prudenter judices te illi profuturum*; quia *nemo tenetur ad opus prorsus inutile*, aut quod prudenter tale præsumitur, *cum proprio gravi damno*: verba sunt ejusdem P. Antoine. Si valde probabile sit operam tuam alicui necessariam non esse, puta quia est vir doctus, prudens, pius, solitus sæpe peccata confiteri, non teneberis, ait Verricelli Theatinus, ei cum certo vitæ periculo subvenire, nisi sis proprius Pastor; quia homo ille, etiamsi supponeretur a gratia excidisse, non est in extrema, sed ad summum in gravi necessitate, cum assuetus sit actibus contritionis &c. Addit post Toletum idem Theologus, eum qui moribundi statum ignorat, qui v. g. nescit an sit inveteratus peccator, non teneri cum vitæ periculo eidem succurrere, de quo judicent alii.

2. Neque etiam proximo succurrere tenemur, cum alius est, qui possit & velit succurrere. Unde non tenetur privatus quisque ad Indos proficisci, quia non desunt, qui id velint & faciant; aliunde vero quoti sunt, Turcæ v. gr. & Sinenses, apud quos spes est certa promptæ mortis, nulla vero, aut pene nulla prosperi successus?

3. Idem dicendum de iis, quorum vita vel etiam bona, communi Ecclesiæ aut Reipublicæ bono necessaria sunt: quod locum habere potest in Regibus, & in iis, quorum vita præservandæ ab Hæreticis multitudini necessaria est; debent enim ii publicum bonum particulari bono anteponere. Certe Principis unius internecio innumera mala non temporanea solum, sed & spiritualia invehere solet: quapropter, quod diximus in Conclusione, intelligendum est per se loquendo, comparando salutem proximi cum vita nostra, non autem salutem unius cum salute multorum.

4. demum & id locum habet, quando alter, saltem mentis compos, alium interficere nititur: is enim etsi in peccato mortali occidi potest, juxta plurium Theologorum sententiam, quia necessitas hæc non est extrema, sed voluntaria. Sed de hoc alibi.

Di-

Dico 2. in casu gravis, non autem extremæ necessitatis; nemo cum periculo vitæ aliis succurrere tenetur, nisi vel ad id obligetur ratione officii, vel necessitas sit publica.

Prob. 1. pars; quia necessitas gravis talis est naturæ, ut homo ab ea liberare se possit, si velit, & plerumque se liberaverit a gravioribus: atqui non exigit charitas, ut morti me exponam ad liberandum eum, qui absolute liberare se potest, cujus specialem curam non suscepi: ergo.

Tenemur tamen ex charitate proximo in gravi necessitate spirituali constituto, subvenire non solum cum levi, sed etiam cum gravi aliquo damno temporali proprio. Exigit enim ordo charitatis ut magis diligamus proximum in spiritualibus, quam nosmetipsos in temporalibus: atqui ad hoc necesse est ut spiritualem, eamque gravem proximi necessitatem removeamus cum gravi damno temporali proprio; ita ut compararetur gravitas necessitatis tollendæ cum gravitate damni subeundi: *Quod certe*, ait Suarez ibid. n. 15. *non potest definiri in universali, sed in particulari prudenter judicandum est, servata rerum proportione*. Extra hunc gravis necessitatis casum, non est præcepti proximo cum gravi sui ipsius damno succurrere, sed consilii; quia laudabile est spirituale proximi bonum, quod altioris est ordinis, temporali nostro etiam gravi præferre: nisi tamen specialis aliqua ratio ab ea nos agendi ratione prudenter deterreat.

Prob. 2. pars. 1. quia Episcopi v. g. & Pastores, qui ex officio tenentur ad avertenda gregis sui mala, plus utique & arctius ad id tenentur, quam ii, quibus animarum cura ex officio non incumbit: atqui isti tenentur cum vitæ suæ periculo subvenire proximis extremam necessitatem patientibus; ergo alii, quibus ex officio cura hæc incumbit, ad id tenentur in gravi proximi necessitate. 2. quia Pastores ex officio tenentur subditos suos pascere, tum Sacramentis, tum verbo Dei; & hoc præsertim, cum id ad eorum salutem est vel absolute vel graviter necessarium. Vide, quæ dixi in Tractatu de Beneficiis cap. 4. art. 1.

Ex his colliges cum Salmanticensibus Tract. 21. cap. 6. nu. 34. Parochum in prædicto casu positum, non posse officio suo renuntiare; alias nullus Pastor ad ferendam ovibus suis opem teneretur, sed unusquisque cessionis beneficio quamprimum uti posset. Addunt iidem Theologi, Parochum ea dumtaxat cum vitæ periculo Sacramenta administrare teneri, quæ absolute necessaria sunt ad salutem, ut baptismus & pœnitentia; addi posset & extrema unctio, si pœnitentia moribundo administrari non posset.

Prob. 3. pars. 1. quia gravis communitatis alicujus necessitas semper conjuncta est cum extrema quorumdam privatorum necessitate; cum, uti sapienter monet Sylvius, admodum probabile sit futurum ut multi in hac necessitate pereant. 2. quia jactura vel potius periculum vitæ privati alicujus, minus est malum, quam gravis multitudinis totius necessitas, quæ profecto non minoris æstimanda est, quam extrema necessitas alicujus privati. Hinc si Hæreticus falsa doctrina plebem inficiat, teneris etiam cum periculo vitæ obsistere, si possis, & nemo præter te adsit idoneus; aut si adsint quidem alii idonei, sed qui neque se opponant, neque videantur se oppositūri. Item si in persecutione vel *Sylv. p. 161.*

ho-

hostium incursione plebs gravibus peccandi periculis exposita foret; teneretur Sacerdos ei opem ferre, si deesset, aut etiam ex nimio mortis metu recessisset proprius Pastor.

Id. ibid. Dico 3. *Proximo in communi spirituali necessitate constituto, nemo succurrere tenetur cum periculo vitæ, imo nec cum gravi bonorum temporalium detrimento; tenetur tamen, si potest sine suo damno, vel cum exiguo.*

Ratio 1. partis est, quia communis necessitas non est simpliciter & absolute necessitas, cum, qui eam patitur, pluribus modis ab ea expedire se possit: si enim vinci satis facile non posset, jam non esset levis, sed gravis necessitas.

Ratio 2. partis est, quia *mandavit Deus unicuique de proximo suo*, Eccli. 17. ergo proximo consulere tenemur cum facile possumus: possumus autem facile, cum vel sine ullo, vel sine gravi damno possumus.

PUNCTUM SECUNDUM.

An charitas e rebus extra nos positis, alias aliis præferri jubeat?

CUm homines omnes extra nos positi, erga nos proximi locum habeant, quæritur an, & qui sint, quos aliis præferre tenemur. Quæ difficultas ut ad mentem S. Thomæ solvatur, sit

Conclusio I. *Oportet magis unum proximorum, quam alium diligere*: Ita S. Doctor q. 26. art. 6.

Prob. 1. quia si proximus omnis æqualiter diligi deberet, æqualia forent peccata omnia contra dilectionem proximi: atqui falsum consequens; gravius enim peccat, qui patrem, quam qui alium non amat. *Unde*, ait ibid. S. Thomas, *Levit.* 20. *præcipitur, ut qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur, quod non præcipitur de his, qui alios homines maledicunt.*

Prob. 2. quia uni proximo magis benefaciendum est, quam alteri: atqui hoc fieri non potest, nisi sub aliquo saltem respectu major sit affectus in unum, quam in alium: exteriori enim beneficio respondere debet interior dilectionis motus: ergo.

Prob. 3. quia *cum principium dilectionis sit Deus, & ipse diligens*, necesse est ut ii plus diligantur, qui plus Deo vel nobis sunt conjuncti: atqui proximorum alii aliis Deo nobisve sunt conjunctiores: ergo.

Ob. ex Augustino Lib. 1. de Doctr. Chr. cap. 28. *Omnes homines æque diligendi sunt*; ergo non is, plusquam ille.

R. Omnes *æque* diligendos esse, hoc sensu, quod omnes *generaliter* & nullo excepto diligendi sint; non autem quasi idem esse debeat dilectionis omnium gradus. Sic Sap. 6. dicitur, quod Deo *æqualiter* sit *cura de omnibus*, non quia æquali mensura creaturas omnes diligat, sed quia omnibus certum usque ad gradum providet, & neminem a curà sua excludit. Dici etiam potest omnes æque esse diligendos ex parte objecti, quatenus nempe idem omnibus objectum seu bonum, vitam scilicet æternam velle debemus; at non ideo statim omnes eodem modo diligere debemus, sive quoad gradum affectus, sive quoad gradum objecti desiderati, quia majori nisu patri, quam extraneis salutem procurare debemus, & majorem sanctiori, quam minus sancto, glomari exoptare.

Con-

CONCLUSIO II. In eodem bonorum & necessitatum genere, qui nobis conjuncti sunt sanguine, seu amicitia, officio, Religione aut convictu, extraneis præferri debent.

Prob. 1. ex S. August. ubi supra. *Cum*, inquit, *omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitalibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur.*

Prob. 2. quia charitas non destruit, sed perficit naturam: atqui natura constanter ad hoc inclinat, ut plus eos diligamus, qui nobis ejusdem naturæ nexibus conjuncti sunt, quam qui nobis sunt extranei. Unde Apostolus 1. ad Timoth. cap. 1. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior:* ergo.

Dixi, *in eodem genere* &c. si enim in eodem bonorum genere extraneus gravem, conjunctus vero communem tantum necessitatem patiatur, extraneo potius, quam ei, qui tibi conjunctus est, succurrendum erit. Rursus si ambo gravi necessitate laborent, sed extraneus spirituali, consanguineus vero corporea, dimittendus erit consanguineus ut alteri provideatur. Ratio est, quia hæc agendi ratio charitatis legibus congruit, opposita vero iisdem repugnat.

Obj. Ii magis diligi debent, qui meliores sunt: atqui extranei plerumque consanguineis meliores sunt: ergo.

R. dist. magis diligi debent extranei, qui meliores sunt, sed & simul opptari potest ut nobis conjuncti sint extraneis meliores, C. secus, N. Itaque meliores sumpti formaliter & qua tales magis diligi debent, hoc sensu, quod & nobis in eorum bonitate magis sit complacendum, & major eis desiderandus sit gradus gloriæ, quia reipsa ampliorem merentur, *& hoc*, ait hic sanctus Thomas quæst. 26. art. 7. *ad charitatem pertinet, ut velit justitiam Dei servari, secundum quam meliores perfectius beatitudinem participant.* Sed non prohibet, imo consulit charitas, ut velim *quod iste, qui est mihi conjunctus, sit melior alio; & sic ad majorem beatitudinis gradum pervenire possit:* non quod optare possim ut alterius gratia vel gloria minuatur, hoc enim repugnat charitati, quæ *non emulatur*; sed quia licitum est optare & precari, ut manente, imo & crescente alterius gratia, is qui mihi propinquior est per bona opera plus gratiæ obtineat, & nobiliorem coronam assequatur. Vide Sylvium, qui quæstionem hanc fuso calamo ventilat & expendit. 1. Cor. 13.

CONCLUSIO III. E conjunctis ii per se loquendo in eodem bonorum & necessitatum genere aliis præferri debent, qui nobis propinquiores sunt, & ex æque propinquis, qui sunt digniores.

Prob. 1. pars, quia si conjunctio naturæ, aut alia similis, efficiat ut consanguineos extraneis præferre debeas; eadem ratione major conjunctio efficere debet, ut propinquiores præferas minus propinquis.

Prob. 2. pars, quia magis diligibiles præ cæteris diligi debent: atqui ex æque propinquis digniores majori dilectione digni sunt: ergo.

Docet tamen Sylvius, per accidens fieri posse ut plus charitatis & subsidii dignioribus, quam propinquioribus debeatur; ut si digniores sint personæ publicæ; item si nobis causæ fuerint vitæ spiritualis, a qua nos avertere conati sint consanguinei; ad denium si conjunctio secundum spiritum sit maxima, ea vero, quæ est secundum carnem, valde remota, puta in quarto, aut quinto gradu.

E con-

Econtrario potest aliquando indignior præferri digniori. Sic si duobus, qui mox a sicario interficiendi sunt, vitam servare non possint; præferendus aliquando erit peccator, qui v. gr. in somno occidendus est, homini justo: quia, nisi quid aliud aliunde obstet, melius est hunc perire secundum corpus, quam alium secundum animam, cui ex hypothesi provideri non potest.

Conclusio IV. Inter conjunctos ii, qui nobis secundum carnis originem propinquiores sunt, debent præferri aliis in iis, quæ ad naturam pertinent.

Prob. quia intensio dilectionis oritur ex conjunctione diligentis ad diligentem: atqui conjunctio sanguinis unitate fundata, omnium est prima, maxima, & maxime immobilis. Aliæ enim, quæ fundantur in gratia, in ejusdem loci incolatu, imo in professione ejusdem Religionis, accidentales sunt, & aliquando cessant, ut cum homo excidit a gratia, alium in locum transit, aliam Religionem amplectitur: ergo.

Dixi: *in iis, quæ pertinent ad naturam*: in iis enim, quæ ad alias conjunctiones pertinent, pater postponi potest. Sic ait ibidem S. Thomas art. 8. *in bello magis obeditur duci, quam patri*; in Religione magis Superiori; in Reipublicæ negotiis, magis concivibus. Neque tamen ideo pater minus, quam alii, diligitur simpliciter & absolute, sed secundum quid, id est secundum aliquam dilectionis partem, quam aliis & deberi & impendi rationabiliter conqueri non potest. Si tamen, quæ ad sanguinis conjunctionem, aliasque conjunctiones pertinent, impleri simul non possint, pater ita præferendus erit, ut vel ipsæ conjunctiones deserantur, si ei aliter subveniri non possit. Hinc militia, imo & ipsa Religiosa Communitas deseri aliquando potest, ut patri succurratur; de quo vide sanctum Thomam hic q. 101.

Sed nonne saltem parentes spirituales carnalibus sunt in eadem necessitate præferendi?

Non sunt sane, 1. quia, ut docet sanctus Thomas in 3. dist. 29. art. 7. *charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit*: atqui ordine naturæ parentes præferuntur aliis: ergo etiam ordine charitatis; ac proinde non solum in naturalibus, sed & in spiritualibus, quia ad hæc duo extendit se charitas. 2. quia unusquisque majorem corporalis parentum vitæ curam, quam cujuscumque alterius habere debet: ergo a fortiori & eorum vitæ spiritualis, quæ longe gravioris est momenti, quam caduca & transiens corporis vita.

Ex his colligit Sylvius, Pastorem patri & matri etiam positis extra locum sibi commissum magis opitulari debere in extrema necessitate, quam vel filiis vel parentibus spiritualibus, modo tamen communitatem ipsam non relinquat in periculo. Ratio est, quia conjunctio naturalis prævalet obligationi, quam ex officio erga filios spirituales suscepit. Pergit Sylvius: *Sed cum obligatio ad consanguineos non sit tam arcta, quam ad parentes & filios; Pastores & alii, quibus incumbit ex officio curam animarum, potius debent juvare spiritualiter conjunctos, quam vel fratres vel cognatos. Ubi tamen observandum est non peccari mortaliter, si patri carnali præponatur spiritualis, si fratri spirituali præponatur carnalis; uti nec si quis magis diligat meliores, eis desiderando majus bonum, quam conjunctiores minus bonos; partim quia excessus unius supra alterum non est adeo magnus, partim quia non omnino convenit inter auctores, quis cui sit de necessitate preferendus.*

Ut

Ut huic materiæ imponatur finis, is inter consanguineos statuendus est ordo sequens.

1. Aliis omnibus præferendi sunt parentes, etiam filiis, tum, quia unusquisque plura a patre recepit beneficia, priusque ab eo dilectus est, quam a filio; tum quia pater eminentiorem boni rationem habet erga filium, quam filius erga patrem: pater enim est principium & causa, filius est solum effectus; porro plus debet effectus causæ, quam effectui causa.

2. Pater per se loquendo præferendus est matri, ut qui nobilius sit prolis principium, quam mater.

3. Uterque parens præferendus est uxori, non quidem intensive, cum scriptum sit Matth. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*; sed appretiative, quia patri magis, quam uxori succurrendum est in extrema necessitate; eo quod licet vir & uxor fiant una caro, filius tamen spectatur ut totum cum patre, eique plus debet.

4. Uxor a marito præferenda est filiis, sicut & a parentibus filii fratribus præferendi sunt. Uxor enim, utpote quodam sensu una caro cum marito, eidem est conjunctior, quam filiis; filii vero, utpote pars a patre decisa, plus cum eo necessitudinis habent, quam fratres. Censet tamen Sylvius ordinem mox expositum non obligare sub mortali, quia, inquit, excessus unius supra alterum non est notabilis.

5. Fratres cognatis, & ex iis viciniores remotioribus anteponi debent. Unde in naufragio filius patrem matri, matrem uxori, uxorem filiis, filios fratribus, fratres consanguineis, consanguineos pro suo quemque ordine præferre debet.

Hic quinque notanda. 1. hæc doctrina intelligitur per se loquendo: exigere enim possunt circumstantiæ, ut is alteri præferatur, qui naturaliter deberet postponi. Sic mater bona, & quæ prolis curam dignam gerit, plus diligenda est, quam pater helluo & malus: neque etiam saltem graviter delinqueret maritus, qui uxori clamosæ & inutili filium sibi in temporalibus pene necessarium præferret.

2. Eadem doctrina non habet locum nisi in casu extremæ necessitatis; extra eum enim debet uxor maritum præferre patri, & pater filios propriis genitoribus. Unde uxor, quæ a marito discederet, ut cum patre, qui se utcumque sustentare potest, habitaret, transgrederetur citatum Dei præceptum: *Dimittet patrem & matrem* &c. Unde etiam juxta S. Thomam hic art. 9. *filiis magis* quam patri *debetur cura provisionis*; quod & subindicavit Apostolus 2. Cor. 12. his verbis: *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*. *Grand. p. 193.*

3. Cum necessitas spiritualis sit corporali gravior, si pater gravi corporea, alii vero etiam extranei, gravi spirituali laborent, erunt hi parentibus anteponendi; quia proximum in hoc casu etiam cum gravi fortunæ nostræ dispendio adjuvare tenemur, ut supra dictum est.

4. Ordo hactenus assignatus obligat sub mortali, præterquam in casibus, quos excepi; tum quia nascitur ex gravissimo charitatis præcepto; tum quia finis ejus & materia sunt quod gravis per se momenti.

5. Demum, si omnibus succurri potest, omnibus succurrendum erit.

SECTIO QUINTA.

De actibus charitatis, & primo de eleemosyna.

S. Thom. q. 27. ar. 1. Actus charitatis alii sunt interni, amor scilicet, gaudium, pax animi, & misericordia. Alii vero externi, beneficentia nempe, fraterna correctio, & eleemosyna.

Amor non sumitur hic passive, sed pro actu, quo voluntas nostra Deum prosequitur; de hoc supra.

Gaudium vel sumitur pro sensu lætitiæ de divinis bonis, quatenus in Deo sunt secundum immutabilem & infinitam perfectionem; vel sumitur pro suavi affectu animæ in bono divino per amorem possesso quiescentis. Quocumque sensu accipiatur gaudium, nusquam in hac vita, sed tunc solum perfectum erit, cum videbimus facie ad faciem, & replebitur *in bonis desiderium* nostrum, Psalm. 102.

Pax animi, quæ ab Augustino Lib. 19. de Civ. cap. 13. tranquillitas ordinis nuncupatur, consistit in duplici unione a charitate orta, quarum prior inferiorem appetitum nostrum superiori, & superiorem Deo submittit atque conjungit; posterior vero voluntatem nostram, eorum, quibuscum nobis agendum est, voluntati consentaneam facit.

Misericordia est alienæ miseriæ, ejusque præsertim, quam quis involuntarie patitur, efficax compassio, cum voluntate scilicet misero succurrendi. Quatuordecim sunt misericordiæ opera: corporalia septem, infirmum visitare, sitientem potare, esurientem pascere, captivum redimere, nudum vestire, hospitem colligere, mortuum sepelire. Septem quoque spiritualia, dubitanti consilium dare, peccantem corrigere, ignorantem docere, tristem consolari, offendenti remittere, onerosum sustinere, pro omnibus orare. Priora exprimuntur hoc versu:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Posteriora isto:

Consule, plecte, doce, solare, remitte, fer, ora.

Spiritualia hæc misericordiæ opera non in sola mente consummantur, sed ad exteriores charitatis actus pertinent, & ad tres supra assignatos revocari possunt.

Beneficientia est exterior actus, quo alteri ex affectu charitatis beneficium conferimus. Qui pleniorem horum scientiam habere volet, consulat S. Thomam 2. 2. q. 28. & vix unquam satis laudandum ejus interpretem Sylvium. Nobis sufficiet de eleemosyna & correctione fraterna, quæ majorem injiciunt moram, differere; quod consuetam secuti methodum Deo dante exequemur.

PUNCTUM PRIMUM.

An sit aliquod præceptum eleemosynæ.

S. Thom. q. 32. Not. 1. eleemosynæ nomen derivatur a verbo græco ἐλεῶ, id est, misereor. Sumitur autem vel latius pro omni misericordiæ etiam spiritualis actu; vel strictius pro eo actu, quo aliquid ex misericordia datur

datur indigenti, ad sublevandam ejus necessitatem. Eleemosyna hoc sensu accepta multiplici nomine donatur in Scripturis: aliquando enim vocatur justitia, ut Matth. 6. *Attendite ne faciatis justitiam*, vel ut legit Chrysostomus, *eleemosynam vestram coram hominibus*. Et Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Aliquando vocatur gratia, ut Eccli. 17. & 1. Cor. 16. aliquando benedictio, & sæpius charitas &c.

Not. 2. Manichæi sensisse videntur eleemosynam nequidem consuli; nedum imperari; cum, teste Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 16. vetarent panem porrigere mendicanti. Sit

CONCLUSIO. Datur præceptum eleemosynæ. Est de fide.

Prob. 1. ex Scriptura. Proverb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*. Eccl. 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere .·. declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum*. Ibid. cap. 29. *Propter mandatum assume pauperem &c.* Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*. Jacobi 2. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*; quod quidem satis superque comprobat exemplum divitis epulonis, qui æternis ignibus cruciatur, eo quod Lazari quondam pauperis misertus non fuerit: atqui hæc omnia testimonia præceptum indicant, & quidem sub mortali, cum constet neminem damnari propter omissionem actus, qui vel nullatenus, vel graviter præceptus non fuerit: ergo.

Prob. 2. Illud, & quidem graviter præceptum est, sine quo non potest conservari charitas toties, & tam serio præcepta: atqui nisi erogetur proximo eleemosyna, non potest servari charitas; ut docet S. Joannes his verbis: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Prob. 3. ex Patribus, quorum instar sit, & in re ab ipsis etiam Ethnicis admissa, sufficiat S. Gregorius Nazianzenus Orat. 16. *Mandato*, inquit, *divino atque exemplo moveri ad eleemosynam debemus*. Consonat Jus Canonicum dist. 86. cap. 21. his verbis: *Pasce fame morientem .·. si non pavisti, occidisti*. Imo consonat ipsa natura, quæ præcipit tum ut membra se se invicem juvent; tum ut egeno faciamus id, quod nobis in eodem rerum ordine positis fieri vellemus. Ex quibus patet eleemosynæ largitionem jure humano, divino, atque etiam naturali præceptam esse. Legatur ea de re Thomassinus, tum in peculiari Tractatu de Eleemosyna gallice scripto; tum in Disciplina Ecclesiastica part. 3. lib. 3. cap. 26. *Parisiis 1695.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Quando obliget præceptum eleemosynæ.

NOt. 1. ut quis ad eleemosynæ largitionem teneatur, requiri, ut proximi miseriam sublevare possit; & ut eamdem cognoscat, sive distincte, ut cum medicus stipem efflagitat; sive modo generali, quomodo cognoscitur eos, qui in carceribus includuntur, multis indigere. Quin & Prælati, Pastores, aliique, qui ex officio multi-

tudini providere debent, tenentur inquirere num aliquis e subditis suis indigeat. Si vero non geramus aliorum curam: *non oportet nos quærere quibus stipem impendamus, sed sufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt*, ita S. Thomas hic q. 33. art. 2. ad 4. & quodlib. 8. art. 12. quod intelligendum est supposito, quod ii, qui curam pauperum ex officio habent, ea ut par est fungantur; alias enim vera est hæc regula, quam tradit Nat. Alexander: non obviis tantum pauperibus eroganda est eleemosyna, sed pauperes quærendi, & illis maxime subveniendum, qui præ verecundia petere non audent.

Quod docet Grandin pag. 219. hominem a facienda eleemosyna excusari, cum certo aut probabiliter novit eam ab alio faciendam esse; quia pauper ab alio sublevatus, jam non indiget opera tua, difficultate non caret. Certe, qui vicino in pauperes liberali, eleemosynæ faciendæ curam dimitteret, is utique nec in Deum dives, nec in pauperes misericors esset, ac proinde in magno salutis periculo versari videretur; nisi id, quod ex parte eleemosynæ deesset, aliis piis operibus compensaretur.

Not. 2. bona, quibus aliorum egestas sublevari potest, duplicis esse generis; alia sunt *necessaria*, alia *superflua*. Porro tam necessarium, quam superfluum, aliud est respectu *naturæ*; aliud respectu *personæ*, secundum quod persona dignitatem importat; quod alio nomine dici solet necessarium aut superfluum *status*.

Necessarium naturæ seu vitæ dicitur illud, sine quo non potest aliquis sustentare vitam suam, & suorum, id est eorum, quorum alendorum cura ipsi incumbit, cujusmodi sunt parentes, uxor, filii, & domestici, si qui in raro casu absolute dimitti non possent: qui enim absolute dimitti possunt, magis pertinent ad decentiam status, quam ad conservationem naturæ, ut docet Sylvius hic art. 6. Hinc superfluum naturæ est id, sine quo potest quis se, & suos sustentare.

Necessarium personæ seu status, est illud, sine quo non potest quis convenienter vivere secundum conditionem suam: ac proinde superfluum status, est sine quo quis vivere potest secundum decentiam conditionis suæ.

Sed quid tandem statui superfluum censeri debeat, hoc opus, hic labor, hæc fœcunda laxiorum opinionum origo; adeo ut stupenda hæc verba in Operibus viri alias commendandi reperiantur: *Vix in sæcularibus invenias; etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix tenetur aliquis ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui*. Quæ propositio anno 1700. proscripta est a Clero hujus Regni, ut *temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, & Evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdans*.

Ut media, quæ tutior esse solet, inter utrumque extremum via procedamus, pro certo supponendum est. 1. necessarium seu vitæ seu præcipue status, non consistere in indivisibili, sed moraliter accipiendum esse; & ideo viri prudentis arbitrio sæpius dimittendum, ut perpendat an hoc vel illud sit vitæ, vel statui necessarium aut superfluum. Hinc, ut prudenter monet Sylvius, sicut non statim judicandum est id esse superfluum, quod assumit aliquis in usus (honestos scilicet) a quibus alii ejusdem conditionis homines abstinent, ut cum vir nobilis paululum alios ejusdem suæ sortis homines excedit in ornatu sui vel suorum, in hospitibus exci-

pien-

piendis; & similibus: sic nec dubio procul existimandum est omnem vestium ciborumque abundantiam; omnem famulorum multitudinem, omnemve copiam munerum, quæ larga manu conferuntur iis, qui non indigent, computari posse inter necessaria status. Res ergo tota coram Deo cordium scrutatore ponderanda est; & ibi quidem *si deregas*, quod *nihil amplius habes in substantia tua, quam tibi aut in victu, aut vestitu rationabili, aut mediocri sufficiat; sola tibi potest bona voluntas sufficere. Sed rogo te, diligenter conscientiam tuam interroga, ne forte aliquoties per ebrietatem*, per ludum; & similia *perdas, quod per eleemosynam dare potueras*; verba sunt S. August. Serm. 306. in Append. alias 227. de temp.

Supponendum 2. in æstimatione necessarii non solum habendam rationem temporis præsentis, sed & futuri. Unde prudentis arbitrio necessarium judicari potest id, quod licet nunc necessarium non sit, probabiliter tamen *intra aliquot menses, aut annos* futurum est necessarium; ut pro nuptiis, & dote filiorum aut filiarum; pro infirmitatibus, pro senectute; imo & *pro augendo decenter patrimonio vel etiam statu*. Unde, ait post Cajetanum idem Sylvius, si quis probabiliter speret se consecuturum statum altiorem, non debent supe flua judicari, quæ nunc reservat ad statum illum acquirendum, & postea conservandum. *Sylv. ibid.*

Sed quia principia hæc licet in se sana, perpetuam duritiei divitum in pauperes occasionem præbent, magna hic intentionis sinceritate opus est, quam non raram modo, sed & rarissimam esse constat.

1. Itaque cavendum ne, ut sæpius fieri solet, omittatur eleemosyna sub prætextu necessitatis non tam futuræ, quam imaginariæ. *Non oportet*, ait solide S. Thomas hic q. 32. art. 5. ad 1. *quod* homo *consideret omnes casus, qui possunt accidere in futurum: hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus probibet Matth. 6. sed debet dijudicari superfluum secundum ea, quæ probabiliter ut in pluribus occurrunt*, attenta scilicet conditione negotiorum, quæ alicui gerenda incumbunt, valetudinis, ætatis, &c.

2. Quod dicit Sylvius de spe altioris status, nisi sane intelligatur, multos in præcipitium trahit. Ut ergo spes status altioris eleemosynam reddat legitime parciorem, necesse est, 1. ut sit *probabilis*, & bene fundata, non autem mere aut quasi mere possibilis. 2. ut ambitionem excludat, quia ambitio per se peccatum est. Ut autem spes altioris status ambitionem excludat, inniti debet meritis propriis, & capacitati de Republica vel Ecclesia bene merendi; non autem soli pecuniæ, & desiderio exeundi a statu, in quo plerumque vult Deus nos esse, & extra quem salvare nos non consuevit. Et vero si semel ambitioni laxentur habenæ, & unicuique ad sublimiorem statum tendere liceat, jam reipsa in sæcularibus invenietur superfluum, ut sæpius de facto, & in praxi non invenitur; sicque nemo tenebitur eleemosynæ præcepto extra casum extremæ necessitatis, quæ rarò contingit, & rarius cognoscitur. Aliter profecto senserunt SS. Patres. *Multa superflua habemus*, ait Augustinus in Psalm. 147. *si nonnisi necessaria teneamus: nam si inania quæramus*, v. gr. conditionem nostra altiorem, *nihil sufficit. Fratres quærite, quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ*, nunquam ad sanctiorem vitam, sed ad digniorem statum, splendidioremque fortunam, semper anhelanti. Unde Apostolus ajebat ad Timotheum: *Divitibus hujus* *1. Timot. 6. v. 17.*

T 2 *sæcu-*

sæculi præcipe non sublime sapere, nec proinde statum suo majorem ambire.

Nemone igitur e nativo suo statu assurget? Absit; homines enim opulenti, & potentes, sunt quasi Reipublicæ nervi, & ossa: sed ii ad majora assurgent, quos ad majora natos declarabit Deus ipsa ingenii omniumque animi qualitatum conditione: alii vero, quorum labori aspiraverit Deus, vel commodiorem in eodem statu vitam agent, vel ad statum statui suo priori vicinum pedetentim gradum facient; quod utique iis præsertim continget, qui clamori pauperum aures suas non obturaverint. Hæc enim est benedictio misericordibus in Scripturis multoties promissa, & sæpius concessa.

Sed nonne possunt parentes filiis suis, aliisve parentibus divitias relinquere? Possunt, sed moderatas, & in quarum collectione nunquam omittatur pauperum cura. Possunt, sed imitando patremfamilias, qui tali arte servis sua distribuit talenta, ut alia superlucrari fuerit iis necessarium. Possunt, sed attendendo filios, qui absque labore ullo omnibus abundant, desides manere, Reipublicæ, & Ecclesiæ prorsus inutiles, vitiis omnibus deditos, unde eos omnia sua paucos intra annos cum extraneis devorare ac dissipare contingit, secundum id Eccles. 6. *Est & aliud malum sub sole, & quidem frequens apud homines: vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem ∴ nec* tamen *tribuit ei Deus potestatem, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, & miseria magna est.*

Supponendum 3. tot esse divites, qui contra præceptum eleemosynæ peccent ob præsentem boni sui abusum, quot, qui ob male providam ejusdem boni in futurum reservationem. Neque enim ii soli violatæ charitatis rei sunt, qui congerunt pecunias in superba ædificia, fastuosos currus, hortos regales; sed & ii, qui splendide epulantur, mensamque, suppellectilia, statuas, gemmas, & reliquum familiæ apparatum, ex divitiarum copia metiuntur; quique cum sint homines novi, & plebejæ familiæ, vitæ suæ suorumque ordinem, & apparatum, nobiliorum loci familiarum apparatui ad minus æquiparant; crescentibus divitiis delicias, luxum, famulorum multitudinem ingeminant; eleemosynam vero vel minuunt vel non adaugent; qui accepta pingui hæreditate, non sunt in pauperem largiores, sed profusiores in commoda sua; qui, ait Habert, orbati filio, quem secundum decentiam status sui cum aliis sustentabant, defuncti partem jam superfluam non dividunt cum pauperibus, sed quasi filiis superstitibus necessariam servant.

Hæc doctrina, si ob corruptos sæculi mores paulo asperior videbitur, non est mea, sed Patrum. *Si plus habes*, ait Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam, *quam tibi ad victum, & vestitum* conditioni tuæ convenientem *necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noveris*. Sanctus Chrysostomus Homil. 28. in cap. 12. Epistolæ ad Hebr. *Illa sunt supervacanea, sine quibus vivere possumus*. S. Aug. in Psal. 38. divites, qui hinc se excusatos volunt, quod filiis suis superflua servent, carpit in hunc modum: *Ista est excusatio iniquitatis ∴ filios habes? unum plus numera, da aliquid & Christo*. Et Serm. 1. in Psalm. 48. *Servant filiis suis, & illi filiis, & tertii filiis. Quid Christo? quid animæ suæ? omnia filiis?*

filiis? inter filios suos, quos habent in terra, computent unum fratrem, quem habent in cælo; cui totum dare debebant, saltem *dividant cum illo*.

Not. ultimo, illius, qui ope nostra corporali indiget, triplicem distingui necessitatem, extremam, gravem, & communem. Etsi vero earum necessitatum definitiones facile colligi possint ex iis, quæ supra dicta sunt de necessitate spirituali, paucis tamen hic exponendæ sunt.

Necessitas *extrema* ea est, quam patiuntur ii, quos defectus cibi, potus, vestitus, aut alterius rei exponit evidenti mortis periculo, sive statim, sive in posterum, & consequenter ad actualem inediam subeundam. Unde in extrema necessitate positus censeri debet, non is solum, qui statim exhalaturus sit animam, nisi ei succurratur, sed & is quoque, qui periculum incurrit infirmitatis incurabilis, aut alterius miseriæ, quæ homines conficere solet.

Hic autem duo notanda, 1. nihil interesse, an hæc necessitas sit *ab intrinseco*, puta ex ipsa constitutione naturæ, quæ in hoc vel illo casu periclitatur, nisi promptum ei afferatur remedium; an *ab extrinseco*, puta ex malitia alterius, qui alium v. gr. occisurus sit, nisi ei equum des, quo sibi fugiendo consulat. 2. ad judicandum an quis in necessitate extrema versetur, non sufficere vel quod mendici dicant se esse in tali necessitate; vel quod pauperes qualecumque Parochi testimonium proferant; vel quod appareant qualiacumque necessitatis signa. Nam mendicorum fides non raro est suspecta, præsertim cum in sua causa testimonium dicunt; Parochi vero sæpe non ferunt testimonium de necessitate extrema, sed vel de gravi, vel simpliciter de necessitate: adde quod non raro incertum est, an interea non fuerit ab alio subventum necessitati. Signa vero necessitatis debent esse evidentia vel probabilia: sufficeret autem unius, Parochi præsertim aut Confessarii, vel duorum fide dignorum testimonium, affirmantium ex visu seu certa notitia, quod talis extremam patitur necessitatem, neque sit, qui subveniat. Ita Sylvius, cujus in verbis ob materiæ gravitatem nihil immutatum volui.

Necessitas *gravis* seu urgens multiplici sensu intelligitur, ut 1. cum desunt ea, quorum defectus, etsi mortem certo aut valde probabiliter non inferat, conjecturaliter tamen judicari potest illaturus. 2. quando imminet periculum damni alicujus minoris quidem morte, sed tamen notabilis, morbi v. gr. gravis, *vel amentiæ*, ait Sylvius: sed alii plures censent eum esse in extrema necessitate, cui imminet hic & nunc periculum amittendi sensus, aut membri; vel excidendi a tota fama, vel ab omnibus fortunæ bonis. 3. cum decentia status vel absolute servari nequit, vel nonnisi ægre admodum & maxima cum difficultate servari potest.

Necessitas *communis* est quidem vera indigentia, & aliquo sensu gravis momenti, sed infra gravem sensu mox exposito acceptam. Talis est regulariter necessitas eorum, qui privatim vel publice mendicant, aut de aliorum charitate communiter vivunt. Etsi enim ii valde indigeant, tantumque videantur poscere necessaria ad vitam tenuiter sustentandam, quia tamen ab omnibus petunt, & a multis accipiunt, non sunt in gravi necessitate, sed in communi. His positis, sit

Conclusio. Proximo in extrema necessitate posito tenemur eleemosy-

mosynam erogare ex iis, quæ vitæ superflua sunt, licet sint necessaria ad decentiam status. Eidem in necessitate gravi constituto succurrere tenemur ex iis etiam, quæ ad aliqualem status decentiam necessaria sunt. Eidem demum communem necessitatem patienti succurrere debemus ex iis, quæ statui superflua sunt. Et hæc triplex obligatio urget sub mortali.

Prob. 1. pars, quæ est communis & certa, 1. quia ordo charitatis exigit ut gravissimum proximi bonum bono nostro longe inferiori præferamus: atqui bonum ad solam status nostri decentiam necessarium, est longe inferius bono proximi in extrema necessitate constituti, cum proximus tunc solum in extrema necessitate constitutus dicatur, quando vitæ, vel sensus, vel ut alii volunt, famæ totius aut omnium bonorum discrimini obnoxius est: ergo. 2. qui extremam patitur necessitatem, licite diviti, etiam nolenti, surripere potest ea, quæ naturæ superflua sunt; neque in hoc dives rationabiliter potest esse invitus: atqui si dives posset sine peccato pauperi extremam necessitatem patienti denegare id, quod propriæ vitæ superfluum est, jam esset rationabiliter invitus, cum illud sibi subripitur; alioqui daretur bellum ex utraque parte justum: ergo pro certo statuendum est teneri unumquemque sub mortali, proximo in extrema necessitate posito subvenire, etiam cum gravi bonorum suorum dispendio, atque ideo detrahere de status sui splendore, famulorum numero, vestium, & domorum ornatu. Ita Tolet, & alii saniores.

Dixi, *ex iis, quæ vitæ superflua sunt*, quia postulat ordo charitatis, ut unusquisque vitam & incolumitatem suam vitæ & incolumitati alterius præferat, *nisi forte*, ait S. Thomas hic q. 32. art. 6. *talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia vel Respublica sustentaretur; quia pro talis personæ liberatione, seipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret; cum bonum commune sit proprio præferendum.*

Prob. 2. pars, quam tenent Bann. Med. Suar. Valent. & alii communius; ostendendo 1. succurrendum esse pauperibus in gravi etiam necessitate positis. 2. iisdem succurrendum esse, etiam diminuendo aliquid de splendore status sui, si necesse sit; dummodo, ait Ethica amoris L.4.c.27. decentia status per hoc enormiter non lædatur.

Et quidem, quod pauperibus in gravi necessitate positis opitulandum sit, patet 1. ex hac Christi sententia: *Ite maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*. Unde sic: Multi ob violatum eleemosynæ præceptum damnabuntur; cum significet Christus plerosque divites ob id præcipue damnatum iri: atqui pauci damnarentur, si præceptum eleemosynæ in extrema solum necessitate obligaret, cum raro admodum contingat aliquem in tanta necessitate constitui: ergo. Et vero necessitas, cui non occurrerunt divites a Deo maledicendi, consistit in esurie, siti, nuditate, creditoris molestia: atqui hæc frequentem & obviam indicant necessitatem, quæ proinde extrema non est: ergo.

2. Idem docent SS. Patres. Ambrosius L. 1. de Offic. c. 3. *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum .... fame laborare, ærumnam perpeti, præsertim si mendicare erubescat, & non adjuves*. Augustinus Tract. 3. in 1. Epist. Joan. cum dixisset: *Esurit frater tuus, in necessitate positus est, a creditore angustiatur, non habet ipse, habes tu ..* subjungit: *Quod si facultates mundi habes, & responderit tibi cor tuum: Quid ad* me

me pertinet? ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? dilectio Patris non in te manet. Unde sic: Mortaliter peccat, qui grandem admittit culpam, & dilectionem Dei a se excludit: atqui ex citatis Patribus, grandem admittit culpam, & dilectionis Dei vacuum se probat, qui proximo in gravi necessitate posito non succurrit: necessitas enim, de qua sermonem faciunt Ambrosius & Augustinus, ad summum gravis est: ergo.

3. Idipsum evincit ratio. Qui enim amicum deserit non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, censetur amicitiæ renuntiare: ergo qui gravi pauperis necessitati opem negat, peccat contra charitatem tum proximi tum Dei, cui denegatur, quod pauperi denegatur, secundum id Matth. 25. *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis*.

Quod autem pauperi in gravi necessitate posito subveniendum sit, etiam cum aliqua proprii status imminutione,

Prob. 1. ex Patribus modo adductis, secundum quos fratri succurrere tenetur quisquis novit fratrem suum indigere, & eidem subveniendi facultatem habet: atqui facultatem subveniendi vere habet, qui sine magno suo incommodo subvenire potest. Et hoc mundanorum exemplo manifestum est, qui si certa quædam officia sub prætextu aliqualis sui incommodi amicis denegarent, vecordes, & violatæ amicitiæ rei ubique judicarentur.

Prob. 2. Tenetur quilibet proximum suum amare sicut seipsum, *non verbo & lingua, sed opere & veritate*: sed qui non vult incommodi aliquid pati, ut proximum suum a gravi malo liberet, eum non diligit sicut seipsum. Non enim diligit proximum sicut seipsum, qui non facit ei id, quod rationabiliter sibi fieri vellet in eodem casu: atqui hoc non facit... Quisque enim rationabiliter vellet malo valde gravi liberari cum aliquo alterius incommodo longe minori, qualis est, ait P. Antoine, diminutio aliqua decentiæ status, ut si quis de splendore convenienti, de ornatu vestium, de lautitia mensæ, de supellectili etiam aliquid notabile detrahat.

Dico *aliquid etiam notabile*, quia ut gravitas necessitatis suam habet latitudinem, sic & imminutio decentiæ status aliquando major, aliquando minor esse debet; ita ut tanto minus sibi ex hac parte concedant divites, quanto plus ex alia parte exigunt pauperes. Quamquam certa quædam sunt adeo requisita ad decentiam status, ut nemo iis carere teneatur nisi cum extremæ necessitati succurrendum est; qua in re ad viri prudentis judicium recurri debet.

Prob. 3. pars, nimirum; quod pauperi communem necessitatem patienti succurrendum sit ex iis, quæ naturæ & statui superflua sunt, idque sub pœna damnationis æternæ. Probatur inquam 1. ex Scripturis. Deuter. 15. *Præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi*: ergo pauperi omni, quisquis fuerit, eique proinde, qui gravem necessitatem non patitur. Timot. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, communicare*: sed qui extremam gravemve proximi necessitatem expectaret, non tribueret facile, sed solum in magnis rerum angustiis. Matth. 25. *Ite maledicti*, quæ verba, ut jam ponderavi, æternam damnationem comminantur ei omni, qui fratrem in communi & obvia necessitate non adjuverit. Luc. 3. ajebat Joannes: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*,

benti ; & qui habet escas , similiter faciat. Ubi per unam tunicam ea intelligitur, quæ nobis necessaria est, sive sit una numero, sive plures ; per secundam vero ea omnis, quæ superflua est , secundum id S. Hieronymi Epist. 50. q. 1. *Quidquid corpori nostro sufficere potest , & humanæ succurrere imbecillitati , hoc una appellanda est tunica* &c. Hæc Joannis verba : *Qui habuerit substantiam hujus mundi , & viderit fratrem suum necessitatem habere* &c. de quacumque necessitate generatim & indistincte pronuntiata sunt . Hinc Sodoma misere perdita , quia in egenum præcise ut talem durior fuit : *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ , superbia , saturitas panis , & abundantia , & otium ipsius , & filiarum ejus : & manum egeno & pauperi non porrigebant* . Ezech. c. 26.

Prob. 2. ex SS. Patribus . *Si fateris* , ait S. Basilius homil. de avaritia , *ea tibi divinitus temporalia bona provenisse , an injustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens ? Cur tu abundas , & ille mendicat , nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris , ille vero patientia decoretur ? Est panis famelici , quem tu tenes , nudi tunica , quam in conclavi conservas , discalceati calceus , qui penes te marcescit , indigentis argentum , quod possides inhumatum : quocirca tot pauperibus injuriam facis , quot dare valens es* . Et iterum : *Vidi multos jejunantes , orantes , præteritorum pœnitentia suspirantes , omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes , egentibus vero ne obolum quidem præbentes . Quid hic cœtera virtutum diligentia prodest ? non propterea regnum Dei consequentur* . Augustinus in Psalm. 147. *Superflua divitum necessaria sunt pauperum . Res alienæ possidentur , cum superflua possidentur* . Cœteros omitto , quorum longam seriem exhibuit auctor Anonymus in Opere duobus tomis contento , cui titulus: *Aumone Chretienne , ou la Tradition de l' Eglise touchant la charité envers les pauvres* ? Lugduni apud Deville , an. 1674.

Prob. 3. ratione duplici . Et quidem 4. unusquisque debet diligere proximum sicut seipsum : sed non diligit proximum sicut seipsum , qui ne sua quidem superflua vult partiri cum proximo ; sic enim magis diligit superflua , quam ipsum proximum . 2. si divisio rerum tacite & virtualiter ea conditione facta fuerit , ut quæ uni superflua forent , suppeditarentur alteri , utique peccat graviter , qui legem tanti momenti infringit : atqui divisio rerum hac sola conditione facta est & fieri potuit . Hæc enim divisio facta est pro majori hominum commoditate : itane vero commodum foret ut , qui superfluis abundarent , non tenerentur aliorum necessitatibus subvenire , sicque alii ducerent in bonis dies suos , dum alii inedia tabescerent & languore ?

Obj. contra 1. partem , ex ea duo absurda sequi ; 1. scilicet virum nobilem ut servet vitam rustici , quem alioqui prædones occisuri sunt , teneri opulentum patrimonium distrahere . 2. divitem teneri ad dandum gratis egenti , satis vero non esse , ut eidem det mutuo .

R. ad 1. neg. sequelam . Nemo enim tenetur in pauperem esse liberalior , quam in semetipsum : atqui , ut notat Sylvius , si quis ab hostibus captus esset , non teneretur se quantacumque summa redimere cum totali status sui suæque familiæ subversione , nisi talis esset persona , ex qua penderet salus Reipublicæ ; ergo multo minus alium tanto cum incommodo redimere debet . Et vero licet hominis vita toto censu pretiosior sit , in ordine tamen ad bonum publicum , quod pri-

privato unius bono præferendum est, pluris valet aliqua magna substantiæ & boni quantitas, quam privati vita. Certe si res ita non esset, quotidie subverterentur nobiliores familiæ; unicuique enim pauperi ad extrema vergenti dandum esset unde exquisitissima sibi remedia compararet, & accersendi essent cum immensis sumptibus præstantiores medici, quod nemo facit etiam cum de vita sua agitur; & quod reipsa nemini præceptum est: præsertim cum multi sint, qui mori mallent, quam totum sui suorumque statum funditus evertere. Itaque, ait Sylvius, in hoc negotio sæpe opus est arbitrio prudentum, qui spectatis omnibus circumstantiis decidant quantum de suo statu debeat quis diminuere ut alterius vitam conservet: docet enim sanctus Ambrosius Lib. 1. de Offic. cap. 30. nonnunquam in hoc casu peccari; asseritque grandem esse culpam: *si Fidelis in causam ceciderit, aut captivitatis suorum, aut calumniæ, & non adjuves: si sit in carcere & pœnis .... si tempore, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri*.

R. ad 2. divites aliquando teneri ad dandum gratis, aliquando satis esse ut dent mutuo.

Sufficit mutuum vel commodatum, 1. si is, qui hoc in loco indiget, alibi habeat, aut paulo post sit habiturus, unde satisfacere possit. Hinc si agricolæ nec habeant frumentum, quod serant, nec pecuniam unde emant, satis vulgo erit eis vel commodare, vel credito vendere. Vide exemplum Joseph Genes. 41. 2. si res qua quis indiget, non sit usu consumptibilis, neque sit ei, quoad substantiam, sed tantum quoad usum necessaria, ut si cui opus fuerit equo, quo periculum fuga devitet, domo vel lecto tempore infirmitatis. 3. si non desperetur eum, qui indiget, aliquando ad meliorem fortunam esse reversurum, sive ope pinguis hæreditatis, quam consequi potest, si forte plures moriantur; sive ope laboris non insoliti; tunc enim extrema ejus necessitas satis sublevatur per mutuum. Certe qui homini in hac rerum specie constituto grandem pecuniæ summam mutuo daret, plus exereret charitatis, quam qui alteri levem porrigeret summam, quæ pro certo nunquam sibi reddenda foret. Si tamen res in hoc casu data levis esset momenti, nec expresse sub mutui titulo tradita, præsumi posset gratis donata fuisse; quia nemo præsumi debet vilis & ridiculus donator. An non autem vilis esset & ridiculus, qui a paupere pro modico pane, pro calceis, pro detrita veste obligationem exigeret? Ita cum pluribus e nostris sentit Joannes la Placete Pseudopastor Ecclesiæ Gallicæ, Hafniæ in Tractatu gallico de eleemosyna pag. *169*.

Quod si talis sit indigentis status, ut vel absolute, vel nonnisi labore insolito & nimio emergere possit a necessitate, tunc ei gratis succurrendum erit ab iis, qui poterunt, quales sunt advocati patrocinando, medici invisendo, pharmacopolæ dando pharmaca, præsertim ordinaria; quia mutuum esse non potest, ubi rationabiliter exigi vel prævideri non potest accepti redditio. Et certe ex constanti Ecclesiæ doctrina eleemosyna cadit sub præceptum: atqui sola gratuita donatio est proprie eleemosyna: mutuum enim dare, commodare, vel credito vendere, non est proprie dare eleemosynam; cum is, qui tunc recipit, maneat ex justitia obligatus, non is, qui recipit eleemosynam.

Con-

Confirm. 1. quia hoc præceptum eleemosynæ, *date eleemosynam*, clare distinguitur ab hoc mutui præcepto, *mutuum date*. 2. quia si mutuum esset proprie eleemosyna, divites, qui mutuum petunt, censerentur eleemosynam petere, quod alienum est a communi omnium sensu.

An alienæ rei in extrema necessitate subreptio, sit virtualis acceptio in mutuum, quæ proinde restituendi obligationem importet, ut quidam existimant, expendi in Tractatu de Justitia, parte, capite, & artic. 4.

Obj. contra 2. partem. S. Thomas hic q. 32. art. 5. duos tantum assignat casus, in quibus obliget præceptum eleemosynæ, scilicet ratione extremæ necessitatis, & ratione superflui; ergo non censet eleemosynam ex necessario status faciendam esse in necessitate gravi.

R. neg. conseq. Sanctus enim Doctor sub necessitate extremæ comprehendit & gravem. Idque patet ex responsione ad 3. ubi hominem ad dandam eleemosynam sub mortali obligari docet, *cum habet superflua, & cum apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat*. Porro, ut bene notant Sylvius & Ethica amoris, evidens & urgens necessitas non est sola extrema, sed etiam gravis.

Objiciuntur multa contra tertiam partem. 1. quod nemo sibi subvenire teneatur nisi in extrema necessitate: ergo neque alteri. 2. quod alioqui innumeri divites damnarentur, imo & continuo peccarent superfluum retinendo. 3. quod nemo ad altiorem statum posset ascendere; quod virorum etiam piorum agendi rationi repugnat. 4. quod alioqui non peccarent pauperes, ea quæ divitibus superflua sunt auferendo, utpote sibi debita. 5. quod nemo ex superfluis Ecclesias ædificare, dotare, aut ornare, aliosque in usus pios pecuniam suam impendere posset. 6. quod sufficiat curare ut pars boni vitæ tempore collecti, pauperibus post mortem dividatur. 7. quod necessitas communis sit necessitas modica: sed qui necessitatem modicam non sublevat, nonnisi modicum peccatum facit: ergo. Verum hæc facile solvuntur.

Ad 1. itaque, non desunt casus, in quibus peccaret, qui ex nimio valetudinis suæ neglectu, ut si in gravem serviendi Ecclesiæ impotentiam imprudenter se conjiceret. Sed esto non peccet, quid inde? an quia poterit renuntiare juri suo, poterit & alieno?

Ad 2. nego absurde dici, quod divites multi damnentur; cum hoc primus omnium dixerit Christus Matth. 19. his verbis: *Dives difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Quibus consonat id Apostoli 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. Ponderent id, juxta Cajetani consilium, divitum Confessarii, qui aliquando satis habuere roboris ut nudi nudam crucem sequerentur, sed satis non habent ut absolutionem denegent divitibus, qui notabiles prodigunt summas in luxus vestium, conviviorum delicias, inutilium ædificiorum constructionem, munerum aliis divitibus profusionem, canum turbas &c. dum interim nec communi, nec sæpius etiam gravi pauperum necessitati, sibi notæ medentur, vixque egenis de superfluo suo quidpiam impendunt.

Quia tamen præceptum eleemosynæ non obligat pro semper, sed pro tempore & loco, non peccant, qui aliquos pauperes sine eleemo-

syna

synа prætereunt, modo plus aliis dando, si possunt, compensent id quod aliis denegaverunt. Aliunde non tenentur communem eorum quibus donant, necessitatem in totum auferre; sed satis est ut aliquid tribuendo, aliquid etiam aliis relinquant & tribuendum boni, & auferendum necessitatis. Addit Grandin pag. 224. eos excusari posse, qui inculpabiliter credunt se non teneri saltem sub mortali ad erogandam de superfluo eleemosynam, prout docent Alexander Halensis & S. Antoninus: sed cum opinio nostra diserte in Scriptura & Patribus doceatur, eamque quotidie prædicent optimi quique Evangelici concionatores, mirum si locum in hacce materia habere possit ignorantia invincibilis.

Ad 3. neg. sequelam, cum Cajetano, Navarro, Sylvio, & aliis. Ratio est, quia communis pauperum necessitas per aliquid modicum juvari potest: porro modicum illud non arcet a superiori gradu. Sed hìc quatuor attendenda. 1. ut ascensus ille sit probabilis. 2. ut non sit effectus cupiditatis. 3. ut non impediat quominus communis pauperum necessitas sublevetur. 4. ut in casu gravis pauperum indigentiæ, renuntietur ascensui, ne forte renuntiandum sit eleemosynæ.

Ad 4. nego iterum sequelam; quia superfluum divitis non debetur pauperi ex justitia, sed solum ex charitate. Ergo furti reus est pauper, qui extra casum necessitatis extremæ, diviti invito superfluum abripit; quia sola necessitas extrema, omnia, saltem quoad usum, facit communia.

Ad 5. utile est & sanctum diligere decorem domus Dei; sed male eum diligeret, qui quidquid haberet boni in materialia templa profundendo, spiritualia, pauperes nimirum negligeret: *Hæc ergo oportuit facere, & illa non omittere*. Sic igitur gerere se debent, qui pie in Ecclesiæ decus, ornamenta & splendorem affecti sunt, ut saltem ex parte pauperibus in necessitate etiam modica positis subveniant; alioqui enim lethaliter peccant, ait Azor 2. p. l. 12. c. 9. q. 4. p. mihi 1397.

Ad 6. neg. ant. præceptum enim, quod actu urget, actu impleri debet: atqui præceptum eleemosynæ e superfluo in communi necessitate pauperibus erogandæ, actu urget.

Vid. Morale Chretienne, *p.* 590.

Ad 7. dist. necessitas communis est modica, si spectetur in unoquoque particulari, C. si spectetur habita ratione sive totalitatis pauperum, sive Reipublicæ, N. Itaque modicum est, quod negas huic vel illi pauperi, sed magnum est, quod negas toti pauperum communitati; ergo tam graviter peccas, quam qui pluribus vendit pondere justo minori; is enim etsi non noceat graviter uni vel alteri, graviter tamen nocet toti communitati.

PUNCTUM TERTIUM.

Quanta & quibus e bonis fieri debeat eleemosyna.

Circa primum variæ fuerunt variorum opiniones. Hæc cœteris brevior & tutior, quam filium suum docuit Tobias: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum* *Tob.* 4. 3.

quum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Idipsum juxta Bedæ & S. Thom. expositionem docuit Christus Luc. 11. v. 41. *Quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis*, id est date, quod cultui & victui necessario superfluum est: ergo moraliter loquendo dandum est pauperibus, vel saltem iis ante omnia curatis, pios in usus impendendum est quidquid superfluum nobis remanet: ita tamen ut nunquam minus detur, quam superfluum, & aliquando plus detur; quia ut dictum est, exigit interdum gravis pauperum necessitas, ut iis aliquid tribuatur de necessario status. Unde quod statuit Hammondus in Opere cui titulus: *Pratique de la morale*, pag. 309. dandam esse circiter vigesimam, aut saltem vigesimam quintam boni nostri partem, quia Judæis, præ quorum justitia justitiam nostram abundare necessum est, præceptum erat ut partem opum suarum trigesimam egenis tribuerent; hoc inquam legitimo fundamento destitutum est, cum res tota & ex necessitatibus pauperum, quæ variant maxime, & ex divitum superfluo metienda sit; ut bene notat la Placette in Tract. jam citato.

Circa secundum triplex occurrit difficultas, 1. an eleemosyna fieri possit ex bonis alienis. 2. an ex communibus. 3. an ex illicite acquisitis. Sit

CONCLUSIO I. Regulariter loquendo non licet dare eleemosynam ex alienis bonis.

Prob. quia unicuique præceptum est ut proximum adjuvet ex substantia boni sui, juxta id Isajæ 58. *Frange esurienti panem tuum*. Unde si multi sint divites, qui proximo subvenire nolint, tu ex propriis eum, quasi in solidum adjuvare teneberis.

Dixi: *regulariter loquendo*: tum quia præsumptus proximi consensus, & certa ratihabitio nonnunquam sufficere possunt; tum quia Magistratus agens auctoritate publica posset ex alienis largiri, si divites propria sponte largiri nollent; tum quia si propria non haberes, posses aliena tollere, ut homini in extrema necessitate posito subvenires, sicut & ille, ut sibi succurreret, posset aliena auferre.

An autem excusandus esset vir honestus clanculum subripiens, ne mendicare cogeretur, non convenit inter Casuistas. Negat Navarrus, nec immerito: tum, quia opinio contraria viam furti bene multis aperiret; tum quia, qui hanc servaret agendi rationem, patibulo se exponeret.

Quæres, an qui ex bonis per usuram partis stipem dedit homini cœteroqui morituro, possit id, quod dedit, pro soluto habere.

Affirmat Pontas, modo donator alia tunc bona non haberet: quia non magis obligari potest ad restituendum, qui in hoc casu dedit alienum, quod habebat apud se, quam si hoc in alterius domo positum sustulisset.

CONCLUSIO II. Licet dare eleemosynam ex bonis, quæ possidentur *collegialiter*, non ex iis, quæ possidenda sunt *particulariter*.

Prob. 1. pars, quia bona collegialiter possessa, sunt ea, quæ in communi possidentur, v. g. a Congregatione Regulari, vel non, a Capitulo &c. atqui potest aliquis de consensu partis majoris ejusdem Communitatis, quidpiam ex iisce bonis decerpere, ut indigentium neces-

necessitatibus subveniat; ergo licitum est dare eleemosynam ex bonis collegialiter possessis.

Prob. 2. pars, quia bona particulariter possidenda, sunt ea quorum proprietas inter multos dividi debet, ut si hæreditas plures inter filios distribuenda sit: atqui ex his bonis ab uno quopiam eleemosyna fieri non potest, quia aliis fieret injuria: ergo vel expectandum est, donec facta fuerit divisio, vel habendus est omnium consensus, saltem præsumptus, ut aliquid nomine omnium pauperibus donetur: ergo.

Conclusio III. Eleemosyna fieri non potest ex bonis illicite simul & injuste acquisitis: sed fieri potest ex iis, quæ licet illicite comparata sint, juste tamen retinentur.

Prob. 1. pars, quia bona injuste acquisita reddi debent domino suo, si eidem sine periculo mortis, aliove simili incommodo reddi possint, ut communiter reddi possunt per manus Confessarii aut alterius; ergo ex iis eleemosyna fieri non potest. Quapropter usurarius bona per usuram parta pauperibus largiri non debet, sed ea iis reddere, a quibus inique extorsit.

Excipiuntur hi casus. 1. si ignoretur dominus: tunc enim bona hæc, cum neque retineri possint, neque reddi vero eorum domino, qui ignoratur, necessario pauperibus restituenda sunt. 2. si obstet dispositio legis: sic pretium pro Beneficio acceptum, non ei, qui dedit, sed Ecclesiæ restituendum est, uti probatum est a nobis Tom. 1.

Obj. Luc. 16. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis:* atqui mammona iniquitatis ea est, quæ injuste acquisita fuit: ergo ex bono injuste comparato eleemosynam facere licet.

R. neg. min. ibi enim divitiæ dicuntur mammona iniquitatis, non quia per justitiam acquisitæ sint, sed quia ad iniquitatem & peccatum inducunt, eos præsertim, qui eleemosynæ præceptum violant.

Prob. 2. pars. Eleemosyna fieri potest ex bonis, quorum proprietas nostra est: atqui evenire potest ut proprietas boni illicite acquisiti, vere tamen nostra sit. Sic pecunia homini data propter laborem die festo peractum, vere est ipsius. Sic etiam lucrum a comœdis perceptum, ab iisdem illicite simul & valide percipi videtur, saltem ob Reipublicæ concessionem; quod an debeat ad meretrices extendi, expendimus in Tract. de Justitia.

PUNCTUM QUARTUM.

A quibus dari possit eleemosyna.

Difficultas est de servis, de Religiosis, de filiisfamilias, & de uxoribus. Sit

Conclusio I. Servi nihil ex dominorum bonis donare possunt, nisi legitime consensum eorum aut ratihabitionem præsumant.

Prob. quia alioqui donarent alienum, quod non licet.

Possunt tamen servi ex iis, quæ sua sunt, dare, imo & ad id tenentur, si vel ex donis, vel ex pretio, quo conducti sont, ultra necessarium habeant. Et vero, qui nihil habent in bonis, sed e labore suo victum sibi

sibi comparare debent, ab eroganda eleemosyna non dispensantur ab Apostolo, ut patet ex his ejus verbis ad Ephes. 4. v. 28. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti*. Ii tamen quorum totus fundus est vel labor, vel famulitatis stipendium, plus in futurum servare possunt, quam qui annuos habent reditus sibi semper certo adfuturos.

CONCLUSIO II. Superiores Religionum possunt & debent eleemosynas facere.

Prob. quia licet bonorum Communitatis domini non sint, possunt tamen & debent ea prudenter, atque ad Evangelii normam dispensare: atqui prudenter dispensant, cum sublatis Fratrum necessitatibus, eadem in eleemosynas erogant: ergo.

Inferiores vero non possunt stipem dare nisi in quibusdam casibus. ut 1. si adsit *licentia Abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta*; ea autem præsumitur cum pauper magnam patitur necessitatem, nec recurri potest ad Superiorem. Ita S. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. art. 5. quæst. 4. & Salmanticenses ubi infra. 2. si occurrat pauper *in articulo extremæ necessitatis*; tunc enim *licitum esse* Religioso *furari*, ut eleemosynam daret. 3. si ex consuetudine Religionis, utique sufficienter a Superioribus approbata, pios in usus impendere possit ea, quæ sibi ab amicis, aut a consanguineis donantur. 4. si Pastoratum aut aliud aliquod Beneficium Monasterio non incorporatum possideat: omnis enim titulus Beneficii canonice obtenti tribuit facultatem impendendi reditus in congruam sui sustentationem & opera pia; cum is, qui est Beneficii administrator, sit etiam administrator fructuum. Ita Navarus Lib. 2. Consil. Consil. 12. Sylvius hic pag. 202. & alii plures, quos adduxi in Tractatu de Beneficiis cap. 4. art. 3. sub finem.

Addit Grandin alios duos casus, in quibus posset Religiosus ex bonis sibi a Monasterio concessis eleemosynam dare. Primus est, si extra Monasterium moraretur, sive studii, negotiive aut peregrinationis causa. Secundus est, si de sustentatione sua sibi subtraheret, quod daret pauperibus, nisi tamen esset illud sibi prohibitum.

Primum casum post Sanchem, Lessium, & alios communiter, admittunt Salmanticenses Tract. 13. cap. 6. n. 31. 1. quia ita habet consuetudo recepta. 2. quia eleemosynas, modo sint moderatæ, ab hujusmodi Religiosis fieri decet. Et vero quale scandalum, si Religiosus longum cum sæcularibus iter agens, eorumque in mensæ sumptibus imitator, ne obolum quidem porrigeret pauperi!

Secundi casus resolutio non videtur consona veritati: quia id quod Religiosus sibi subtrahit, non fit ipsius, sed remanet Monasterii: ergo non potest ut bonum proprium donari, nisi id a Superioribus tacite saltem permissum sit; & hoc docet Sylvius hic art. 8.

CONCLUSIO III. Potest filius-familias ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus eleemosynam etiam invitis parentibus facere; non potest vero communiter ex bonis parentum. De multiplici peculii divisione consule Tractatum de Justitia.

Prob. quia filii plenum in bona prioris generis dominium habent; non autem in bona generis alterius.

Dixi,

Dixi, *communiter*: quia potest filius *dare* pauperi *panem & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile damnum, de quibus satis constare potest, quod parentibus placeat*. Ita S. Thomas in 4. ubi supra. 2. quia si filius absit studiorum causa, vel parentum negotia gerat, potest tuta conscientia eas erogare eleemosynas, quas solent alii ejusdem conditionis filii, & generaliter eas omnes, quas bona fide credit placere parentibus, 3. idem dicendum, si filius parce vivendo, aliquid de iis, quæ sibi ad victum concessa sunt, reservet: hujus enim proprietatis capax est, non item Religiosus. De his vide Sylvium hic q. 32. art. 8. & Nat. Alex. Reg. 36.

Sed potestne filius id, quod ludendo lucrifecit, pauperibus largiri?

Respondet Sylvius, vel pecunia, quam filius familias ludo exposuit, paternæ administrationi subjecta erat, vel erat proprium filii bonum. Si secundum, ex dictis apparet, quod hinc eleemosyna possit a filio fieri. Si primum, pecunia ex ludo parta videtur paternæ administrationi subjacere, sicut & ea, quæ lucri principium fuit; adeoque *non* potest erogari in pauperes sine patris consensu saltem tacito.

Hæc postrema Sylvii decisio hinc difficilis est, quod secundum leges *nummus ex furto non fit furtivus*, unde alibi docuimus eum, qui ex pecunia subrepta ludendo aut aliter lucrum fecit; non teneri ad restitutionem lucri hujus. Sed responderi potest lucrum hujuscemodi cum de filiis agitur, esse bonum profectitium, quod proinde in patris commodum cedere debet. Et hæc quidem quousque in Galliis vigeant, reperies in citato loco Tractatus de Justitia, edit. nov.

CONCLUSIO IV. Uxor ex bonis viri dispositioni subjectis *eleemosynas dare non debet sine consensu viri vel expresso vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis, sicut de Monacho dictum est. Sed si habeat alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, potest dare eleemosynas etiam irrequisito assensu viri: moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur*. Ita S. Thomas hic art. 8. ad 2. Conclusio paulo fusius explicanda est cum Sylvio.

Itaque uxor eleemosynam pleno jure erogare potest & debet, 1. cum possidet bona paraphernalia, sibi scilicet a parentibus aut aliis, suos in usus præter dotem concessa. Hæc porro bonorum species non ubique locum habet in Galliis, prout dixi tom. 1.

2. Cum sufficientem dotem dedit viro, & nihilominus arte vel industria quædam lucratur, absque eo, quod debitam familiæ administrationem deserat: de hoc enim lucro, sicut & de bonis paraphernalibus libere disponere potest, nisi resistant leges loci aut consuetudo, quæ idcirco consulendæ erunt.

3. Quando licet uxor nihil præter dotem habeat, usu tamen & consuetudine loci receptum est, ut modicas panis, vini, & minutæ pecuniæ eleemosynas donet. Tunc enim id facere potest, quod communiter faciunt ejusdem conditionis fœminæ: & licet maritus id aliquando prohibeat, ipsa tamen, ait Sylvius, potest credere, vel quod maritus hic & nunc approbaret ejus eleemosynam, si præsentem pauperis necessitatem videret; vel quod nonnisi excessum prohibere velit. *Solens enim mariti*, ait S. Raymundus Lib. 2. Summæ tit. 8. cap. 9. *facere prohibitionem uxoribus absolute, ut sic temperent eas, non a toto, sed ab excessu, quem suspicantur*.

Sed

Sed, quid si certo constet maritum nolle absolute quidpiam ab uxore erogari?

Censet Sylvius eam nihilominus contra agere posse: tum, quia maritus injuste & irrationabiliter obsistit; tum quia debet uxori præstare omnia, quæ ad victum, & decentem ipsius statum pertinent: ad statum autem uxoris pertinet, ut ea faciat, quæ faciunt honestæ mulieres ejusdem conditionis.

Sed æquius & doctrinæ Augustini, Epist. 262. alias 199. familiarumque paci magis consentaneum est id, quod docet S. Raymundus ibid. uxorem nimirum, si certa sit eleemosynam suam marito displicere, nec suam ea de re conscientiam deponere possit, teneri abstinere a dando, *& dolere, quod non potest*. Excipe tamen, *nisi videret pauperem indigere ad mortem: tunc enim deberet dare intrepide, alias peccaret*. Idipsum docet Pontas v. *Aumone*, cas. 12. Vide alias ejusdem regulæ exceptiones Tom. 1. hujusce nostri Operis.

Quæres obiter an tutores, pupilli, & qui ob prodigalitatem sub tutela constituti sunt, possint eleemosynas facere.

R. ad 1. cum Sylvio, tutores id facere posse in extrema vel urgenti pauperum necessitate, non autem in communi, nisi hoc specialiter iis permissum fuerit; vel temporalis aut spiritualis aliqua pupilli aut prodigi necessitas id fieri postulet, ut si tutor ad obtinendam eorum sanitatem, aliquid pauperibus donet. Ratio est, quia tutor non est dominus bonorum pupilli, vel prodigi.

R. ad 2. posse pupillos & prodigos modicas eleemosynas largiri; quia tunc donant de suo, & quidem cum præsumpto tutoris & legum consensu.

PUNCTUM QUINTUM.

Quibus facienda sit eleemosyna.

Certum est 1. eleemosynam cæteris paribus magis donandam esse propinquioribus, quam aliis, quia ex Apostolo 1. Timoth. 5. cap. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Notandum tamen cum S. Thoma hic art. 9. quod *multo sanctiori magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum, est magis eleemosyna danda, quam personæ propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat, & si magnam necessitatem non patiatur*. Unde in eleemosynarum distributione idem servandus est ordo, quem supra in exercitio charitatis servandum esse diximus.

Certum est 2. pauperes examine severiori non esse discutiendos, nec curiosius inquirendum an paupertatem simulent; præstat enim dare ei, qui fortasse non indigent, quam negare vere indigenti, prout pluribus docet S. Chrisostomus Homil. 11. in Epist. ad Hebræos *Protinus*, ait S. Doctor divitem compellens, *protinus accedentem accusas: Cur, inquis, non operatur? cur otiosus alitur? .... dicis, est impostor. Propter unum panem & vestem, eum appellas impostorem? At statim id*, quod dono, *vendit, inquis. Tu autem omnia tua recte administras? Quid vero? omnesne sunt pauperes propter otium? nemo propter naufragium, nemo propter judicium, nemo propter furtum, nemo propter pericula, nemo propter morbos, nemo propter alium*

alium casum? ... Benignitatis & clementiæ est tempus non accuratæ, & exactæ examinationis; misericordiæ non ratiocinationis &c.

Quoniam tamen eleemosynam prudentem esse oportet, & nonnulli sunt casus, in quibus ambigi potest an sit prudens, puta si dandum sit homini nequam, vel ei, qui aliunde dives est, idcirco sit

CONCLUSIO I. Hominibus etiam facinorosis eroganda est eleemosyna.

Prob. 1. ex Tob. 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Luc. 6. *Omni petenti te tribue*. Matt. 5. *Benefacite his, qui oderunt vos*. Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*: atqui ii textus neminem ab eleemosyna excludunt; imo & sub ejus lege diserte includunt inimicos, qui qua tales coram Deo per charitatis defectum mortui sunt: ergo.

Obj. Id Eccli. 12. *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio*. Et Luc. 16. præcipit Christus ut iis fiat eleemosyna, qui, cum defecerimus, possint nos *in æterna tabernacula* recipere, quod utique non faciant improbi.

R. Ad 1. non hic agi de eleemosyna, sed de collatione beneficiorum; quæ ex amicitia, aut justitia distributiva tribuuntur, in his autem magno opus est delectu, ne iis conferantur, qui ea contra nostram aut proximi utilitatem adhibeant. Addit Sapiens non esse dandum impio, imo prohibendum ne panes illi dentur, hoc est arcendum eum esse a convictu, & communione familiari, ne inde prævaleat, & benefactoribus suis paulatim factus potentior, eosdem opprimat.

R. Ad 2. eleemosynam justis potius quam aliis faciendam esse, si cœtera sint paria; eamdem tamen non esse impiis negandam, cum *omni petenti* tribuenda sit. Adde 1. quod qui peccatori stipem donat, non sit mercedem suam perditurus, quia eleemosyna pro nobis *exorabit ab omni malo*. Eccli. 29. v. 15. 2. quod in æterna tabernacula recipiendus sit etiam a malis pauperibus, non quidem in eorum persona, sed in persona Christi, qui sibi datum imputat quidquid in egenos etiam malos contulerimus, prout docet Augustinus L. 2. Quæst. Evang. q. 38.

Hic duo moventur dubia, 1. an facienda sit eleemosyna inimicis Reipublicæ. 2. an iis, quos si ex necessitate extrema, in qua positi sunt, eripuerimus, certum est nobis mortem illaturos esse.

Respondet Sylvius ad 1. inimicos Reipublicæ in ordine ad animæ salutem diligendos esse, non in ordine ad vitam corporis, quam ut gladio sic & inedia eis auferre licitum est. Imo peccaret, qui hostibus in bello justo ad angustias redactis, victum præberet: sicut peccaret, qui contra specialem judicis prohibitionem homini per justam sententiam condemnato ad pereundum fame, cibos daret.

Ad 2. docet idem Theologus, eum, qui quempiam aggressurus est, deseri posse in necessitate extrema, si constet mortem ab eo certo inferendam esse, adeo ut neque fuga neque aliter declinari possit. Hæc quæstio, ut ex se patet, pendet ab ista: an injustum vitæ invasorem interimere vel prævenire liceat, de qua dicemus ad quintum Decalogi præceptum.

CONCLUSIO II. Pauperibus, qui voluntarie tales sunt *voluntate* virtutis, potest & debet erogari eleemosyna; secus si tales sint *voluntate* otii, & ignaviæ.

Prob. 1. pars, quia iis facienda est eleemosyna, qui legitimum sunt misericordiæ objectum: atqui tales sunt ii, qui propter Christum

five intra, five extra Religionem pauperes se fecerunt, divitiis renuntiando. Ii enim Evangelicum sequuntur consilium, & eo solum fine omnia abjiciunt, ut liberius orationi, & piis quibuscumque operibus vacent: ergo.

Prob. 2. pars, 1. ex S. August. secundum quem *utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam; quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat*. 2. quia hujusmodi homines non sunt vere pauperes; ac proinde non licet iis ex eleemosyna vivere, cum ex proprio labore vivere possint. 3. quia eleemosyna fovet eorum ignaviam, quæ vitiorum omnium mater est: ergo eos insequi debent Magistratus Christiani, ut vel laborent, si id ferat ipsorum conditio, vel exeant ex urbibus: ergo vel nulla, vel, si mitius cum Nat. Alexandro loqui velis, modica, nec ita facile eleemosyna iis erogari debet.

Hac occasione duo inquirit Sylvius. 1. quid dicendum de Magistratibus, qui solos pauperes indigenas mendicare permittunt, extraneos vero omnes abigunt ex urbibus suis. 2. an danda esset eleemosyna avaro, ideo solum indigenti, quia propriis suis rebus uti non vult.

Respondent ad 1. cum Medina, Magistratibus potiorem quidem de pauperibus indigenis curam habendam esse, ab ea tamen non omnino excludendos esse peregrinos, & advenas. 1. quia sic violatur præceptum hospitalitatis in Scriptura pluries iteratum. 2. quia charitas ad omnem proximum se extendit. 3. quia multi sunt pauperes, qui e natali solo secedere coguntur, sive ob paupertatem loci, in quo inedia conficerentur; sive ob persecutionem, quam ibi sustinent; sive quia fortunæ ludibrium facti, mendicare cogerentur, ubi primas sedes tenuerunt; sive demum quia, ut S. Ignatius, contempti & ignobiles apud extraneos vivere volunt, qui apud suos honores sibi debitos donarentur.

Ad 3. negat faciendam esse avaro diviti eleemosynam, quia non indiget nisi quantum stipulante avaritia, vult indigere. Si tamen eo usque mens ipsius depravata esset, ut mallet inedia confici quam suis bonis sustentare, tunc ei ex bonis ipsius esset succurendum, permittendo ut se alienis crederet adjuvari. Quod si pecuniam suam ita reclusisset, ut non posset inveniri, arbitraret ei e nostris etiam bonis succurrendum, cum immineret articulus extremæ necessitatis; vel potius ad parvas insanorum ædes ablegandum esse.

Quæres iterum, an is, cui committitur distributio eleemosynarum, possit, si indigeat, earum partem sibi applicare.

R. Posse, quia non est pejoris, quam cœteri, conditionis. Et hoc verum est 1. de ipso etiam Confessario, qui vere pauper esset: neque enim ea præsumi potest fuisse pœnitentis ejus pura, & mala intentio, ut ipsum excluderet. Cavere tamen debet Sacerdos, si præsertim paupertas ejus ignoretur, ne ullam fidelitatis suæ suspicionem ingerat.

2. Idem locum habet in distributore, cujus inopiam cognoscebat dominus pecuniæ: neque enim eum exclusisse censendus est, eo quod suam ei pecuniam committendo, nullam ejus mentionem fecerit: sed econtrario credendum est eum vel oblitum esse inopiæ distributoris; vel noluisse ei pudorem afferre, permittendo conceptis verbis, ut aliquam hujus pecuniæ partem sibi applicaret. Idipsum cum S. Thoma hic art 9. docet Pontas cas. 13. qui tamen, & merito doctrinam hanc limitat;

nisi

nisi ei, cui commissa est eleemosynæ distributio, assignatæ sint personæ, quibus eadem sit dividenda: tunc enim secluso necessitatis extremæ casu, non posset distributor quidpiam sibi ex ea retinere; alias violaret & fidem domino datam, & justitiam debitam aliis pauperibus, quorum bonum usurparet. Posset tamen idem distributor dicere domino se cognoscere aliquem non minus, quam alios, indigentem, & cui si eleemosynæ suæ partem dari permittat, valde coram Deo merebitur.

Quæres 3. ad quid teneatur, qui simulata paupertate eleemosynam recepit.

Nota; nomine illius, qui paupertatem simulat, non intelligi eum, qui gemitibus, verbis, & querelis paupertatem suam exaggerat: hanc enim plurium pauperum artem esse nemo ignorat. De iis ergo sermo est, qui reipsa pauperes non sunt, sed esse se fingunt.

Resp. Eos & peccare, quia veris pauperibus nocent, & teneri ad restituendum quidquid prorsus acceperunt. Quia donatio non valet, cum finalis ejusdem causa non subsistit, ut alibi docuimus: atqui in casu præsenti non subsistit causa finalis eleemosynæ. Nam finalis eleemosynæ causa, seu motivum substantiale, est paupertas sublevanda, quæ in hoc casu non occurrit: ergo hæc eleemosyna debet restitui, sive pauperibus aliis, si modica sit, iisque perinde ac tibi donata fuisset; sive ei, qui dedit, si gravis sit eleemosyna, quam prudenter judicare potes ab eo aliis donandum non fuisse, sed ideo solum concessam tibi, quia paupertatem tuam hoc, vel illo modo exposuisti.

Hinc sequitur, quod alibi tradidimus, divites, qui Collegiorum bursas, pauperibus destinatas, sibi arripiunt, ad restitutionem obligari. Vide circa utrumque hunc casum, quæ dicta sunt a nobis tom. 1.

PUNCTUM SEXTUM.

Eleemosynæ effectus, & conditiones.

QUinque sunt eleemosynæ effectus. 1. enim si fiat ex supernaturali Dei auxilio disponit ad uberiorem gratiam. Docet id Scriptura Luc. 10. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Et Act. 10. *Eleemosynæ tuæ ascenderunt im memoriam in conspectu Dei*. Ex quo infert Augustinus Libr. de prædestinatione Sanctor. cap. 7. numer. 12. Cornelium per eleemosynas impetrasse gratiam fidei in Christum, & justificationem.

2. *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat*, Tob. 4. Unde S. Chrysostomus Homilia 21. in Acta Apost. *Non est*, inquit, *peccatum, quod non possit purgare eleemosyna, quodve non possit extinguere; omne peccatum infra illam jacet*. Quod utique verum est de eleemosyna, quæ fructus est pœnitentiæ, & quæ juxta S. Ambrosium Serm. 31. eo sensu *indulgentior* est ipso baptismate, quod baptismus semel tantum peccata dimittit, eleemosyna vero quoties datur.

3. Si fiat ex charitate; vitam æternam promeretur, juxta id Matth. 25. *Percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. Esurivi enim &c.* Eleemosyna vero in peccati statu facta de condigno non meretur gloriam, prout docet Apostolus 1. Corinth. 13. his verbis: *Si*

V 2 *distri-*

distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas ... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

4. Auget fiduciam apud Deum; juxta id Tobiæ ibid. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam*. Unde Apostolus Hebr. 10. *Vinctis compassi estis: nolite itaque amittere confidentiam*. Hinc etiam Psaltes: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*, Psal. 40.

5. Eleemosyna plerumque majoris abundantiæ temporalis causa est, juxta id Prov. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*.

Ex his duo colliges: 1. eos fœde hallucinari, qui Deum sibi propter eleemosynas propitium fore confidentes, nedum resipiscant a peccatis, eadem ingeminant. Ut enim pluribus in locis docet Augustinus: *Eleemosynæ illis prosunt, qui vitam mutaverunt*. Homil. 13. *Parum est eleemosynas quantaslibet facere pro quocumque scelere & in consuetudine scelerum permanere*. Et iterum: *Sane cavendum est ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur*. Enchirid. c. 70. Vide & lib. 21. de Civit. Dei c. 21.

2. Vere tamen dictum fuisse a Cypriano in Tract. de opere, & eleemosyna, sub finem: *Præclara & divina res* eleemosyna, *salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res & grandis & facilis, corona pacis, verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum: quo Christianus adjutus perfert gratiam spiritualem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem*.

Suas, ut ex omni parte bene fiat, habere debet conditiones eleemosyna: Et quidem

1. Debet esse *justa*, idest ex bonis propriis: *Qui enim offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*. Eccli. 34. v. 24. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*, Isajæ c. 61. v. 8. *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere*, Prov. 21. v. 27. Unde id Malach. 2. v. 13. *Operiebatis lachrymis altare Domini fletu & mugitu*; idest, consecrabatis Deo, quæ a plebe ad lachrymas, & miseriæ statum per vos reducta, extorseratis; sed de hoc jam supra.

2. *Discreta*, itaut & non detur nisi iis quibus danda est; & ex iis, quibus danda est, ii aliis præferantur, qui præferri debent: puta consanguinei propinquiores remotioribus, remotiores extraneis, justi peccatoribus; personæ publicæ privatis; gravi laborans necessitate patienti communem; beneficus non benefico; creditor non creditori; nobilis ignobili. De quibus vide, quæ supra dixi agendo de ordine charitatis. Adde hæc omnia multum pendere a circumstantiis: unde justo aliquando præferri utcumque potest peccator a crimine retrahendus, & certe potior est eleemosyna, quæ dum corpori medetur, parat animæ remedium. Quapropter cœteris laudabiliores sunt expensæ, quæ Missionariis tribuuntur ad Infidelium conversionem,

Ca-

Catechistis ad imperitorum, præsertim vero puerorum instructionem, viris zelo plenis ad captivorum redemptionem. Ita la Placete ibid. p. 204.

3. *Liberalis* & copiosa secundum uniuscujusque facultates, ut nempe, quoad vitæ sustentationem egenos inter & divites, aliqua *fiat æqualitas*, *sicut scripum est*: *Qui multum non abundavit*, *& qui modicum non minoravit*, 2. Corinth. cap. 8. Certe: *qui parce seminat*, *parce & metet*; *& qui seminat in benedictionibus*, *de benedictionibus & metet*, ibid. c. 9. Idipsum docent SS. Patres, & inter alios Augustinus: *Præcidite aliquid*, ait S. Doctor in Psalm. 146. *& deputate aliquid fixum*, *vel ex annuis fructibus*, *vel ex quotidianis quæstibus vestris*. *Decimas vis? decimas exime*, *quamquam parum sit*. *Pharisæus*, *super quem debet abundare justitia tua*, *decimas dat*: *tu autem nec millesimam das*. *Quomodo superabis eum*, *cui non exæquaris*? Neque tamen deest meritum eleemosynæ illius, qui parum aut nihil tribuit, quia parum aut nihil potest. *Vidua illa*, ait Augustinus Enarr. in Psalm. 125. *quæ duo minuta misit* ..... *tantum seminavit*, *quantum Zachæus*: *minores enim facultates ferebat*, *sed parem voluntatem habebat*. Et supra: *Unde procedit eleemosyna? de corde*. *Si enim manum porrigas*, *nec in corde miserearis*, *nihil fecisti*: *si autem in corde miserearis*, *etiamsi non habeas*, *quod porrigas manu*, *acceptat Deus eleemosynam tuam*.

4. *Prompta*, non autem quasi per vim extorta. *Ne dicas*: ait Sapiens Proverb. 3. *ne dicas amico tuo*: *Vade & revertere*, *cras dabo tibi*, *cum statim possis dare*. Id solebat Job pauperum pater: *Si negavi*, inquit c. 31. *quod volebant*, *pauperibus*, *& oculos viduæ expectare feci*. Perdunt ergo magna ex parte eleemosynæ meritum, qui vel ob solam pauperis importunitatem, stipem donant: *Non enim est perfecta eleemosyna*, *quæ precibus extorquetur*, ait Augustinus Homil. 39. vel eam post extrema fata donandam reservant; quasi vero multum mereatur, qui donat id, quod jam retinere nequit; quasi etiam certus sit se semper habiturum bona, qui hodie bonis abundat; quasi demum in usu sit ut suprema morientis voluntas ab hærede superstite ad amussim impleatur.

5. *Cum hilaritate fieri*, secundum id Eccli. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, *& in exultatione sanctifica decimas tuas*. Cui consonat id Apostoli: *Unusquisque prout destinavit in corde suo*, *non ex tristitia*, *aut ex necessitate*: *hilarem enim datorem diligit Deus*. Idem docet Chrysostomus Homil. 16. in Epist. 2. ad Cor. his verbis: *Eleemosyna vero tunc demum est*, *cum ut prompto atque alacri animo*, *cum large & copiose tribuis*; *cum te ipsum non dare*, *sed accipere existimas*. Unde Augustinus in Psalm. 42. *Si panem dederis tristis*, *panem & meritum perdidisti*.

6. *Cum humilitate*. Matth. 6. *Cum ergo facis eleemosynam*, *noli tuba canere ante te*, *sicut hypocritæ faciunt* .... *amen dico vobis receperunt mercedem suam*; *vani vanam*, ait August. qui rursus Serm. 239. *Nemo superbiat*, *quando dat pauperi*: *non dicat id animo suo*: *Ego do*, *ille accipit*: *ego suscipio*, *ille indiget tecto*. *Forte quo tu indiges*, *plus est*. *Forte quem suscipis*, *justus est*. *Ille indiget pane*, *tu veritate*; *ille indiget tecto*, *tu cœlo*; *ille indiget pecunia*, *tu justitia*.

Etsi vero humilitas eleemosynam comitari debet, haud tamen latebras quærere semper debet Christianus, ut egenis medeatur, cum exemplum charitatis præbere debeat. In id ergo enitendum est, non ut prorsus ignoretur nostra in pauperem misericordia, sed ut inde lau-

detur Deus, non ipsi nos; & sic duplicem erogabimus eleemosynam, corporalem hanc, qua pascetur pauper, spiritualem illam, qua dives ad exemplum sollicitabitur: tuncque in eas cum Propheta Rege voces erumpere licebit: *Scio Deus meus, quod probes corda, & simplicitatem diligas: unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc.* Paralip. 29. 17.

7. Eleemosyna debet esse *perseverans*, ne audiatur id Apocalypsf. 2. *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti*. Et vero cum eadem sit omni tempore pauperum miseria, eadem esse debet usque ad mortem, imo in dies crescere, si fieri potest, divitum misericordia.

8. *Urbanitatis & amicitiæ plena*; ac proinde ab omni asperitatis & contemptus sensu aliena. *Qui enim despicit pauperem, exprobrat factori ejus*, Proverb. 17. v. 5. Curent ergo divites ut testentur pauperi quantum miseriæ ejus compatiantur; quam enixe plus in ejus gratiam facere vellent, quam reipsa faciunt &c.

9. Demum, adjuncta, quantum licet, habere pietatis verba, quibus pauperes, qui ut plurimum magis adhuc gratiæ sunt, quam pecuniæ, ad patientiam, spem in Deum, curam animæ, corporis curæ ad minus parem paterne incitentur. Certe nusquam efficaciora sunt divitum verba, quam cum eleemosynam sibi conjunctam habent.

Haud tamen prorsus approbandi sunt, qui pauperi eleemosynam, aut mendicandi licentiam negant, donec sacramentaliter confessus fuerit: tum quia omnibus etiam impiis, imo & infidelibus danda est eleemosyna; tum quia si generatim & indistincte præexigatur confessio, periculum est sacrilegii: unde sæpius decepti sunt Confessarii, qui vix aliis, quam pœnitentibus suis, stipem erogant. Utendum ergo bona bonorum pauperum voluntate: mali vero, & qui vix Deum norunt, ad meliorem frugem sensim & discrete adducendi sunt.

SECTIO SEXTA.

De correctione fraterna.

S. Thom. 2. 2 q. 33. Correctio, seu ut malunt alii, correptio fraterna; est externus misericordiæ, ac proinde charitatis actus, quo monitione salutari peccator ad emendationem inducitur. Hinc differt 1. a correptione judiciali, quæ est actus justitiæ vindicativæ, & quæ non tam ordinatur ad emendationem delinquentis, quam ad ipsius castigationem ob commune bonum, & aliorum terrorem 2. a correptione paterna, qua Superior cum auctoritate absque forma Judicii corrigit delinquentem, tum ut emendetur ipse, tum ut tollatur scandalum aliorum. Hæc enim & specialem supponit auctoritatem in corripiente, & ad commune bonum ordinatur: correptio vero fraterna ad solam delinquentis emendationem tendit, & nullam in faciente prærequirit auctoritatem. Ampla admodum est correctionis fraternæ materia, magnique momenti, utpote quotidiani usus; eam ergo solide, si annuerit Deus, sed & simul breviter tractabimus, quia fusius tractare non licet.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

An, & quibus præcepta sit correctio fraterna.

CONCLUSIO I. Datur præceptum correctionis fraternæ.

Prob. 1. ex Scriptura. Eccli. 19. *Corripe amicum .... ne iterum addat facere. Corripe proximum ne forte iteret. Corripe amicum. sæpe enim fit commissio.* Matth. 18. *Si peccaverit in te*, id est ut exponunt SS. August. & Thom. coram te; vel ut melius alii, contra te: *frater tuus, vade, & corripe eum.* Ubi species peccati contra nos, ponitur pro quocumque peccato: cum ideo corripere debeamus fratrem, ut lucremur eum, prout ibidem monet Christus, & docet S. Augustinus Serm. 82. de verb. Evang. Matth. 18. n. 4. his verbis: *Quare fratrem tuum corripis? quia tu doles, quod peccaverit in te? absit: si amore tui facis, nihil facis: si amore illius facis, optime facis.* 1. Thess. 5. 14. *Rogamus vos fratres, corripite inquietos.* Et Epist. 2. ad eosdem c. 3. v. 15. *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem:* atqui ii omnes textus corripiendi proximi necessitatem diserte adstruunt: ergo.

Prob. 2. ex Patribus. *Legem corrigendi*, ait Augustinus, *æternam, catholicam, atque invariabilem omnibus Christianis indixit* Deus. Præiverat Tertullianus L. adversus Marcionem, his verbis: *Peccantem fratrem jubet corripi: quod, qui non fecerit, utique deliquit, aut ex odio volens fratrem perservare in delicto, aut ex acceptione personæ parcens ei.*

Prob. 3. ratione, quia major est necessitas subveniendi proximo spiritualiter laboranti, quam si corporaliter solum laboret: ergo cum hæc stricte obliget, & illa stricte obligare debet. Unde S. Bernardus L. 4. de Considerat. c. 6. *Cadit asina, & est qui sublevet eam: perit anima, & nemo est, qui reputet.*

Nec obest, quod homo in spirituali necessitate sibi subvenire possit ope orationis & gratiæ: sæpe enim tantæ sunt mali illecebræ, tam inveterata peccandi consuetudo, ut nisi homo per fraternam correctionem juvetur, vix unquam surrecturus sit: quapropter hæc ei tunc moraliter necessaria est, quod sufficit, ut sit in præcepto.

Hinc colliges cum agmine Theologorum, præceptum hoc obligare sub mortali ex natura sua: tum quia præceptum in materia gravi, qualis est ista, graviter obligat; tum quia non minus, imo plus obligare debet præceptum correctionis fraternæ, quam eleemosynæ, quod gravissime obligat. Unde Augustinus: *Si neglexeris corripere, pejor es tacendo, quam ille conviciando.*

Dixi: *ex natura sua:* quia qui proximum venialiter dumtaxat peccantem non corripit, peccat solum venialiter, ob materiæ parvitatem; nisi tamen subsit periculum morale, ne ex venialibus sequatur mortale, vel grave scandalum, vel damnum magnum spirituale in Communitate aut Ordine Religioso: puta si timeri possit 1. ne qui proximum leviter irridet, eumdem ad gravem iram impellat; aut ne is qui paucos intra dies nimium potavit, aut modicum quid subripuit, ulterius progrediatur. 2. ne culpa in se levis, quia tamen ab Episcopo vel Pastore committitur, grande scandalum & murmur excitet. 3. demum ne vulnus, quod disciplinæ regulari infligitur, etsi de se modicum, tale sit ut ad magnum ejus-

dem disciplinæ excidium conducat. Quapropter fatentur Doctores, eos qui Communitatibus præsunt, teneri sub pœna mortalis ad obsistendum culpis venialibus, quæ disciplinæ regularis vigorem notabiliter lædunt: notabilis enim disciplinæ jactura etiam per defectus leves, est grave Religionis malum, quod Superiores ex officio avertere & tollere tenentur.

Porro sicut mortaliter aliquando peccat, qui venialibus culpis non obsistit, sic & venialiter solum peccare aliquando potest, qui graves non coercet. Ut 1. si omittatur gravis peccati correctio ex inadvertentia minime crassa. 2. ait S. Thomas hic art. 2. ad 3. *Omissio hæc est peccatum veniale, quando timor & cupiditas tardiorem facit hominem ad corripienda delicta fratris: Non tamen ita, quod si ei constaret, quod fratrem posset a peccato retrahere, propter timorem vel cupiditatem dimitteret; quibus in animo suo præponit charitatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri sancti negligunt corripere delinquentes*. Ubi notandum eum, qui in prædicto casu negligit corripere delinquentes, non peccare mortaliter, quia pudore quodam correptus, & timore amittendi boni temporalis, quod juste desiderat, non invenit verba & modum, quibus prudenter corrigat, & sine quibus correctio sale sapientiæ destituta, sæpius nocet, quam prosit. Ideo autem in eodem casu peccatum veniale agnoscit S. D. quia timor ille, qui mentem tenet incertam, & sagacia verba præcludit, est quodammodo voluntarius in causa, scilicet in aliquali cupiditate: si enim esset plane involuntarius, oriretur que ex naturali infirmitate, excusaret a peccato, ut in scrupulosis, qui cum prudentia ad corripiendum necessaria careant, vix alios utiliter reprehendunt. Ita Habert, quem hic totidem pene verbis ob materiæ gravitatem expressi.

Conclusio II. Præceptum correctionis non in solos Superiores, sed in omnes etiam æquales & inferiores cadit.

Prob. 1. Script. Eccli. 17. *Mandavit unicuique de proximo suo*: si unicuique, ergo nemo correctioni faciendæ idoneus, ab ea immunis est. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum*: ubi sermo dirigitur ad eos omnes, qui fratris sui peccatum coercere possunt.

Prob. 2. ex Jure canonico ubi sic legitur Can. 24. XIV. q. 3. *Tam Sacerdotes, quam reliqui Fideles omnes summam curam habere debent de his, qui pereunt*. Et cap. 12. *De Hæret. Fratrem peccantem occulte corripere ... quisque tenetur ∴ secundum regulam evangelicam*. Idque adeo verum est, ut inter causas, propter quas cum viris malis flagellentur & boni, incunctanter recenseat Augustinus Lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. quod timore quodam humano negligunt arguere in proximis ea, quæ norunt arguenda.

Prob. 3. ratione. Dives tenetur in eo genere, in quo dives est, ad suppeditandam pauperi eleemosynam in eo genere, in quo iste pauper est: sed qui sanum habet rationis judicium, dives est in genere correctionis, cum utiliter emendare possit; contra vero in eodem genere pauper est, qui opus habet ut emendetur: ergo.

Dices: Si res ita sit, inferior tenebitur ad corrigendum Superiorem, & ipse peccator ad corrigendum eum, quem viderit delinquentem: atqui utrumque repugnat. Primum quidem ordini naturali: secundum vero his Christi verbis Matth. 7. *Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*: ergo.

R. neg.

R. neg. min. quoad utramque partem. 1. enim corrigendi sunt ipsi etiam Superiores, quia sunt ex charitate diligendi: unde sanctus Paulus Colossenses monet ut Archippo hujus Ecclesiæ Præsbytero dicant: *Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas*. Verum hìc tres præcipue servari debent conditiones. Cap. 4.

Prima est, ut qui Prælatum vel Superiorem corripit non sit moribus & conditione vilis, alioqui non prodesset emendando, sed noceret exasperando: talis ergo muneri suo satisfaciet, si personas digniores, & Superiori proximiores admoneat, quæ possint & velint corripiendi Superioris onus assumere. Si tamen, ait Sylvius: *periculum salutis Prælatorum esset admodum grave, nullusque alius eos corriperet, corripere deberent inferiores quamvis viles, modo esset apparentia profectus*.

Secunda, ut inferiores Superiorem correpturi sequantur id Apostoli: *Seniorem ne increpaveris. sed obsecra ut patrem*, 1. Timot. 5. Unde sanctus Gregorius 3. part. Pastoral. admonit. 5. *Piæ*, inquit, *subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt*. Et vero, quis non consulat Superiori, cum videt Apostolum considerate adeo & circumspecte ad subditos scribentem in hæc verba: *Rogo vos fratres, ut sufferatis verbum solatii?* Hebr. 13.

Tertia, ut Superiorum correctio non fiat palam. Ut enim ait Innocentius III. cap. 12. *De Hæret. Patrem suum delinquentem nulli licet reprehendere manifeste*, nisi Cham, qui patris pudenda non cooperuit; excipe nisi peccata Prælatorum admodum scandalosa essent, & multitudini perniciosa, puta si hæresim, aut aliquid aliud bonis moribus contrarium docent: tunc enim publice reprehendi possunt, si hac via speretur eorum, vel populi salus. Unde hìc duo verbi divini præconibus valde sunt attendenda, 1. ut cum Superior mala exempla præbet, generatim ostendant, obediendum esse Superioribus dum recta docent; at *secundum opera eorum* non esse faciendum, cum male vivunt. 2. ut palam coram promiscua plebe non insectentur Sacerdotes aut Religiosos, qui aliquando vel pauci adsunt vel nulli: hinc enim nullus fructus, sed sola plebeculæ offensio expectari potest. Ita Sylvius, & quidem prudenter ut solet.

2. Potest etiam peccator delinquentes redarguere. Etsi enim plurimum expediat, ut qui alios redarguit, ipse redargui non mereatur, fieri tamen potest ut utiliter arguat: quia ad corripiendum utiliter sufficit *rectum judicium rationis*, prout hìc docet S. Thomas q. 33. art. 5. aliunde vero peccatum neminem liberat ab obligatione præcepti divini, quale est præceptum correctionis fraternæ: atque hoc præceptum etiam a peccatoribus adimpleri potest, teste eodem S. Thoma his verbis: *Si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi novam damnationem acquirit*.

Sæpe quidem exarserunt SS. Patres in eos, qui peccatis onusti, alios docebant, non autem se ipsos: sed id factum est, tum quia peccator non videtur corripere ex charitate, *sed magis ad ostentationem*, ut indicat Christus citatis verbis; tum quia non raro superbe & imprudenter corrigit; tum denique quia parum prodesse solet correctio, cum deest in corrigente auctoritas; hæc autem iis præcipue deest, qui exemplo subvertunt, quod verbis ædificant: summopere igitur optandum

dum est ut priores a peccato recedant, qui alios a peccato avertere satagunt. Imo & ad id tenentur vi præcepti correctionis, 1. ii, qui cum alios erudire debeant ex officio, animadvertunt se perperam & inefficaciter ob depravatos mores suos loqui & instruere. 2. & ii, qui licet ad erudiendos alios ex officio non teneantur, iisdem tamen pravo exemplo facti sunt causa peccandi, nec jam eos a peccato monitionum ope revocare possunt, nisi saltem exterius resipiscant.

Quæres, an non Superiores strictius, quam alii ad correctionem fraternam teneantur.

R. strictius teneri, quia tenentur ex officio: unde tria sequuntur.

Sequitur 1. ex communi Doctorum sententia, non sufficere ut Prælatus, qui hac in re mortaliter peccavit, dicat se omisisse fraternam correctionem alicujus, sed exprimere debere, quod subditi sui.

Sequitur 2. Prælatos ad fraternam correctionem aliquando teneri, cum alii ad eam non tenentur, imo etiam cum vitæ suæ periculo, si nempe subditus sit in gravi necessitate.

Sequitur 3. eosdem Prælatos in subditorum vitam & mores inquirere debere, ut eos, cum deviant, emendent. Hic tamen prudentia opus est, ne nimia aut temeraria inquisitio Superiorem reddat odiosum, & in suspicando præcipitem: unde non debet inquirere per homines, qui magis solliciti sunt, ut inveniant vitia, quæ reprehendant, quam ut detegant virtutes, quas prædicent. Qui vero aliorum curam non habent, eorum vitam & mores insidiose observare non debent, ne ex eorum numero esse videantur, qui quærunt *impietatem in domo justi*. Unde totam eorum, qui Prælati non sunt, obligationem his Augustini verbis contineri puto: *Admonet Dominus noster non negligere invicem peccata nostra, non quærendo, quid reprehendas, sed videndo, quid corrigas*. Serm. 15. de verbis Dom.

Prov. 24.

Quæres 2. quinam nomine Prælatorum hic intelligantur.

R. Prælati & Superioris nomen in præsenti materia non solum competere Parocho, Abbati, vel *Episcopo regenti plebem suam; sed etiam pauperi regenti familiam suam, marito regenti conjugem suam, patri regenti prolem suam, judici regenti provinciam suam, Regi regenti gentem suam*. Ita habetur Can. 35. XXIII. quæst. 4.

Observat tamen Sylvius hic art. 3. Reges & Principes cum temporaliter præsint, & bonum politicum pro fine respiciant, non teneri omnia populi sui peccata inquirere, & corripere, sed solum graviora, ea præsertim, quæ in aliorum detrimentum cedunt, & aliorum tranquillitati adversantur. Quamquam id curare debent Principes, ut & Magistratus atque Episcopos gubernandis populis idoneos præficiant, & identidem resciant, an ii, ut par est, officio suo fungantur.

PUNCTUM SECUNDUM.

De objecto correctionis fraternæ.

OBjectum correctionis est peccatum & ipse peccator. Circa primum quæritur, an peccatum etiam leve sit materia correctionis: circa secundum, an corripiendus sit, qui nondum peccavit, aut qui actu peccat, sed ex ignorantia.

Con-

CONCLUSIO I. Peccatum tum mortale, tum etiam veniale correctioni fraternæ est obnoxium; mortale tamen præcipue & principaliter.

Probari solet prima pars ex verbis Christi Matth. 18. quibus maxime innititur præceptum correctionis fraternæ: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ* &c. atqui 1. hæc verba: *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, peccatum grave denotant in eo, qui corrigitur. Si enim lucraris eum, ergo perierat; si perierat, ergo peccaverat mortaliter. *Quid est*, ait Augustinus Serm. 16. de verbis Dom. *lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te*? 2. idem denotat ordo & processus hic a Christo imperatus. An enim adhibebuntur testes, an ad Episcopum deferretur, an ut ethnicus vitabitur, qui venialia solum admiserit peccata, ea nimirum, quæ quotidiana sunt, & a quibus ne ipsi quidem justi immunes sunt? Certe si res ita esset, neque pax, neque tranquillitas inter homines servari posset; nec ullus foret admonendi, & ad Episcopum deferendi finis.

Hæc probatio licet usque ad certum gradum valida, in eo tamen difficilis est, quod probare videatur gravissima solum delicta materiam esse correptionis fraternæ. Neque enim ea, ut opinor, fuit Christi intentio, ut omnia prorsus peccata mortalia post secretam monitionem coram testibus redargueruntur, & deinceps deferrentur ad Pastorem, ab eo per peccatoris abscissionem punienda. Quapropter Conclusio tota duobus verbis in hunc modum probari potest: Tam ad minus peccat, qui cum potest, non avertit spirituale proximi malum etiam leve, quam qui cum potest, non avertit damnum ejus temporale etiam leve: atqui peccat iste: ergo & ille.

Hæc Conclusio, quatenus peccata venialia correctionis fraternæ materiam facit, negatur a pluribus. Qui vero eam admittunt, docent simul neminem fere nisi admodum familiaris sit, aut ratione officii peculiarem proximi curam gerere debeat, teneri ad corrigendum de venialibus proximum. 1. quia emendatio singulis ferme passibus necessaria, perpetuam scrupulorum causam inveheret. 2. quia & gravem proximo molestiam facile procrearet, & exprobrandi potius, quam corrigendi animo fieri videretur. 3. demum quia in peccata graviora, qualia sunt murmur, indignatio, piorum derisio, indubie pertraheret. 4. quia, qui minima quæque vellicaret, intolerandum se faceret in societate civili, & omnis boni incapacem: unde nec coerceret a veniali, nec, data etiam occasione, a mortali. In his ergo casibus, satius est ut plurimum dissimulare, quam arguere; nisi, ut mox dixi, emendatio fiat vel a familiari amico, vel ab eo, qui bene novit indolem proximi, ejusque animum ad omne virtutis genus propensum esse. Ita Habertus. Aliquando tamen culpæ etiam leves sub pena gravis peccati corrigi & emendari debent, prout paulo ante dictum est.

Grand. p. 213.

CONCLUSIO. II. Peccata commissa & non emendata, sunt propria materia correctionis; ad quam etiam aliquatenus pertinent peccata proxime committenda.

Prob. 1. pars. Ad correptionem pertinet, ut qui persistit in peccato, ab

ab eo statu revocetur, cum non aliter videtur revocandus, quam salutari monitione; ergo in hoc casu urget præceptum correctionis fraternæ; præsertim vero, ait Sylvius, si frater sit in periculo iterum peccandi.

Prob. 2. pars. Quia qui fratrem in proximo peccandi periculo positum non admoneret cum potest, peccaret mortaliter, utpote, qui non diligeret eum sicuti diligendus est: porro monitio tunc proximo debita revocari potest ad correctionem fraternam, ob suam cum ipsa connexionem; tametsi alii cum Sylvio malint eam revocari ad eleemosynam quamdam spiritualem, eo quod, inquiunt, non sit proprie correctio, ubi non præcessit delictum, quod corrigatur.

Quæres, num corripiendus sit, qui nec in affectu peccati commissi persistit, nec in periculo relabendi; sed tamen nullam de peccato suo pœnitentiam agit.

R. Hominem hunc, data opportunitate corripiendum esse, quia verum est & quod peccaverit, & quod permaneat peccator; ac proinde quod charitatis nostræ objectum esse debeat.

At, inquies, non magis teneor hominem hunc statim emendare, quam ipsemet ad hoc teneatur: atqui homo ille non tenetur statim se sive per contritionem sive per confessionem emendare.

R. Omissa minore, quam negant insignes Theologi, neg. maj. 1. quia qui peccat, semper sibi ipsi præsens est, unde cum gratiæ auxilio resipiscere poterit, cum nolet cor suum obdurare: tu vero non semper habebis copiam ejus, nec semper corripere poteris, cum voles; & fieri poterit ut minime correptus pergat in peccato, qui salubriter & commode monitus resipuisset.

Conclusio III. Qui ex culpabili sive facti, sive juris vel divini vel humani ignorantia male operatur, corrigi debet, si fructuose corrigi potest. Qui vero ex inculpata juris divini vel humani ignorantia jus idem transgreditur, corrigi aliquando debet, aliquando non.

Prob. 1. pars. Quia transgressio peccaminosa corrigi debet, cum utiliter corrigi potest: atqui transgressio procedens ex ignorantia culpabili facti vel juris, est peccaminosa, ut alibi probatum est: ergo eadem transgressio corripi debet, cum fructuose corripi potest.

Imo si actio transgressoris in aliorum perniciem cedat, ut si quis ex ignorantia doceat hæreses, erit is etiam a privato homine corrigendus, tametsi ejus conversio non speretur, modo tamen ejus reprehensio possit aliis prodesse. Pastores vero & alii, qui plebem ex officio docere tenentur, eos etiam docere debent, quos putant non emendandos; quia quæ sui sunt officii, adimplere debent *opportune & importune*. Hinc Ezech. 3. v. 18. & 19. Deus sanguinem animæ pereuntis requirit de manu Pastoris muti, ita ut ille solum innoxius sit, qui annuntiavit impio Dei judicia. Hinc etiam Paulus Act. 19. *Mundus sum*, inquit, *a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis*. Quæ in verba sic scribit S. Gregorius Hom. 11. in Ezech. *Si non annuntiasset, mundus a sanguine non esset*.

Ex quibus colliges eum etiam corrigi vel potius instrui debere, qui propter ignorantiam, quæcumque ea sit, versatur in proximo lethaliter peccandi periculo, si spes sit futurum ut monitio eidem prosit. Quia sicut teneris, cum sine gravi incommodo potes, fratrem non solum a cor-

corporali morte, sed etiam ab imminente ejusdem periculo servare & tueri, sic & multo magis eum servare debes, ne in peccatum mortale incidat.

Prob. 2. pars. Ut quis corripi debeat, duo necessaria sunt, 1. ut speretur emendatio. 2. ut non timeantur majora mala: atqui hæc duo aliquando occurrunt, aliquando non, cum quis ex inculpata juris divini vel humani ignorantia operatur; ergo in his casibus aliquando omitti debet, aliquando admitti correctio fraterna. Hinc a simili, qui ex ignorantia facti contra legem divinam aut humanam agit, non semper est admonendus, cum prudenter judicari potest monitionem plus invecturam mali, quam boni. Quapropter, ait Sylvius artic. 2. si quis matrimonium inire velit cum aliqua, quam invincibiliter ignorat sibi consanguineam esse, vel affinem; qui impedimentum hoc cognovit, tacere debet, si majora ex sua revelatione mala jure & merito vereatur. Hac de causa Innocentius III. consultus de quibusdam invalido matrimonio junctis: *Dissimulare poteris*, ait cap. 6. *De consang. ut remaneant in culpa sic contracta, cum ex separatione grave videas scandalum imminere*. Quo fundamento nixus supra citatus Doctor Duacensis, negat mulierem, quæ sese viduam bona fide existimans, alteri nupsit, esse admonendam, si vel futurum sit ut non credat, ideoque divortium facere nolit; vel ex divortio majora sequi debeant mala.

Extra hos & similes casus, qui ex inculpata juris divini vel humani ad recte vivendum necessarii vel multum utilis ignorantia operatur, corrigi vel potius admoneri debet, si speretur fructus. 1. quia talis ignorantia per se grande est malum, & turpis error, quem ut vellemus a nobis removeri, sic & ab aliis remotum velle debemus. 2. quia, ut notat Suarez disp. 8. sect. 2. num. 6. ignorantia hæc magni damni causa esse potest, tum in bonis temporalibus, præsertim vero honore; tum in bonis spiritualibus; cum vulgo inducat scandalum, pravos habitus, imo & periculum postea peccandi formaliter; si nempe ignorantia ex invincibili fiat vincibilis, & jam non excuset a culpa. In hisce & aliis, quæ fingi facile possunt, circumstantiis, gravis est obligatio proximum erudiendi, major tamen quibusdam in casibus quam in aliis, ut si ex ignorantia oriatur scandalum vel irreverentia Dei aut Religionis; item damnum tertii, cui non restituitur, quod suum est; ac denique æternæ damnationis periculum, ut si quis invincibiliter ignoret ea, quæ ad salutem necessaria sunt necessitate medii.

Duo hic addit Sylvius, 1. scilicet non teneri quempiam sub mortali ad admonendum eum, quem videt ex ignorantia inculpabili agere contra legem humanam, v. gr. omittere Sacrum die festo, vel si sit in sacris, Vesperarum recitationem. Quod verum esse putat, etiamsi speretur fructus ex admonitione: nisi tamen, inquit, omissio, quæ fit ex ignorantia vel mera oblivione, nata sit parere scandalum, aut adversetur reverentiæ Dei vel Religionis Christianæ, ut si quis nisi admoneatur, comesturus sit carnem die jejunii; vel in die festa serviliter laboraturus; vel Missam sine alba vel casula celebraturus.

2. In dubio an ignorantia proximi sit culpabilis, an inculpabilis, nullam esse sub mortali obligationem eum admonendi: quia licet dubium istud meliorem in partem interpretari, & judicare proximi ignorantiam esse inculpabilem.

Verum

Verum neutra hæc resolutio videtur mihi tuta. Non prior, quia omissio præcepti gravis, etsi involuntaria respectu illius, qui ex oblivione pura ipsum omittit, est tamen voluntaria respectus illius, qui eam ex charitate impedire potest, ideoque & debet; alioqui ne venialiter quidem peccaret, non impediendo, quod tamen negat Sylvius: ergo cum ad peccatum mortale sufficiant, & voluntarium & materiæ gravitas, hæc monitionis omissio non videtur a lethali peccato immunis.

Non posterior: si enim admonere debeam eum, quem mihi constat ex oblivione inculpata aliquam prætermittere officii sui partem, a fortiori tenebor admonere, si prudenter dubitem, an non ex culpabili negligentia idem officium omittat: quia quo majus est alieni peccati periculum, eo gravior instare videtur necessitas correctioni, quo proximus ab eodem peccato deterreatur.

PUNCTUM TERTIUM.

Quo tempore, & quibus sub conditionibus obliget præceptum correctionis fraternæ.

Revocandum est in mentem, quod pluries dictum fuit, nempe sub omni præcepto, quo præcipitur actus virtutis, latitare & involvi præceptum negativum, quo peccatum eidem virtuti oppositum prohibetur. His præmissis sit

Conclusio I. Præceptum correctionis fraternæ negative sumptum obligat semper, & pro semper.

Prob. Præceptum correctionis negative sumptum prohibet ne verbis, signis, aut quomodocumque approbetur proximus cum peccat, puta cum detrahit, impudice loquitur, ultionis consilia efformat & pandit: atqui tale præceptum semper obligat, cum nunquam licitum sit malo applaudere, aut inique agentibus blandiri: ergo præceptum fraternæ correctionis hoc sensu sumptum obligat semper, & pro semper.

Imo non sufficit ut non applaudas malo, sed necessum est insuper ut exteriori vultus compositione ostendas illud tibi non probari; secundum id Proverb. 25. v. 23. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*; adde impudicam, blasphemam, impiam &c. Certe plerique detractionis & impudicitiæ sermones non alio fine in familiaribus colloquiis proferuntur, quam ut oblectent; ergo nisi ostendas te eorum conscium & participem fieri nolle, causa es cur protrahantur; ergo saltem facie tristi & aliis displicentiæ signis, mala hæc dissipare debes, non secus ac *aquilo dissipat pluvias*; ergo præceptum correctionis fraternæ etiam affirmative sumptum, hoc aliquo sensu, & his in circumstantiis obligat semper, & pro semper.

Quia tamen correctio fraterna sæpius sumitur pro salutari monitione, aliter quam hujusmodi signis expressa, & aliunde multa debent corrigi, quæ vel hujusmodi signis corrigi non potuerunt, ut si quis te absente peccaverit, vel iisdem signis sufficienter correpta non fuerunt, sit

Conclusio II. Præceptum correctionis fraternæ hoc ultimo sensu acceptum, non obligat nisi sub certis conditionibus.

Prob. earumdem enumeratione. Prima est, ut corripiens sit morali-

ter

ter certus proximum vel jam peccasse & permanere in peccato ; vel esse in proximo labendi aut relabendi periculo. Ratio est, quia actus imprudens, & temerarius non cadit sub præceptum : atqui correctio vel monitio de culpa incerta, regulariter loquendo, esset actus imprudens, & temerarius. Cum enim correptio pudorem ingerat, sitque onerosa, & odiosi quidpiam habeat, homo intempestive correptus juste conquereretur de temerario corripientis judicio, & de injuria sibi forte innocenti facta ; ipsumque lacessens correctorem, ostenderet eum peccare contra id Eccli. 20. *Priusquam interroges, non vituperes quemquam*, & Matth. 7. *Nolite judicare*.

Et vero in dubio utrinque æquali, potius præsumendum est pro justitia fratris, quam contra illam; quia *charitas non cogitat malum*. 1. Cor. 13. Ita accuratiores Theologi, Sylvius hic q. 33. art. 2. *Quæritur* 6. P. Antoine, quibus consonat Habertus, addens quod si adessent conjecturæ admodum probabiles cum aliqua infamia, proximus licet non deberet absolute condemnari, & corrigi ut reus, deberet tamen admoneri, ut si quas dedisset suspicionis causas, amoveret.

Fatendum tamen cum eodem Doctore, hæc Superiores magis spectare, quam æquales, nisi vel familiares sint, vel proximus sit in proximo mortis periculo constitutus, nec adsit Pastor, qui illum commoneat. Regulariter enim nemo in alterius vitam, & mores inquirere tenetur ; nisi Superior ; secundum id Prov. 24. *Ne quæras impietatem in domo proximi, & ne vastes requiem ejus*. Ut vero Superior teneatur inquirere, sufficit suspicio vel dubia cognitio ; quia cum ex officio gregi suo invigilare teneatur, tenetur etiam malis dubiis occurrere. Ita communiter Casuistæ, ait citatus P. Antoine. Quod si reus merito præsumatur absque correctionis auxilio emendandus, ut præsumi potest de his, qui Deum vere timent, & peccato assueti non sunt, nulla erit correctionis necessitas, quia hæc spiritualis eleemosynæ species, nonnisi in indigentia seu necessitate proximi locum habet.

Secunda conditio est, ut sit spes emendationis. Ratio est, quia ad actum inutilem nemo tenetur ; desperato autem fine, jam inutilis est actus, qui ad finis assecutionem eligitur tanquam medium.

Sed hic notandum cum Sylvio, non requiri spem certam emendationis, sed sufficere probabilem ; modo etiam sit probabile correptionem non esse nocituram. Quapropter si dubites de fructu correctionis, & simul certior sis eam non esse obfuturam, teneris ipsam adhibere, tum quia adest materia correctionis, & ex ea nihil mali, sed boni aliquid, ipsa scilicet emendatio sperari potest; tum quia in spiritualibus illud observari potest, quod in corporeis ; in his autem adhibetur remedium, de quo dubium est an sit profuturum, (cum nullum aliud adest certius) quando legitime præsumitur non esse obfuturum.

Quod si probabile quidem sit futurum ut correctio prosit ; sed probabilius vel æque probabile, quod nocitura sit, non erit *ordinarie* adhibenda. Tum quia correctio utpote charitatis actus tendit in bonum proximi : porro nullum apparet bonum, cum æque timetur malum ac speratur bonum. Tum quia, ut mox dixi, animæ eodem fere modo tractari debent ac corpora : atqui corporibus non datur medicina, cum prudenter judicatur eam tam posse nocere, quam prodesse : ergo nec spiritualis medicina cuipiam donanda est, nisi sit *spes probabilis emendationis*. *Hab. ibid.*

Ergo,

Antoine sup. Ergo, ait Habert, eos, quorum ingenium nobis ignotum est; non tenemur corrigere ob quodvis peccatum etiam mortale, ne potius fiant pejores quam corrigantur.

Dixi, *ordinarie*, quia aliquando facienda est correctio, etiamsi dubitetur num sit profutura, ut 1. si quis in proximo mortis periculo versetur, nec præsto adsit alius, qui ipsum corripiat. Ratio est, quia si in hoc casu acquiescat correptus, ab æterna morte liberabitur; si vero non acquiescat, id solum incurret mali, ut paulo gravius damnetur, qui jam ob præcedentia delicta damnandus erat: quod malum, ait Sylvius, non adeo magnum est si comparetur ad beneficium, quod expectari potest. 2. si quis in familiari congressu, contra fidem vel bonos mores, aut bonum tertii vel Reipublicæ quidpiam efferat, unde inficiantur astantes, corripiendus erit, quamvis deterior futurus, modo sperari possit correctionem aliis profuturam. Eadem de causa corripiendi sunt blasphemi, licet non sperentur emendandi: modò, ait Sylvius, id citra corripientis periculum, vel aliquod aliud malum fieri possit; quia ipsorum correctio ad Dei honorem quadantenus restaurandum directe ordinatur.

De cœtero hic observandum; correctionem omittendam non esse propter aliquam delinquentis tristitiam, iramve cum levi aliqua culpa, si tandem speretur emendatio; quia hæc & præter intentionem accidunt, & ad impediendum majus malum permitti possunt. Docet etiam Augustinus Epist. 210. alias 87. correctionem fieri debere, si decursu temporis, licet non statim, speretur fructus: atque id in mente Sylvii verum est, etiamsi is, qui corripitur, ista occasione futurus sit deterior, modo tamen peccatum, quod hic & nunc commissurus prævidetur, notabiliter non adversetur vel honori Dei ut blasphemia; vel bono proximi ut homicidium; modo etiam longe certius sit eum, qui corripitur, lapsu temporis meliorem ad frugem reversurum esse, quam econtra. Vid. Sylvium art. 6. in fine.

Tertia conditio est, ut correctio sit peccanti necessaria. Correctio enim, ait S. Thomas hic artic. 2. *hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem*: unde si probabile sit vel proximum sua sponte emendatum iri; vel corrigendum esse ab alio magis idoneo, aut qui ratione ætatis, dignitatisve sit Superior, non teneris ad corrigendum; nisi tamen ille magis idoneus, bene an male, nolit corrigere: tunc enim teneris hoc in casu spiritualem eleemosynam impendere; sicut & in eodem corporalem largiri deberes, si alius ditior te eam erogare nollet. His tamen in casibus modeste & prudenter agendum est cum delinquente, ut non tam videatur correptus, quam amice obsecratus.

Quarta conditio est, ut correctio opportuno tempore fiat, cum nempe ex ea fructus probabiliter sperari potest: sicut enim nocet corpori medicina, quæ nulla habita temporis ratione porrigitur, sic & mentem ulcerat correctio intempestive oblata. Unde Sanct. Thomas hic artic. 2. *Actus virtutum*, inquit, *non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet*. Videant ergo, qui zelo zelati sunt legem Dei, ne fervore suo præcipitanter abrepti, id inutiliter aut periculose, statim & quam-

primum

primum corrigere velint, quod utiliter post aliquot dies, pacatis jam animis, corrigerent.

Cœterum, qui opportunam fratris emendandi occasionem sponte, sciensque, & volens elabi sinit, peccat mortaliter. Si vero, ait Sylvius, ex naturali oblivione, inadvertentia, vel tepiditate correctionem omittit, peccat solum venialiter; modo ita sit affectus, quod si ei constaret fratrem admonitione sua a peccato retrahi posse, non eam prætermitteret. Verum hæc Sylvii doctrina habet nescio quid minus accurati: oblivio enim, & inadvertentia naturalis communiter excusant *a toto*; tepiditas vero, quæ annexam habet negligentiam aliquando gravem, non potest eatenus excusare a mortali.

Aliam alii conditionem requirunt cum P. Henno, nimirum ut correctio fraterna fieri possit citra grave incommodum. Verum conditio hæc expositione indiget; unde quatuor cum Sylvio statuenda sunt.

1. Itaque cum peccator est in gravi necessitate spirituali, a qua per correptionem liberari potest, quilibet eum corripere tenetur cum aliquo boni sui temporalis detrimento: qui enim nullam rei suæ temporalis jacturam pati vellet pro fratris salute, minus salutem ejus diligeret, quam diligenda sit.

2. In simili necessitate Pastores, & alii, quibus ex officio incumbit cura salutis proximorum, eos etiam cum vitæ suæ periculo corripere tenentur, quia debent parati esse animam pro ovibus suis ponere.

3. In extrema spirituali necessitate, quilibet delinquentem corripere tenetur, non obstante vitæ periculo. Ita S. Thomas in 3. dist. 29. art. 8. q. 2. ad 3. his verbis: *Cum scimus fratrem posse liberari per mortem corporis a morte animæ, sine periculo animæ nostræ; tunc tradere animam pro fratribus non est perfectionis, sed necessitatis*, quia nimirum quilibet magis animam proximi, quam corpus suum diligere tenetur, quod maxime locum habet in necessitate extrema. Idipsum fuse docet S. August. lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. quem consule.

4. Extra necessitatem extremam non tenentur privati peccatorem corripere, cum notabili honoris, bonorumve temporalium, & a fortiori cum vitæ ipsius detrimento. Ita Dom. Soto, Bannes, Malderus, Navarrus Man. c. 24. num. 12. tum quia alioqui eadem esset privatorum obligatio, quæ Pastorum, quod nemo dixerit; tum quia salus proximi tunc tantum vitæ nostræ necessario præferenda est, cum & in extrema necessitate versatur, & ei aliter succurri non potest.

Ex his conditionibus colligit citatus Henno, privatum hominem satis raro teneri ad correptionem fraternam, saltem sub gravi culpa; quia, inquit, raro omnes illæ conditiones simul reperiuntur. Hæc tamen doctrina præcise sumpta, impositum a Deo *unicuique* correptionis mandatum labefactare videtur. Melius ergo dixeris hominem etiam privatum, licet rarius alios redarguere teneatur, quam Superior, qui eorum curam gerit, ad id tamen satis frequenter teneri. Et quidem 1. semper redarguere debet exhibendo faciem tristem, ut antea dixi. 2. cum pleraque exteriora peccata vel in contumeliam Dei cedant, ut blasphemiæ, vel in malum proximi, ut calumnia, detractio, sermones bonis moribus contrarii; nemo est, qui in hisce casibus frequentem correctionis materiam non animadvertat, cum ex dictis, qui hæc admittunt peccata, corrigi debeant, quoties sine corripientis, & correpti periculo corripi possunt.

PUNCTUM QUARTUM.

Quis servandus ordo in correctione fraterna.

CONCLUSIO. Ordo a Christo Matth. 18. præscriptus obligat sub gravi culpa, nisi aliud prudentia dictaverit.

Prob. 1. quia Christus eodem modo loquitur de ordine servando in executione præcepti correctionis, ac de ejusdem substantia, ut patet ex his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum .·. si te non audierit*, adhibe *tecum adhuc unum vel duos .·. quod si non audierit eos*, dic *Ecclesiæ*: atqui substantia præcepti correctionis obligat sub gravi culpa, ut supra ostendimus: ergò & ordo præscriptus sub eadem culpa obligat.

Prob. 2. Lex naturæ præcipit, ut, quantum fieri potest, consulamus famæ proximi: ergo si sufficit secreta monitio, non licet adhibere testes; si sufficit unus, non licet duos adhibere; si duo satis sint, non est deferendum crimen ad tribunal Superioris, ubi res non ita tractari possunt, quin inde sequatur delinquentis infamia.

Dixi: *nisi aliud dictaverit prudentia*: cum enim præceptum correctionis sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, & loco, sed juxta charitatis, & prudentiæ dictamen: unde in ejus, sicut & in aliorum plerorumque executione, magis attendenda est Domini intentio, quam verba. Fuit autem, & esse debuit hæc Christi intentio, ut peccantem fratrem eo, quo fieri posset, suaviori modo coerceremus; ubi vero mansuetudinis viam inutilem esse prudenter judicaremus, via paulo duriori uteremur, sive statim redarguendo coram testibus, sive omisso testium medio, recurrendo ad judicem. Quapropter ex omnium consensu prædictus ordo non obligat.

1. Quando crimen est publicum. Ita docet Apostolus cum ait 1. ad Timoth. c. 5. *Peccantes*, manifestos scilicet, *coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*. Quæ verba expendens Augustinus Serm. 82. alias 16. de verb. Domin. sic scribit: *ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius*. Ratio autem, cur crimen tunc publice corripiendum sit, hæc est S. Thomæ quæst. 33. art. 7. *Quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut rectior fiat, sed etiam aliis in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur*: unde cum scandalo huic nemo possit melius mederi, quam Superior, palam est crimen publicum ad eumdem pleno ductu esse deferendum. Et vero delinquens de hac immediata criminis sui ad Superiorem denuntiatione conqueri non potest, quandoquidem nulla est ratio servandi famam illius, qui per criminis sui publicitatem supponitur infamatus esse.

Vid. Tract. de Censur. part. 1. c. 5. Hic tria observanda. 1. crimen non censeri publicum, etiamsi possit probari in judicio, (cum a duobus solum probari possit) sed requiri, ut a majori viciniæ vel communitatis parte cognoscatur. 2. *Si crimen nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi, tunc etiam denuntiandum* esse, *ut scandalo futuro occurratur*. Ita S. Thomas in 4. distinct. 19. quæst. 2. artic. 3. ad 2. 3. non omne crimen publicum esse necessario deferendum ad Superiorem. Si enim privata monitione corrigi possit, hæc

hæc sola adhibenda erit, ut nimirum peccantis fama apud Prælatum, & alios nescientes conservetur. Si tamen datum a delinquente scandalum sola ejus correctione non repararetur; item si Superior denuntiationem exigat, commissum scelus ei denuntiandum erit; quia in primo casu correctio toti malo non medetur: in secundo autem læditur jus, quod habet Superior, inquirendi, & judicandi de publicis. Ita Sylvius hic. *Sylv. ibid.*

2. Neque etiam obligat ordo a Christo præscriptus, cum crimen etsi occultum vergit in grave aliorum detrimentum spirituale vel corporale; ut si quis artem magicam aut veneficam exerceat, monetas adulteret, civitatis proditionem, & bonorum proximi furtum vel ruinam meditetur; errores contra fidem disseminet; in confessione sollicitet ad turpia, & non constet eum per secretam monitionem impeditum iri. Ratio est, quia cum *mora denuntiationis est periculosa, non oportet expectare admonitionem, sed statim procedere ad denuntiationem*, ut ait Sanct. Thomas in qq. disput. de correct. fraterna artic. 2. ad 10. Porro in casibus mox allatis periculosa est mora; cum & vicinam perniciem proximo inferre soleat; & qui privatim monentur, hoc unum ex secreta illa monitione reportare consueverint, ut deinceps cautius se gerant, ac proinde securiori ictu proximum vulnerent. Et vero, ut optime S. Thomas quodlib. 11. quæst. 10. art. 1. *Oportet ordine fraternæ correctionis sumere secundum ordinem charitatis; ordo autem charitatis est, ut quis* privato *bono proximi præferat commune bonum*: ergo innocenti consulendum est etiam cum infamia nocentis, quando eidem aliter consuli non potest.

Sed hic nota cum Sylvio, rarissime contingere ut possit quis prudenter arbitrari secretam suam monitionem Hæretico profuturam esse. Hæretici enim, ut bene monet S. Leo Sermon. 5. de jejun. decimi mensis: *humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt*; ac proinde sine dilatione coercendi sunt, & quidem efficaciter; quod fieri nequit, nisi ad Superiores deferantur. Et quomodo sperare potest privatus homo, se iis esse profuturum, qui Ecclesiam ipsam contemnunt, & qui eo peccant genere peccati, cui essentialiter annexa est pertinacia, amor sui, & ferox cœterorum contemptus? Addit idem Doctor, Clerico denuntianti crimen, cujus auctor morte plectetur, nihil ab irregularitate timendum esse. Sed de his alibi dictum est.

3. Non obligat etiam, cum merito judicatur nec nostram, nec aliorum privatorum admonitionem profuturam esse, ut prodesse non solet iis, qui ex habitu, & contemptu, atque *quasi per risum operantur* scelus: tunc enim opus est potentiori remedio, ac proinde peccatum denuntiandum est Superiori, sive ut singulari personæ, quæ tenet locum testis, & quæ magis, quam alii proficere valet; sive etiam ut personæ publicæ, quæ monitionibus minas, minis pœnas adjungere potest. Ratio est, quia tunc alia quæcumque correctio inutilis esset, aut saltem cum multo minori delinquentis utilitate adhiberetur. En quod ea de re præscripsit S. Thomas quodlib. 11. quæst. 10. art. 11. *Si ego scio*, inquit, *quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare Prælato: si autem videtur, quod hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus sit nihilominus pius, & discretus, & spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denunciari ipsi: & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam. Sed quia propter diversas* *Prov. 10.*

conditiones Prælatorum, & subditorum non potest in hoc dari generale judiium, quia aliquando vel Prælatus movetur ad odium adversus subditum; vel subditus non bene ferret verba Prælati, ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper servanda est charitas, & quod melius, & magis expedire videtur.

4. Cum alter satisfactionem tibi debitam denegat, tunc ad Superiorem recurrere potes; quia uteris jure tuo.

5. Immediate etiam Superiori denuntiari potest, qui cessit jure, quod habebat ut privatim moneretur. Ut enim docet S. Thomas hic artic. 1. ad 1. *In arbitrio uniuscujusque est pati detrimentum famæ suæ* (prout sæpius fecerunt Sancti) *nisi id vergat in aliorum detrimentum*. Idque pro præsenti materia in usu est apud Patres Societatis Jesu, apud quos speciali Constitutione, quam alii ab Apostolica Sede approbatam fuisse dicunt cum Alphonso Rodriguez 3. p. tractat. 8. cap. 6. alii vero negant cum Julio Clemente Scoto, erudito ejusdem Societatis alumno, statutum est ut omnes errores defectusque subditorum immediate ad Superiorem deferantur. Errant tamen, ut fuse ostendit Ethica amoris lib. 4. cap. 39. qui contendunt Religiosam Professionem esse ex se cessionem juris ad propriam famam, adeo ut cujuscumque Religiosi culpa immediate, & absque prævia correctione fraterna possit ad Superiorem deferri. Imo ait S. Thomas hic artic. 7. *Si Prælatus expresse præciperet contra ordinem a Domino institutum*, ut sibi immediate denuntiarentur inferiorum culpæ, *& ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens*. Certe institutum a Christo correctionis ordinem a suis servari voluit S. Benedictus, Regulæ cap. 23. Idem ordo viget apud Dominicanos ut docet Prado, apud Minores ut refert Portel, apud Carmelitas ut probant Salmanticenses Tract. 21. cap. 7. num. 80.

Vid. Salmantic. ubi infra n. 85. &c.

Occasione correctionis fraternæ agunt aliqui de Confessariis, qui *pœnitentiæ sacramento abutentes*, ad turpia pœnitentes suos vel suas sollicitant, *sive ante* confessionem, *vel post immediate, seu occasione vel prætextu confessionis, etiam ipsa confessione non secuta; sive extra occasionem confessionis in Confessionario; aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire*; quique ex Bulla *Universi* a Gregorio XV. emissa die 30. Augusti an. 1622. ab ipsis pœnitentibus denuntiandi sunt, &, ut denuntient, ab aliis Confessariis admonendi. Sed magna hic opus est cautione, ne vel pœnitens propriæ suæ fragilitatis suspicionem ingerat, vel confessio reddatur odiosa, vel eximiæ virtutis Confessarii eadem de causa in sollicitatores traducantur, propter quam Joseph in vincula conjectus fuit. Consulantur ea de re Libri duo * ad calcem paginæ citati.

SE-

* *Traitè historique, dogmatique du secret inviolable de la Confession ..... par M. l'Anglet du Dufnoy. Mèmoires Chronologiques; & Dogmatiques, tom. 1. pag. 324.*

SECTIO SEPTIMA.

De peccatis charitati oppositis.

Omnia quidem peccata charitati hoc sensu adversantur, quod eamdem destruant vel formaliter si mortalia sint, vel dispositive, si venialia. Quia tamen charitas Deum habet pro objecto primario, & proximum pro secundario, manifestum est ea peccata praecipue eidem adversari, quae Deum vel proximum impugnant. Haec autem decem recensentur a S. Thoma, odium scilicet, quod amori; tristitia, seu ut loquitur S. Doctor, accedia, quae gaudio de bono Dei; invidia, quae gaudio de bono proximi; discordia, contentio, schisma, & bellum injustum, rixa, seditio, quae paci charitatis, & scandalum, quod correctioni fraternae adversatur. Ab isto, utpote quod plures in praxi difficultates habeat, exordium ducemus. Q. 34. ad q. 44.

PUNCTUM PRIMUM.

De scandalo.

§. I. *Quid, & quotuplex scandalum.*

Scandalum graece, idem est juxta plures, ac latine offendiculum in via positum, ad quod viator incaute offendens prolabitur: unde scandali nomen e physicis translatum ad mores significat id omne, quod proximo praebere potest ansam spiritualiter cadendi. Quapropter merito definitur scandalum: *Dictum vel factum minus rectum praebens occasionem ruinae* spiritualis. V. Grand. p. 201. S. Thom. hic q. 43. art. 1.

Dicitur 1. *dictum vel factum*, quia omnis, & sola actio externa ruinae spiritualis occasio esse potest. Porro hic, sicut in definitione peccati, sub dicto & facto intelliguntur negationes oppositae, quia affirmatio & negatio ad idem genus reducuntur, ut docet Sanctus Thomas 1. 2. quaest. 71. art. 6. ad 1. unde dixisse aut fecisse censetur, qui siluit vel omisit, cum loquendum erat vel agendum. Sicut ergo scandalo est, qui detrahit, aut injuste verberat; sic & qui Missam, Horas, eleemosynae erogationem omittit.

Dicitur 2. *minus rectum*, quia scandalum oritur non solum ex actione per se mala, sed & ex ea etiam, quae speciem habet mali. Sic qui dispensatus carnes comedit die veneris, coram aliis, qui dispensationem ignorant, eos aeque ad peccandum inducit, ac si reipsa peccaret. Sic etiam scandalo est Clericus, qui licet castimoniam servet illibate, apud se tamen puellam retinet; quia factum ejus speciem habet mali. Contra vero fieri potest ut fornicarius, qui sub specie negotii necessarii mulieris domum frequenter ingreditur, neminem scandalizet propter rationem oppositam.

Dicitur 3. *praebens occasionem ruinae*; tum quia scandalum per se est occasio, non causa lapsus alieni, cum voluntas a nullo extrinseco tanquam a causa proprie dicta ad peccatum trahi possit; tum quia ad scandalum necesse non est, ut ruina proximi actu sequatur, satis

est, ut eidem detur ruinæ occasio. Ita Sylvius hic art. 1. & Salmanticenses ibid. n. 50.

Scandalum dividitur in *activum*, & *passivum*.

Activum est illud, quod mox definitum est, & subdividitur in *formale* seu *directum*; & *interpretativum*, seu *indirectum*.

Scandalum activum directum, est dictum vel factum, quo expresse intenditur ruina spiritualis proximi, sive hæc ruina intendatur in genere moris, & quatenus est peccatum; (prout ei contigit, qui inimicum ficta reconciliatione deceptum, inebriavit, & jam non unius peccati reum pugione confecit, cum hac immanitatis voce: *Volo ut mei in inferno per totam æternitatem memineris*;) quod rarum est, & diabolicum; sive quod multo frequentius est, intendatur solum propter utilitatem aut delectationem, ut cum quis puellam sollicitat ad crimen.

Scandalum vero activum indirectum est, cum quis non intendens ruinam proximi, nonnulla dicit aut facit in sui ipsius commodum aut oblectationem, quæ aliis sunt occasio peccandi.

Scandalum passivum est ruina spiritualis proximi orta ex dicto vel facto alterius: & hoc quidem scandalum subdividitur in *acceptum quia datum*, & *acceptum licet non datum*.

Scandalum acceptum simul, & datum, est proximi ruina spiritualis orta ex alterius dicto vel facto, quod reipsa natum est ad malum impellere.

Scandalum simpliciter acceptum, est ruina spiritualis, ex propria malitia vel infirmitate orta, occasione dicti vel facti recti aut indifferentis, quod proinde non debuit peccati occasionem dare. Hinc

Scandalum iterum duplex distingui solet, aliud *pharisaicum*, aliud *pusillorum*, seu *infirmorum*. Prius nascitur ex mera accipientis malitia; & tale fuit scandalum Judæorum, qui ex bonis Christi, & Apostolorum operibus, propriæ ruinæ occasionem sumpserunt. Posterius nascitur ex propria scandalizati ignorantia vel infirmitate.

Scandalum Pharisæorum semper est acceptum non datum, unde contemni debet. Quapropter cum dictum esset Christo Matth. 15. *Scis; quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt*? respondit Salvator: *Sinite illos; cæci sunt*; id est ne habeatis rationem eorum scandali, quia oritur ex malitia eos excæcante. Hinc Sanctus Gregorius Homil. 7. in Ezech. *Utilius*, inquit, *nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur*. Et vero justi a Deo constituti sunt tanquam luminaria in medio nationis perversæ, ut nempe eidem bonis suis operibus præluceant, & corrupta mundi opera vel tacite factis contrariis, vel verbis expresse redarguant: atqui munus hoc implere justi non possent, si habenda esset scandali pharisaici ratio: virtutis enim exercitium, iis qui mali sunt, est petra offensionis, & veritas redarguens, odium parere solet: ergo negligi debet scandalum pharisaicum, licet aliquando ad tempus abscondi debeat veritas, quam infirmi non patiuntur, sicut aliquando in tempus magis opportunum differri debet correctio fraterna, prout supra ostensum est.

At vero pusillorum scandalum summopere caveri debet. Quapropter dicta nostra & facta, quantumvis recta, sic temperari debent, ut infirmis non sint occasio ruinæ, quia alioqui haberent malitiam scandali

dati,

dati; quod, regulariter loquendo, nonnisi erga pusillos seu infirmos caveri debet, ut ex dicendis patebit.

§. II. *An scandalum sit peccatum, & quale.*

Certum est 1. scandalum passivum esse peccatum, idque ex simplici ejus definitione colligitur.

Certum est 2. idem scandalum non esse peccatum speciale; cum sumere occasionem peccandi ex alterius dictis vel factis, specialem non habeat deformitatem, nec proinde speciale peccatum constituere possit, ut docet S. Thomas hic art. 2.

Tota ergo difficultas est de scandalo activo, de quo quædam sunt certa, quædam apud Theologos controversa. Constat enim apud omnes illud scandalum, quo directe intenditur ruina vel lapsus proximi, esse speciale peccatum, mortale aut veniale juxta gravitatem aut levitatem ruinæ, quæ intenditur; unde tunc confiteri teneris, non id solum, quod dixisti aut fecisti, sed & illud etiam peccatum, ad quod proximum inducere conatus es, sive ille peccaverit, sive non. Quod inductio ad malum, quæ scandalo perficitur, peccatum includat, patet. Si enim contra charitatem proximorum saluti debitam peccat, qui non corripit errantem, a fortiori peccat, qui ad errorem inducit. Rursum non minus evidens est, quod eadem inductio duplicem habeat malitiam in confessione exprimendam. Nam 1. repugnat charitati Deo & proximo debitæ, quæ vetat ne Dei offensam, & spirituale proximi malum ullo modo procuremus. 2. adversatur virtuti, quam impugnat opus malum ad quod sollicitatur proximus castitati, v. g. si ad impudicitiam, temperanti si ad ebrietatem provoces. Castitas enim, & alia quælibet virtus duo præcipit, unum directe, scilicet ut eliciantur actus sui; aliud indirecte, ut abstineatur a procuranda ejusdem virtutis violatione a proximo.

Quod putat Vasq. in 1. disp. 102. cap. 3. eum mortaliter peccare qui alium inducit ad veniale cum expressa intentione illius ruinæ spiritualis, rejicitur a pluribus aliis, quia sicut venialiter solum peccat, qui sciens & volens ponit actionem, cui ruinam suam venialem, si ita loqui fas est, annexam videt; ita & ille, qui alium ad eamdem impellit.

Ex his patet 1. duplicis vel potius triplicis esse reum peccati eum, qui fœminam inducit ad fornicationem; propriæ nempe fornicationis, alienæ, & scandali: atque id verum est etiamsi mulier in habituali committendi criminis voluntate esset; de facto enim hic & nunc sine inductione tua peccatum non commisisset, saltem exterius. 2. in consilio malo, furandi v. g. duplicem esse malitiam, aliam furti, quod consulitur, aliam ex defectu charitatis, cum sis causa ruinæ proximi. 3. pœnitentem, qui alium vel laudat de peccato, quod commisit, vel vituperat, quod non commiserit, teneri ad explicandam speciem peccati, circa quod fuit laus vel vituperium: eæ enim laudes vel vituperia specificantur ab objecto, circa quod versantur, peccato scilicet, cum sint causa, cur vel pecces, vel si jam peccasti, in peccato tuo tibi complaceas. 4. nunquam licitum esse petere ab alio, aut eidem suadere id, quod ipse sine culpa exequi non potest: est enim hæc vera ad pecca-

 tum

tum inductio. 5. curandum igitur Confessariis ut inquirant a pœnitentibus utriusque sexus, qui peccata fornicationis, adulterii & similia commiserunt, an sollicitaverint, vel sollicitati fuerint; quia alioqui non satis intelligitur circumstantia scandali.

His præmissis, jam quæritur an ea, quæ mox dicta sunt de scandalo directo, conveniant & scandalo indirecto seu interpretativo; ac proinde an scandalum interpretativum sit grave, & speciale peccatum. Qua de re sit

Conclusio. Scandalum, etiam sine intentione expressa alium inducendi ad peccatum, est peccatum ex natura sua mortale, & speciale charitati oppositum; unde ad scandalum proprie dictum sufficit intentio interpretativa. Ita SS. Thomas, & Antoninus, Navarrus, Suarez, Valentia, & alii passim contra Cajetanum.

Prob. 1. pars, 1. ex Scriptura. Matth. 18. ... *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis; necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Unde sic: Scandalum de quo agitur in hoc textu, grave est peccatum, ut patet ex gravi pœna, quam ei Christus comminatur: atqui scandalum, de quo ibidem agitur, est præcipue scandalum indirectum. Nam scandalum de quo loquitur Christus, illud est, quod passim ante oculos observatur; quodque quasi necessario propinatur habita ratione perversitatis hujus mundi: atqui hæc nonnisi scandalo indirecto conveniunt. Si enim impossibile est, ut non videantur & audiantur illicita multa, quæ continua sunt peccandi occasio: at non impossibile est, ut vitentur, qui nos ad malum directe consiliis, aut suasionibus inducant: ergo cum scandalum, de quo loquitur Christus, sit frequens, obvium, & vitatu difficile, oportet scandalum illud non esse directum, sed interpretativum.

Confirmatur ex Apostolo, qui pluribus in locis, præsertim vero cap. 8. Epist. 1. ad Corinth. acriter invehit in Fideles, qui persuasi idolum nihil esse, palam ac aperte vescebantur idolothytis; eaque sua agendi ratione scandalizabant infirmos, qui ex erronea conscientia opinabantur illicitum esse vesci idolothytis. Ergo, inquiebat gentium Doctor, *peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, & in Christum peccatis.* Unde sic: Scandalum, de quo hic loquitur Paulus, erat prorsus indirectum, cum oriretur a viris, qui hac sua libertate id unum intendebant, ut Religionem suam testatam facerent in idolorum contemptum: atqui tamen scandalum illud vel grave erat peccatum, vel proximum gravi peccato: ergo merito dixit S. Chrysostomus Homil. 21. in 1. ad Corinth. quod *scandalizare, seu offensionem dare, sit quovis vulnere gravius.* Hinc auctor egregii Operis de singularitate Clericorum, omnimode insurgit in Clericos, qui Religiosas mulieres charitatis prætextu suis in domibus alebant, & propriæ, ut dici solet, conscientiæ testimonio contenti, malas vulgi suspiciones, murmura, & scandala contemnebant: *Pudicitiæ bonum, inquit, frustra intrinsecus laborioso agone custodit, quod forinsecus efficit infamari ... Pejus est, quam mœchari, continentiam duvere criminosam, & infamem ferre sanctimoniam.*

Vid. c. 10. ibid. & Rom. 14.

Prob.

Prob. 2. ratione. Intentio interpretativa ea est, qua quis prævidet, aut prævidere potest, proximum ex dicto vel facto suo minus recto, expositum iri periculo ruinæ spiritualis: atqui talis intentio sufficit ad peccatum. Nam 1. hæc intentio sufficeret ad homicidium corporale; ergo & ad spirituale sufficit; 2. peccat, qui delinquentem fraterne non corripit; ergo & amplius peccare debet, qui non solum non amovet, sed & ante alium ponit id, quod potest & debet prævidere eidem futurum esse peccandi occasionem. 3. qui libere facit id, quocum cognoscitur aut cognosci potest conjunctum esse alterius peccatum, aut peccandi periculum, ejusdem peccati auctor merito existimatur: atqui id facit quisquis etiam indirecte scandalosus est: ergo.

Hinc colliges eum, qui peccat coram iis, quos nec prævidet nec prævidere potest, exemplo suo ad peccatum esse alliciendos, puta, qui blasphemat coram Religiosis, esse quidem reum blasphemiæ, sed non scandali. Perfecti enim, ut ante S. Thomam hic art. 5. & 6. docuit Hieronymus Homil. in c. 18. S. Matth. *scandala non recipiunt*; imo ex conspectu prævaricantium ad detestationem peccati, & Dei amorem inflammantur, secundum id Psalmi 18. *Vidi prævaricantes & tabescebam*; unde ibidem dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*. Aliud est igitur mirari aut indignari de peccato alterius, aliud de eo scandalizari. Prius convenit sanctis, posterius regulariter loquendo, non item.

Dixi scandalum etiam indirecte datum, esse peccatum ex genere suo mortale, quia aliquando veniale est, cum nempe est occasio culpæ solum venialis.

Sed hic quædam notanda, 1. scandalum, quod est occasio culpæ venialis, futurum mortale, si hæc culpa in grave proximi detrimentum vergat: qua de causa, ut supra dixi, mortaliter peccat Superior, qui culpas etiam veniales inferiorum non corripit, cum ex iis gravis sequi potest disciplinæ subversio.

2. Ut actio sit lethaliter mala in genere scandali, necessum non esse ut, qui eam videt, peccet de facto; sed satis esse ut possit & debeat, prævideri expositus peccandi periculo: unde dari potest scandalum activum sine passivo, sicut in Pharisæis fuit passivum sine activo.

3. Peccatum, quod grave est in se, aliquando leve esse in ratione scandali; & econtra. Sic qui gravem viro sancto, quem scit inde non nisi leviter commovendum, alapam infligit, graviter peccat in ratione injuriæ, & leviter in ratione scandali; contra vero mulier, quæ secundum morem loci osculatur hominem, quem inde impuris cum delectatione motibus agitandum esse prævidet, graviter peccat in ratione scandali, non item in ratione propriæ libidinis.

Ex prima Conclusionis parte sequitur verum esse, quod docent Ethica amoris tom. 2. lib. 9. numer. 1397. & P. Antoine in Tractatu de Justitia, eos nimirum, qui solo exemplo moverunt ad inferendum proximo damnum, si hoc prævidetint, aut probabiliter prævidere potuerint, teneri ad restitutionem in defectum eorum, qui damnum intulere; quia multo potentius exemplo cooperamur, quam verbis: unde id Leg. 30. ff. ad Legem Aquiliam: *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur*.

Prob.

Prob. 2. pars. Illud peccatum est speciale, quod pugnat contra specialem virtutem: atqui scandalum indirecte datum pugnat contra specialem virtutem, charitatis scilicet, qua proximum sicut nos diligere tenemur, ac proinde malum ejus avertere, & bonum procurare; ergo scandalum est peccatum speciale, & consequenter in confessione explicandum, cum de fide sit circumstantias, quæ speciem peccati mutant, esse explicandas, ut definit Tridentinum Sess. 14. Can. 7.

Quin &, ut bene notant Salmanticenses c. 8. n. 55. ii etiam, qui negant scandalum indirectum esse peccatum speciale, fatentur illud exponendum esse in confessione, quia est causa cur committatur peccatum numero distinctum: unde qui fornicando, vel furando, peccati sui testes ad similia peccata inducit, non suæ solum fornicationis reus est, sed & alienæ, etiamsi eam directe non intenderit, imo etiamsi de ea summopere doleat, ut si commissa sit cum filia sua.

Ex his innumera infiniti momenti corollaria erui possunt; hæc e pluribus seligo.

1. Itaque mortaliter contra charitatem, & castitatem peccant mulieres, & puellæ, quæ ornatus ad lasciviam provocantes gerunt, quæque scandalosas scapularum, pectoris, & uberum ex parte, nuditates exhibent, sicque, & Christianæ modestiæ leges violant, & pariunt scandalum infirmis, id est multo pluribus, quos ad complacentias, & desideria prava inducunt. Legatur ea de re S. Cyprianus in Lib. de disciplina, & habitu virginum. Nec obest quod hujusmodi personæ dictitare solent, se nihil in eo intendere mali: præterquam enim ea est sexus vanitas, vel potius furor, ut amet amari, & placere, satis utique est, ad hoc ut graviter delinquant, ut actione de se id parere nata, grave ac perpetuum ruinæ, & lapsus periculum aliis subministrent.

2. Peccant in eodem genere, qui imagines, vel statuas nudas faciunt aut palam exponunt, seu venales, seu in ornamentum domus: hæ enim non secus ac obscœni sermones trahunt ad peccatum.

3. Et ii qui turpes cantilenas, librosve amatorios typis exprimunt, recitant, scribunt, aliisve legendos subministrant.

4. Qui vel tragœdias vindictam spirantes, vel comœdias obscœnas, aut aliunde periculosas ratione factorum, vel gestuum, componunt vel agunt: ii enim pluribus dant occasionem ruinæ, etiamsi forte eam non intendant.

5. Qui iisdem comœdiis intersunt, easque præsentia sua, & consensu approbant, & agentibus stipendium dando, actioni cooperantur: ii enim omnes mutua sibi invicem vulnera infligunt.

6. Qui alios conviciis, aut aliis vexationibus fatigando, eosdem inducunt ad blasphemiam, graves contumelias, aut imprecationes: & id verum est tametsi solo joculandi animo moveantur.

7. Ejusdem peccati conscia est puella, quæ ex mera vanitate, & sine animo amorem excitandi, se sine justa causa conspiciendam præbet ei vel iis, a quo vel a quibus putat se male concupiscendam.

Ex quo inferes 1. actum venialem, vel ex objecto indifferentem, nonnumquam mortalem esse in ratione scandali, cum periculum est ne infirmi vel imperiti inde sumant occasionem mortaliter peccandi: unde Apostolus 1. Corinth. 8. v. 13. *Si esca*, inquit, *scandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. 2. numerum.

rum eorum, qui scandalo spiritualiter occisi sunt, in confessione aperiendum esse, non secus ac numerum eorum, qui uno catapultæ ictu corporaliter occisi fuissent: numerus enim multiplicat peccatum & imbibitur in objecto peccati; 3. aliquando abstinendum esse a quibusdam operibus, quæ licet mala non sint, habent tamen speciem mali. Quod ut amplius innotescat, sit

§. III. *An & quæ bona ob vitandum scandalum omitti debeant.*

Not. Ex actionibus, quas homo elicere potest, & quæ præsentis controversiæ objectum esse possunt, aliæ sunt bonæ, aliæ indifferentes. Ex actionibus bonis aliæ sunt præcepti, sive naturalis, sive divini, aut humani, aliæ consilii solum: ex his vero, & a fortiori ex indifferentibus, aliæ pro loco & tempore speciem habent mali, aliæ non. His positis sit

CONCLUSIO I. Ad vitandum scandalum nihil unquam facere licet, quod juri naturali adversetur.

Prob. quia nihil fieri potest contra jus naturale, sine peccato saltem veniali: atqui, ut bene S. Thomas in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. quæst. 1. & 2. *nullus debet Deum offendere etiam parum, ne alius offendat multum, cum homo ex ordine charitatis se plus, quam proximum in spiritualibus bonis diligere teneatur*. Unde Apostolus Rom. 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*.

Confirm. quia nunquam licet violare præceptum negativum; violaretur autem, si actio hic & nunc jure naturali præcepta omitteretur: ergo.

Obj. Omissio confessionis fidei adversatur juri naturali, cum *ore fiat confessio ad salutem*, sive suam, sive aliorum: atqui tamen fidei confessio omitti potest, ne proximo scandalum detur: ergo ut vitetur scandalum, licitum est a jure naturali deflectere.

R. Disting. maj. omissio confessionis fidei, iis in casibus, in quibus fidem confiteri tenemur, adversatur juri naturali, C. semper & in omni casu, N. Itaque professio fidei multipliciter cadit sub præceptum; tum negative, quatenus illicitum est prætermissa veritate, quidpiam docere falsi; tum positive, quatenus tenemur fidem profiteri, seu cum de ea interrogamur, prout alibi dictum est, seu ratione proprii officii, aut propter ignorantiam, indigentiam, & necessitatem: tunc autem scandali timor neminem a fidei confessione eximit, prout docet S. Gregorius his verbis: *Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur*. Extra has, similesve circumstantias, docendi actus aliquando potest, imo & interdum debet omitti, prout exigunt temporis & personarum circumstantiæ; quin & aliquæ veritates nonnunquam œconomiæ gratia terminis involutis, & minus claris proponi debent, cum eas auditores non possunt *portare modo*: sed in his casibus confessio fidei hic & nunc non præcipitur jure naturali, imo & aliquatenus prohibetur, donec benignior aspiret aura, & opportuna magis occasio. Hanc doctrinam tradiderunt veteres Theologi, ut patet ex his Armillæ verbis: *Propter vitandum scandalum aliquando dimittenda est veritas doctrinæ, scilicet tacendo .... sed non debet dimitti veritas vitæ, ut scilicet quis .... scandalum facit, quod est peccatum*. *Verb. Scandalum pag. 1013.*

Dixi,

Dixi, ad evitandum ſcandalum nihil unquam fieri poſſe contra jus naturale: aliud enim eſt de jure ſolum poſitivo, ſive divino, ſive humano, cujus tranſgreſſio non ſit intrinſece mala. Sic ad vitandum ſcandalum potuiſſet quis in antiqua lege, vel egredi e loco ſuo die ſeptima, vel ſerviliter operari, contra leges latas Exod. 16. & 20. Sic hodie potes & teneris non intereſſe Sacro die feſta, ſi dum intereris,
Ethic. n. 483. exortura ſit tuos inter cives cædes vel rixa gravis. Sic, juxta Ethicam amoris & alios plures, ſi mulier prævideat aliquem in particulari ex ſuo conſpectu ſcandalizandum eſſe ex infirmitate, debet etiam in die feſto ſemel & iterum non audire Miſſam, quia præcepta non obligant, cum charitas dictat omittendam eſſe eorum obſervationem, prout dictat, cum præcepta hæc ſine gravi proximi ruina impleri non poſſunt.

Hunc tamen caſum, ait Sylvius q. 43. art. 7. *etiam ſemel aut bis abſentandi ſe a Miſſa non facile admitterem; quia vix fieri poteſt, quod aliquis vere per infirmitatem labatur, ex eo, quod mulier ad Miſſam proficiſcatur, ſi abſit omnis malitia*. Ut ut ſit, mulier ob vitandum ſcandalum nunquam longo tempore abeſſe poteſt a Sacro: non enim abeſſet longo tempore ſine ſcandalo publico, quod præponderat privato; imo nec ſine notabili quodam ſpirituali damno, quod non tenetur ſubire ad impediendam ruinam alterius, qui licet ex infirmitate cadat, cadit tamen voluntarie.

Conclusio II. Bona opera, quæ ſunt conſilii, nec omitti nec differri debent propter ſcandalum phariſaicum, quando ſubeſt rationabilis cauſa non differendi. Eadem vero opera vel omitti vel differri debent propter ſcandalum puſillorum, donec tollatur occaſio ſcandali. Ita communiter Theologi cum S. Thoma hic art. 7.

Prob. 1. pars. 1. quia alioqui improbus quiſque opera perfectionis impediret, quoties impedire vellet; ergo ut id non faciat, debet contemni ſcandalum ejus, prout contempſit Chriſtus ſcandalum Judæorum, cum dixit Matth. 15. *Sinite illos* ſcandalizari, *cæci ſunt*, ſeu propria malitia obcæcati. 2. quia tales cum ex malitia peccant, non ſunt niſi in neceſſitate voluntaria peccandi, a qua ſe ipſos ſine alterius ope liberare facile poſſunt. 3. quia nemo utilitati ſuæ renuntiare tenetur, cum nulla eſt ſpes utilitatis proximi: atqui nulla eſt ſpes, quod dilatio actus boni ſit utilis ei, qui phariſaice ſcandalizatur; quia ſperari non poteſt futurum, ut hac dilatione removeatur ſcandalum: ergo.

Dixi, *quando ſubeſt cauſa* &c. quia charitas vetat ne abſque ulla cauſa offeramus proximo, etiam ex malitia peccaturo, occaſionem peccandi. Ita Sylvius pag. 258.

Atque hinc colliges cum eodem, 1. punitionem peccatorum eſſe omittendam, quando ex ea ſequerenrur plura & majora peccata, ut diſſenſiones, ſchiſmata &c.

2. Filium aliquando teneri ad breve tempus abſtinere vel ab ingredienda Religione, vel ab amplectendo ſtatu Eccleſiaſtico, cum inde futurum eſt, ut parentes ejus graviter turbentur, & peccent jurando, malum imprecando; non tamen ad longum tempus, quia ſi pergant ſcandalizari, ſcandalum hoc tandem deſinet in phariſaicum.

3. Mulierem non teneri ad dimittendum ornatum ſtatui ſuo convenientem, niſi forte ad breve tempus, & cum valde probabile eſt,

eam,

eam, si cum tali ornatu prodeat, alteri lapsus occasionem esse præstituram. Esset enim, ait Theologus idem, grave onus, si propter incerta scandala, vel alicujus malitiam, diu ab ornatu licito, & intra status sui limites remanente abstinere cogeretur. Si vero ornatus sit, ut est sæpissime, vanus & superfluus, tunc in eo genere peccat, in quo aliis creat periculum peccandi, ac proinde sæpius mortaliter, quam venialiter; saltem si sciat se propter hunc ornatum superfluum ab aliquo in particulari esse turpiter amandam; quia ornatus de se illicitus est tunc gravis ruinæ occasio. Ita Salmanticenses, etsi in hac materia parum rigidi; quos consule Tract. 21. cap. 8. n. 60.

Prob. 2. pars. 1. ex Christi exemplo, qui ut scandalum vitaret, solvit tributum, quod non tenebatur solvere: ergo & nos, quæ sine peccato, & commode a nobis omitti possunt, omittere tenemur. 2. quisque fratri in necessitate spirituali constituto subvenire tenetur, quantum commode potest: sed, qui ex facto tuo ruinæ spiritualis occasionem sumpturus est, est in necessitate spirituali, eaque non omnimode voluntaria, cum oriri supponatur ex ignorantia, & infirmitate, quæ libertatem minuunt: ergo eidem subvenire debes, id omittendo, quod alioqui non inculpate solum, sed & laudabiliter fueras præstiturus.

Dixi, *donec tollatur occasio scandali*: hæc autem tollitur, cum redditur actionis nostræ ratio, qua reddita, si adhuc scandalum duret, *jam videtur esse ex malitia*, ait hic S. Thomas art. 7. Si tamen hæc ratio non satis caperetur, sive ob momenta, quæ apparent in contrarium, sive ob hebetudinem mentis eorum, quibus proponitur, adhuc abstinendum esset a bonis spiritualibus non necessariis, donec, qui scandalum capiunt, plenius informentur; modo tamen bona hæc absque notabili jactura omitti possint. In his enim casibus, comparanda est quantitas scandali pusillorum, cum quantitate boni, quo privabuntur, qui ejusdem scandali vitandi causa, ab opere bono abstinebunt: *Et secundum hoc*, ait S. Thomas, *aliquando consilia sunt prætermittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum contemnendum propter consilia*.

Quod dictum est de bonis operibus supererogationis, dicendum est tum de actibus, qui vel indifferentes sunt, vel licet reipsa boni sint, habent tamen speciem mali. Ab iis enim omnibus plus aut minus abstinendum est, si fieri commode possit, donec tollatur scandali occasio: unde privatus, qui puellam a peccato retrahere vult, ita suam agendi rationem, gressusque suos temperare debet, ut malam sui suspicionem non ingerat, ne peccati conscius judicetur, dum peccatum coercere intendit. Et vero, si ille excusari nequit, qui ignem defert cum periculo incendendæ paleæ, quæ in area proximi posita est; quis eum pronuntiabit insontem, qui opus indifferens facit cum scandalo fratris, quem novit infirmum? Aliud esset si non timeretur nisi periculum scandali vagi, & indeterminati: quia intolerabile esset onus, & innumeris scrupulis pateret janua, si omittenda esset omnis actio indifferens, quæ generatim ac indeterminate posset esse occasio ruinæ; nisi actio illa de se, & prudentum judicio nata esset infirmis omnibus scandalum parere: tunc enim ab ea pro semper abstinendum esset, secundum id Apostoli 1. Thessal. 5. v. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos*. Ut solvantur aliæ difficultates, quæ hic examinari solent sit, *Habetr.*

Quæ-

Quæres 1. an propter scandalum dimitti debeant bona temporalia.

R. Vel domini sumus hujusmodi bonorum, ut si sint propria; vel solum dispensatores aut curatores, ut si sint Ecclesiastica, vel aliena.

Si primum, bona hæc *dimittere, vel ea tribuendo, si penes nos ea habeamus, vel non repetendo, si apud alios sint, propter scandalum quandoque debemus, quandoque non*; uti docet S. Thomas. *Si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum . . . . . tunc vel totaliter dimittenda sunt*; modo tamen, ait Sylvius, jactura non sit magna, cum hæc non sit necessario sustinenda, quando proximus non est in extrema necessitate: *vel aliter scandalum est sedandum, scilicet per aliquam admonitionem* & instructionem; *& hoc quandoque magis prodesset*, ait S. Doctor in 4. distinct. 38. quæst. 2. art. 4. ne alioquin is, qui bona hæc detinet, in suo errore foveatur. Quod si post instructionem adhuc perseveret scandalum, communiter malitiæ potius, quam infirmitati attribuendum erit; quamquam, si, ut absolute contingere potest, scandalum pergat esse effectus infirmitatis, debeat tunc aliqualis bonorum temporalium jactura sustineri, cum scandalum illud aliter coerceri non potest. *Propter eos* autem, *qui scandala* pharisaica *concitant*, non sunt temporalia dimittenda; quia hoc & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent.

Si secundum, *bona* hæc *non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia, quæ sunt de necessitate salutis*; quia non possumus alii dare id, quod nostrum non est.

Monet tamen apposite Sylvius, bona Ecclesiæ aliquando negligi posse, & quidem 1. si possint negligi cum nullo vel quasi nullo detrimento, & spes sit eum, qui ex malitia scandalizabatur, cessaturum a peccato. 2. cum ex eorumdem bonorum repetitione, non solum imminet periculum ruinæ illius, qui scandalum pharisaicum patitur; sed & grave nocumentum spirituale vel temporale aliorum; ut si tyrannus, qui bona Ecclesiæ usurpavit, ita sit affectus ut malit plebem in hæresim aut schisma inducere, aut impedire, ne ab hæresi reducatur, quam restituere; tunc autem bona hæc non dimittentur propter iniquum tyranni scandalum, sed ob ruinam populi, quæ metuitur.

Quæres 2. an ei, qui aliter a graviori peccato averti nequit, liceat suadere minus peccatum.

R. nunquam licet suadere directe peccatum etiam levius; quia peccat quisquis ad peccatum etiam leve inducit, eive consentit: unde hoc effatum: *E duobus malis minus eligendum est*, in iis solum malis locum habet, quorum alterum necessario sustinendum est; non autem in peccatis, quæ libere committuntur. Ei tamen, qui jam omnino determinatus est, ut adulterium aut fornicationem committat, licet suadere, ut in fornicatione sistat, quia sic non suadetur commissio minoris peccati, sed omissio gravioris. Idem dicendum si crimen minus sit pars majoris, ad quod alter determinatus erat: sic volenti oves triginta furari, suadere potes ut decem contentus sit. Vide, quæ dixi in. Tract. de Justitia, pag. 268. alias 184.

Quæres 3. an reus sit scandali, qui proximo dat aut vendit, rem vel operam, qua is male usurus prævidetur, aut probabiliter putatur.

Re-

Respondent vulgo Theologi etiam accuratiores, illicitum esse hæc dare aut vendere, quando sine gravi damno denegari possunt: econtra vero non peccari, si adsit causa justa, & proportionata excusans, & desit intentio cooperandi peccato alterius; nec alter re illa contra bonum Reipublicæ vel Ecclesiæ sit abusurus; nec demum res vel operæ, quæ præbetur, ex se, aut ex talibus circumstantiis proxime adjuvet ad peccatum. Ita P. Antoine hic, & alii, quos citavi agendo de temperantia, tom. 1.

Prima pars patet, quia tenetur unusquisque impedire malum proximi, saltem cum id sine gravi incommodo potest: ergo & a fortiori tenetur non suppeditare ei materiam vel operam, qua usurus est ad peccatum. Unde colliges verum esse, quod alibi docuimus, peccare mortaliter caupones, qui vel præbent carnes die jejunii, illis, de quibus dubitant aut dubitare debent, an non iisdem contra Ecclesiæ prohibitionem usuri sint; vel secundam refectionem jam bene pransi; vel vinum copiosum iis, quos inebriandos prævident.

Secunda pars, quæ, meo quidem judicio, non parum habet difficultatis, probari potest 1. ex communiori Theologorum sensu. 2. quia, qui aliis rem de se licitam, verb. grat. vinum militibus eo ad ebrietatem abusuris, suppeditat, cum illud sine damno vitæ vel bonorum denegare nequit, non censetur in hoc casu eorum peccato cooperari, sed solum illud permittere ex urgenti causa: porro urgenti de causa licet permittere alterius peccatum; imo & id ponere, unde contra nostram intentionem secuturum est. Sic licitum fuit Judith justa de causa offerre se Holoferni cum *omnibus ornamentis suis*, & *incomparabili decore*; *cui etiam Dominus contulit splendorem*, etsi prævideret ipsa Holofernem oculis suis capiendum esse. Sic gravi de causa potest juramentum exigi a Mahumetano, qui licet sine peccato jurare possit, prævidetur tamen super Alcorano juraturus. Licet etiam ab usurario mutuam pecuniam postulare, quam is non sine peccato concessurus est. Licet uxori reddere debitum marito instanter petenti, quamvis sciat eum esse castitatis voto obstrictum, ac proinde illicite petere. Licet, imo necessarium est Sacramenta administrare peccatori occulto, si publice petat, aut si solum ex confessione sacramentali nota sit prava ejus dispositio. Ratio est, quia in his casibus gravior urget obligatio, quam vitandi scandali, cujus materia subministratur.

Judith cap. 10.

Si dicas cauponem, qui militibus vinum præbet, velle interpretative eorum ebrietatem.

Dicam 1. eum si vinum deneget, velle interpretative vel mortem suam, vel familiæ suæ stragem, vel excidium domus, aut blasphemias & execrationes, ipsa ebrietate majores. Dicam 2. non censeri quempiam velle interpretative id, quod contra intentionem suam justa, & gravi de causa fieri permittit.

Hic tamen certas apponunt & exigunt conditiones Theologi. Prima est, ut materia peccandi, quæ proximo subministratur, sit ex se bona vel indifferens. Si enim communiter ad usus malos soleat destinari, ut venenum, illud præcipue, quod vix ad aliud, quam ad nocendum, deservire potest; tunc neganda erit hæc materia, nisi hic & nunc moraliter constet cessare periculum pravi usus, v. g. venenum il-

lud

lud peti ad confectionem remedii vel colorum. Eadem de causa non possunt artifices vendere id, quo certo hominum conditio numquam utitur absque peccato, puta idolum Pagano. A fortiori non licet facere id, quod attentis circumstantiis malum est: unde damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties ei deservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

Secunda conditio est, ut subministratio materiæ aut facultatis etiam remotæ, non fiat ex prava intentione v. g. inducendi, aut juvandi hominem in actione peccati. Is enim influxus est directa ad malum cooperatio, quæ semper prohibita est.

Tertia, ut qui materiam hanc indifferentem præbet, non teneatur ex officio peccatum impedire, ut Pastor, Superior, Magistratus.

Quarta, ut quamvis non subministrares materiam peccandi, peccatum tamen eodem modo committendum sit; alioqui enim esses reipsa causa peccati, nisi tamen aliunde tunc gravius urgeret præceptum, ut jam dictum est. Ita Theologus Pictaviensis tom. 2. pag. 282.

Quinta, si is, cui materiam subministras, ea contra justitiam abusurus sit, tunc subministrare non potes, (nisi damnum, quod alioqui tibi ille comminatur, tam grave sit, ut non itenearis illud subire ad impediendum damnum tertio inferendum) strictior enim est obligatio impediendi alterius peccatum tertio nociturum, quam si soli suo auctori noceret: quia is quidquid subit damni, voluntarie patitur; alter vero, cui vides malum præparari, hoc sane non subit nisi invitus. Ita P. Antoine. Unde, ait Ethica amoris tom. 2. lib. 4. n. 513. *non est licitum vendere res indifferentes v. gr. gladium vel pugionem, cum scientia vel probabili cognitione, quod emptor iis male utetur in damnum tertii, maxime si damnum istud præponderet utilitati, quæ venditori provenit ex ipsius venditione.* Hæc ipsis pene auctorum citatorum verbis expressi, ut non tam meo, quam eorum nomine loqui viderer in materia, quam semper arduam, & tractari difficilem judicavi, & in qua multa hinc, & inde stabiliuntur principia, quæ non admodum cohærent. Sed, quid in praxi melius, quam a saniorum Theologorum placitis non recedere?

Quæres 4. an possit quis pecuniam aut simile quid in aliquo loco ponere aut relinquere, ut domestici aut filii probentur, & si in furto fuerint deprehensi, ejiciantur, aut puniantur.

Respondet P. Antoine, illicitum esse hæc ultro seu de industria ponere, quia sic exponis alium periculo peccandi, & hoc sensu peccato ejus cooperaris, quod non licet. Censet tamen idem cum aliis multis, licitum esse herò non auferre famulis aut filiis, quos ad furandum propensos ac paratos novit, occasionem furandi, quia tunc rationabiliter unum permittit furtum ut vitentur plura.

Ultimum hoc punctum improbare videtur P. Henno tom. 2. in fine, quia, inquit, motiva illa non sufficiunt *ad permittendum proximi peccatum, & minus ad facilitandum*, ut facit ille, qui non aufert, seu, quod idem esse videtur, qui relinquit pecuniam, quæ aliis furti occasio esse potest. Addit tamen se condemnaturum non esse *eum, qui ex occulto deprehendens alte-*

alterum in delicto, v.g. famulum in gravi furto, uxorem in adulterio; permitteret operis consummationem, ut testes adhiberet, qui suo tempore contra delinquentem deponerent; modo non aliter possit rem suam recuperare, aut divortium obtinere: quia tunc censetur nonnisi ex justissima causa peccatum alienum permittere. Sed quia probatio domestici, & infantis potissimum, quem ab amore furti revocari maxime interest, est etiam justissima mali permittendi causa, facile amplecterer totam citati Antonii opinionem, præsertim si nulla subsit via, qua infans potentius & certius a crimine deterreatur.

PUNCTUM SECUNDUM.

De aliis peccatis charitati oppositis.

DE invidia & acedia dixi in Tractatu de peccatis; de bello dicam ad quintum Decalogi præceptum: cætera ergo, quæ charitati adversantur peccata, paucis hìc expediam.

Quæres 1. quid sit odium, quotuplex, & quale peccatum.

R. 1. odium est actus mentis objectum aversantis. Odium duplex, aliud *inimicitiæ*, quo ex personæ displicentia, malum eidem aut rebus ipsius volumus, quatenus ejus malum est; uno verbo; quo quia personam odimus, optamus ut ei male sit. Aliud *abominationis*, quo rem vel personam aversamur, non præcise ratione sui, sed ut nobis malam vel noxiam. Unde odium inimicitæ vocatur odium personæ; odium vero abominationis vocatur odium qualitatis.

R. 2. odium Dei, quodcumque sit, est gravissimum peccatum; odium vero proximi, si sit inimicitiæ, semper peccatum est; si autem sit abominationis, quandoque est peccatum, quandoque non.

Prob. 1. pars, tum quia odium Dei directe & secundum se evertit formalem rationem charitatis, & expresse contemnit id, quod est summe diligendum; tum quia graviter injuriosum est enti summe perfecto optare ut non sit, aut ut aliqua careat perfectione; item de ea tristari; gaudere de offensa Dei, quatenus est ejus offensa.

Prob. 2. pars, quia ex 1. Joan. 3. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*. Potest tamen proximi odium veniale esse ob materiæ levitatem; ut si ex levi personæ displicentia, leve ei malum optetur. Aliud est de odio Dei, quod materiæ levitatem non admittit, quia vel levissimum malum exoptare Deo, est gravissimam eidem injuriam irrogare.

Prob. 3. pars, quia, si, ut justi solent, personam diligas, solumque vitia ejus odio prosequaris, laudem mereris, nedum vituperia. Unde de se ajebat Psaltes Psal. 138. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam? Perfecto odio oderam illos*; quæ verba expendens Augustinus: *Hoc est*, inquit, *perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas*.

Hìc tria sunt annotanda, 1. circumstantiam eorum, qui odio habentur, si sit specie diversa, esse in confessione aperiendam. Unde, qui odit parentes, avos, uxorem, filios, fratres, benefactores de se eximie meritos, Superiores Ecclesiasticos, Principem suum, aliosque ejusdem generis, id in confessione exprimere debet, prout late ostendunt Salmanticenses tom. 1. tract. 6. c. 8. n. 82.

2. Exprimendum etiam esse in confessione malum, quod proximo exoptatum est. Nam exoptare proximo vel æternam damnationem, vel mortem corporis, vel bonorum spoliationem, vel infamiam, sunt actus, qui licet ab uno eodemque specifice odio imperentur, diversas tamen habent deformitates, ut notat Sylvius q. 35. art. 6. p. 227.

3. illicitum esse vel optare, vel imprecari malum proximo ut ejus malum est; aut de eo gaudere ut tali, aut dolere de ejus bono, ut ejus bonum est: quia hæc totidem sunt actus charitati repugnantes; adeoque mortales ex genere suo, nisi excuset consensus imperfectio aut levitas materiæ. Item illicitum est gaudere de malo proximi, quamvis non ut malo ipsius, sed præcise propter bonum minus sive nostrum sive proximi. Hinc damnatæ sunt ab Innocentio XI. propositiones istæ. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, vel de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum obventura est ei pinguis hæreditas.* 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Potest tamen aliquis, ait S. Thomas in 3. dist. 30. art. 1. ad 4. *salva charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel Communitatis, vel Ecclesiæ .. vel secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus.* Sic 1. desiderare potes affectu inefficaci, ut insignis nebulo morbo afficiatur, quo tandem resipiscat a peccato. Sic 2. eodem modo optare potes ut justa morte plectatur hæresiarcha vel malefactor, & de eo gaudere, non quatenus ejus malum est, sed prout inde exurget multitudinis bonum, bono privato præferendum, quatenus & ille nocere cessabit, & alii ejus exemplo territi a malo desistent. Sic 3. gaudemus de justo hostium excidio, de Turcarum damnis, ob utilitatem regni vel Ecclesiæ.

Vide Sylv. 2.2 q. 76. Ex dictis colliges maledictionem, seu imprecationem, qua quis sibi vel alteri malum optat, esse peccatum nunc grave, nunc leve. Grave quidem 1. si tibi vel alii optes ex animo malum grave, puta ut diabolus te rapiat, ut moriaris &c. 2. si, quamvis id non exoptes ex animo, exoptes tamen vel *scandalose*, ut faciunt parentes coram liberis, quos hoc suo exemplo, sibi vel aliis malum grave imprecari docent; vel *contumeliose*, ut si persona, cui mala hæc ore tenus imprecaris, singulari veneratione digna sit. *Contingit tamen*, ait S. Thomas hic artic. 3. *verbum maledictionis esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo aut ex subreptione aliqua talia verba profert*, puta, ait Sylvius, ex inconsideratione ejus, quod profert, ex prava consuetudine. Et ratio est, *quia*, ex Sanct. Thoma ibid. *peccata verborum maxime ex affectu pensantur.*

Hic tamen, ut bene post Cajetanum Sylvius, discernendum est tempus passionis a tempore quietis: quandoque enim evenit ut post præteritam passionem, nollet quis evenire malum, quod tamen invalescente passione satis serio & deliberate imprecatus est: sicut ei accidit, qui vehemen-

hementi tentatione abreptus concupiscit mulierem, quam uno post momento concupiisse pœnitet; & tunc neuter a peccato lethali excusatur. Curabunt ergo Confessarii ut maledicos interrogent, an ex animo vel non, an unum vel plura mala, & cujus generis; an iis, quibus plus charitatis & reverentiæ debent; an uni vel multis, fuerint imprecati. Id etiam attendent, quod creaturis irrationalibus diabolum vel mortem optare, ut rustici solent, sit per se peccatum veniale, cum sit *otiosum, & vanum, ac per consequens illicitum*, prout ibidem docet Sanct. Thomas. Imo vacat a culpa maledictio illata non rei secundum se, sed consideratæ ratione mali, quod in ea aut per eam accidit, aut cujus origo fuit & principium. Sic David maledixit montibus Gelboe; sic Job & Jeremias maledixerunt diei, in qua nati erant. Graviter tamen peccaret, qui malediceret creaturæ irrationali, vel quatenus est homini utilis, vel quatenus est opus Dei: in primo enim casu censeretur æquivalenter maledicere homini; in secundo, adversus Deum blasphemaret. *Sylv. ibid.* *Job. 2.* *Jerem. 20.*

Quæres 2. quid sit discordia.

R. cum discordia opponatur concordiæ, quæ in voluntatum unione consistit, palam est, quod discordia sit dissensio voluntatis a voluntate alterius in iis, in quibus alter alteri consentire tenetur ex charitate Dei vel proximi. Est autem peccatum ex natura sua mortale, cum dicat Deus Proverb. 6. se detestari *eum, qui seminat inter fratres discordias*. Si quis tamen bona fide putet malum vel minus bonum esse id, quod alteri bonum videtur, poterit hic vel leve, vel nullum subesse peccatum, & sic excusatur dissensio Pauli inter & Barnabam suborta, de qua Act. 15. Quod si dissensio vel nimiæ pertinaciæ annexa sit, vel sit cum errore circa ea, quæ sunt de fide, aut necessitate salutis, difficile est ut diu a peccato etiam gravi immunis sit. *S. Thom. 2.2.q. 37.*

Quæres 3. quid sit contentio.

R. est altercatio verborum, quibus inordinate alter alteri contradicit. Est autem culpa mortalis, 1. si impugnetur veritas *formaliter*, id est ex intentione eam impugnandi serio, & non solum exercitii causa; veritas, inquam, ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, vel grave proximi bonum pertinens: 2. si impugnetur veritas *virtualiter*, ut cum Hæretici impugnant id, quod male credunt falsum esse. 3. si veritas licet *materialiter* solum impugnetur, solius nempe exercitii vel inquisitionis causa, impugnetur tamen vel cum gravi aliorum scandalo, vel cum excessu notabili in verbis, conviciis, maledictis. Nihilominus, ait Habert, non solum homunciones, ac mulierculæ, sed & viri ceteroqui spectabiles, sæpe etiam Theologi, & Sacerdotes, etsi data occasione in eosdem excessus semper prolabantur, vix unquam suam hanc agendi rationem, ab Apostolo inter opera carnis, quæ excludunt a regno Dei enumeratam, in se redarguunt, & sibi coram Deo pacis exprobrant. *Gal. 50.*

Quæres 4. quid sint seditio & rixa.

R. ad 1. seditio est bellum aggressivum unius partis Reipublicæ adversus aliam vel adversus Principem suum. Est autem semper peccatum mortale, 1. quia graviter unitati, paci, & communitatis bono adversatur. 2. quia in materia gravi lædit jus Principis, vel Reipublicæ, cujus solius est bellum indicere.

S. Thom. q. 41. ar. 1. R. ad 2. rixa est pugna manuum & verborum inter privatos, eos nimirum, qui ex ira invicem se percutiunt auctoritate privata. Rixa in aggressore est semper peccatum, & quidem mortale ex genere suo, ut patet ex Gal. 5. *In eo autem, qui se defendit, potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum mortali, secundum diversum motum animi ejus, & diversum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi injuriam illatam, & cum debita moderatione se defendat, non est peccatum, nec proprie dici potest rixa ex parte ejus. Si vero cum animo vindictæ vel odii, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum: sed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii* Art. 2. *vel vindictæ se immiscet, vel cum multum non excedit moderatam defensionem; mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel eum graviter lædendum.* Ita S. Thomas, qui merito addit rixam esse filiam iræ, quæ cum sit inordinatus vindictæ appetitus, rixas & seditiones naturaliter procreat, De duello, quod ad rixam accedit, dicam ubi de homicidio.

Quæres 5. quid sit schisma, quoruplex, quale peccatum, & quibus pœnis subjaceat.

R. ad 1. schisma seu scissio, est actio, qua baptizatus se voluntarie separat ab unitate Ecclesiæ, prout hæc unitas consistit vel in mutua membrorum inter se communicatione, vel in ordine membrorum omnium ad unum caput: præcipua enim ratio, cur Ecclesia sit una, est ipsa membrorum inter se & cum capite connexio. Unde schisma tribus modis contingere potest. (S. Thom. qu. 39.)

1. Cum quis separat se a capite, licet non expresse a cæteris membris, ut is faceret, qui Romanum Pontificatum usurparet; qui generales Synodos absque auctoritate legitima convocaret; qui instituerer vel sequeretur Pseudopontificem. (Vid. Sylv. hic, & Suar. disp. 12.)

2. Cum quis tametsi non separet se expresse a capite, separat se a membris Ecclesiæ, ut si quis nolit communicare Gallis aut Hispanis, quantum ad ea, quæ sunt Religionis; aut *ab Episcopo suo ita se dividat, ut nolit ipsi tanquam Pastori subjici.* Ubi nota cum Bellarmino, Valentia, & aliis, eum vere schismaticum fieri, qui licet nec a Papa, nec ab universis Ecclesiæ membris se separet, separat tamen se ab Episcopo suo Papæ unito & vere subjecto, vel etiam a solis Fidelibus, qui ejusdem Diœcesis membra sunt; quia se habet tunc sicut manus, quæ a brachio separata, hoc ipso etiam separatur a capite, & a toto corpore. Unde separatio ab uno Fideli cum cæteris communicante, est implicite & virtualiter separatio ab omnibus aliis, quibuscum ille communicat. (Sylvius.)

3. Cum quis expresse recedit a capite & membris, adeo ut nec capiti subesse velit, nec iis communicare, qui ipsum ut verum Pontificem sequuntur. Porro hic caute notandum cum Sylvio, ad schisma non esse necessarium, ut quis expressa intentione vel a capite vel a membris se dividat, sed satis esse, ut quis malit voluntatem suam seu opus implere, quam servare unitatem Ecclesiasticam.

R. ad 2. Duplex est schisma, aliud *purum*, quod paci solum, charitati, vel obedientiæ opponitur; aliud *conjunctum hæresi*, quod dissensionem in fide annexam habet.

Schisma purum est actio, qua quis totam Ecclesiæ Romanæ fidem conservans, separat se vel a Capite, vel a membris ejusdem. A

Capi-

Capite, inquam, non quidem negando Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ; jam enim esset istud schisma hæresi conjunctum: sed negando temere hunc in particulari esse Papam, aut sic se gerendo cum eodem ac si Papa non esset, ut si quis Antipapam eligere velit, &c. Et is est usitatior schismatis modus, ait Suarez. A membris vero, puta si quis ita se separet a reliquo corpore Ecclesiæ, ut cum eo in Sacramentorum participatione communicare nolit: quo sensu Papa ipse fieret schismaticus, si Ecclesiam totam excommunicare, aut omnes ejus cæremonias Apostolica traditione firmatas evertere tentaret.

Schisma conjunctum hæresi importat dissensum in ipsa fide, & tale est schisma Græcorum, qui primatum Papæ, & S. Spiritus processionem a Filio, negant.

R. ad 3. Schisma est peccatum speciale, & gravissimum.

Speciale quidem, quia specialis in eo reperitur deformitas; læsio scilicet unitatis tam speciali modo facta, ut eam non violent eodem modo etiam scelestissimi peccatores, qui non obstante peccato suo Ecclesiæ uniri pergunt.

Gravissimum vero, tum quia lædit præclarissimum quoddam bonum, scilicet unitatem Ecclesiæ, tum quia semper a Patribus inter immania quæque scelera recensitum est. Unde Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. cap. 37. *Oportuerat*, inquit, *Omnia incommoda potius subiisse, quam Ecclesiæ Dei discidisse concordiam: atque illud Martyrium, quod quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensio, non minus certe, sed multo plus meo quidem judicio habet commendationis, quam illud, quod suspicatur ne idolis immoletur.* Idem docent SS. Cyprianus de unit. Eccles. his verbis: *Qui pacem Christi, & concordiam rumpit, adversus Christum facit*, & August. Epist. 152. *Quisquis*, ait, *ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christianitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Legatur idem S. Doctor lib. 1. de Baptismo, & Chrysostomus in cap. 4. Epist. ad Ephes.

R. ad 4. Schismatici 1. excommunicantur in Bulla Cœnæ, quæ in Galliis vim non habet.

2. Inhabiles sunt ad suscipienda beneficia, donec, abjurato schismate, cum eis fuerit dispensatum, cap. 5. *De elect.*

3. Nec Beneficia valide conferunt, nec licitam dant Ordinum executionem, unde ab iis scienter ordinati, ab eorumdem Ordinum exercitio suspensi sunt, cap. 1. & 2. *De schismat.* Censet tamen Suarez hasce pœnas non incurri a schismaticis puris ante condemnationem: quia, inquit, omnia jura continentia easdem pœnas loquuntur de schismaticis simul hæreticis; & hæc est communis sententia contra Panormitanum. A fortiori ergo non privantur schismatici jurisdictione, cum ne hæretici quidem ea priventur, ut dixi supra pag. 307.

CAPUT SECUNDUM.

De secundo Decalogi præcepto.

SEcundum Decalogi præceptum his exprimitur verbis, Exodi 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.*

Circa hoc præceptum fatentur omnes: 1. per *nomen Dei* non hic intelligi nudam vocem seu syllabas, quibus Deum exprimimus, sed multo plus rem syllabis significatam, omnipotentem scilicet, & sempiternam unius, & trini numinis majestatem, quocumque hæc sive Dei, sive Omnipotentis, Domini, aut Regis Regum nomine exprimatur. Unde *facile colligitur inanem fuisse nonnullorum Judæorum superstitionem, qui quod scriberent Dei nomen, pronuntiare non auderent, quasi in quatuor litteris, non in re divina vis esset.* Ita Catechis. Trid. Conc. part. 3.

2. Et id etiam agnoscunt omnes hoc præcepto imperari unum, aliud prohiberi: unde affirmativum est simul, & negativum; quandoquidem *constet, cum eo, quod lex fieri prohibet; earum etiam rerum præceptionem conjunctam esse, quas præstare homines debent.* Præceptum hoc quatenus affirmativum est, præcipit, ut *sanctum* Dei nomen honoretur; quatenus vero est negativum, prohibet, ne idem nomen *terribile* quacumque irreverentia violetur. (Id ibid.)

Porro Dei nomen multipliciter honoratur. 1. *Cum in omnium conspectu Deum ac Dominum nostrum fidenter confitemur, Christumque salutis nostræ auctorem quemadmodum agnoscimus, ita etiam prædicamus*: memores hujus Salvatoris verbi, Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* De his adi Tractatum nostrum de Fide. (Ibid.)

2. *Cum verbo Dei, quo voluntas ejus enunciatur, sancte, & diligenter operam damus; in ejus meditatione assidue versamur; studiose illud addiscimus, aut legendo aut audiendo, perinde ut cujusque personæ, & muneri seu statui aptum, & consentaneum est.* Ex quibus Catechismi Tridentini verbis colliges cum Natal. Alexandro lib. 4. cap. eod. art. 1. inhonorati divini nominis reos esse non tantum Pastores, qui verbi ministerio instare negligunt, quive e sacro suggestu res ineptas, ad risum moventes, parum fructuosas proferunt, aut Scripturas adulterant, vel in alienos sensus detorquent: sed & eos etiam, qui sic vivunt, ut per ipsos *nomen Dei blasphemetur in gentibus*, nedum glorificetur Pater eorum, qui in Cœlis est. Item & eos, qui impietati non obsistunt, cum utiliter obsistere possunt, aut qui saltem non ingemunt, non dolent, quod Dei nomen tam perpetuo tam indigne profanetur. Alia sane fuit agendi ratio Davidis: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*, ajebat Psalm. 41. *dum dicitur mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?* Alia Matathiæ, cujus profundum ex conspecta Judæi unius impietate dolorem tam graphice expressit Scriptura, Machab. 1. cap. 2. *Et vidit, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum legem.* Alia S. Pauli, cum Athenis *videns idololatriæ deditam civitatem, incitabatur spiritus ejus in ipso.* Alia, ne Sanctos omnes nominem, Theresiæ, quæ infidelium tenebras perpetuis deflebat lachrymis. De præci- (Ibid.; Rom. 1.; Act. 17.)

puis,

puis, quæ ad hanc materiam pertinent, præcipue vero de correctione fraterna, vide quæ supra dixi agendo de Charitate.

3. Ait Cathechismus Tridentinus: *Divinum nomen veneramur, & colimus, cum officii, & religionis causa, divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum prosperis tum adversis illi singulares gratias agimus*, secundum id Prophetæ: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*; & Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum*: quibus mire concinebat Job, mortalium miserrimus, miserorum patientissimus, cum in ipso dolorum æstu hæc placide verba proferebat: *Sit nomen Domini benedictum*, & cap. 6. *Qui cœpit, ipse me conterat*.: *& hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sanctis*. De divinæ laudis celebratione, quæ fit per Horarum recitationem, quæque pene sola possit hic difficultatem movere diximus Tom. 1. parte 2. cap. 3. Psal. n. 102.

4. *Neque vero minus Dei nomen honoratur, si fidenter opem ejus imploramus, quo scilicet aut nos ab* ærumnis, cœterisque malis *liberet, aut ad eadem fortiter perferenda constantiam, & robur largiatur. Hoc enim fieri vult Dominus*: Invoca, *inquit Psalm.* 49. me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et vero, quæ potior Dei honorandi ratio, quam quæ nos soli ejusdem dexteræ inniti declarat? exemplo Prophetæ dicentis: *Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me; sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui*. Psalm. 43.

5. Denique *Dei nomen honore prosequimur, cum fidei faciendæ causa Deum testamur* ope juramenti necessarias conditiones habentis: vel cum vota sancte emittimus, & emissa fideliter implere conamur.

Non minor est extensio ejusdem præcepti, si idem expenderis ut negativum est. 1. enim eo prohibetur juramentum quodcumque imprudenter, & temerarie prolatum. 2. & a fortiori quidquid perjurium est. 3. votorum debite emissorum neglectus, & inobservantia. 4. blasphemia, & quidquid ad irreligionem pertinet. 5. indiscreta, nec pia satis divini nominis usurpatio, cujus reos ex malo quodam habitu faciunt se viri complures timoratæ cœteroqui conscientiæ. Ne vero, ut jam contigit, gratis id, & quasi judaice dictum videatur, oro ponderari tum id Eccl. 23. v. 10. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admisceearis: quoniam non eris immunis ab eis*; tum id S. Chrysostomi Homil. 10. in Acta: *Nullus cum reverentia memor est nominis Dei. Et tu quidem si dilexeris quempiam, ad nomen illius excitatior efficeris: Deum autem sic continuo vocas quasi nihil. Voca illum ut benefacias inimico; voca illum in salutem animæ tuæ, tunc aderit, tunc lætificas illum, nunc autem exacerbas. Voca illum, sicut vocavit Stephanus dicens*: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Voca illum ut vocavit uxor Elcanæ, cum lacrymis, cum lamentis, cum oratione, &c.* Consonat Theodoretus interrog. 41. *Ego puto*, inquit, *divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut necessariæ cujuspiam occasionis. Solent enim nonnulli, etiam ludentes, & ridentes, ut inciderit, reverendum Dei nomen lingua proferre. Hoc arbitror divina lege prohiberi*.

Quod de nomine Dei, idem servata proportione tum de Mariæ nomine,

rum de Scripturæ verbis intelligendum, quæ multi ad vilissima, quin & ad nugatoria temere, irreverenter, ac proin non sine culpa quotidie insumunt.

Circa hanc tanti momenti materiam non est, quod pluribus hic immoremur, cum præcipuas, quæ circa votum, juramenta, & blasphemiam moveri solent, difficultates, pro tenui nostro posse expenderimus in Tractatu de Religione.

CAPUT TERTIUM.

De tertio Decalogi præcepto.

Tertium Decalogi præceptum exhibent hæc verba Exodi 20. *Memento ut diem Sabbati sanctifices ∴ non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas*, & cap. 31. *Omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur*, quod & contigit Num. 15. ubi consultus Deus de homine, qui deprehensus erat colligens ligna Sabbato, respondit: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Illicitum quoque erat Judæis. 1. vendere, & emere, 2. Esdræ cap. 13. 2. iter agere, Exodi 16. extra urbem scilicet, nisi iter esset modicum, quod stadia quindecim, id est minorem circiter leucam non excederet, Joan. 11. v. 18. & Act. 1. v. 12. 3. coquere cibos, qui consequenter parandi erant feria sexta, idcirco dicta *Parasceve*, quod est præparatio.

Haud tamen prohibitum erat Sabbato se contra hostem tueri. 1. Machab. 2. v. 41. iisve vacare operibus, quæ sacrificia spectabant, Matth. 12. suam aut alterius, etiam jumenti necessitatem sublevare, Luc. 14. Quamquam, & quidem ut creditur, in Evangelii odium, eo devenerint Judæi, ut nedum asinum, aut bovem, sed nec se ipsos extrahant e fovea in die Sabbati. Quo pertinet Historia apud continuatorem Matth. Parisii, aliosque Anglos Scriptores celebris, de Judæo, cui nomen Salomon. Is cum an. 1260. in cloacam incidisset die Sabbati, nunquam inde se extrahi passus est, hoc unum dicens: *Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.* At eum loci Dominus, Ricardus de Clara, die Dominica sequenti educi noluit ob parem Dominicæ diei reverentiam, unde & respondit: *Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem*; & sic periit infelix Judæus.

Præceptum hoc ab hac incipit voce, *Memento*, tum quia, ut eruditis quibusdam placet, hic Deus legem renovat a se conditam initio mundi, Genes. 2. v. 3. tum quia æquum est, ut qui negotiis sæcularibus distracti, Deum singulis diebus speciali ritu colere non valemus, certa quædam temporum intervalla eidem consecrare enitamur. Erat autem id aptissimum Dei specialiter colendi tempus, quo Deus requievit *ab universo opere, quod patrarat*; ut nimirum homines ab opere servili cessando, Deum eadem die benedicerent, quam ipse sanctificaverat. Unde Sabbatum, & Dei, & populi electi *requies* erat, atque *cessatio*.

Sed hinc nascitur difficultas, an Ecclesia suppresso Sabbato Dominicam diem substituere potuerit. Affirmant & merito Christiani omnes.

1. quia

1. quia hæc mutatio jam ab ipsis nascentis Ecclesiæ temporibus videtur inducta fuisse, ejusque nonnulla extant vestigia tum 1. ad Corint. cap, 16. ubi innuit Apostolus *per unam Sabbati*, idest prima hebdomades die solere fieri conventus Christianorum; tum Apocal. 1. ubi S. Joannes ait factam sibi fuisse *Dominica die* revelationem, quam Apocalypsim dicimus; tum & cap. 2. Epistol. ad Coloss. ubi negat S. Paulus fideles redarguendos esse *in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum*; quod saltem argumento est legem Sabbati jam tunc obsolevisse. 2. quia in id conspirant & sæculorum omnium Traditio, & Ecclesiarum omnium etiam Protestantium consensus. Ubi nota probationem, quæ hic a Traditione desumitur, multo validiorem esse ea, quæ petitur ex citatis Scripturæ textibus, ut notat auctor Catechismi Montispessulanæi part. 2. Sect. 3. cap. 4. secus ac sentit Carolus Drelincourt in suo Catechismo, pag. mihi 69.

Porro diem Dominicam Sabbato substituerunt Christiani. 1. quia ea die resurgens Christus, a laboribus suis quievit in perpetuum. 2. quia & eadem die in Apostolos, & Ecclesiam illapsus est Spiritus sanctus; 3. quia, extincta Judaica lege, Sabbata ejus sicut & Neomeniæ extingui debuerunt. Haud tamen extingui debuit publicus, & solemnis cultus Dei, quia præceptum de sanctificatione Sabbati, licet quoad hunc diem cæremoniale, morale erat quantum ad necessitatem certo quodam tempore divina beneficia contemplandi, & celebrandi nomen Omnipotentis, quo meliori modo fieri possit.

Quemadmodum autem Judæis quædam die Sabbati prohibita, quædam imperata erant, sic & Christianis: ea porro ut bene intelligantur, sit

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ Christianis Dominica die prohibita sint.

Certum est 1. non id omne Christianis prohiberi Dominica die, quod Judæis Sabbato vetitum erat. Licet enim apud nos parare cibum, & coquere, colligere fructus mensæ apponendos, animalia minora, pullos v. g. & lepores occidere, non tamen majora ut vitulos, oves, & boves, nisi anticipatam eorum occisionem impedierit vehementior caloris æstus. Ea quoque tolerantur, ait Henno, quæ pertinent ad nitorem domus, aut ad decentem hominis compositionem, ut sternere lectum, quædam ædium loca verrere, leviter lavare vasa nonnulla, catinos, cochlearia, vestium sordes abstergere, in iisdem vestibus parum quid reficere, quod ante prævisum non fuerit: quæ enim ex istis pridie peragi facile possunt, ad ipsam Domini diem remitti non decet.

Certum est 2. quædam esse, quæ Christianis non minus interdicta sint, quam Judaicæ plebi: ea vero ut distinctius assignentur, triplicis generis opera distingui debent, servilia scilicet, liberalia, & communia. Per opus servile, ait Catechismus Montispessulanæus, intelligitur *quidquid fit ad vitæ sustentationem, & intuitu mercedis temporalis*; sed melius Natal. Alexander hic artic. 6. Reg. 1. cum Theologorum vulgo servilia opera vocat ea, *quæ a servis, & infima plebe, seu mercenariis* bo-

Tom. 1. p. 721. edit. fol.

hominibus exerceentur, aut exerceri solent, *qualia sunt artium omnium mechanicarum opera*, ut fodere, arare, suere, & alia id genus, quæ, quia in actione corporis præcipue consistunt, corporalia nuncupantur. Hæc porro opera etsi gratis fierent, aut recreationis, vel piæ intentionis causa, non autem *intuitu mercedis*, *aut ad sustentationem vitæ*, non desinerent esse servilia, quia intentio non mutat naturam operis, unde si plebejis prohibita sint Dominicis diebus, sunt etiam ingenuis prohibita.

Opera liberalia sunt ea, quæ sive habeant, sive non habeant effectum materialem, animo magis, quam corpore exercentur, aut ad animum ordinantur principaliter, ut v. g. docere, concionari, canere, legere, studere, scribere, dare consilia & responsa, linearem domus, munimenti, picturæ, vel operis textorii adumbrationem ducere. Ita collator Andeg. Tom. 2. in Decalog. pag. mihi 181.

Opera demum communia sunt ea, quæ plebejis perinde ac nobilibus competunt, ut iter agere, venari, piscari, ludere, & similia. His positis, sit

CONCLUSIO I. Peccant graviter, qui Dominicis, Festisve diebus exercent opera servilia, aliaque divino vel humano jure prohibita, nisi excuset pietas, necessitas, aut levitas materiæ.

Prob. 1. pars, tum ex praxi & sensu timoratorum omnium; tum ex consuetudine in Ecclesiis omnibus recepta; tum ex traditione Patrum. *Vacatio a servilibus operibus imperatur*, ait Sanctus Augustinus Epist. 36. alias 86. *Unde illud est*, *quod lapidare Deus hominem jussit*, *qui ligna collegerat*. Concinit S. Leo Lib. XI. Epist. 3. his verbis: *Dominicorum die a labore terreno cessandum est*, *atque omnino orationibus insistendum*. Idem docent innumera Concilia, e quibus adduxisse sufficiat Matisconense II. habitum an. 585. quod postquam prohibuit ne opera, quæ in diebus communibus fiunt, Festis diebus exerceantur, sic pergit: *Si quis hanc salubrem exhortationem parvipenderit*, *sciat se pro qualitatis merito principaliter a Deo puniri*, *& deinceps Sacerdotali quoque iræ implacabiliter subjacere*. Ex quibus omnibus sic arguo: Qui generalem & sanctam Ecclesiæ consuetudinem violat, qui Patrum & Conciliorum leges transgreditur, qui ab Ecclesiæ Ministris implacabiliter puniri meretur, ille, posita, ut supponimus, materiæ gravitate, peccat lethaliter: atqui sic se habent, qui Festis diebus laborant serviliter; quique, ut loquitur Concilium Parisiense VI. an. 829. *dum hæc agunt*, *& decus Christianitatis offuscant*, *& nomen Christi blasphemantibus locum amplius detrahendi attribuunt*. Neque hujus impietatis pœnam semper distulit Deus: pergunt enim hujus Concilii Patres: *Multi nostrorum visu multi etiam quorumdam relatu didicimus*, *quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos*, *quosdam artuum contractione multatos*, *quosdam etiam visibili igne corporibus ossibusque simul sub momento absumptis*, *in cinerem subito resolutis*, *pœnaliter occubuisse*. *Et multa alia terribilia judicia extiterunt*, *& hactenus existunt*, *quibus declaratur*, *quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur*. Qui hujus rei exempla volet, adeat Gregorium Turonensem Lib. 10. Hist. cap. 10. Lib. 1. de gloria Martyr. cap. 16. Lib. 2. ibid. cap. 11. Lib. de gloria Confessor. cap. 99.

Prob. 2. pars, quia Festa violantur per opera, quæ licet stricte servilia non sint, sunt tamen juxta Dei vel hominum leges aut pejora servilibus, aut iisdem æqualia. Sic Festa violantur per peccatum, & quidem magis, quam per quodcumque *aliud corporale opus licitum*, ut expresse

presse docet S. Thomas 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. & hæc est opinio communis, ait Henno; an autem diei Festi circumstantia supprimi possit in confessione, prout eidem Theologo videtur, agitavimus in Tract. de Peccat. part. 1. cap. 3. in appendice de Circumstantiis.

Sic etiam vetant leges plurimæ 1. ne diebus Festis habeantur *placita* sive strepitus forenses, imo quidquid fit tunc temporis judicialiter, ipso facto irritum est. 2. ne feratur sententia capitis, aut alterius pœnæ; (quod juxta aliquos locum non habet sive in castris, ubi quis ad aliorum terrorem sine processu statim ut apprehensus est in delicto, suspenditur; sive cum metuere est, ne dilata sententia executioni mandari non possit.) 3. ne fiat juramentum quodcumque etiam extrajudiciale, quale est, quod emittitur ad confirmationem contractus; nisi illud exigant aut necessitas vel utilitas gravis, aut pia quædam cœremonia, vel fidei professio. 4. ne habeantur mercatus, sive ii consistant in nundinis solemnibus, iisve ad quas singulis hebdomadibus concurrere solent rustici grana, olera, butyrum & similia vendituri; sive consistant in qualibet emptione, venditione, conductione, locatione, & similibus, quæ profestis diebus fieri debent, si possunt. De his omnibus fuse differentem adi Nat. Alexandrum Reg. 1. 2. & 3. ubi pro more suo, omni probationum genere demonstrat convivia publica, comessationes, choreas, ludos scenicos, seu theatrales, & cujusvis generis spectacula Dominicis Festisve diebus agi, duci, exhiberi, frequentari sine gravi peccato non posse, quibus præsertim horis Officia divina celebrantur.

Prob. 3. pars, quia *non vetantur ea opera, quæ ad divinum cultum attinent, etiamsi servilia sint, ut altare instruere, templa alicujus Festi diei causa exornare, & reliqua hujus generis: ideoque a Domino dictum est: Sacerdotes in Templo Sabbatum violare, & sine crimine esse. Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi, existimandum est, quarum jactura facienda sit, si die Festo prætermittantur*. Ita docet Catechismus Tridentini Concilii, cujus tamen doctrina cum aliqua limitatione intelligenda est, ut patebit Coroll. 2.

Hinc colliges 1. prohibita esse feriatis diebus non crassiora tantum opera, ut seminare, metere, fœnum siccare vertendo, cædere arbores aut interlucare, sepem aptare, colere vineam, exercere artes ferrariam, lignariam, sartoriam, textoriam, seu ut loquitur Synodus Meldensis ann. 836. Can. 77. gynæceam, fabrilem quoque, cujuslibet ea sit generis, ut sculpere sigillum, cœlare in auro, horologium facere &c. sed & ea etiam opera, quæ a nobilibus fœminis fiunt, ut acu pingere, versare fusum, & similia; quæ licet a quibusdam Confessariis permittantur hoc prætextu, quod melius sit iis vacare quam ludo, & aliunde humana mens cœlestium meditationem tota die ferre non possit, haud tamen videntur esse permittenda, 1. quia repugnant Ecclesiæ legi, quæ generalis est; imo, quæ acupictiles operas expresse prohibuit in Concilio Aquisgranensi cap. 22. 2. quia sine fundamento repetitur servilitas operis ex intentione lucri; alioqui princeps, torni, aliarumve hujus generis artium scius, iisdem sine culpa vacare poterit per longum temporis festivi intervallum. Quod si cui ludus opere servili deterior videatur, abstineat ab utroque, ut faciunt non pauci. Quamquam dubito an Dei jussu lapidatus fuisset Judæus, qui ligna collegit Sabbato, si tantum honesta aliqua recreatione etiam ludi, animum levasset.

Colliges 2. prohiberi ea etiam opera, quæ pietatem sapiunt. Unde peccat

cat 1. Monialis, quæ cereas, aut alias Sanctorum imagines fingit diebus Festis, quæ Scapularia, Cordulas, vel Rosaria conficit, &c. quo ferme modo peccaret artifex, qui Christi aut Virginis statuam ex pia etiam intentione fabricaret. 2. aulæorum opifex, qui iisdem diebus, tapetibus ornat Ecclesiam, quam prius ornare potuerat; item, qui serta pro altaribus conficeret, qui lavaret Ecclesiam, qui panes consecrandos faceret, qui mappas, corporalia, aut Ecclesiam lavaret, nisi gravis urgeret necessitas; quia hæc opera remote tantum & præsuppositive tum ad Dei cultum, tum ad Festos dies se habent. 3. peccant a fortiori, qui tabellas pingunt, sicut & qui exsculpunt statuas: item qui Typographicos caracteres ordinant, aut subjiciunt prælo. Sunt enim hæc, quidquid de caracterum dispositione sentiant aliqui, opera vere mechanica, & sæpius tam mechanice facta, ut plures ne id quidem intelligant, quod vernacula lingua typis exprimunt.

Colliges 3. graviter peccare tum Dominos, qui mercatus aut nundinas, choreas & similia Festis diebus haberi permittunt; cum & Ecclesiasticam & regiam legem violent, ut fuse probat Pontas v. *Dimanches*, cas. 5. * tum Patres familias, qui, qua omni ratione possunt, non obstant ne filii sui serviliter laborent, idem ibid. cas. 13. tum eos, qui domesticis suis boves vel oves pascendas committunt, quo tempore Sacrum peragitur, ita ut servi Missam quandoque non audiant, ibid. cas. 14. tum Oenopolas & id genus alios, qui tempore Officii divini tabernas aperiunt pro concivibus; quod Ecclesiastico perinde ac civili jure prohibitum est; idem v. *Cabaret*, cas. 2. & Nat. Alexander Reg. 1.

Colliges 4. innumeros circa hanc materiam, ut & alias plerasque, proponi casus, qui non aliter, quam ex circumstantiis, definiri possunt: quæritur v. g. an barbitonsores, pistores, minutarum mercium propolæ, aliique similes Festis diebus operari, aut merces vendere possint; qua de re videndum est, an & quale passuri sint, vel aliis procreaturi incommodum, si ab artis suæ exercitio abstineant. Si enim abstinendo, tantum damni ferant, ut se suosque jam sustentare non possint, indubie laborare possunt: rursus si ex labore profesti temporis, satis quidem lucri percipiunt, ut hinc vivere possint, sed grave aliis incommodum parituri sint non laborando, non sunt arguendi si laborent aut vendant. Hinc qui in pagis barbam radunt diebus feriatis, non peccant ut plurimum; quia rustici perpetuo depressi labore, vix ac ne vix quidem alio tempore sibi prospicere possunt. Pariter urbium mercatores rusticis calceos, vestimenta, & alia ejusdem generis, modo citra scandalum, vendere possunt, cum ii non alia die ad urbem accedere valeant; ita docent Juenin, Pontas, aliique melioris notæ Theologi. Demum transitorios pisces, ut sunt halecia & scombri, piscari licitum est *ingruente necessitate, præterquam in majoribus anni solemnitatibus*, cap. 3. *De feriis*.

Sed hic quædam notanda. 1. solum majoris lucri intuitum non excusare opifices, qui eo secluso habent, unde non incommode vivant de

* Pontasii doctrinam in eo, quod pertinet ad nundinas, restringit auctor Coll. Andeg. Tom. 2. in Decal. pag. 208. ita ut nundinas non quidem diebus Dominicis, Festisve Patroni aut solemnioribus, sed iis, quæ minus solemnia sunt, haberi permittat; & ita statuisse videtur Senatus Parisiensis, præsertim Arresto anno 1667. quo vetantur mercatus & nundinæ Festis diebus Paschatis, Pentecostes, Sanctorum omnium, Nativitatis Domini, Corporis Christi, B. Virginis, ascensionis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Patroni, & diebus quibuslibet Dominicis.

de quo judica ex iis, quæ Tom. 1. diximus ubi de Jejunio: 2. eos, qui in gratiam solius gulæ laborant, quales sunt, qui vel panes a furno calentes præbent, vel artocreata conficiunt, non excusari, nisi cum alioqui grave, & graviter incommodum sibi damnum immineat. Vide Pontas ibid. cas. 8. & 9. ubi notat cupedinarios pistores, qui diebus Dominicis, & Festis compluribus laborant, reos esse perjurii, quia in receptione sua spoponderunt, se prædictis diebus abstenturos a labore, de quo loquimur: utique enim crustula, seu, ut ajunt, biscocta pro infirmis conficere non prohibentur.

Colliges 5. non peccare eos, qui ob aeris intemperiem, hostiles incursus & similia, messem, vindemiam, fœna colligunt. Necessum tamen est ut ante obtineant Pastoris consensum, nisi periculum sit in mora; tunc enim laborare possent ex præsumpto ejus consensu: sed cum magna cautione utendum ejusmodi licentia præsumpta, verendumque, ne sibi cupiditas ea de re sub obtentu necessitatis blandiatur. Ita monet & merito Catechismus Montispessul. in casu privatæ necessitatis certo cognitæ sufficit licentia Parochi: si vero publica sit necessitas, & laborem per plures Festos dies duraturum postulet, recurrendum est, si commode possit, ad Episcopum, ut omnia fiant secundum ordinem. Ita Collat. Andeg. p. 196.

Ex eadem necessitatis causa excusantur sartores, qui vestes funereas ipso necessarias die, aut vestes militum eadem die profecturorum absolvunt. Item & salinarii, nautæ, aurigæ, ii etiam, qui coquendis lateribus, calci, vitro, ferro, & cerevisiæ allaborant, quoties opera hæc semel inchoata sine gravi damno intermitti non possunt, ut non possunt communiter. Ratio est 1. quia ut docet S. Thomas 1. 2. q. 122. art. 4. *Quilibet tam servus, quam liber, tenetur in necessariis providere non tantum sibi, sed etiam proximo, præcipue quidem in his, quæ ad salutem corporis pertinent ... secundario etiam in damno rerum vitando*; 2. quia *in quibusdam operibus probibitis facilius propter necessitatem dispensatur in nova, quam in veteri lege*. Unde, quamquam loquendo regulariter, *abstinendum est ab itinere diætario, nisi necessitas cogat, vel aliud pium opus inducat, ut videlicet visitatio alicujus Ecclesiæ, vel consecutio indulgentiæ, vel reformatio pacis, seu amotio scandali, & hujusmodi*, prout sapienter docet S. Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. §. 5. si tamen viator nec Missam, & orationem omittat, nec iter in profestam diem differre possit sine aliquo dispendio, non videtur arguendus saltem gravis peccati, uti subindicat Pontas ibid. cas. 4.

Haud tamen crediderim, quod docere videtur Henno, eos qui iter faciunt, ab omni peccato immunes esse, quia itineratio non sit opus servile, sed omnibus commune &c. non enim continuo licitum est opus diebus Festis, quod servile non sit: cum etsi commune plurimum obstare possit, ne dies Festi, ea qua decet religione, sanctificentur. Merito igitur Nat. Alexander ibid. Reg. 2. *Itinera*, inquit, *diebus Dominicis & Festis licita faciunt pietas & necessitas, non quæstus & utilitas temporalis, sive lucrum*, minime necessarium, *aut voluptas sive recreatio*. Unde stricte prohiberi debent vanæ eæ peregrinationes, in quibus permixti utriusque sexus juvenes, pietati fere nihil, sed gulæ, inhonestis sermonibus, & libidini potissimum indulgent: qua de re videris pie, & erudite differentem auctorem Collat. Andeg. Tom. 2. in Decal. pag. nunc 198. & seq.

Quæ-

Quæres quoti temporis labor gravis in hac materia censeatur?

R. non defuere, qui laborem quarta vel tertia diei parte continuatum requisierint, ut videre est apud Dianam; alii duas horas assignant si opus sit plurimum servile, ut cædere lapides, tres vero horas in aliis operibus, seu una serie, seu successive impendantur, modo eadem die; ita Henno. Alii demum, quibus assentiri tutius est, unam cum Nat. Alexandro laboris horam satis esse credunt. Nihil autem interest an quis per se, an per famulos laboret, quia per se quis facit, quod per alium. Imo ne quidem Ethnicum labori addicere velim, tum quia alias nusquam is obligaretur tertio præcepto, quod tamen majori ex parte morale est; tum quia pejor esset infidelis servi conditio apud Christianos, quam apud Judæos, quorum servi indistinctè a laborando abstinere jubebantur.

Conclusio II. Opera liberalia vel communia Festis diebus prohibita non sunt: iis tamen nonnisi intra justos limites vacandum.

Prob. 1. pars, quia Ecclesia non prohibet nisi opera servilia; cujus generis non sunt opera liberalia, vel communia.

Hinc per se licitum est cujusvis scientiæ studio vacare, disputare, legere libros aut componere; Advocatum consulere, consilia dare in scriptis, scribere & transcribere ea, quæ pertinent ad litis informationem, accepti & expensi rationes inire, ac subducere, easdem e diurno libro in alium transferre, instrumenta musica movere, digladiare, exercere milites, præliari; quia hæc vel servilia non sunt, vel pro servilibus non reputantur. Item nec illicitum videtur piscari arundine, leporem insequi cum uno aut altero cane, aucupari retibus exiguis. Aliud esset si venatio, & piscatio tali fierent retium, & instrumentorum apparatu, qui plurimum exigeret laboris, & tumultus. Ita sentiunt Boudart saltem pro majori parte, tom. 4. p. 248. Collat. Andeg. ubi supra, Pontas ibid. cas. 16.

Quod ad Notarios attinet, etsi labor eorum proprie servilis non sit, quia tamen comites habere solet turbas, & partium disceptationes, multo salubrius est ut ab eo penitus abstineatur, nisi urgeat necessitas exscribendi, v. g. testamentum, aut instrumentum vel hominis jam profecturi, vel multitudinis, quæ alia quam Festiva die convocari facile non possit. Collat. Andeg. ibid. pag. 223. Pontas cas. 17.

Prob. 2. pars, quia sic prædictis laboribus serviendum est, ut nihil eorum prætermittatur, quæ ad piam festivitatum celebrationem necessaria sunt: hinc indubie peccat, qui secluso urgentis necessitatis casu, brevi Missa contentus, cœteras Officii divini partes negligit; peneque, excepta sacri auditione, id unum facit, quod cœteris diebus. Quin & eo gravius delinquit, quo vacat operæ vel inutili magis, vel quæ plus a Deo avocet. Unde vir nobilis, qui, audita Missa, majori diei parte venationi indulget, videtur res dubii saltem peccati mortalis; imo hic lethale peccatum arguerem, (licet utcumque obstent Sambovius, & auctor Collat. Diœces. Lucion. quos sequitur Pontas v. *Chasse*, cas. 5.) si vir ille a venatione reversus nihil amplius in gratiam Dei faceret; & ita sentit Henno p. 234. A fortiori igitur sacrorum dierum violatores censeri debent, qui magnam eorum partem in popinis transigunt, aut vinum transigentibus præbent contra Ecclesiæ, & Principis leges.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid a Christianis die Dominica præstandum.

Certum est ad sanctificationem Festorum haud satis esse, ut quis ab opere servili cesset, & otio indulgeat; cum otiositas sit ex S. Bernardo *mors animæ, vivi hominis sepultura, & sentina omnium malorum*. Verum non ita facile definiri potest, quid præcise requiratur, ut fideles obligationi suæ faciant satis, quantum necesse est, ut vitent peccatum leve vel grave; summa enim est ea de re Casuistarum dissensio. Quæ certiora videbuntur, proponemus, parati, quod minus recte dictum fuerit, ex doctiorum judicio emendare. Rem totam duplici sectione expediemus, quarum prior de Missa disseret, posterior de cæteris pietatis operibus.

SECTIO PRIMA:

De Missa.

Circa Missam quatuor hic indaganda, 1. an audiri debeat, 2. quæ; 3. quomodo, 4. quibus de causis omitti aliquando possit.

Conclusio I. Fideles omnes rationis usum adepti, sub gravi peccato Missam Festis, ac Dominicis diebus audire tenentur.

Prob. 1. ex unanimi tum Doctorum, tum etiam simplicium fidelium sensu; 2. ex innumeris Conciliis, quorum alia præcipiunt ut fideles Festis diebus intersint divinis Officiis, quorum nomine præcipue venit altaris sacrificium; alia, ut Aquense an. 1585. *Missam sine gravissimi peccati culpa prætermitti non posse* declarant; 3. ex censura hujus propositionis, quam reprobavit Innocentius XI. *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*: Porro eo ipso, quo præceptum servandi Festa, obligat sub mortali, debet & in eodem genere obligare præceptum audiendæ Missæ, quod præcipuam divini cultus partem importat.

Conclusio II. Ad legitimam Missæ auditionem requiritur præsentia moralis, integra, & religiosa.

Prob. 1. pars. Ea solum est legitima Missæ auditio, per quam satisfit legi ab Ecclesia impositæ: atqui nonnisi per præsentiam moralem satisfit legi ab Ecclesia impositæ. Lex enim est de audienda Missa: atqui ipsum *audiendi* verbum præsentiam moralem requirit; cum non audiat, nisi qui humano modo præsens est, quod est moraliter præsentem esse: ergo.

Hinc Missa non audiunt 1. ebrii etiamsi non longe distent a Sacerdote; 2. qui per Missæ tempus dormiunt; 3. qui per idem tempus peccata confitentur; nisi excuset brevitas confessionis; 4. qui alios etiam venialia confitentes audiunt. Ratio est, quia ii omnes materialem solum præsentiam exhibent Sacrificio; aut, quod idem est, non dant attentionem requisitam; quandoquidem attentio, quam Missa requirit, debet esse per modum orationis, qualis non est in perscrutan-

tandis culpis, earumque circumstantiis, & in dialogismis inter pœnitentem, & Confessarium. Ita Cabassut. l. 2. c. 32. n. 4. & cum eo Pontas v. *Messe*, cas. 48.

Sed audiunt 1. qui eodem tempore in extasim rapiuntur, aut vi contemplationis absorbentur in Deo. Ratio est, quia attentio ad Deum, dum quis Sacrificio adest, perfectior est audiendæ Missæ modus, ut docent & colligunt omnes ex S. Thoma 2. 2. q. 83. art. 13. atqui perfectissimam hanc attentionem includit extasis; cum per eam mens Deo totaliter inhæreat, & in eo penitus immergatur. Et vero ideo negant Turrianus & Lugo Missam in extasi audiri posse, quia putant in extasi nullam esse libertatem animæ: atqui id falsum est. Nam in extasi communiter meretur homo, cum alioqui raptus non esset gratia singularis. Unde S. Ambros. Lib. 2. de Spiritu sancto cap. 11. loquens de extasi Principis Apostolorum Act. 10. *Quoniam*, inquit, *vocatus Petrus respondit*, *Domine*, *ideo secundum meruit oraculum*, *quia confessus est Dominum*. Et S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. loquens de sapientia, quæ Salomoni communicata est in somno: *Potest dici*, inquit, *quod ille somnus non fuit naturalis, sed propheticus ... in quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet*: atqui meritum, & liberi arbitrii usus sine libertate subsistere non possunt: ergo.

Quod objiciunt aliqui, D. Theresiam, prout ipsa refert cap. 33. vitæ suæ, scrupulum habuisse, quod in extasim tempore Sacrificii rapta, aliam Missam non audierit; plus favet nobis, quam noceat, cum scrupulus sit inanis timor ex levissimo motivo subortus. Verum ea de re inutili, quia rarissima, pluribus dicere superfluum fuerit. Adeantur Suarez Tom. 3. in 3. part. disp. 88. sect. 3. Salmanticenses Tract. 23. c. 1. n. 105. Lugo de Euchar. disp. 22. sect. 2. n. 19.

2. Audiunt Missam, adeoque & audire tenentur cœci, ac surdi, quia eo ipso, quod pie sunt in loco unde restitutis sensibus audire, & videre possent sicut alii, merito judicantur moraliter præsentes.

3. Et ii quoque moraliter præsentes censentur, qui post altare, vel templi columnam, vel in loco Capellæ conjuncto, vel e domo sæculari templo contigua per fenestras intersunt Missæ. Idem est de iis, qui extra Ecclesiam multitudinis totius non capacem, consistunt: modo tamen ad multitudinem assistentium moraliter pertinere censeantur; ac proinde nimio ab ea intervallo non distent. Unde colligit Lugo ibid. n. 20. fieri posse ut quis in Basilica Romana S. Petri positus, etsi intendat audire privatam Missam: *quam scit tunc dici in aliquo loco ejusdem templi*, eam de facto non audiat; quia nec actionem Sacerdotis percipere possit, nec moraliter conjunctus sit iis, qui percipiunt. Si quis tamen a multitudine moraliter sejunctus per exiguam viæ publicæ distantiam, plene per se ipsum, & independenter a multitudine assistentium, actionem Sacerdotis perciperet, censet idem Cardinalis n. 21. eum Missam sufficienter auditurum. Secus, ait Henno, si solum colligeret actionem Sacerdotis ex eo, quod multitudo, a qua disjungi supponitur, surgat, genuflectat, percutiat pectus &c.

4. Demum, qui pauculum temporis dant pulsandæ campanæ, quærendo vino, excitando thuribulo, non desinunt reputari præsentes Missæ; tum quia hæc ad actionem Sacrificii aliqualiter pertinent; tum quia cum his mens ad Deum attendere potest. Qui tamen majori Missæ

sæ parte cæremoniis intendere debent, & experti sunt se sua ad eas attentione plurimum distrahi, male sibi consulunt, nisi privatam Missam audiant.

Prob. 2. pars, scilicet, quod ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ requiratur præsentia integra, seu ad totam Missam. Prob. inquam 1. ex Concilio Agathensi an. 506. Can. 47. ubi sic: *Missas die Dominico a sæcularibus totas teneri*, vel ut alii legunt, *audiri, speciali ordinatione præcipimus; ita ut ante Sacerdotis benedictionem egredi populus non præsumat; qui si fecerint ab Episcopo publice confundantur*; 2. ex Concilio Aurelianensi an. 511. prohibente, ne *populus ante discedat, quam Missæ solemnitas compleatur, & ubi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis*. Idem jubent Concilia Burdigalense an. 1582. & Turonense an. 1583.

Hinc colliges 1. cum Nat. Alexandro post S. Antoninum 2. part. c. 9. tit. 10. non satisfacere præcepto, qui tertiam Missæ partem omiserit. Imo, ait Cabassut. ibid. n. 7. *Communior & probabilior sententia est docentium, omissionem auditionis a principio usque ad Epistolam exclusive, non esse* quidem *partem notabilem; sed si ipsa quoque omittatur Epistola, neque ulla excuset necessitas, materiam esse mortalis delicti. Ita censent Tabiena, Navarrus, Suarez, Graffius, Henriquez, aliique, quos citant & sequuntur Toletus & Bonacina*. Nec desunt, qui cum Henno, Sa, & aliis quibusdam *materiam notabilem non ponunt nisi ab initio Evangelii*; quorum opinionem intactam relinquunt idem Cabassut. & Pontas ibid. cas. 47. præsertim eo, quod Epistolæ quædam vix gemino minuto perdurent. Fatendum tamen cum eodem Pontas, & auctore Collat. Andeg. non satis certas esse mitiores illas opiniones, quam ut iis tuto inniti liceat: unde ne quid remordeat conscientia, satagendum semper ut Missa tota audiatur, vel ut audiatur alia, si potest, cum serius deventum est, quam ut audiretur Epistola.

Colliges 2. eos, qui culpabiliter non ab initio, sed ante lectam Epistolam Sacrum audiunt, eos item, qui peracta communione egrediuntur, venialiter peccare; imo non dubitem quin mortaliter peccent, qui recederent tempore Consecrationis, quia ut ex S. Cæsario Arelatensi docet Nat. Alexander, *tunc fiunt Missæ quando munera offeruntur*, præcipue vero *cum Corpus vel Sanguis Domini consecrantur*. Hanc opinionem secundum *principia intrinseca* veram esse agnoscit Lugo ibid. num. 4. quod autem addit, eum, qui voluntarie per tempus Consecrationis distractus foret, adhuc præcepto satisfacturum esse, ex dicendis confutabitur. Multo probabilius est, quod docet idem Cardinalis, eum, qui recederet tempore *Memento*, quo ex indiscreta devotione oraret Sacerdos per unam horam, non fore violati præcepti reum, quia adhuc Missam audiret integram.

Colliges 3. eum, qui ad Missam peracta jam Consecratione accedit, teneri reliquum audire, si aliam audire non possit: se enim habet uti, qui caret Breviario; is autem etiam ad quartam Officii partem tenetur, si eam memoriter sciat. Nec nocet, quod dicit Lugo, neminem teneri adesse matutino Parasceves Officio, eo quod nulla hac die Consecratio fiat. Non enim ob defectum Consecrationis, sed ob defectum rigorosi præcepti immunes sunt a peccato fideles, qui Missæ ex præsanctificatis non interfuerint. Et vero, quis neget Ecclesiam sub gravi præcipere posse, ut fideles prædicta die intersint Officio?

Colliges 4. merito proscriptam esse ab Innocentio XI. hanc juniorum Casuistarum propositionem: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Ratio est, quia Missa necessaria est quid constans ex Oblatione, Consecratione, Communione, ac proinde ex partibus successivis; porro implicat, quod partes necessario successivæ simul & una ponantur.

Colliges 5. contra Navarrum & Cabassutium ibid. n. 5. eum, qui, audita a Missa Consecratione ad finem, aliam audit ab Introitu ad Consecrationem, non implere præceptum. Ratio est, quia ex iis partibus, quæ nullum ad se ordinem habent, non fit unum Sacrificium; sicut nec fieret, si Sacerdos hostiam sumeret, non quam hodie, sed quam heri consecravit; quia sumptio unius hostiæ, & Consecratio alterius Missam non constituunt; sicut mactatio ovis unius, & alterius combustio non faciunt Holocaustum. Lugo ibid. n. 8.

Nec nocet, quod satisfaciat præcepto de recitandis Horis, qui ante Laudes persolvit, quam Matutinum. Ordo enim non est de essentia Officii, est vero de Sacrificii essentia, ut eadem, quæ consecrata est, Hostia in eadem actione, & ab eodem Sacerdote consumatur. Et vero ut bene notat Gibert ad citatum Cabassutii locum, præceptum de audienda Missa ex Ecclesiæ intentione metiendum est. Quis vero credat voluisse Ecclesiam, ut fideles Missam diverso partium ordine quasi incisam audire satis habeant. Ex eadem Ecclesiæ intentione, non obligarem ad alterius Missæ auditionem eum, qui Missam ab uno Sacerdote perductam usque ad Consecrationem, & ab alio finitam audiisset.

Colliges 6. eum, qui ad tres obligatus Missas, puta ratione voti, pœnitentiæ, & Ecclesiasticæ legis, tres simul a tribus Sacerdotibus Missas audiret, neutiquam esse satisfacturum: quia ad tres successive Missas obligatur; aliud enim Confessarius, aliud ipse vovens sibi censetur præcepisse, quam quod jam præceptum erat.

Quæres an possit quispiam duas, quæ simul inchoantur, Missas audire.

Resp. negat. 1. quia Missa auditur per modum actionis unius; 2. quia id communi repugnat sensui fidelium: ii enim ita ad unam se Missam determinant, ut non ausint, derelicta longiore, quam elegerunt, ad breviorem se convertere, nisi sub initium, cum alterutra tam parum provecta est, ut qui eam ab hoc puncto audit, integram audire censeatur.

Prob. 3. pars, 1. quia Ecclesia Missæ auditionem præcipit ut actum & quidem præstantissimum religionis: atqui sine reverentia exteriore & interiore non impletur actus religionis. Qui enim actum religionis vere adimplet, nonnihil habet meriti: sed qui irreverenter se gerit, nihil meretur, nisi maledictionem latam Jerem. 47. contra eos, qui faciunt *Opus Domini fraudulenter*: ergo.

Prob. 2. ideo devotionem internam requiri negant laxiores Casuistæ; quia existimant eam ab Ecclesia præcipi non posse: atqui hæc ratio nulla est: 2. quia falsa est, ut ad minimum dubia, ut patet ex c. 5. artic. 1. Sect. 2. de legibus; 2. quia male ad præsentem quæstionem applicatur; cum lex de sanctificando per certos religionis actus Sabbato, non sit mere Ecclesiastica, sed determinativa præcepti naturalis, quod posita Ecclesiæ lege vim suam exerit: jam vero præceptum naturale Deum certis temporibus specialiter colendi, cultum interiorem postulat: ergo.

Prob.

Prob. 3. ex censura nefandæ hujus propositionis: *Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, imo & prava cogitatione defixo*; quam quidem propositionem Gallicani Patres an. 1700. sic perstrinxere: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, erranea, impietati favet, & præcepto Ecclesiæ illudit*.

Hinc colliges præceptum Ecclesiæ non impleri 1. ab iis, qui Missæ tempore confabulantur, corrident, oculos quoquo versum in exeuntes & introeuntes, in epitaphia, vel picturas convertunt; 2. neque ab iis, qui ad Ecclesiam præcise veniunt *ut videant, vel videantur ab amatoribus*, ut dominos comitentur, ut funebrem pompam honorent; 3. nec ab iis, qui ut omnes decoris & urbanitatis modos servent, in id pene unum intendunt ut salutent & resalutent; 4. nec ab his, qui toto tremendi Sacrificii, quod cum primum in Cruce oblatum est, sol obtenebruit, scissum est velum templi medium, terra mota, petræ scissæ, & aperta monumenta, qui, inquam, toto tanti Sacrificii tempore stant vel sedent sine necessitate, vixque cum elevantur Mysteria genu alterum flectunt; mente interim minus, quam corpore, compositi. Ut hæc plenius intelligantur, *S. Antonin.*

Quæres 1. quoti temporis interna vel externa distractio peccatum mortale inducat.

R. indevote audire idem esse, ac ommittere prorsus, ac proinde dicendum cum Henno, & Collat. Andegav. Tom. 2. p. 139. illud sufficere tempus, quod æquivalet ommissioni partis notabilis, de qua proxime dictum est. Porro voluntarie distracti censentur. 1. qui cum ad Missam veniunt, mentem habent negotiis, profanisve cogitationibus gravidam, nec, ut par est, corda sursum habere enituntur; 2. qui licet pie & devote accesserint, mentem, quam alio converti sentiunt, revocare non student.

Quæres 2. an novum committat peccatum, qui Missæ interest in statu peccati.

R. 1. olim exclusos fuisse pœnitentes publicos ab ea Sacrificii parte, quæ ad Consecrationem vergebat: tunc enim altiori voce inclamabat Diaconus: *Exite pœnitentes, exite Catechumeni*. Id autem factum est ex quadam disciplinæ severitate, non ex necessitate rigorosa, quasi Ecclesiæ persuasum foret justitiæ statum ad audiendam Missam prorsus necessarium esse. Unde merito proscripta est hæc Quenelli thesis numer. 89. *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris, est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ*, quæ propositio male infertur ex citata primitivæ Ecclesiæ praxi: 1. quia non omnes peccatores arcebantur a Missa, (cum omnes nec cognoscerentur, nec cognosci possent;) sed ii dumtaxat, qui graviorum criminum palam rei essent; 2. quia non tam a Sacrificio excludebantur ut peccatores, quam ut pœnitentes certis pœnis ad tempus mulctandi; quo pacto ab altari in perpetuum removeri potest Sacerdos etiam emendatus. Et vero quis sibi fingat Ecclesiam credidisse, ex tot pœnitentibus, qui jam in *substratorum* gradu positi, *flentium* & *auditorum* studia decurrerant, nullum esse, qui vera contritione jam Deo reconciliatus esset? 3. quia *consistentes*, necdum ab Ecclesia reconciliati erant, & tamen ad sacri totius auditionem admittebantur; 4. quia status pœnitentium aliquam includebat excommunicationis speciem: atqui excommunicatio privat jure jam habito; ergo peccatores jam ante habebant jus assistendi Missæ; cum eo per præ-

 dictam

dictam Ecclesiæ praxim privarentur. Et vero fidelium quisque eo, quo baptizatus est, jus habet assistendi Sacrificio, quod pro peccatoribus reconciliandis specialiter institutum est, nisi tamen a jure suo per censuras excidat; de quo vide, quæ diximus superiori volumine.

R. 2. eum, qui in statu peccati jacet, novum audiendo Missam peccatem non committere, sed econtra; si pie & attente audiat, ut potest auxilio gratiæ actualis. Unde Tridentinum Sess. 22. c. 2. docet altaris *Sacrificium vere propitiatorium esse; per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata ingentia dimittit.* Objectiones, quæ contra peccatorum orationem proponi possent, diluimus Tom. 1. ubi de Orat.

Resp. 3. cum Tournely Tom. 1. de Eucharist. peccatorem novi peccati reum esse, *si obfirmata in malo voluntate, & cum actuali affectu peccati, sine debita reverentia, sine ullo de peccatis dolore, vel saltem aliquo desiderio resipiscentiæ, ac divinæ gratiæ obtinendæ, Mysteriis nostris interfuerit*. Ratio est 1. quia Christiani Missæ adstantes, & Sacrificium quadantenus offerunt, & ipsi in Sacrificium spirituale offeruntur. Offerunt quidem, ut publico Ecclesiæ Ministro quodammodo cooperantes, suamque intentionem ejus intentioni conjungentes: quod & indicant hæc Sacerdotis verba: *Orate fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat, &c.* hæc item; *Memento Domine ... omnium circumstantium .... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*. Offeruntur vero, prout egregie docet Sanct. Augustinus Lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. juxta quem *in ea re, quam offert* Ecclesia, & *ipsa offertur*: atqui utraque hæc oblatio Deo ingrata est, si fiat a peccatore, qui nullum de peccatis suis dolorem, aut saltem ab iis resipiscendi desiderium gerat. Hic certe, si alicubi, locum habet id Scripturæ: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*; & ita longe ut nedum de placandò furore meo cogitent, habitu quasi continuo novas iniquitates meditentur.

2. Ex Bellarmino Lib. 2. de bonis operib. capit. 6. peccator, qui *non cupit gratiam conversionis, nec ex animo illam petit, orationem Dominicam recitando, non solum nihil impetrat, sed etiam ejus oratio fiet in peccatum, cum in singulis fere petitionibus mentiatur. Quomodo enim potest dicere*: Pater noster, *qui non vult esse filius?* & sanctificetur nomen tuum: *per quem nomen Dei assidue blasphematur*: *Et* adveniat regnum tuum: *qui nihil magis, quam adventum Domini timet, &c.* ergo a pari, qui nequidem nascens resipiscendi a peccato desiderium habet, dum Missæ adest, minus ut precetur, quam ut insultet, nova se labe coinquinat. Et vero fingere mihi non possum, quin homo reus mortis, coram judice enixius urgente ut veniam petat, exeat dignior graviori pœna, si dum exterius supplicis personam gerit, nihil intus cogitat de flectendo judice, imo potius ejusdem denuo offendendi consilium.

3. Si abjiciat Deus eorum munera, qui ad altare accedunt, necdum tentata sua cum iratis fratribus reconciliatione; an ad eorum munera respiciet, qui ne quidem pedem movent, ut cum eo in tempore reconciliationis reconcilientur? *Quomodo* igitur, *cum Dominus adest in mensa*

non

non oportet adesse famulos, qui offenderunt, nisi veniam petant, ita hoc quoque cum offertur Sacrificium. Verba sunt S. Chrysostomi.

Neque tamen ab audienda Missa deterrendi sunt peccatores etiam obdurati; sed agendum ut spiritum meliorem induant, & sanctissimam religionis actionem, ea, qua decet, pietate exerceant. Quin & si non respectu humano, sed ex sincero servandæ Ecclesiasticæ legis desiderio Ecclesiam frequentent, palam est eos moveri quodam Dei timore, qui sapientiæ initium esse possit. De hac materia fuse disserunt Nat. Alexander art. 6. Reg. 9. & auctor Collat. Lucion. q. 58. pag. 189. uterque vero mortalis peccati reum facit peccatorem, de quo agimus. Hærere videntur Henricus a S. Ignatio, cum ait *graviter peccare, saltem in linea peccati venialis*, eos *qui cum peccati mortalis affectu, sive eo non deposito, Missam Dominicis, & Festis diebus audiunt*. Legatur & Pontas v. *Messe cas.* 45. Tom. 2. p. 124.

Quæres 3. quæ potior sit Missæ audiendæ ratio.

R. Eam cœteris præstare, qua tacite & mentaliter sequimur Sacerdotis actionem, & orationes. Neque hæc est ardua methodus, cujus plebs incapacem se credere debeat. An enim difficile est, ut dum Sacerdos *in plano* peccata sua confitetur, tu tua sincero doloris actu detesteris? Dum gloriam Deo in Excelsis peroptat, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis; tu nomen Dei laudes, eique de acceptis beneficiis gratiam referas? Dum ille Epistolam, & Evangelium recitat; tu verbum Dei petas a corde tuo vacuum non reverti? Dum offert dona, tu corpus, animam, & passiones, eo quo voluerit modo immolandas offerre coneris, & sic ab initio ad finem & Sacerdotis, & Victimæ oblatæ spiritum ingrediaris.

Quia tamen nonnulli imaginationis suæ parum compotes, nisi eam quadantenus illigent, animam gerunt alio facilius avolantem, suadet author Collat. Andeg. ut hi preces legant, quas legit Sacerdos, id est, ut Ordinarium Missæ pie, & attente pervolvant. Id quidem improbant aliqui; sed jam eo usque Ordinarium illud in innumeris Libris saniorum etiam Præsulum jussu editis habetur, ut qui id redarguunt, Pastores suos redarguere, & capere videantur.

Qui vero legere nesciunt, vocales preces, aut B. Virginis coronam percurrant, habita nihilominus identidem ad actiones Sacerdotis attentione. Ita idem Collator Andeg. Tom. 2. p. mihi 138. an per Missæ tempus Officium recitari, vel impositæ a Confessario pœnitentiæ satisfieri possit, prout censet mox citatus auctor, utcumque expendi tum in Tractatu de Religione, tum in Tract. de legib. cap. 5. a. 1. sect. 5. punct. 3.

CONCLUSIO IV. Triplex est legitima Missæ non audiendæ ratio; impotentia, charitas, & Officium. Incertum an his addi possit consuetudo; sed certo certius addi plures causas, quæ addendæ non sint. Conclusio habet quinque partes.

Prob. 1. pars. Impotentia vel est physica, quæ vinci absolute nequit, vel moralis, quæ vinci quidem potest, sed non sine gravi & periculosa difficultate: atqui utraque excusat. Prima quidem, quia de ea saltem intelligitur tritum istud: *Ad impossibile nemo tenetur*. Secunda vero, quia non obligant teneræ matris Ecclesiæ præcepta cum gravio-

 ri

ri incommodo. Quia tamen hìc annexum est Ecclesiastico præcepto præceptum naturale, qui Sacro interesse nequit, tenetur id Oratione, lectione pia, Rosarii recitatione, internis animi affectibus, aliisque ejusdem generis, Missæ defectum compensare, secundum id Augustini Serm. 367. alias Serm. 25. de tempore: *Qui vero hoc, ad Ecclesiam venire non possit, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo . . . reddere pensum servitutis.*

Hinc audire Missam non tenentur 1. incarcerati, detenti lecto, aut domi seu juste seu injuste, navigantes in mari, aliique quotquot vel Sacerdotem non habent, ut in quibusdam infidelium terris, vel habent interdictum a divinis, aut ipsi interdicti sunt; quia id non possumus, nisi quod possumus sine peccato.

2. Qui Sacro interesse non possunt sine gravi, eoque non chimerico, sed reali, vitæ, honoris, aut bonorum periculo. *Vitæ*, ut si languidus e morbo, recidivam metuas; si pestem, si mortem a sicario per viam verearis. *Honoris*, ut si puella, quæ bonum nomen habet, nec alibi delitescere potest; templum adire nequit, quin se gravidam prodat, aut si raptum timet. Addunt aliqui, si personis nobilibus desint vestes statui suo decentes, aut is comitatus, quem exigit personæ splendor. Sed, ait Henno, præcipua nobilitas est vita Christiana. *Bonorum*, ut si domus, vel oves ob furum vel hostium incursus deseri non possint: si a sociis itineris, qui Missam audire nolunt, discedere non possis propter ignorantiam aut pericula viarum.

Sed hìc quædam notanda, 1. contra Suarem Tom. 3. in 3. p. D. Thomæ disp. 88. sect. 6. infirmum, qui debitis ad recuperandas vires mediis non uteretur, excommunicatum item, qui a censuris absolvi non satageret, reos fore non audiendo Missam, quia qui ad legem tenetur, tenetur & ad removendos legis exequendæ obices.

2. Cum eodem Suarez eum, cui ex privilegio concessum esset interdicti tempore audire Missam, ad eam obligatum iri, quia cessante impedimento præceptum vires resumit. Et vera, quis neget hominem vinculis detentum teneri ad Missam, si ei ex gratia concedatur libertas diebus Festivis? Eadem de causa ad Missam teneri puto infirmos, qui jus habent, ut ea coram se in cubiculo celebretur; videtur enim indecentia per bonum opus compensari; neque approbarem, quod docent aliqui, eum qui nonnisi stipendio Sacerdotem accersere potest, ad id non teneri; (nisi tamen a longe non sine gravi sumptu advocandus esset Sacerdos,) quia peccat, qui non facit id, quod facile, & commode potest.

3. Eos, qui in terra infideli ubi nulla celebratur Missa, sine causa degunt, teneri quamprimum ad Catholicas partes remeare, & tamdiu versari in peccati mortalis habitu, donec eos facti pœniteat. Est autem legitima causa salus animarum, necessitas Reipublicæ, aut utilitas magna. Item mercatoris indigentia, cui, nisi ad infideles identidem divertat, mederi non possit.

Cæterum nemo non videt hæc omnia ex circumstantiis plurimum metienda esse; sic viæ difficultas, & imbrium copia, quæ fœminam una leuca a templo distantem excusat, non continuo rusticum robustum, & toto ævo assuetum aeris inclementiæ excusabit.

Prob. 2. pars, tum quia, ut bene S. Bernardus, propter charitatem convenienter omittitur, quod propter eamdem institutum est; tum quia in

in concursu geminæ legis, naturalis & Ecclesiasticæ, hæc illi, utpote minus gravis postponi debet.

Hinc 1. qui curam agunt infirmi, Missam omittunt meritorie, si ex absentia sua grave eidem periculum immineat; aut si futurum sit ut inde multum patiatur anxietatis. Neque enim ad periculum grave necessum est, ut periclitetur vita, aut morbus notabiliter augeri debeat; sed res ex æquo & bono pensandæ sunt. In dubio an periculosum sit ægrotantem deserere, non censeo deserendum; sicut in dubio an convalescens capax sit Officii recitandi, satius est omittere; prout dixi Tom. 1.

Hinc 2. qui præsentia sua, fures gravem proximi bono stragem, seu incendio, seu devastatione parantes, arcere valet, debet abstinere a Sacro: sicut & is, qui prævidet alioqui futurum, ut qui jam rixari cœperunt, alter alterum occidat, aut graviter vulneret. Quo ex principio consequi videtur, posse quem deesse Sacro, ut perjura, blasphemias, & similia coerceat; vel ut præveniat rixas, quæ ob vetera odia, vel sessionis ordinem & gradum indubie suborirentur. Hæc tamen licet a Soto, Suarez, & aliis compluribus admissa; multum pendent a circumstantiis. Quidni enim homo vere Christianus infimum in Ecclesia locum occupet ad tempus, donec debitam sibi sedem in judicio recuperet? an Puella, quæ scit se a juvene deperdite amari, seque ei indubie futuram peccandi occasionem, possit a Missa paucis expendi, supra ubi de Charitate pag. 332.

Prob. 3. pars. Quod debetur ex officio, debetur ex justitia; ac proinde ex præcepto naturali: atqui præceptum naturale præire debet Ecclesiasticæ legi de audienda Missa: ergo.

Hinc 1. nec miles stationem, nec dux milites tempore prælii deserere possunt, ut Missam audiant: Imo graviter peccarent ambo ob grave damnum, quod inde suboriri posset. 2. idem quandoque dicendum de nutricibus, quas sæpius non decet infantes ad Ecclesiam deducere. 3. de Pastoribus, qui sæpe nec latum unguem a pecoribus recedere possunt. 4. de famulis, quibus per dominos non licet adire Ecclesiam. 5. de opificibus, qui in fusuris ferrariis, aut vitrariis agentes, ab incœpto opere, sine gravi tum sui, tum dominorum jactura discedere nequeunt.

Hasce tamen regulas cum grano salis intelligendas esse per se manifestum est. Sic bubulci, & ovium custodes, nisi aliud ferat omnimoda necessitas, pecora domi continere possunt per tempus Missæ, aut aliam adire Missam in vicinis pagis si possunt, etiam cum aliquo ordinarii somni dispendio, quidquid in contrarium cogitet Suarez. Sic, qui dominis impiis serviunt, quæritare debent religiosiores, qui non negent tempus exercendæ pietati sufficiens: neque hic excusaret lucri majoris intuitus; si enim alibi habeant alimenta, & quibus tegantur, contenti esse debent. Sic demum vitricæ officinæ artifices, alii aliis succedere debent, ut reddentes dominis, quæ dominorum sunt, & Deo, quæ Dei, omnem impleant justitiam. Quod si servi, & operarii, quorum fundus totus est labor, a dominis, quibus necessario adhærent, distineantur, quo tempore, vel Officio vel sacris Catechesibus interesse oporteret, utique immunes erunt, modo mentem, quo meliori poterunt modo erigant ad cœlestia, sed horrende, & cito durissimum erit judicium dominis, qui hac sua agendi ratione quadantenus fidem negant, & fiunt infidelibus deteriores: omni enim Christiano, quempiam in familiam suam adoptanti dicitur, quod ad aliquem III. Reg. 20. v. 23. Cu-

23. *Custodi virum istum, qui, si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.*

Prob. 4. pars. Consuetudinis est quibusdam in locis. 1. ut fœminæ per aliquot post partum dies, etiamsi plene convaluerint, ab Ecclesiæ ingressu abstineant. 2. ut viduæ statim post obitum mariti non exeant e domo, sicque Missam omittant, aliæ diutius ut nobiles, aliæ tempore breviori, ut plebejæ. 3. ut nobiles puellæ, quæ jam nubiles sunt, e maternis ædibus non discedant: atqui, dempta hac tertia consuetudine, quæ evidens est abusus; (tum quia ut bene Suarez, tutius sit, ut filia matrem ad templum comitetur; quam ut sibi relicta maneat domi; tum quia, quibus negatur aditus Ecclesiæ, non negantur inspectio per fenestras, ludi, & spectacula) incertum videtur an prima & secunda consuetudo ab audienda Missa dispensent. Nam 1. affirmant viri graves ut Cajetanus, Sylvester, Navarrus, & qui majoris est momenti, S. Antoninus 2. part. tit. 9. §. 2. quibus juxta Suarem suffragantur *fere omnes Summistæ*, favetque pro priori casu Innocentius III. c. unic. *De purificat.* ubi sic: *Si tamen fœminæ a partu recentes ex veneratione voluerint aliquamdiu* ab Ecclesiarum aditu *abstinere, devotionem earum non credimus improbandam*. 2. assentiri videntur Episcopi, qui non reclamant; imo quorum aliqui, ut S. Carolus in Concilio I. Mediolanensi, sinunt ut viduæ *sint* per mensem, non tamen amplius, *sine Missæ auditione*. 3. exigit usus, a quo quæ recedere vellent, plus probabiliter murmurum, scandali, & suspicionum præberent, quam facerent boni Missam audiendo. Aliunde vero ex adversa parte pugnat Pontas v. *Messe*. cas. 46. ubi nititur 1. auctoritate Concilii Mexicani, quod an. 1585. consuetudinem hanc reprobavit, ipsa consuetudinis natura, quæ cum antiquis Ecclesiæ legibus repugnet, nec ulla transgressionem præcepti compenset utilitate, ad abusus amendari debet, secundum id S. Cypriani apud Gratian. Can. 8. dist. 8. *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem.*

Postremam hanc opinionem sequerer in praxi, sed cum multiplici præcauto. 1. enim non clamarem altis faucibus damnatum iri viduas omnes, quæ patrium morem secutæ abstinuissent a Missa. 2. paulatim edocerem, quam adverseiur consuetudo illa sinceræ charitati in defuncto, qui devota sacri unius auditione juvantur efficacius, quam exteriori quocumque luctus & doloris apparatu. 3. consacerdotes deprecarer in Christo, ut quod adstruerem, & ipsi adstruerent; imo ea de causa recurrerem ad Episcopum si liceret. 4. eximiæ pietatis matronas hortarer, ut induto spiritu virili, cœteris hac in parte prælucerent exemplo, & adversus antiquam superstitionem Christianæ pietatis vexillum attollerent. 5. tandem rebus jam maturis loquerer altiori voce, & quæ secus facere pergerent, facerem extorres a Sacramentis.

SE-

SECTIO SECUNDA.

De aliis pietatis operibus, quibus fideles vacare oportet.

SUppono imprimis præceptum de sanctificatione Sabbati male impleri ab iis, qui sola Missa, quam breviorem invenire queant, contenti, reliquam diem in otio, nugis, colloquiis inutilibus, ludis, aut cursibus transigunt. Quantum hæc ab Ecclesiæ & religionis spiritu abhorreant, aperiunt hæc verba Concilii Turonensis an. 813. Can. 40. *Die Dominica oportet omnes Christianos in laude Dei & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare*. Hæc item Nicolai I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, c. 10. & 11. *Dominico die a labore terreno cessandum, atque omni modo orationibus insistendum, ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem Resurrectionis precibus expietur ...... ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis, & Canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, Oblationes offerre, Memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus*. Idem sanciunt innumera pene Concilia, quorum aliquot videris apud Nat. Alexandrum Reg. 10. pag. 721.

Quoniam vero in his quædam sunt, quæ suadentur ad melius, non autem rigorose præcipiuntur; districtius expendere juvat, quænam his diebus sine peccato prætermitti non possint. Movetur autem difficultas 1. de Actu contritionis; 2. de Actibus Virtutum Theologicarum; 3. de lectione Sacræ Scripturæ; 4. de auditione Verbi Divini; 5. de Officii vespertini frequentatione. Quæ omnia paucis indagabimus. Sit itaque

CONCLUSIO I. Convenit, & necessarium est ut existens in peccato mortali actum eliciat contritionis aut aliquid simile.

Prob. 1. pars, tum ex unanimi pene omnium Theologorum consensu; tum quia congruit Christianum meritorie operari; ac proinde eo, quo potest, meliori modo se disponere ad gratiam, quæ est principium meriti.

Prob. 2. pars, si enim actio illius, qui in habituali peccato degens, Missam audit sine ullo doloris sensu, sine ullo saltem resipiscentiæ desiderio, novum sit peccatum, aut de eo plurimum suspecta, indubie in negotio tanti momenti pars tutior sub præceptum cadit: atqui ex dictis supra, qui positus in peccati statu audit Missam, absque ullo vel sensu doloris, vel desiderio resipiscendi, novum admittit peccatum, aut de eo plurimum & fundate suspectus est; ergo si sibi quantum ad impletionem gravis præcepti consulere velit, necessum est, ut ad Deum recurrat per dolorem, aut resipiscendi desiderium.

CONCLUSIO II. Etsi mathematice definiri nequeat quando præcise elicienda sint Virtutum Theologicarum actus, prout diximus agendo de Charitate, hortandi tamen sunt fideles ut explicitos earumdem virtutum actus Dominicis festisque diebus exerceant.

Prob. quia fideles diebus præsertim Dominicis Deum colere debent atqui Deus non melius colitur, quam fide, spe, & charitate, cum illæ virtutes omnium sint nobilissimæ: ergo.

CON-

Conclusio III. Ad sanctificationem diei Dominicæ necessaria non est sacræ Scripturæ lectio.

Prob. ut vera sit nostra hæc assertio, unum sufficit, scilicet ut merito proscripta fuerit hæc Quenelli propositio n. 82. *Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia sanctarum Scripturarum: damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere*: atqui hæc propositio merito proscripta est: 1. quidem, quia proscripta est ab Ecclesia, ne contradicentem quidem in Orbe toto una vel minima Provincia Ecclesiastica: cum sicubi repugnaverit Metropolitanus, contra eum steterint suffraganei; si econtra refragati sint suffraganei quidam, contra eos steterit cum cœteris suffraganeis Metropolita; 2. quia gravibus de causis proscripta est. Propositio enim, quæ necessarium facit id, quod necessarium non est, imo id quod non raro periculosum foret; propositio, quæ multiplicis Ecclesiæ, ejus præsertim, quæ cœterarum *mater est & magistra*, praxim ut damnosam carpit & reprobat; propositio demum, quæ pluribus Gallicanæ Ecclesiæ Decretis adversatur, jure ac merito proscripta est: atqui talis est allata Quenelli propositio.

Trident.

1. Quidem necessariam facit lectionem sacræ Scripturæ, quasi ea omissa Dominicæ dies sanctificari non possent; & tamen, qui pie Missam, cœteraque Officia audiret, & congruenti tempore divinis intenderet animum, a nemine posset redargui. Et vero nascentis Ecclesiæ fideles dies Festos debite sanctificabant: ii porro novum Testamentum, quod juxta Quenellianos præcipue legi necesse est, nec legebant, nec legere poterant, quandoquidem non statim scriptis traditum fuerit. Quin & per duo & amplius sæcula quædam substiterunt Ecclesiæ absque Scripturis, prout fateri coactus est Arnaldus in modesto Opere, cui titulus: *De la lecture de l'Ecriture sainte, contre les paradoxes impies, & extravagans de M. Mallet*, p. 260. & aperte docet S. Irenæus Lib. 3. cont. Her. cap. 4. his verbis: *Credunt* aliqui populi *sine charta & atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes*. Concinebat multo post Irenæum tempore Augustinus Lib. 1. de Doct. Christ. cap. 39. ubi sic: *Homo fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt*. Accedit, quod semper magna fidelium pars legere nescierit; Gallique & finitimæ nationes per multa sæcula nullam habuerint Bibliorum versionem.

2. Eadem propositio conformiter ad hanc propositionem 79. *Utile & necessarium est, omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere.... sacræ Scripturæ*, necessarium facit id, quod non raro plenum esset periculi. Nihil enim est periculosum magis, quam sinistre interpretari Scripturam, nihil vero frequentius, quam sinistre interpretari id, quod plurimum habet obscuritatis; atqui Scripturam densa nec rara caligine involvi docent & Scriptura ipsa, & Patres, & experientia. Scriptura quidem 2. Petri cap. 3. v. 16. *In quibus* Pauli Epistolis, *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*. Patres vero, quorum alii cum Augustino Lib. 12. Confess. c. 14. exclamant: *Mira profunditas divino-*

divinorum eloquiorum ..... *Deus meus*, *mira profunditas*, *horror est intendere*; quo fit ut teste eod. Lib. de Doct. Christ. c. 13. *Plerumque a sensu auctoris sacri deviet interpres*, *si non sit doctissimus*. Unde rursus Lib. 11. Confess. cap. 2. *Sint castæ deliciæ*, *Scripturæ tuæ*, *nec fallar in eis*, *nec fallam ex eis*. Alii cum Ambrosio in cap. 4. Lucæ agnoscunt, quod *satanas de Scripturis ipsis divinis sæpe laqueum fidelibus parat*: *sic hæreticos facit*, *sic eviscerat fidem*. Hinc Lutherus ipse Scripturam aliquando vocavit *Librum hæreticorum*; & Erasmus in Epist. ad Melanct. de Sectariis temporis sui sibi, ut hodie Janseniani, ad furorem usque contradicentibus pulchre dixit: *Omnes unum occinunt Evangelium*, *sed cujus ipsi volunt esse interpretes*. Suffragatur hic omnium sæculorum experientia; quæ enim hæresis, quæ errorum portenta Scripturam suam esse totam non jactitaverunt? Adde quod quidam Scripturæ Libri & inter alios Canticum Canticorum non parum habeant periculi.

3. Eadem propositio multarum Ecclesiarum ac præcipue Ecclesiæ Romanæ, quæ cœterarum caput est & magistra, praxim reprobat ut damnosam. Nam quarta Indicis Tridentini regula sic habet: *Cum experimento manifestum sit*, *si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur*, *plus inde ob hominum temeritatem detrimenti*, *quam utilitatis oriri*, *hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur*, *ut cum consilio Parochi*, *vel Confessarii*, *Bibliorum a Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint*, *quos intellexerint ex ejusmodi lectione*, *non damnum*, *sed fidei atque pietatis augmentum capere posse*, *&c.* Hæc autem regula a Pio IV. expresse approbata, & confirmata a Clemente VIII. & Innocentio XII. ac demum religiose suscepta a S. Carolo Borromæo, & suffraganeis ejusdem Episcopis septemdecim; hæc, inquam, regula, non in Italia tantum, & in Hispaniis, sed in multis insuper regionibus, quæ pietatem colunt, assidue observatur. Impetita quidem fuit petulanter a Chemnicio, Gomario, aliisque Pseudoreformatis, qui indubie suam Quenello doctrinam gratulati essent: sed *non est speciosa laus in ore peccatoris*. Hanc profecto laudem non meruisset illa tam sublimis ingenii virgo Theresia, quæ, referente Didaco de Yepes Cæsaraugustano Præsule, ejusdem Seraphicæ matris Confessario, puellæ cuidam postridie ad novitiatum admittendæ, & interroganti an sua secum afferre deberet Biblia, respondit: *Biblia! o Filia*: *nec te volumus*, *nec tua Biblia*. Quid ergo, inquies, legi volebat S. Theresia? Catechismum. *Hic est*, inquiebat, *Liber*, *quem volo ut Moniales meæ noctu diuque legant*; *quia Lex Domini est*. Ita refert & probat Thomas Du Jardin in Universitate Lovaniensi Doctor, ex Ordine FF. Prædicatorum, in Opusculo cui titulus: *Notæ in propositiones Paschasii Quænelli*, ad proposit. 83.

4. Demum eadem propositio pluribus adversatur Ecclesiæ Gallicanæ Decretis, quæ jam ab Albigensium temporibus Scripturæ lectionem vetuerunt, quoties id judicarunt expedire. *Prohibemus etiam*, ajunt Concilia Tholosæ an. 1119. & 1229. *ne Laici libros veteris Testamenti aut novi habere permittantur*. *Biblia Sacra*, ait Narbonense Concilium an. 1609. c. 3. *idiomata Gallico conscripta legere*, *aut domi retinere nemini liceat*, *nisi ab Episcopo*, *aut Vicario ejus generali expressa in scriptis obtenta licentia*. Idem statuunt Concilia Bituricense an. 1584. Aquense an. 1585. Burdigalense an. 1624. & alia sive apud Gallos, sive apud exteros plura.

Quæ-

Quæro autem an tot Conciliorum Patres ignoraverint jura fidelium ; an damnosam erga eos agendi rationem tenuerint ; an crediderint se Christianis *os Christi obturare* ; an quasi artis regendarum animarum rudes, & imperiti Quenellianis lectionibus indiguerint.

At, inquiunt, sacra Scriptura continet Testamentum Dei ad nos ; unicuique autem necessum est, ut legat patris sui Testamentum.

R. 1. Hinc reprobari praxim virorum Apostolicorum, qui, ut supra vidimus, Ecclesias quasdam non per aliquot annos, sed per plura sæcula *sine charta & atramento*, idest sine Scripturis reliquerunt.

R. 2. Scripturam esse Testamentum Dei ad Ecclesiam, non ad quoscumque indistincte fideles, nisi hoc sensu, quod eis ejusdem Testamenti Summam explicari necessum sit. Et vero an non provide aget tutor, qui sentiens futurum ut pupillus ex paterni Testamenti lectione turbetur, & quandoque detrimenti plurimum ferat, lectione hac eumdem privat, nihil interim celans eorum, quæ ipsi plane necessaria sunt ? atque hinc sane Facultas Parisiensis merito proscripsit ann. 1527. quinque Erasmi propositiones, Quenellianis non absimiles ; & an. 1567. Versionem Renati Benedicti, qui asserebat *Scripturam sacram quasi ex necessitate ad salutem ab omnibus legendam esse*.

Fatendum tamen cum Ethica amoris tom. 2. pag. 142. n. 288. invaluisse usum *in Gallia & Belgio, ut Biblia vulgari idiomate legi permittatur a Laicis piis* ; atque utinam a piis tantum, qui sane Salomonis Canticum cum Tibulli & Catulli obscœnitatibus non compararent, prout comparatum vidi & legi. Interim, pergit Henricus a S. Ignatio, *Pastores & Confessarii* lectionem hanc *permittere non debent in versione corrupta, & nonnisi iis, de quibus moraliter constat, quod non abutentur*. Ubi nota plerosque eorum, qui tantopere Scripturas legis præcipiunt, id præcipere unum ut legantur in Versionibus, quæ non Scripturam ipsam, sed loco ejus errorem propinant. Inde ubicumque disseminata versio Montensis, quæ tot scatet erroribus ; inde vitiaca R. P. Amelotii versio præsertim in editione an. 1733. de quo consule Præfationem appositam editioni an. 1738. & 1741. apud Viduam Mazieres. Inde demum multo totius ad Scripturæ lectionem hortabatur Chrysostomus : quia cum ea græca lingua legeretur, exulabat periculum infidis versionibus annexum.

Conclusio IV. Diebus Dominicis Fideles tum Concioni tum Vespertinis Officiis interesse debent : est communis.

Prob. utraque pars, 1. ex Concilio III. Mediolanensi, tit. de Festorum dierum cultu, ubi sic legitur : *Ut ii dies omni pietate & religiosius colantur, hæc crebro populum Parochi & Concionatores admoneant, atque hortentur ..... ut concionem mane ...... audiant. Ut divinis Vesperarum præsertim Officiis præsentes pie religioseque adsint, &c.* 2. ex Concilio Aquensi an. 1585. eod. tit. ubi sic : *Doceantur populi .... præsertim ut præter Missam, quæ sine gravissimi peccati pœna prætermitti non potest, præter Vesperas item, quibus fidelem quemque nisi impeditum, interesse maxime convenit, in Doctrinæ Christianæ rudimentis omnes tam mares, quam fœminæ, tam viri, quam pueri, vel perdiscendis si illa ignorent, vel aliis perdocendis versentur* ; 3. ex Concilio Remensi ann. 1583. tit. de dieb. Fest. quod sic habet : *Diebus Dominicis & Festis in suas Parœcias populus conveniat, & Missæ, Concioni, ac Vesperis intersit*. Plura congerere superfluum fuerit in re ubique præscripta.

Quæ-

Quæres an & quale committat peccatum, qui Vesperis non interest, cum posset.

R. videri eum venialis peccati reum; quia hic quædam apprehenditur obligatio ab iis etiam, qui conscientiæ sunt paulo latioris; unde cum cessante quocumque impedimento Vesperas omiserunt, solent de eo se accusare. Unde etiam discipulos Magistri, filios patres, servos domini ad hæc Officia urgere consueverunt. Haud tamen gravis est hæc culpa, cum nec consuetudo, nec Ecclesiastica lex gravem hic subesse culpam insinuent; quin & citata Synodus Aquensis utitur voce *convenit*, quæ grave præceptum excludit; licet in contra facientibus tacite arguat negligentiam, quæ ab omni culpa non vacat.

Cæterum supponimus eos, qui Vesperis non intersunt, absentiam suam aliis virtutis operibus compensare. Graviter enim intra lineam venialis peccaret, qui mediam diei partem in otio, vanisque confabulationibus tereret, ut ii faciunt, quibus quæcumque occasio legitima est ex se divinis ab Officiis dispensandi causa.



TRA.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS SECUNDÆ TABULÆ DECALOGI.



XPLANATIS pro modulo superiori in Tractatu primæ tabulæ præceptis, quæ Deum ipsum intuentur, superest, ut de iis dicamus, quæ ad proximum spectant, quæque secundæ tabulæ præcepta nuncupari solent. Cum autem eo materiarum ordine, quem Deus ipse constituerit, potior nullus esse valeat, operæ pretium est ut eidem incunctanter adhæreamus. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

De quarto Decalogi Præcepto.

QUartum Decalogi Præceptum iis redditum est verbis Exodi 20. v. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, seu in præsenti sæculo, si id saluti expediat; seu & præsertim in futuro, ubi Deo dante fruemur *terra excelsa, terra nova, terra viventium*, terra, quæ mitibus promittitur, Matth. 5.

Etsi vero patris & matris nomine ii præcipue intelligendi veniunt, a quibus corporalem vitam hausimus; *in hoc* tamen *præcepto*, ait apposite S. Thomas, *intelligitur mandari quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque personæ* superiori, *sicut secundarium includitur in principali*. Hinc etiam nomine parentum intelliguntur 1. Ecclesiæ Pastores, qui exemplo Apostoli 1. Cor. 4. *in Christo Jesu per Evangelium* genuerunt nos, plerumque in sudore vultus sui, in laboribus multis, in vigiliis &c. 2. ii, qui Reipublicæ præsunt, seu suprema polleant auctoritate ut Reges, seu precariam habeant ut Regum vicarii Magistratus; 3. qui legitimam in alios jurisdictionem, quæcumque ea sit, exercent, ut viri in uxores, domini in mancipia, heri in famulos, tutores vel Pædagogi in pupillos aut discipulos; 4. qui ex ipsa, quam adepti sunt, provectiori ætate, nonnihil superioritatis habent: hine illud nec satis pensatum Levit. 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis*. Horum omnium præcipua, quæ difficultatem parere valeant, nec alibi a nobis discussa fuerint, exponemus in præsenti.

S. Thom. 2. 2. qu. 122. art. 3. ad 2.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De mutuis patrum, ac filiorum obligationibus.

DUO hic, ut primo intuitu patet, investiganda: 1. quid filiis parentes; 2. quid parentibus filii reddere teneantur.

SECTIO PRIMA.

De obligationibus parentum erga liberos.

COnstat in primis parentes totum id debere filiis suis, quod unusquisque proximo debet; cum neminem fere filiis ipsis propinquiorem habeant: quoniam vero vel ipsa naturæ vox plenis faucibus clamat officio suo defuturum patrem, qui in gratiam propriæ prolis nihil præstaret amplius, quam in extraneorum gratiam, idcirco expendunt Theologi, quid præcise liberis suis debeant parentes; qua de re fit

CONCLUSIO I. Parentes temporales filiis suis curam exhibere tenentur.

Prob. Temporalis liberorum cura duo exigit, 1. ut avertatur ab iis corporale detrimentum; 2. ut iis suppeditentur ad vitam necessaria: atqui parentes filiis suis utrumque debent, tum Jure naturali, quod abunde monet, ut quibus vitam dederis, iis vitam conserves, alioqui immanitate superaturus feras ferissimas, quæ fœtus suos nutriunt, & qua omni possunt ope, ab extraneis insultationibus tuentur: tum Jure seu civili seu canonico. Civili quidem ut videre est Leg. 1. 2. & 3. Cod. *De alendis liberis*: Canonico autem ut patet ex cap. 14. dist. 30. quod desumptum est ex Concilio Gangrensi an. 324. ubi sic legere est: *Si quis dereliquerit proprios filios suos, & non eos aluerit ... sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema sit.*

Hinc graviter peccant parentes 1. qui, quantum moraliter fieri potest, non cavent quid liberis, præsertim cum pueruli sunt, & quasi lactentes, eveniat mali; puta ne lusci, claudi, vel aliter difformes fiant; ne noceant sibi nimio ploratu; ne cadant in ignem vel aquam; ne vorentur a belluis quandoque etiam domesticis; ne in eodem secum lecto dormientes suffocentur; quæ ultima, ni fallor, etiamnum pœnitentiæ publicæ subjacent Cœnomani, & multis in Diœcesibus reservatum casum constituunt. A fortiori peccant gravidæ matres, quæ immania ferunt onera, immoderato labori vacant, currunt, saltant, bibunt vel comedunt nociva non sine gravi temporaneæ, ac perpetuæ infantium salutis dispendio. Item patres, qui cum periculo fœtus, conjuges percutiunt, vexant, ærumna & dolore afficiunt: aut qui purificationis vel menstrui tempore accedunt ad uxores; unde fit ut proles si non portentosa, saltem infirma vel distorta nascatur. Quale autem peccatum in utroque hoc posteriori casu committant, expendam infra.

2. Qui victum, vestitum, habitationem, medicamenta tempore morbi, imo post mortem congruentes funeris impensas, & preces pro defunctorum requie filiis denegant. Item, qui iisdem non provident in futurum, (saltem cum mediocri diligentia, quæ sola sufficere creditur, nisi forte majorem requirant urgentiores circumstantiæ) seu edocendo per se vel alios

alios artem vel opificium unde vivant, seu congruas opes iisdem præpa-
1. Cor. 12. rando: *non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*: quod utinam plures tam pura præstent manu, ut nec proximo noceant, nec in egenos fiant immisericordes.

3. Qui ut sumptibus parcant, aut majorem habeant boni deglutiendi copiam, infantes suos exponunt; neque tunc deest restituendi obligatio. *Qui* enim *filios etiam per adulterium vel fornicationem acquirunt, sed ad occultationem peccati, & ad tollendum scandalum mittunt ad hospitalia, tenentur illos alere expensis suis, & eis providere, si possunt*, ut docet S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 14. & ex eo Pontas V. *Restitution*, cas. 159. ubi animadverte parentes non posse prolem legitimam absque gravissimo peccato exponere citra extremam aut vere gravem necessitatem, prout docent alii cum Grandino ubi de Religione pag. 148. qui vero seu criminis occultandi, seu inopiæ causa filios exponunt, observare debent locum, tempus, ac circumstantias, quin & signo aliquo efficere ut prolem deinceps agnoscant, quo instirutioni ejus provideant, si pinguior sibi fortuna obtigerit. Certe, qui plures diversi sexus exponunt, vereri debent, ne frater sororem ducat.

4. Qui competentem filiæ nubere volenti dotem negant. Ampliat id Bonac. disp. 6. in Decal. qu. unic. punct. 6. §. 2. etiamsi filia sive major sive minor annis 25. invito patre nubat, aut nubat indigno, ei nempe cui vel ob depravatos ejus mores, aut vilitatem generis, vel bonorum aut status disparitatem, nonnisi indecore nubere possit. Verum in Galliis magna opus est distinctione: etsi enim tenetur pater (& mater patre non valente) idque Jure naturali filiam dotare, quia dos locum habet alimentorum, quæ pater proli suæ debet; si tamen filia, spreto patris consensu, cuipiam nupserit, jam excidit a jure dotis, & exhæredari potest; nisi puella annis 25. major, (aut filius major annis 30.) consensum paternum humiliter sed frustra requisierit; hoc enim in casu pater ad præstandam dotem tenetur, licet de ea in Provinciis, ut ajunt, consuetudinariis, judicialiter conveniri non possit: unde tunc supplex paterni consensus requisitio exhæredationem impedit, sed non tribuit jus civile dotis hic, & nunc exigendæ; ita saltem docet Auctor Collat. Andeg. Tom. 3. de Matrim. p. 99. edit. 1741. Verum extra rem fuerit his, quæ pendent a locorum usibus, & varia variis ex circumstantiis temperamenta indubie requirerent, fusius immorari.

5. Quod de dote nupriali dictum est, de dote tum ad ingressum Religionis, tum ad Clericalis status professionem dictum censeri debet, ut docet Pontas V. *Dot*, cas. 6. neque tamen hic necessaria est, ut in causa nuptiarum, ea paternum consensum inquirendi ratio, quam gallice dicimus, *sommations respectueuses*. Hinc anno 1718. judicatum est a Curia Burdigalensi licitum esse puellæ annis 25. majori ingredi Religionem; ejusque patrem de pensione Novitiatus, eleemosyna dotali, cœterisque id genus impensis omnino teneri. Ita Ferriere V. *Sommations respectueuses*.

6. Et ii quoque graviter contra propriæ prolis curam delinquunt, qui post primæ uxoris fata ad secundas nuptias transvolando falsa cudunt inventaria, ut filios ex priori conjugio susceptos *legitima* defraudent. Item, qui tot erogant bona in pias fundationes ut jam non possint pueris suis decenter providere.

Hic quædam notanda. 1. nomine filii intelligitur etiam illegitimus: is enim ut qui etiam vere filius sit, jus habet ut sibi a parentibus vita conservetur.

vetur. Idem est de filio, quem Princeps proscripserit, aut excommunicaverit Ecclesia. Neutra enim potestas Juris naturalis obligationem perimit: Quin & filiorum nomine veniunt filiorum uxores; pater enim non solum filiis alimenta præbere, sed etiam filios in sustinendis, quæ sibi incumbunt, oneribus adjuvare tenetur: porro filii est onus ut uxorem suam alat.

2. In filiorum nutritione aliæ sunt patris, aliæ matris partes. Siquidem mater ex L. *Nec filium*, C. *De patria potestate*, filios tertium ad usque annum alere debet, seu per bonam nec morbo infectam nutricem, seu per se ipsam, nisi obstet infirmitas, aut gradus splendor. Cæterum, quæ filios non lactat, cum potest, communiter judicatur venialis peccati rea, non obstante *prava*, quæ in contrarium *surrexit*, consuetudine, c. 4. dist. 5. quod desumptum est ex Responsionibus S. Gregorii ad interrogationem S. Augustini Anglorum Episcopi, an. 603. Quod ad Patres attinet; eorum est triennes jam filios alere: quod nisi fecerint, reddit onus illud ad matrem, & in ejus defectum ad avos aliosque ascendentes, leg. pen. ff. *de lib. agnosc* Si mater post prius triennium aliquid expenderit pro infante, poterit a patre repetere, L. *Nec filium*, C. *De patria potest*. Ita Cabassut. L.6. Theor. & prax. c. 1. non ita prorsus sentit Layman Juris Cæsarei scientissimus, quem, ne rei, pro locorum usu varia esse potest, immoremur diutius, consule L. 5. Tract. 10. p. 3. c. 5. n. 6.

3. Non debet pater alimenta filio, si huic sufficientia bona suppetant; aut artem calleat, modo sibi non indecoram; aut officio provisus sit, unde vitam suam sustentare valeat; denique si filius mentis sit adeo ingratæ, animive tam flagitiosi ut secundum jura exhæredari mereatur. Cabass. ibid. n. 10.

Quæres 1. an pater teneatur reddere alimenta filio, qui aliunde vixit.

R. Si filius ut viveret, debita contraxerit, hæc a patre solvenda esse, ut quæ contracta fuerint nomine patris, quem supponimus filio alimenta debere. Si vero, quis filium volens enutrierit, nihil est, quod pater filio refundere teneatur: quia pater alimentum debens, non debet alimenti pretium ei, qui aliunde habuit unde viveret.

Quæres 2. an hæredes vel donatarii parentum, istorum filios alere teneantur.

R. Ad 1. affirmat. Unde si pater filii spurii dederit bona sua Monasterio, in quo professus ipse fuerit, quod certis in locis licitum est. Monasterium de alimentis filio providere tenebitur. Ita docent Bartholus, Socinus, Panormitanus, aliique Juris Doctores ex variis Legibus. Et vero æquum est, ut potissimum ac naturale patris onus ad eos devolvatur, qui eidem successerint in bonis. Hinc

R. Ad 2. æquitati consonum esse, ut donatarius filios etiam spurios benefactoris sui alere compellatur: neque enim præsumi potest patrem naturali officio deesse voluisse. Unde si Petrus probare non possit se filium esse Titii, sed id probabiliter cognoscat Joannes Titii donatarius, indubie pro rara, & modo cognitionis Petrum juvare tenebitur.

CONCLUSIO II. Parentes sedulam Christianæ filiorum suorum institutioni manum admovere tenentur.

Prob. 1. quia ex Apostolo 1. ad Tim. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Eph. 6. *Educate illos in disciplina, & correptione Domini*. Eccli. 7. *Filii tibi sunt, erudi illos & curva ab adolescentia sua*. Quæ quidem attentis sæculi depravatione, & puerorum neglectu, fletibus magis indigerent, quam commentario.

Prob. 2. quia non alio fine matrimonium ad Sacramenti dignitatem evectum est, quam ut nata proles renascatur Christo, renata eat de virtute in virtutem, & tandem ad æternæ fœlicitatis portum deveniat: atqui varii ii fines obtineri non possunt sine Christiana, eaque sollicita & jugi filiorum institutione. Cum enim nec tenella voluntas, nec alia quævis, media vitium inter & virtutem consistere queat, sed ad malum tota prona sit, dubio procul in peccatum proruet, nisi potenter, & pene invita flectatur ad bonum; porro, *quo semel imbuta fuerit, servabit odorem testa diu*. Hinc celebre illud, nec terribile minus oraculum Spiritus Sancti Prov. 22. 6. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*: hinc iterum S. Chrysostomus hom. 9. in Epist. 1. ad Tim. *Non parvi meriti est indultos a Deo liberos ad ipsius exercere militiam, eique ab ipsis infantię pannis dedicare: nam si ejusce educationis fundamenta jecerint, magnis afficiendi sunt præmiis; quemadmodum si neglexerint, magnis cruciatibus*: ergo.

Ut autem spiritualis parentum erga filios obligatio, articulatim & quasi anathomice dissecta facilius percipi ac retineri possit, juvat hanc ad certa quædam capita revocare. 1. itaque solliciti esse debent ut pueri, quam primum salutari baptismatis lavacro regenerentur; utque in forma certiori baptizentur, quos ob periculum, præproperam festinationem, aut inscitiam obstetricis vel alterius, in forma dubia contigerit domi baptizari.

2. Curandum ut pueruli statim ac fieri potest, Orationem Dominicam, Angelicam salutationem, & Symbolum Apostolorum addiscant, non ut psittaci, qui sonos reddunt, & nihil ultra, sed ut homines ad Dei cultum sensim efformandi. Quod ut fiat, paulatim edocebuntur, se alium quem non vident, habere patrem; patrem hunc regnare in cœlis, quos pie ac sancte viventibus præparaverit, &c.

3. Et in id incumbendum, ut, ubi prior affulserit rationis scintilla, ad Deum se per amorem convertant; de quo vide dicta in Tract. de Peccatis.

4. Satagendum ut fidei rudimenta teneant, ut instruantur de agendis, ut mature Ecclesiam frequentent, ut catechismis intersint, & concionibus, ut peccata deponant, ut ad sectandam virtutem ex affectu deducantur, præsertim vero ut a peccato fugiant tanquam a facie colubri. Huc faciet nota hæc, nec unquam celebranda satis Blancæ Reginæ vox ad Ludovicum XI *Fili scit Deus, quam tenero te amore prosequar: malim tamen te vita & regno privatum intueri, quum lethalis peccati reum agnoscere*. In idem conspirant hæc senioris Tobiæ ad filium suum monita: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini ... omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in eo permaneant, &c.* Tob. 4.

5. Dehortandi sunt juvenes a fallacibus mundi illecebris, ab amore voluptatis, a terrenorum bonorum cupidine, ab eo omni, quod superbiam, quod amorem sui, quod aliorum despicationem sapit. Monita hæc salutis dabunt parentes occasione seu eorum, qui, ut Salomon, omnia experti voluptatum genera, agnoverunt tandem omnia vanitatem esse, & afflictionem animi; seu tot fortunæ filiorum, qui aspirante Principum aura in altum sublati sunt, ut ruerent graviores lapsu; seu denique tot clara e progenie Sanctorum, qui sponte in hac vita pauperes, cum Christo regnant in æternum; & pro iis, quæ dimisere, centuplum accipiunt.

6. Etsi redargui non possunt, qui alienæ manui filios suos committunt, ut ab

ab ea efformentur: at ii graviter sunt in culpa, qui quem primum invenerint, etsi sæpius incognitum, hac cura donant. Ii item, qui non expendunt an Pædagogi suo, ut par est, officio fungantur, an non labefactent mores eorum, quibus instituendis præpositi sunt &c. Generatim loquendo satius est, ut puer paterna in domo, modo pia, enutriatur; quam ut cum aliis pluribus, quos omnes vel unus inficere possit, convictor existat.

7. Meminerint parentes id Prov. 23. *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit, instanter erudit*, & rursus: *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur, tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*; quia videlicet retrahes a vitiis, quorum si semel habitum contraxerit, vix unquam meliorem ad frugem poterit revocari. Cavendum tamen ne virtus sola verborum ope persuaderi credatur: cum econtra hinc adeo aspera parvulis appareat, ut ad solum ejus nomen exhorescant. Adde, quo repetita verbera animum tandem dejiciant, & obruant: unde Apostolus Coloss. 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant*. Interim videndum simul ne intempestiva lenitate remissius arguatur id, quod severius fuerat ulciscendum. *Heli*, ait S. Chrysostomus ubi supra, *propter filios perit: illos quippe cum acrius corripere debuisset, verbis tantum levibus monuit: quapropter dum illis molestus esse severa increpatione recusat, illos & seipsum una perdidit. Audite hæc patres tam spirituales, quam corporales, vestrosque filios in disciplina, & correptione Domini erudite summa cum diligentia*. Concinit Hieronymus L. 1. contra Pelagianos. *Heli*, inquit, *corripuit filios, & punitus est, quia non corripere solum, sed abjicere debuit*. Lege cap. 4. L. 1. Reg. & tempera a lachrymis, si potes.

8. Pessime filiis consulunt parentes, qui iisdem plenam quælibet frequentandi consortia licentiam indulgent: cum consortia hæc plerorumque juvenum mentes inficiant atque devastent, nec nisi devastare queant: quo referri solet id Psalm. 17. quod tamen alio dictum est sensu: *Cum sancto sanctus eris ... & cum perverso perverteris*. Alia sane mens erat mortalium sapientissimi, cum teneram ac male providam ætatem instituere ac præmonere volens, ajebat: *Fili mi si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Fili mi ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt*. Insistendum vero præcipue ne sexus sexum alterum frequentet: *Sexus fœmineus*, verba sunt Hieronymi Epist. ad Gaudentium, *sexui suo jungatur; nesciat puella, imo timeat cum pueris ludere*. Hinc quibusdam in Diœcesibus sub anathemate vetitum est, ne eidem scholæ puellæ cum pueris intersint: imo ne viri puellas, aut pueros fœminæ erudiant. Extat flebile & recentius ea de re exemplum, quam Abailardi, & Heloissæ.

9. Nec melius provident filiis, qui iisdem Romanensium, ut ajunt, Librorum lectionem permittunt, eo prætextu, quod hinc fiant ad bene dicendum habiliores. Esto enim, quod in iis lectionibus colligant facundiæ flores; quid tum, si pudicitiam perdunt? si quas in aliis laudari vident ambitionis ac vindictæ passiones, in se accendant? si a solido studio ad nænias avolent? Nænias dico, & moderate: quandoquidem, ut in speciali de Libris Romanensibus oratione docuit Carolus Poreus, vir eloquentia facili insignis, modestia insignior & pietate: *Romanensis fabula non historiæ, non geographiæ, non poeticæ, non ipsi parcit eloquentiæ, sed omnia depravat litterarum genera*: Sed de his rursus infra ad sextum præceptum.

10. In id præ cœteris incumbere debent parentes ut pueris bono exemplo sint. Ad quid enim verba, & verbera, si quod utrique docent, dedoceant exemplo. *Dabis*, ait S. Bernard. ser. 59. in Cant. *dabis vocis tuæ voces virtutis, si quod suades, prius tibi illud cognosceris persuasisse. Validior operis, quam oris vox. Fac ut loqueris, & non solum me facilius emendas, sed te quoque non levi liberas probro.* Et vero verba volant, exempla autem diutius præ oculis habentur: aliunde quis serio existimet tam malum esse id, quod coram se perpetrari videt? Hinc graviter peccant contra charitatem, & justitiam scandalosi ii patres, qui coram pueris blasphemant, detrahunt, loquuntur obscœna, ebrietati student, ira & furore abripiuntur, obvices quosque præsertim, e familia sua conviciis impetunt, Ecclesiam raro frequentant, rarius conciones, quas etiam derident, rarissime Sacramenta. Horum filii, si in æternum pereant, ut pereunt sæpius, ingement his S. Cypr. verbis Lib. de lapsis: *Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.*

11. Nec solum invigilare debent pater, & mater, ne malo exemplo noceant proli suæ, sed ne etiam mutuis amplexibus, aliisque ejusdem generis simile quid edoceant. Stupendum quid ea in re de puella vix quinquenni audivi. Curandum igitur ut pueri non in paterno lecto quiescant. Satius utique est ut durius subeant cubile, quam ut a teneris unguibus discant, quæ ignorare licitum, scire nefas. Eadem de causa numquam tolerandum ut frater cum sorore recumbat: inde enim densa oritur seges malorum, quæ prudens, & liberalis Confessarius facile avertet, aliquid impendendo unde egeni parentes miserum lectum comparent.

12. Cavenda filii unius præ cœteris dilectio, ipsis etiam Sanctis pertimescenda. *Israel*, ait sacer textus Gen. 37. *diligebat Joseph super omnes filios suos ..... fecitque ei tunicam polymitam.* Sed quo cessit ea prædilectio? *Videntes fratres ejus, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Neque est, quod regerat pater se alii alium præferre, quod formæ sit elegantioris, urbanioris ingenii, indolis longe blandioris, animi ad scientias multo expeditioris. Eæ enim frivolæ sunt iniquæ agendi rationis excusationes: quia filius quocumque sit in statu, non desinit esse filius; imo quo miserior est ratione corporis vel animi, plus indiget ne novis afficiatur ærumnis. Quod distortum habeat corpus, non sui, sed patris vitium est. Quod parciorem receperit ingenii mensuram, tribuendum est providentiæ, quæ quandoque quos salvat hebetes, reprobasset summa animi perspicacitate donatos.

Hinc colliges cum Nat. Alexandro plerumque non expedire ut parentes in bonorum suorum distributione sortem unius alterius sorte meliorem faciant, tametsi id secundum loci leges facere permittantur. Is enim inæqualis parentum amor, & alios præ aliis augendi studium, exitialia sæpe sæpius parit odia filiorum in parentes, & fratris in fratrem. Quidquid ergo leges hac in specie indulgeant parentibus, debent hi meminisse id Apostoli 2. Corint. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Alioqui timendum ne præpostero affectu gravis coram Deo noxæ rei fiant, ipsisque imputentur quotquot hinc oritura sunt filiorum peccata. Eadem fuit patrum, sed Ambrosii præcipue doctrina: hæc ille in L. de Joseph. Patriarcha c. 11. *Frequenter amor patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis; si aut nimia indulgentia dilectum resolvat, aut prælatione unius cœteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc dicitur hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia,*

quos

quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia? Hæc tamen non obstant quin plus quidpiam erogari possit filio, qui id speciali in parentes affectu promeruerit, aut aliis fetiantibus rem familiarem adauxerit improbo labore: quin & is par labori suo stipendium repetere potest, prout dixi tom. 1.

13. Adhuc diligendi sunt filii cum a Deo exules ad vitium flectuntur. Inhærendum vestigiis S. Monicæ, quæ tam crebros totis decem annis ante Deum gemitus pro Augustino fudit, ut non posset *filius istarum lachrymarum* perire: qua de re legatur S. Doctor lib. 2. Confess. cap. 1. n. 10. &c. Quod si filius, prodigi instar, ad se reversus sanctiorem viam ingredi cœperit, ea debet benignitate suscipi, quam expressit Christus in parabola filii prodigi, quam videris Lucæ 15. De his, qui plura optaverit consulat Gallicas Instructiones Josephi Lambert.

SECTIO SECUNDA.

De officiis liberorum erga parentes.

HAud quidem necesse fuit ut Deus filiorum amorem præscriberet parentibus, qui ut in sui, sic & in amorem prolis nativo quodam pondere proferuntur: at pietatem in parentes filiis præcipi necesse fuit, quia filii complures huic officio desunt. Etsi autem plurima parentibus debent filii, ea tamen ad quatuor capita revocari solent; quæ ut plenius intelligantur, sit

CONCLUSIO I. Filii sincerum amorem, & exteriora ejus signa debent parentibus.

Prob. 1. quia exigit natura, ut eos sincere diligamus, qui nobis plura, majoresque momenti bona contulere: atqui in hoc ordine primas tenent parentes respectu aliorum, quos & edidere cum non essent, & impensis curis aluerunt &c. *Memento* igitur, ait Eccl. c. 7. v. 30. *quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi.*

Prob. 2. tum quia parentes speciali ratione Deum repræsentant velut creatorem, conservatorem, ac provisorem munificum; tum quia si proximum quemque, etiam inimicum amare debemus, quanto magis eos, qui tam propinqui sunt nobis, ut nemo propinquior esse possit?

Hinc peccant graviter 1. qui parentes interius oderunt, vel aspernantur; de temporanea vel æterna eorum salute nihil anxietatis habent, non curant mature muniri Sacramentis; testamenta vel negligunt vel differunt exequi; preces, & sacrificia mortuis denegant. Item, qui de eorum adversitate lætantur, de prosperis dolent, infortunia optant, aut, quod deterius est, ipsam mortem, quo citius ab eorum monitis, aut diuturna cura liberentur, aut demum eorum fruantur hæreditate: & hæc odii circumstantia in confessione aperiri debet, quia peculiarem habet pietati repugnantiam. Merito igitur proscripta est ab Innocent. XI. propositio hæc feralis: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

2. Qui, etsi parentes diligunt interius, si tamen verus is amor est, eosdem tamen affligunt exterius, torvis oculis intuentur, & alloquuntur tam aspere; gestuque, qui adeo contemptum spirat, ut eos odisse videantur. In hujusmodi

filios acriter invehitur Spiritus Sanctus Prov. 30. 17. his verbis: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*, & cap. 19. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix*.

CONCLUSIO II. Filii parentibus reverentiam omnimodam debent.

Prob. Reverentia duplex, interior, quæ posita est in recognitione superioris, ac venerabundo quodam ejus timore; & exterior, quæ consistit in signis, quibus interioris animi sensus manifestetur: atqui præceptum honorandi parentes utramque reverentiæ speciem exigit. Quippe ex Eccli. 3. 8. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui genuerunt se*: atqui servus internam, externamque reverentiam dominis debet, & præstat si vere servus est; eosdem agnoscit ut superiores, humiliter & modeste alloquitur, assurgit iisdem, caput aperit: ergo a pari.

Contra hoc pietatis officium graviter peccant. 1. qui parentes percutiunt, cujus sceleris nequitia patet ex illo Exod. 21. *Qui percusserit patrem suum aut matrem morte moriatur*. Neque excusat a mortali levitas percussionis, ob conditionem personæ; qua etiam de causa non esset a gravi noxa immunis, qui manum attolleret ad percutiendos parentes; etiam sine animo percutiendi, quia esset hoc gravis irreverentia. Aliter dicendum ex Covarruvia, si id faciat filius ad legitimam sui, Principis aut Reipublicæ defensionem.

2. Qui patri vel matri maledicunt, quod etiam Exodi & Levit. 20. sub pœna mortis vetitum est: hanc autem pœnam non raro per se infligit supremus læsæ pietatis vindex, secundum id Prov. 20. *Qui maledicit patri suo vel matri, extinguentur lucerna ejus in mediis tenebris*. Sceleris hujus rei sunt, qui parentes afficiunt verbis contumeliosis, eosdem subsannant, aut deridendos præbent, ad iram provocant, etsi non sequatur ira. Legatur ea de re Gen. caput 9. ubi Cham in se suisque maledictus legitur, quod patrem in somno nudatum, non solum non texisset, sed & fratribus suis propinasset irridendum. Legatur & August. lib. 22. de Civ. Dei c. 8. ubi terribilem maternæ maledictionis effectum describit. De cætero sibi potissimum invigilare debent filii, cum parentes habent præ senio aut aliquo ex casu jam delirios. Certe debitus patri honor non innititur ejusdem virtutibus, quas sæpe nullas habet; sed ipsis naturæ legibus, quas constanter servari necesse est. Hinc Eccl. 3. 14. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius*: *Et si defecerit sensu, veniam da; & ne spernas eum in virtute tua*, & rursus *pro peccato matris*, idest pro matris defectu patienter tolerato, *restituetur tibi bonum &c.*

3. Qui nativitatis suæ obliti parentes egenos agnoscere erubescunt. Si quis tamen se hujus filium profitendo, vitæ, honoris, aut fortunæ bonorum grave discrimen incurreret, posset ortum suum dissimulare. Neque ad id semper requireretur parentum consensus etiam tacitus, ut patet in casu de vitanda morte, aut gravi infamia, ea præsertim, quæ parentibus nihil profutura sit.

4. Qui parentes criminis accusant, quive contra eos testari vellent, quod prohibitum est Leg. *Parentes*, Cod. *De testibus*. Excipiuntur casus tum hæreseos, quam pater disseminaturus sit, tum conjurationis aut proditionis regiæ, quam idem pater meditetur: tunc enim esset is post impensam omnem malo avertendo operam, ante criminis perpetrationem accusandus; quia commune bonum privato bono etiam patris præferri debet. Licet etiam filio judicis opem implorare adversus patrem, qui alimenta filio deneget, eumdem a Religione Catholica avertere moliatur &c.

Cir-

Circa hæc, & similia generaliter supponendum. 1. filios gravi peccati reos esse posse, etiam ex facto levi, aut quod ab omni peccato vacet, ut si coram patre id faciant vel omittant, unde eum ira gravi commovendum esse suspicantur. 2. odium, injuriam, & alia id genus, quæ contra extraneum essent aliquid mediocre, grave quid reputari adversus patrem, ob singularem, quæ ipsi post Deum debetur, reverentiam. 3. quidquid contra extraneum foret peccatum mortale, id duplicem habere malitiam, cum de parentibus agitur, quia ultra virtutem, quam violat hoc vel illud filii peccatum, semper violatur pietas.

CONCLUSIO III. Filii tenentur parentibus obedire in iis, in quibus iisdem subsunt.

Prob. 1. ex Scriptura. Proverb. 1. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*. Ephes. 6. *Filii obedite parentibus in Domino: hoc enim justum est*; & ita justum, ut filius patri ac matri rebellis, Deo mandante, lapidibus obrui deberet, Deuter. 21.

Prob. 2. ex exemplo Christi, qui non tantum Patri æterno obediens fuit usque ad mortem, sed & Mariæ ac Josepho tanquam parentibus *subditur* esse voluit, Luc. 2. Extant præclara obedientiæ exempla in veteri Lege. Sic Isaac patri, a quo immolandus erat, nihil reluctans, nihil interrogans, nihil conquerens obedivit, Gen. 22. Sic Rechabitæ a vino constanter abstinuerunt; quia, ajebant, *Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri in sempiternum*, Jerem. 35.

Prob. 3. quia ubi alter jus habet imperandi, alium obsequi necesse est: atqui pater, & mater jus imperandi habent; cum aliter filiorum curam utiliter gerere non possint: ergo.

Dixi: *in iis, in quibus filii parentibus subsunt*. Subsunt autem 1. in iis omnibus, quæ spectant ad bonos mores, & salutem; qualia sunt abstinere a periculosis occasionibus, a ludis prohibitis, a nocturnis cursibus, a tabernis, a contractibus, qui usuram aut simoniam sapiant. Item catecheses, conciones sacras, Ecclesiam ac Sacramenta frequentare. 2. in his, quæ spectant ad regimen domesticum, pacem, bona, honorem, & decus familiæ. Unde si præcipiat pater ut filius tali hora maneat domi, vel domum regrediatur, ut tali arti vacet, ut aliam non addiscat; ut nihil de familiæ rebus donet; vel distrahat; item ut filia dulces litterulas non recipiat, aut furtim munuscula, vel ut maneat in Monasterio donec nuptui tradatur, erit prorsus obediendum. Imo in casu alienationis rei domesticæ, generali quodam præcepto vetitum censetur, quidquid expresse permissum non fuerit, nisi res levioris sit momenti.

Non subsunt vero parentibus filii in iis, quæ præceptis aut consiliis Evangelii adversantur. Unde filius patri duellum aut pravos contractus imperanti; filia matri comœdias, spectacula, choreasve, pectoris nuditatem, & similia præcipienti obedire non tenentur, secundum id Act. 5. 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Hinc sapienter Augustinus in Psalm. 70. *Ubi*, inquit, *hoc jubet pater, quod contra Deum non sit, sic audiendus est quomodo Deus; quia obedire patri jussit Deus*.

Gravis hic insurgit quæstio, quid parentibus debeant liberi in ordine ad electionem status. Quæstio de iis præcipue statibus movetur, quos, qui semel amplexus fuerit, immobiliter tenere debeat, ut sunt Clericalis status, qua parte Sacros Ordines complectitur, status Religionis, ac demum matrimonii.

Quoad hanc enim vel illam professionem, si æquum est ut filius obtemperet patri, æquum etiam est ut pater non cogat filium; cui ars vel professio (utique nec mala nec indecora respective) in quam naturali quodam impetu propendet, multo succedet felicius, quam ars invisa. Jam ad propositum

R. 1. graviter peccare parentes; qui directe vel indirecte prolem cogunt ad susceptionem status fixi; sive is sit Religionis, vel Ordinum; sive matrimonii status. Ratio est; tum quia non hominis est, sed Dei hominem vocare, quo voluerit; tum quia ex coacta vocatione pessimi quique exitus scaturiunt. Hinc perpetua in matrimoniis odia, odiorumque effectus adulteria; hinc sacrilegia, & scandala in Clericali statu, ac demum in Monasteriis tædium, rebellio, furor, & desperatio. Merito igitur Synodus Tridentina. Sess. 25. de Regular. c. 18. *anathemati subjicit omnes, & singulas personas cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos, Sæculares vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in Jure * expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam Professionem: quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut Professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Haud tamen statim habenda est fides iis, qui se ad statum Monasticum metu vel dolo adactos esse contendunt, sed id sequendum, quod docet Tridentina eadem Synodus ibid. cap. 19. Vide, quæ diximus pag. 71. & seq.

* Vid. c. 18. & 19. De convers. conjugat.

R. 2. peccare etiam parentes, qui cœco liberorum aut sui amore eosdem a Religione, Clericatu, vel matrimonio retrahunt sine causa. Si enim retrahant a Religione vel statu Clericali, jam avocant a meliori proposito, & privant Ecclesiam bonis, quæ iidem parituri erant: proh! quantum Ecclesiæ damnum, si S. Thomas domesticis ærumnis victus a pio Dominicanorum instituto recessisset. Si autem retrahant a matrimonio, imo si diutius consensum suum differant, innumeris eosdem peccatis, si non facti, certe oris, aspectus & cordis exponunt, non animadvertentes *melius* esse *nubere, quam uri*.

Dixi, si retrahant *sine causa*. Possunt enim, imo & tenentur parentes prorsus impedire ne filius ad Ecclesiastica munia ineptus, Clericalem statum ingrediatur; idemque de Religionis ingressu dicendum. Item & obstare debent, ne eam Religionem amplectantur, unde exulant ordo, disciplina, vel Ecclesiæ Catholicæ fides; nisi, quod rarum est, conjici possit futurum ut mala hæc, & cessent deinceps, & Candidatum ab iis corde, & animo distantem non inficiant. Interim sibi suisque sancte consulunt parentes, qui prolis vocationem sedulo examinant, & eorum proposito opponunt se ad tempus, ut probent, an ex sincero crucis ferendæ desiderio Monasterium subire velint; an non ex juvenili levitate, ac volatili fervoris æstu agant.

R. 3. non tenentur, nec possunt filii, quibus de divina vocatione constat, obsequi parentibus, qui Religionem aut Clericatum dissuadeant. Ratio est, quia ut solide docet S. Hieronymus Epist. 1. ad Heliodorum, *Scriptura quidem præcipit parentibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam suam*: porro parentes supra Christum amat, qui ne displiceat iisdem, divinam vocationem abjicit. Merito igitur S. idem Doctor, *Dum*, inquit, *parentes aliquid a te exigunt contra Deum, licet sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te enutrierat, mater ostendat; licet in limine pater*

pater jaceat per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est hac in re esse crudelem. Et vero, ait Petrus Blesensis Epist. 2. *Multi pro parentibus suis animas perdiderunt, quorum occasione mundus, qui in eis aruerat, denuo revirescit .:. Impius est, qui animæ suæ pro parentibus est crudelis, majoremque temeritatem hac nemo habet, quam ut animam suam ponat quis ita periculose pro amicis suis.*

Neque etiam filii parentibus obsequi debent, cum iidem iniqui aliquid præcipiunt vel suadent in ordine ad sacri ministerii functiones, vel Beneficiorum fructus. His, si unquam dicant cum Scriptura *patri suo, & matri suæ, nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos*, respondeant cum S. Bernardo Epist. 111. *Si me vere ut boni, ut pii parentes diligitis, si veram, si fidelem erga Deum pietatem habetis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis?... Vere nunc cognosco quia inimici hominis domestici ejus, in hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnosco parentes, sed hostes: si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum, atque vestrum, imo universorum Patrem.* Hanc, ut norunt omnes, agendi rationem pene infans servavit S. Carolus Borromæus, qui donatus Abbatia patrem suum admonuit, ne Beneficii reditus in rem familiarem converteret.

R. 4. quod spectat ad matrimonium, graviter peccant filii. 1. cum inconsultis parentibus conjugium ineunt. Vult enim Scriptura Eccle. 7. ut pater filiam suam tradat *homini sensato*; quomodo autem tradet, si huic liberum sit, inconsulto patre, ei nubere, quem volet? Et vero matrimonium res est aleæ tam gravis, ut etiamsi filius sui plane juris esset in cœteris rebus, in hac esse non posset. Hinc Tertullianus Lib. 1. ad conjug. *Nec in terris*, inquit, *filii sine consensu patrum recte & jure nubunt.* Hinc etiam Synodus Tridentina Sess. 24. cap. 3. de reform. Etsi eos *anathemate damnat, qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse...nihilominus* agnoscit, quod *sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est.* Quod autem censent aliqui filium, qui uxorem se dignam ducit inconsulto patre, peccare solum venialiter, merito rejicitur a sanioribus Theologis: neque enim, ait Grandin Tract. de Relig. pag. 145. contingere id potest sine gravi contemptu parentum, ne dicam injuria, quando eorum consensus peti potest, nec prævidentur ullum sine justa causa impedimentum allaturi.

2. Cum eam non ducunt uxorem, quam duci præcipiunt parentes, ut vel sopiantur simultates periculosæ, vel magnæ parentum necessitati subveniatur. Ita post Navarrum doctor mox citatus.

Excusantur tamen filii, qui puellam a parentibus propositam rejiciunt, cum ejus nuptiæ nec pacem domus, nec conscientiæ tranquillitatem spondent, ut si moribus sit male compositis, si deformis, infirma, aut talis, quam ex naturali antipatia filius diligere non possit. Item qui sine prævio parentum consensu ineunt matrimonium, quia ab iisdem parentibus tractantur aspere; vel quia parentes ex avaritia consensum denegant, aut filiorum collocationem negligunt, aut ad diuturnum tempus remittunt sine causa, quamquam & id cavendum, ne præ amoris magnitudine videatur diuturnum & prolixum tempus, quod reipsa breve sit. An autem & quibus subjaceant pœnis filii, qui absque obtento vel requisito parentum consensu nuptias contrahunt, expendunt Theologi in Tractatu de Matrimonio.

Conclusio IV. Filii parentibus subvenire tenentur tum in spiritualibus, tum in corporalibus.

Prob-

Prob. 1. ex Eccli. 7. v. 29. *Honora patrem tuum , & gemitus matris tuæ ne obliviscaris... & retribue illis quomodo & ipsi tibi*: atqui parentes in spiritualibus & in corporeis proli suæ provident: ergo & hæc illis in utroque hoc genere providere debent.

Prob. 2. quia subventio prædicta primarius est quarti præcepti finis. Ut enim, ait S. Hieronymus in cap. 15. Matth. *honor in Scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis , quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur....præceperat Dominus vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent etiam in vitæ necessariis ministrandis parentes*. Hinc Christus Matth. 15. & Marci 7. graviter increpat Pharisæos, qui bona a filiis eroganda parentibus, in Corban seu oblationem accipiendo, *irritum* faciebant *mandatum Dei* de honorandis parentibus. Porro, ut notat Augustinus Tract. 119. in Joan. Christus matrem suam dilecto discipulo Virginem virgini commendans *facit, quod faciendum admonet, & exemplo suo instruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus; tanquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quando dicebat: Si quis autem suis, & maxime domesticis non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii*? Merito igitur S. Ambrosius Lib. 8. in Luc. *O fili*, inquit, *quantum tibi sumis judicium si non pascas parentem? Illi debes, quod habes, cui debes, quod es. Quantum judicium si pascat Ecclesia, quos tu nolis pascere?... Si paveris matrem: adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit, non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, &c.* Posterior hæc probatio necessitatem juvandi spiritualiter parentes a fortiori demonstrat. Si enim tanti reus est sceleris, qui patrem corporaliter non fovet, quanti reus erit, qui negliget salutem ejus?

Ex his colliges 1. graviter peccare filios, qui cum animadvertunt parentes blasphema vel impudica loqui, alienum rapere aut retinere, negligere Sacramenta, nullam gerere salutis suæ curam, eosdem amice, modeste, & reverenter non admonent. Multo magis delinquunt, qui iisdem in periculo mortis de prudenti & docto directore non provident, qui non curant ut tempestive Sacramentis reficiantur, qui, quos eorum saluti utiles esse posse norunt, eliminant. Item, qui impediunt ne parentes testamentum condant, stipemve, sacrificia & preces pro æterna sua pace indicant; qui legata eorum præsertim pia, quæ hic & nunc exsolvere possent, vel implere renuunt, vel differunt plus æquo; qui demum bona ab iis male parta apud se retinent.

Colliges 2. reos etiam esse eos omnes 1. qui parentibus graviter egenis vestitum & alimenta denegant, hoc prætextu, quod ostiatim mendicando, aut artem statui suo indecoram exercendo, victitare possint. 2. qui eosdem non visitant cum infirmi sunt, nec eorum sanitati consulunt ad minus ut suæ. 3. qui eosdem cum captivi sunt aut carceribus detenti, liberare non satagunt; eosve cum injuste gravati sunt, non tuentur pro virili. 4. qui eorum exequias secundum facultatem suam non curant. Hæc de filiis etiam illegitimis intelligi debent: & hi enim vere filii sunt; sicut in præsenti vere patres censentur non ii tantum, a quibus proxime trahimus originem, sed avi quoque, proavi, & cœteri ascendentes, prout cum aliis docet Lugo.

Quæ-

Quæres 1. an & ob quam parentum necessitatem teneatur filius ab ingressu Religionis abstinere.

R. 1. Nemo tenetur ab ingressu Religionis abstinere ob communem parentum necessitatem. Ratio est 1. quia hæc necessitatis species habetur pro levi; cum tolerabilis sit eorum conditio, qui licet careant utilibus & commodis, necessariis tamen non carent, sed ea etsi nonnisi serio ac difficili labore sibi comparant. 2. quia ubique receptum est ut filius eo in casu sibi potius, quam alii cuicumque provideat.

R. 2. Debet filius Religionis ingressum omittere, cum parentes ejus sunt in extrema vel gravi necessitate. Extrema quidem, ut si parentes alioqui fame perituri sint: gravi vero ut si iidem vel nonnisi cum notabili legitimi status jactura victitare possint, puta famulando, cum famulari non consueverint; vel non possint sustentari absque magna rerum necessariarum penuria. Ratio est, quia non potest impleri consilium cum præjudicio præcepti naturalis: atqui filius naturali præcepto tenetur opitulari parentibus in extrema vel gravi necessitate positis; idque vel ipsa sola naturæ vox satis clamaret, etiamsi non omnes in idem conspirarent Theologi.

Ampliatur hæc nostra responsio. 1. etiamsi patrum necessitas nondum sit præsens, modo probabiliter credatur futura, talisque, quam filius prævenire & avertere valeat. Et id præsertim locum habet, cum parentes ære alieno gravati sunt, vel onusti puellis, quæ si deserantur, in apertum honoris discrimen venient. 2. etiamsi filius vovisset Religionis ingressum, quia, ut bene Henno, vel vovit, cum jam indigebant parentes, & tunc votum utpote cum præcepto naturali incompossibile non obligat pro tempore tantæ egestatis; vel vovit ante parentum indigentiam, & tunc executio voti propter materiæ mutationem suspenditur.

Quod si, ait Sylvius 2. 2. qu. 101. art. 4. pag. mihi 705. *filius non obstante hac parentum necessitate, Religionem ingrediatur, non licet ei facere Professionem: si fecerit, valebit quidem*, ut docent communiter Theologi, *sed tenebitur egredi, & voti seu Professionis executionem suspendere. quando, si egrediatur, tali patris necessitati poterit subvenire*; cui, *manendo non potest subvenire, & satis certum est, quod per alium non subvenietur: quia debitum adjuvandi parentes præcessit Professionem.*

Quatuor autem, ut filius ab ineunda Religione abstineat, conditiones exigit Henno. Prima est, ut filius in sæculo remanens non sit in proxima peccati mortalis occasione: quia, inquit, quisque spiritualem suam corporeæ parentum saluti anteferre debet. Secunda, ut desint alii, qui possint & velint parentibus candidati succurrere. Tertia, ut vera subsit spes parentibus reipsa subveniendi; ut est communiter in maribus, rarius in puellis, quæ sæpius gravant, quam levent. Quarta, ut Religionis susceptio subventionem hanc impediat. Si enim Religione suscepta parentibus æque ac in sæculo mederi possim, non est cur ab amplectenda Religione deterrear.

Ex his conditionibus sola moram facit, quæ ordine prima est. Censent enim aliqui cum Majore, Grandino, &c. vix tantum esse posse periculum peccandi, ut propter illud excusetur filius a parentum sustentatione; quia aliis modis, v. g. Sacramentorum frequentatione, ruinam suam spiritualem avertere potest: unde se habet ut mulier prægnans, quæ licet gravissimos patiatur concupiscentiæ motus, quos arceret jejunando, haud tamen jejunare debet, si jejunium partui nociturum sit; quia alia suppetunt remedia,

media, quibus prædicti motus reprimantur. In his prudens Confessarius gravitatem tum paternæ egestatis, tum occasionum peccandi, quibus filii subiacere possunt, serio ponderabit. Notant autem Salmanticenses ubi infra, gravius vulgo incumbere peccandi periculum puellis, iis potissimum, quarum pudicitiam exponere non erubescunt parentes, ut a divitibus earum amasiis subleventur.

R. 3. in extrema, aut, quæ ad extremam accedat, parentum necessitate, potest filius etiam Professus e Monasterio egredi, petita, licet non obtenta, superiorum licentia. Ita multi contra paucos. Ratio est 1. quia filius etiam post Professionem manet vere filius: ergo in eo etiamnum subsistit tota naturalis præcepti obligatio, cui cedere debet quæcumque obligatio voti. 2. quia si Religiosus e cubiculo suo prospiceret infantem ab equo indomito conculcandum, aut flagrantis domus suæ incendio perimendum, teneretur, superiore etiam invito, eidem opitulari: ergo & patri in casu nostro succurrere debet ex pietate, quam Religio non destruit, sed perficit.

Atque id verum esse credimus, etiamsi dicat pater se cedere juri, quod habet in prolem suam. Reipsa enim ut pater mortem sibi inferre nequit, sic nec potest cedere juri, quod habet, ut in extrema miseria sublevetur a filio, cum ab alio nemine sublevari potest.

Objiciunt filium per Professionem mundo mortuum esse; eumdem jam non habere velle proprium; ac denique plus superioribus obligari, quam patri; cum huic nonnisi secundæ tabulæ præcepto obligetur, illis vero per votum, quod ad primam tabulam pertinet. Verum tria hæc nihil habent solidi.

Non 1. quia mori mundo non est naturæ sensum ac primarias leges extinguere, sed illecebris & actionibus mundi nuncium remittere perpetuum.

Non 2. quia velle proprium habere licet, cum Superior male vult; vult autem male & irrationabiliter, cum id negat, quod sub gravi concedere tenetur.

Non 3. tum quia præceptum de honorandis parentibus primas habet partes in præcepto charitatis, quod ad primam tabulam pertinet; tum quia, bene Sylvius; non aliter suum Superiori obsequium promisit inferior, quam salva lege naturæ; nec Deus aliter acceptavit; tum denique quia obligationum gravitas non ex sola præcepti qualitate, sed magis ex gravitate rei præceptæ dependet: alioqui, qui orationis Dominicæ recitationem vovisset, deberet potius mortem patris permittere, quam precem hanc omittere. Repete, quæ dixi p. 76.

Cœterum Religiosus e Monasterio in parentum gratiam exiens, debet 1. essentialia Religionis servare quantum potest. Dico, quantum potest; Minimus enim, qui castitatem ubique servare potest, non posset forsitan ubique oleo vesci. 2. habitum ferre regularem, nisi is obsit lucro ad parentum sustentationem necessario. 3. ad Religionem reverti statim ac providerit parentibus.

An autem, qui Religionis ingressum vovit, quo tempore parentes ejus tanta penuria vexabantur, valide voverit, ideoque transacta necessitate parentum teneatur ingredi Religionem, controvertitur. Negant aliqui, quorum opinioni ut incertæ nimis ac dubiæ inhærere non ausim. 1. quia si non valeret hujusmodi votum, eo quod ut ajunt adversarii, impediat executionem præcepti naturalis, a fortiori non valeret Professio Religiosa, quam quis in iisdem circumstantiis emitteret; cum hæc prædicti naturalis præcepti adimpletionem multo magis impediat: atqui tamen valere Professionem

Reli-

Religiosam in hisce circumstantiis agnoscunt communiter Doctores, ut notat Henno; 2. quia voti hujus objectum est res bona & optima: ex eo autem, quod hæc non possit hic & nunc adimpleri; fit quidem ut suspendatur obligatio voti, non autem ut extinguatur; 3. quia maritus, qui Religionis ingressum vovit, eamdem ingredi debet post mortem uxoris, licet, eadem vivente, nec consentiente, non possit valide profiteri, ex c. 3. *De conversione conjugat*. ergo a pari.

Cur autem invalide profiteatur maritus, valide vero filius, cujus pater extrema premitur egestate, ratio hæc afferri potest, quod maritus invita uxore innocenti castitatem omnimodam, quæ præcipuum est Religionis onus, servare non possit, unde si staret Religiosa ejus Professio, necessario violandum esset præceptum naturale de reddendo debito: at vero filius Religionem profitens, nullum necessario violat naturæ præceptum; cum adhuc patri succurrere possit, seu per se, seu per amicos. Adde quod raro admodum contingat ut parentes ex filiorum absentia in extremam necessitatem conjiciantur: porro *pro raro contingentibus non constituuntur leges*. Atque ita sentiunt Salmanticenses Tract. 15. c. 3. n. 40. & apud eos Suares, Sanchez, Garcias, Lessius, a S. Fausto, &c.

Ob hæc momenta licet suis obnoxia difficultatibus, censeo votum in præsenti casu emissum impleri debere, cum poterit, nisi a Superiore justa de causa relaxetur: præsertim cum, qui vovet, nisi delirando voveat, intendere consueverit se adimpleturum esse votum, cum id patietur rerum suarum conditio.

R. 4. Si parentum necessitas sit gravis tantum, divisi sunt Theologi. Nobis, salvo meliori judicio, cui, ut decet, sponte semper subscribemus, hæc videntur esse statuenda. Vel patria necessitas Communitati nota erat, cum filium admisit, vel ignota, seu quia hanc celaverit filius, seu quia hæc Professionem ejus fuerit subsecuta.

Si primum, debet Superior, si per eleemoynas Monasterii opem ferre non valeat, inferiori exitum permittere; tum quia ad id virtualiter se se obligasse videtur, quatenus rem acceptando, onus rei annexum acceptare debuit; tum quia alioqui merito conquereretur pater secum dure ac inique agi: cum iniquum sit privari subsidio *in quo* jus habes, & quo graviter indigere supponeris.

Si secundum, (etsi asperius agi potest cum eo, qui celata patris necessitate Communitatem utcumque decepit) existimo pensandam esse tum conditionem patrum, tum naturam necessitatis, cui ex filiorum carentia obnoxii sunt iidem patres. Si v. gr. pater vir sit ingenuus ac militaris, qui apud Principem inique accusatus, exciderit ab omnibus bonis, adeo ut jam nonnisi famulando vitam tolerare possit, difficile crediderim peccare filium, qui ut eidem opituletur, exit e claustro, petita humiliter, sed non obtenta Prælati sui facultate: (modo, quod ubique supponendum est, non judicetur incurrere grave propriæ salutis periculum.) Si vero pater sit homo vilis ac plebejus, cui multo minus indecorum est famulari, arare, &c. crederem tunc cum vulgo Theologorum, non posse filium citra obtentam superioris licentiam egredi e Monasterio, ut eidem succurrat. Posset tamen in hoc casu filius clanculum & sine scandalo vices pietatis implere scribendo, laborando, celebrando, eleemosynas sollicitando, servata tamen de cœtero observantia regulari.

Quæres 2. an propter fratris vel sororis necessitatem abstinere quis debeat ab ingressu Religionis.

R. Si frater aut soror adhuc subsint paternæ curæ, non licet Religionem ingre-

ingredi, quia tunc fratris ac sororis necessitas ; ipsissima est parentum necessitas, cui ex dictis occurrere debet filius, cum potest. Si vero frater aut soror extra patriam potestatem constituti sint, etsi absolute loquendo committi possint providentiæ, ut propria salus ponatur in tuto, tantæ tamen est charitatis, personas nexibus tam arctis conjunctas fovere, ut propter id differri possit, vel omitti Religionis ingressus : & hoc præcipue viget cum soror est, quæ premitur penuria. Puellæ enim & fragiliores sunt, & periculis gravioribus obnoxiæ. Ita communiter Doctores.

Quæres 3. quid sibi debeant consanguinei collaterales, atque etiam affines.

R. Eos mutuum sibi debere amorem, honorem, & in necessitate subsidium, idque ratione speciali. Si enim præcipit scriptura ut fideles omnes se diligant, ut honore mutuo se præveniant, ut proximus proximo laboranti opem ferat ; quanto plus id naturali pietate censeri debet præceptum iis, qui carnis aut affinitatis nexibus sibi cohærent?

Hinc colligit Henno 1. prædictæ cognationis circumstantiam, ut quæ speciem mutet, aperiendam esse in sacro tribunali, quoties agitur de gravi injuria, detractione, contumelia, odio, percussione, & similibus. Hoc equidem restringit idem Theologus ad consanguineos & affines in primo, aut secundo gradu, extra quem censet cognationis circumstantiam inducere peccatum solum veniale ; verum restrictio hæc & in materia luxuriæ videtur falsa ; cum copula cognatorum in gradibus ab Ecclesia prohibitis incestum lethalem importet ex probabiliori opinione ; & in aliis materiis non satis certa est ut in Sacramento Pœnitentiæ teneri possit.

Colligit 2. consanguineos vel affines sibi invicem auxilium debere, non in extrema tantum aut gravi necessitate, quæ omnes obligat, sed & in ordinaria : quia sibi invicem majori ligantur obligationis vinculo, quam extraneis quibuslibet. Addit vigere obligationem hanc, ubi etiam frater, soror, &c. facti sunt sua culpa indigentes : quia culpa hæc etsi vituperium meretur, haud tamen naturalis pietatis vinculum tollit. Ut tamen iis demeretur in eosdem excessus relabendi cupido, utve ad laborem assuefierent, possent deseri ad tempus, modo desertio hæc nihil vitæ vel sanitati noceret. Et id multo verius est cum rigidior hæc agendi ratio necessaria est ut parentes dissoluti a lubrico impietatis tramite ad salutis vitam revocentur.

Colligit 3. inferiores consanguineos superioribus in linea transversa, avunculis v. g. & amitis quamdam obedientiam debere : quia carneæ superioritatis gradus id naturaliter exigit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De mutuis patrum, filiorumque spiritualium officiis.

PAtrum spiritualium nomine hic veniunt 1. Pastores, qui commissum sibi gregem informare debent ut Episcopi, Parochi, Superiores, &c. 2. Præceptores, qui alumnorum mentibus pietatem simul & scientiam instillare tenentur ; 3. & ii, qui nos seu in Baptismo seu in Confirmatione suscipiunt, quique patrini vocitari solent. De mutuis Magistrorum ac Discipulorum obligationibus dixi Tract. 1. part. 6. præcipua etiam Pastorum onera ibid. recensui part. 1. & 2. superest ergo ut omissa quædam paucis evolvam. Sit

Con-

CONCLUSIO I. Pastores concreditum sibi gregem *pascere* debent *exemplo conversationis*, *verbo prædicationis*, *fructu orationis*. Ita S. Bernard. Tract. in Evangel. *Ecce nos reliquimus omnia*.

Prob. ex Joan. 21. ubi Christus gregem suum Petro his verbis semel, iterum & tertio commendat: *Simon Joannis amas me? Pasce agnos meos ... pasce oves meas*: atqui hoc Christianas oves pascendi onus, nec sancte magis, nec magis efficaciter impleri potest, quam exemplo conversationis, verbo prædicationis, ac demum fructu orationis.

1. Quidem opus est exemplo conversationis, (cujus nomine non intelliguntur colloquia sola, sed vitæ totius institutum.) Hinc Apostolus Timotheum suum erudiens, ait: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, & ad Titum c. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*. Hinc Christus pastorum omnium caput & exemplar, *cœpit facere, & docere*; eumque dumtaxat in regno cœlesti magnum futurum esse dixit, *qui fecerit & docuerit*. Hinc SS. Patres prosperos boni, funestos vero, eosque multo frequentiores mali exempli successus perpetuo inculcarunt. *Dico charitati vestræ*, ait Augustinus Serm. 46. alia 165. de tempore, *iterum dico, Etsi vivunt oves, etsi fortes sunt oves in verbo Domini, & tenent illud, quod audierunt a Domino suo*: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite: *tamen, qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum a quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus. Et ille vivit, & ille homicida est. Quomodo cum lascivus homo intendit in mulierem ad concupiscendam eam, ecce illa casta est, & mœchus est iste.... Sic omnis, qui male vivit in conspectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso est occidit & fortes oves*. Sit ergo, ait S. Gregorius part. 2. Pastoral. c. 3. *Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denunciet, & grex, qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summam monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat*. & part. 3. Admonit. 5. *Scire Prælati debent, quia si perversa unquam perpetrent, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt: unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur*. 1. Timot. 4.

Multo tamen gravior est mors, quam sibimetipsis inferunt Pastores. Qui enim obscœnum quid v. g. coram plebe effutiunt, triplex sibi in uno crimine crimen parant, quatenus & castitatem lædunt ex hypothesi; & charitatem, cui opponitur scandalum datum; & justitiam, cum iis noceant, quibus ex officio prodesse debent.

2. Debent Pastores gregem pascere verbo prædicationis. Patet id 1. ex Scriptura. Ezech. 33. *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti*. Ergo æternam sibi mortem adsciscunt ii, de quibus etiam nunc diceret Isajas: *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia*. Nec est, quod fingat quispiam id ad solos veteris Testamen- Isai. 56.

ſtamenti Sacerdotes dictum eſſe. Obſtat enim Apoſtolus II. ad Timoth. 4. ubi Paſtores omnes in perſona unius ſic compellat: *Prædica verbum, inſta opportune, importune; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Ad quæ verba ſic alludit Auguſtinus Serm. 46. c. 7. *Audio dicentem Apoſtolum*: Prædica verbum, inſta opportune, importune. *Opportune utique volentibus, importune nolentibus. Tu vis errare, tu vis perire; ergo nolo: non vult ille, qui me terret ... vide, quid dicat, vide quid increpet*. Quod errabat, non revocaſtis, & quod periit, non inquiſiſtis. *Revocabo errantem, requiram perditum, velis nolis, id agam. Etſi me inquirentem lanient vepres ſylvarum, per omnia anguſta me coarctabo; omnes ſepes excutiam; quantum mihi virium terrens Dominus donat, omnia perag rabo: revocabo errantem, requiram pereuntem, &c.*

Patet 2. idem ex Conciliis. Valentinum III. an. 855. Can. 16. *Ubi*, inquit, *verbum Dei fidelibus non miniſtratur, quid aliud, quam vita animæ ſubtrahitur?* Lemovicenſe II. an. 1304. *Omnes Sacerdotes, quibus Parochia commiſſa eſt, omnibus Dominicis & Feſtis diebus admonere prædicando populum debent, ſecundum illud*: Argue, obſecra, increpa: *quia Sacerdos ſi ſine ſonitu prædicationis incedit, interminatione divina mortis reus eſt*. Idem fuſe ac diſtricte præcepit Tridentina Synodus Seſſ. 5. de reform. c. 2. ubi *ſtatuit & decrevit Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium.... Archipræſbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtineant, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis; docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari, oporteat, ut pœnam æternam evadant, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.*

Atque hinc colliges, quam graviter delinquant, qui abſque ſcientia competenti, & proportionata dicendi facultate, Paſtorale onus ſuſcipiunt; qui Catechiſmos, quibus pene ſolis tenera juventus in bonum flecti queat, omittunt quaſi rem nullius momenti; qui nullas pene aut jejunas admodum conciones habent; qui e contrario ambulant in magnis, ſublimiori ſtylo utuntur, ultra nubes avolant, ita ut nec capiantur ab aliis, nec ſemper capiant ſe ipſos; qui quos publica oratione non commovent, ſeu ſint hæretici, ſeu publici peccatores, ad ſaniorem revocare ſenſum non ſatagunt, ſive privatis adhortationibus, vel obſecrationibus, ſive etiam cenſuris, quarum tamen uſus, earum præſertim, quæ *ipſo facto* incurruntur, multo parcior eſſe debet, quam exiſtiment multi; qui in ipſo pœnitentiæ tribunali quaſi elingues manent, nihilque habent unctionis, quo & terreant eos, qui terreri debent, & qui indigent ſolatio, amice conſolentur; qui demum a confeſſionali abhorrent, quoties ſaltem de excipiendis plebeculæ confeſſionibus agitur. *Vide quæ diximus in Tract. ſuperiori pag. 31. vide & Appendicem de obligationibus Confeſſariorum*.

3. Tandem debent Paſtores gregem paſcere fructu orationis: 1. quia *neque, qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus* interiori gratiæ ſuæ rore: atqui gratiam hanc bonorum feracem ſolis columbæ ſeu Eccleſiæ gemitibus largiri conſuevit Pater Cœleſtis, unde Act. 6. ajebant Apoſtoli: *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus*. Unde etiam,

qui

qui plures ad Deum animas converterunt, ut Franciscus uterque, Xaverius nimirum, & Salesius, tempus fere totum orationem inter & ministerium verbi ex æquo partiebantur 2. quia ex Apostolo Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis, qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Sit* ergo, ait Augustinus Lib. 4. de doctr. christ. c. 15. *sit* Pastor *orator antequam dictor: & priusquam efferat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem*; 3. quia ut jam patet ex citatis textibus, Pastor se habet ut mediator Deum inter & homines, ac proinde, & ab iis iram Dei avertere, & eorum infirmitati subvenire debet: atqui neutrum hoc aliter exequi potest quam orationibus, sacrificiis, fusisque coram Deo gemitibus? An enim aliter quam orando justum Dei furorem sedavere *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*? Nequaquam sane: *Aaron stans inter mortuos & viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit*, Num. 16. v. 48. *Moyses orabat Dominum .... placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum*, Exod. 32. v. 14. Ergo *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo*, Joel 2. v. 17. De his plura videris in Forma Cleri, Auctore Ludovico Tronson part. 2. c. 7. & alibi passim. *Vide etiam, quæ dixi p. 32.* Psalm.

Conclusio II. Debent fideles Pastoribus suis amorem sincerum, obedientiam in iis, quæ ad salutem pertinent, reverentiam singularem, & vitæ subsidium.

Prob. 1. pars. Tum quia Pastor quilibet est pater, & quidem in eo genere cui multum amoris debeatur: quandoquidem paternitas ejus nobilior sit & sanctior alia quacumque, utpote quæ ad nobiliorem scopum, salutem scilicet æternam ordinetur; tum quia sicut carnis parentes varia pro filiis carnalibus pericula subeunt, diu noctuque sollicitudine premuntur, ne quid iis desit, infirmantur cum infirmi sunt, &c. Sic & veri Pastores in gratiam pecoris sui nihil relinquunt intentatum; parce vescuntur, ne quid desit egenis, studio & lectioni vacant, ne quid subtrahant utilium; media nocte, spreta rigidi cœli inclementia surgunt e lectulo, ne pereat ovicula, &c. quis porro nisi ferrei cordis sit, tanto amori mutuas amoris vices deneget?

Prob. 2. pars ex Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*, & Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete ei; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Etsi vero oves Pastorum vocem audire debent, non eorum tamen, qui adversus Superiores suos rebellant, & in mortifera pascua deducunt.

Prob. 3. pars, quia eos insigniter revereri debemus, qui Christum propria, ac speciali magis ratione repræsentant; qui dignius exercent tum in se, tum erga nos ministerium; qui plus apud Deum possunt & prosunt: atqui sic se habent Pastores nostri: ergo.

Prob. 4. pars, quia ex Luc. 10. dignus est operarius mercede sua; & eo dignus magis, quo impensius laborat, secundum id 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt Præsbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime, qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti: Et dignus est operarius mercede sua*. Sed de his fusius dicam agendo de præceptis Ecclesiæ, c. 6.

Superest ut unum hic annotem cum Nat. Alexandro Reg. 7. in 4. Decalogi præceptum, nimirum Sacerdotes etiam malos, ob ministerium suum honorandos esse, adeo ut gravis noxæ rei sint, qui propter malos ipsorum mores licitum sibi putant eosdem aspernari, irridere, conviciisve aut maledictis insequi. Ratio est, quia sicut Regi etiam improbo debitus est honos respondens regiæ ejus dignitati; sic & improbo etiam Sacerdoti suus esse debet honos ob sacram qua inunctus est dignitatem. Atque id suo nos docuit exemplo Christus *Rex & Judex & Deus noster*. Is enim, ait S. Cyprian. Epist. 65. ad Rogatian. *usque ad passionis diem servavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent: nam cum leprosum emundasset, dixit illi*: Vade & monstra te Sacerdoti ... *Item sub ictu passionis, cum alapam accepisset, & ei diceretur*: Sic respondes Pontifici? *nihil ille contumeliose locutus est in personam Pontificis*. Idipsum verbo & exemplo docuit S. Paulus: cum enim Ananiæ Sacerdotum Principi, qui ipsum in faciem cœdi jusserat, dixisset Act. 23. *percutiet te Deus paries dealbate*, idque Apostolo ut maledictum legibus prohibitum exprobrassent adstantes, respondit Paulus: *Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices*. Quæ verba excusationem esse, non ironiam tenet probatior Interpretum opinio.

Hanc agendi rationem servavit Constantinus, qui porrectos sibi Libellos contra quosdam Nicænæ Synodi Antistites, legere noluit, sed præcepit flammis tradi. *Nefas enim esse ajebat, ut Sacerdotum delicta ad vulgi notitiam pervenirent, ne populus offendiculi occasionem inde arripiens, licentius ad flagitia prorumperet*. Quin & istud adjecisse fertur: *Se, si Episcopum adulterium perpetrantem oculis suis videret, illegitimum facinus paludamento suo obtecturum esse, ne hujus facinoris spectaculum ipsis spectatoribus noxium esset.* Ita refert Theodoretus L. 1. Histor. Eccles. c. 11.

Hinc colliges quam lugenda sit conditio eorum, qui, ut loquitur August. Epist. 78. alias 127. nihil *aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales credant, jactent, contendant, sed non omnes posse manifestari. Et tamen*, pergit S. Doctor, *etiam ipsi cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt ut de omnibus hoc credatur*.

CONCLUSIO III. Patrini filiolos suos ad virtutem, bonosque mores informare tenentur sub gravi. Conclusio eo majoris est momenti, quod pene in praxi ignota videtur.

Prob. quia, ut solide ait S. Thomas q. 67. art. 8. *unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accepit: sed qui accipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi*; & id patet ex ipso multiplici patrinorum nomine: vocantur enim a Patribus sponsores, fidejussores, fidei Doctores, hodieque vulgo patrini, quasi patrum carnalium substituti: atqui rem variis iis nominibus expressam adimplere non possunt, nisi eos, quos de lavacro susceperunt, erudire, redarguere, & omni qua possunt via ad pietatem movere conentur; ergo, ait S. Carolus Borrom. Act. p. 4. tit. De offic. Concionat. *solliciti esse debent, ut quos in baptismo susceperunt, fidei Christianæ rudimentis, & sanctarum virtutum officiis, quibus ad salutem vita munitur, recte instituant*.

Præiverunt Patres & Concilia. *Filios*, ait S. Augustin. Serm. 215. de temp.

quos

quos in baptismo excipitis, scitote vos fidejussores pro ipsis apud Deum extitisse; & ideo tam illos, qui de vobis nati sunt, quam illos, quos de fonte excepistis semper castigate, & corrigite, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant.

Concilium Arelatense an. 813. Can. 19. ex æquo præcipit *ut parentes filios suos, & patrini eos quos de fonte lavacri suscipiant, erudire summopere studeant ... illi, quia illos genuerunt ... isti, quia pro eis fidejussores existunt.* Idem tradunt aliæ Synodi complures, & Regum nostrorum Capitularia, de quibus consule Auctorem Collat. Andegav. ubi de Baptismo.

Hinc colliges, 1. ad patrini officium neminem a Parocho admitti debere, *nisi ea sit ætate, judicio & moribus, ut prædictis omnibus satisfacere possit*; ita sanciunt Synodi plures apud Auctorem mox citatum p. 323. 2. cavendum ne hæreticus unquam in patrinum assumatur, cum patrini munia obire non possit. Quod si ob difficiles locorum circumstantias repelli nequeat hæreticus, ut in Germania sæpius evenit, omittenda erunt quæcumque ad patrinum pertinent, prout fecit Parochus quidam Germanus, qui baptizatum infantem immediate tradidit obstetrici involvendum; sicque effecit ut hæreticus non esset patrinus. Ita Ethica amoris Tom. 3. p. 66. 3. etsi censent plures officium patrini cessare, cum is quem levavit e fonte sacro jam est sufficienter eruditus; existimo tamen cum aliis teneri patrinum omni qua poterit ope, filiolum ab hæresi, v. g. aut dissolutis moribus revocare ad fidem & bonos mores, si forte ab iis recesserit; sive jam careat parentibus, sive habeat quidem, sed qui ex inertia non satis proli suæ invigilent. Patrini enim semper sunt quidam patres: ergo, ut supra ajebat Augustinus, *semper* corrigere debent, quamdiu ex correctione nonnihil successus sperare possunt. Cœterum non est, quod anxii sint patrini circa filiolos, qui piam domi educationem habent, catecheses, concionesve sacras frequentant, &c.

CONCLUSIO IV. Filii spirituales patrinis suis debent amorem reciprocum, reverentiam filialem, & obedientiam obligationi patrinorum commensuratam.

Prob. quia efficere debent filii spirituales ut patrini officio suo fructuose & cum gaudio defungantur: atqui ad hoc requiritur ut amorem amori rependant, ut patrinos veluti alteros patres pie revereantur, ut demum iis obtemperent in his omnibus, quæ patrinorum partes sunt; ergo si secus egerint, specialiter peccant contra pietatem.

De mutuis superiorum, & inferiorum obligationibus quid sentiendum sit, facile colligetur ex dictis superiori p. 83. & 105.

ARTICULUS TERTIUS.

Quid debeant alii quasi patres suis respective, & econtra.

AD parentes suo etiam modo revocantur 1. Principes, qui patriæ seu populorum patres esse debent; 2. Magistratus qui apud Romanos Patrum Conscriptorum nomine gloriabantur, 3. Toparchæ, seu Parochiarum Domini; 4. qui famulos habent in ministerio; sic enim Naaman a servis suis *pater* vocabatur, 4. Reg. cap. 5. Tutores, Curatores, &c. De Magistratibus, ac Dynastis dictum est supra; de cœteris superest dicendum. Sit

CONCLUSIO I. Principes subditis suis prælucere debent exemplo, eorum-

dem saluti providere tollendo peccandi occasiones, ipsos ab hoste, & iniquis vexationibus tueri.

Prob. 1. pars, quia si Princeps male vivat, pene consequens est ut major subditorum pars eamdem vivendi rationem totis ulnis amplectatur; quandoquidem ex axiomate quod sæculorum omnium comprobavit experientia, *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. *Et nunc* ergo *Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore*: hæc una vestra felicitas, cœtera, *vanitas* magna, *& afflictio spiritus*. *Neque enim*, ait S. gratia Doctor Lib. 5. de Civ. Dei cap. 24. *Christianos Imperatores ideo felices dicimus, quia diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, &c. Sed felices eos dicimus si juste imperant ... si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, colunt, &c.* Hinc quamdiu stabit, quæ in æternum stabit Ecclesia, suus semper erit honos Constantino, Theodosio, Ludovico IX. aliisque sancti nominis Principibus, quibus profunde persuasum fuit tunc demum vere regnare Principes, cum per eos Deus regnet; secus, si *mundum* etiam *universum* lucrati, *suæ* suorumque *animæ detrimentum* faciant, aut procurent.

Psalm. 2.

Prob. 2. pars, quia eo fine instituti sunt Principes: *ut quod non prævalet Sacerdos efficere per disciplinæ sermonem, hoc potestas* terrena *imperet* & obtineat *per disciplinæ terrorem*, prout ex S. Isidoro Hispal. ait Concilium Parisiense VI. ergo non solum de temporali subditorum pace solliciti esse debent, sed & in id incumbere ut promoveatur Religio, vigeat Ecclesiæ disciplina, serventur boni mores; ergo curare debent ut usuræ, blasphemi sermones, lupanaria, ferale duellorum exercitium, & similia funditus evellantur: ergo dignos Præsules constituere debent, invigilare ut resideant, & suum quisque munus exequatur. An autem comœdias, spectacula, & alia id generis, quibus labefactantur juventutis mores, abigere teneantur, prout sine circuitu docet Henno, non ita facile est dictu: præsertim cum qui leviora mala abscindunt, plerumque accersant graviora, & teste Augustino, qui meretrices tollit, omnia replet libidinibus.

Prob. 3. pars. Principes esse debent primarii patres populorum: atqui pater curat ne filius sive ab extraneo, sive ab indigena inique gravetur; eique cum sub onere satiscit, opem fert quam potest maximam: ergo & idipsum Princeps præstare debet. Unde si duros exactores præficiat multitudini, si nullam populi querelarum rationem habeat, si novus Achab vineam proximi auferat vel auferri sinat, proculdubio graviter & gravissime delinquit.

CONCLUSIO II. Subditi Principibus debent honorem, obsequium, fidem, & subsidia.

Prob. 1. pars, ex 1. Petri 2. *Deum timete, Regem honorificate*, ubi primo post Deum loco recensetur Princeps tanquam præcipua divinitatis imago.

Prob. 2. pars, ex eodem capite, *Subjecti igitur estote*, ait S. Petrus, *omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti; sive ducibus tanquam ab eo missis ... quia sic est voluntas Dei*. In idem facit tritum id Apostoli Rom. 3. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.*

Prob. 3. quia si postulet naturalis æquitas, ut Princeps populum quacumque via protegat, tueatur, & felicem præstet; postulat etiam eadem æquitas, ut populus nihil contra Principis personam, patriamve, aut bonum publicum moliatur.

Prob.

Prob. 4. pars, ex iis, quæ dicta sunt in Tractatu de Legibus, cap. 5. art. 2. sect. 2.

Conclusio III. Debent domini famulos amare, instruere, corripere, eorumque operam justo stipendio remetiri.

Prob. 1. pars. Eccli. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, & quasi fratrem sic tracta eum.* Hoc sensu scribebat ad Philemonem Paulus ut Onesimum *jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem exciperet.* Et vero servi eumdem, ac heri Dominum & Patrem habent in cœlis; insuper si vere servi sunt, student dominis obsequi & placere; demum non raro fit ut iis famulentur, quorum patres patribus suis servierant: ergo diligi debent ut fratres, ut amici suo modo; ut quorum conditio mansuetudine leniri debeat, non autem imperio rigidiore, elatiori vocis tono, ac jugi quadam insultatione asperari. Hinc Apostolus Ephes. 6. *Et vos Domini*, inquit, *eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis; & personarum acceptio non est apud eum*, & Eccli. 4. v. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.*

Prob. 2. pars, ex 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit:* atqui curam hanc suorum non habet, qui eorum saluti non consulit, seu per se seu per alios; qui non curat ut Christianæ fidei rudimentis imbuantur, ut Dei & Ecclesiæ mandata sciant & opere adimpleant, ut mane & vespere Deum orent, (ad quod in domibus pie constitutis tota simul familia, vespere præsertim convenire solet) ut Dominicis, Festisque diebus cessent ab opere servili, ut Missæ cæterisque quantum fieri potest officiis intersint, ut Sacramenta frequentent, ut a periculosa inter se familiaritate procul distent. Hæc tamen est plerorumque dominorum somnolentia, ut vix sciant quam profiteantur Religionem servi sui. Si quempiam in famulorum ordinem admittere volent, pluribus interrogabunt quid sciat, quid possit, ubi servierit; de pietate vero ne voculam quidem habebunt: quin & sæpius eos non ferent, qui plus in virtutem propensionis nacti sunt; iisque vix concedent tempus audiendæ Missæ, omniumque brevissimam audiri præcipient: & tamen ex famulorum corruptione ut plurimum sequitur filiorum familias depravatio. Proh! quam infeliciter eveniret ut *Episcoporum*, Clericorumque *familia*, quæ ex Concilio Mediolanensi IV. *cæteris proposita esse debet ad imitationem*, & *ejusmodi* esse *quæ præluceat vitæ & morum exemplis*, & magis negligeretur, & graviori esset offendiculo.

Prob. 3. pars, quia ex S. Augustino L. 19. de Civ. Dei, c. 16. domini *veri patres-familias sunt*: atqui ex eodem S. Doctore verus paterfamilias, eum, *qui in domo per inobedientiam domesticæ paci adversatur, corripit seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio pœnæ genere justo atque licito, quantum societas humana concedit, &c.* ergo.

Hic quædam notanda, 1. pœnam, ut *justa* sit & *licita*, culpæ parem esse debere. Quapropter sanctæ correptionis limites prætergrediuntur, qui pro leviore culpa, ne dicam, defectu, graviter stomachantur, & aspera quæque verba, aut etiam verbera adhibent; 2. eas præ cæteris culpas plecti debere, quæ Deum offendunt: & hæ tamen ut plurimum inultæ manent; cum e contrario severe puniatur levior negligentia vel attentionis erga nos defectus; 3. pensandum esse domino cuicumque id Concilii III. Mediolanensis, tit. De his, quæ ad Matrim. Sacram. pertinent: *Ne patiatur in familia esse quempiam, qui blasphemus sit, qui perjurus, qui corruptis moribus, qui obscœne quid-*

 quam

quam vel loquatur vel agat, *qui* aleis ludat, qui *denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat*. Hanc agendi rationem servabat Psaltes: *Non habitabit*, ajebat Psal. 100. *in medio domus meæ, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*. Hanc & servavit Constantinus, qui juxta Eusebium L. 1. de vita ejusdem Imperatoris, c. 17. viros ad idolorum cultum proclives *a regiis ædibus procul ablegandos esse censuit: nam quomodo*, inquiebat, *fidem erga Principem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur?* Bone Deus! quantum hinc distant, qui famulis suis prima sunt occasio peccandi, eosque ad crimen sollicitant!

Si, ait tamen post Sayrum Grandinus, grave non fuerit famuli crimen, ejusque expulsio magnam domino perniciem allatura sit, & verisimile appareat, eum expulsum deteriorem fore; consultius est eum retinere domi, opportuna adhibendo remedia; nisi forte, ait, esset scandalum, quale esset absque dubio, si famulus in domo heri sui concubinam retineret.

Prob. 4. pars, quia ex Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, & mercenarius mercede sua: unde Levit. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*, & Jac. 5. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*.

Hinc peccant juxta materiæ gravitatem, qui famulis necessaria ad victum denegant; qui stipendium eorum retinent, aut differunt: qui famulos, quibus indigent, ultra infimum pretium conducunt, aut nulla facta pactione, recusant quod justum est; qui ægrotos vel non curant, vel statim dimittunt, nisi mittant ad xenodochia, in quibus, ut decet, curari debeant. Hæc tamen deportatio confestim facienda non est: tum quia crudelitatem aliquam sapit, erga homines majorem, quam erga belluas, secundum id Proverb. 12. *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia*, ne hominum quidem animas norunt; tum quia merito affliguntur famuli & ancillæ, qui tam cito se a dominis deseri & abjici vident. Alia sane fuit erga servum suum agendi ratio Centurionis, qui per seipsum sanitatem ejus flagitavit a Christo.

Non debent tamen domini stipendium famulis pro tempore, quo infirmi decubuerint: imo nec majores eorum expensas, Medicis, pharmacopolisve exsolvere tenentur extra casum extremæ aut gravis necessitatis: at omnimode efficere debent ne servis suis desint spiritualia Ecclesiæ remedia. De his omnibus fuse, pie, & utiliter differentem adi Lambertum in Opere jam citato, Instruct. 21. & sequent.

Conclusio IV. Servi dominis suis obedientiam debent, reverentiam, obsequium, & fidelitatem.

Prob. ex Scriptura, quæ hæc omnia a servis exigit; obedientiam quidem Ephes. 6. *Servi obedite dominis carnalibus*, morosis etiam & difficilibus tractari, secundum id 1. Petri 2. *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*; reverentiam seu honorem 1. Timoth. 6. *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur*; obsequium rationabile, (Coloss. 3.) ut *non* sint *ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes Dei voluntatem ex animo*: est autem hæc Dei voluntas ut qui stipendium recipit, non stet iners & otiosus, sed pactum pensum impleat; fidelitatem denique, nam *servos* oportet *dominis suis subditos esse .... non fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes*, ad Tit. c. 2.

Con-

Contra hæc ſtatus ſui officia peccant magis aut minus directe, 1. qui in obloquia & obmurmurationes erumpunt, cum ſibi quidpiam præcipitur; qui id ſe feciſſe ſimulant, quod non fecerunt; qui laboris ſui partem committunt aliis, quos domini ære compenſant; qui cum arguuntur, paratum ſemper habent mendacium, quo ſe defendant, &c.

2. Qui occultos dominorum defectus extraneis detegunt, & ita exaggerant, ut vix inveniant, qui ſibi famulari velint. Item qui dominos inter ſe derident & aſpernantur: quod tamen ita frequens eſt, ut *inimici hominis* eſſe ſoleant *domeſtici ejus*.

3. Qui debitam rerum ſibi creditarum curam non habent, eaſque aut compilari ab aliis etiam conſervis, aut fieri deteriores ſinunt, de quo vide quæ dixi Tom. 1. Item qui pacto ſibi ſalario minime contenti, clanculum quid ſubripiunt, titulo compenſationis, contra quod facit cenſura hujus propoſitionis: *Famuli & famulæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt*. Ac demum qui cibos, grana, & alia id genus furantur, non ſolum pro ſe, aut amicis ſuis, ſed etiam pro filiis, aut pecoribus dominorum. Et vero forte legitimam habet rationem dominus prohibendi, ne plus jumentis ſuis detur, & parcendi ſumptibus. Adde quod non ſit famulorum de domini rebus diſponere eodem invito, vel non conſulto, cum dubia eſt ejus voluntas. Aliud eſſe poſſet in raris quibuſdam caſibus, puta ſi avarus ſenex omnino neceſſaria pecudibus denegaret: quamquam ſatius forte fuerit ab ejus obſequio diſcedere; præſertim ſi diutius in eadem agendi ratione perſeverandum eſſet.

Cæterum non raro meminiſſe debent famuli & ancillæ, Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus. Idque quoties ab iis exigitur quidpiam divinæ voluntati adverſum, ut ſi jubeantur vinum & ſimilia promere alicui, qui jam ad ebrietatem vergat; carnes parare bene valentibus; litteras ad venerem aut ad duellum ſollicitantes deferre; dominum vehere quo non licet, puta ad comœdiam; fuco vultum pingere; ſerviliter operari Feſtis diebus. Huc facit cenſura hujus propoſitionis num. 51. inter eas, quas an. 1679. reprobavit Innocentius XI. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur*. Imo tunc & in aliis caſibus, qui proximam peccandi occaſionem continent, recedendum eſt a pernicioſo famulatu, quidquid inde impendeat temporalis detrimenti, ſecundum id Matth. 5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te, &c.* Vide quæ diximus de occaſionibus peccandi, Tom. 2. & famulis, quos forte diriges, propone exemplum tum Patriarchæ Joſeph, qui non acquievit *opere nefario*, de quo Geneſ. 39. tum Jacob qui tam fideliter, quam diu Laban ſocero ſuo ſervivit, Geneſ. 29. & 30.

Conclusio V. Tutores temporaneam & ſpiritualem curam debent pupillis ſuis.

Prob. Tutores in vicem parentum conſtituuntur jure publico: ergo pupillis debent in ordine ſpirituali, quidquid iis debent genuini patres, ac proinde eos monitis, adhortationibus, bonis præſertim exemplis ad pietatem accendere tenentur. Debent inſuper rem eorum domeſticam, ad minus ut ſuam tracta-

tractare, juste administrare, cavere ne pereat, augere, prout possunt secundum Dei & Ecclesiæ leges, tempore præscripto rationem reddere, &c. ubi nota quod diximus Tom. 1. p. 2. de Contract. c. 3. non magis in pupilli, quam in alterius cujuscumque gratiam licitum esse pecuniam usurarie collocare. Ad nos quidem e Provincia quadam rescriptum est, celebris Senatus decreto permissum esse ut *denarii pupillares* absque alienatione summæ capitalis collocentur: verum absit ut ea lex divinæ pariter, ac regiæ legi adversa, utrique unquam prævaleat. Atque ita definierunt Sorbonici Doctores ea de re consulti.

Conclusio VI. Pupilli tutoribus id ferme debent, quod patribus filii, amorem scilicet, honorem, & obedientiam in iis, quæ ad tutelam spectant. Sequitur ex ipsa conditione patrum quam habent tutores. Unde si his pupilli resistant, aut erga eos gerant se irreverenter in materia gravi, mortaliter peccant.

Jam ab initio advertimus suam quoque personis ætate provectis reverentiam deberi; quod de iis præcipue verum est, qui vitam labis puram agunt; quo referri solet id Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Etsi vero vitium in senibus, qui jam æternitatis limen pulsant, tetri nescio quid habet, & magis odiosi, nihilominus qui cum corruptio sene agunt, præ oculis, quantum fieri potest, habere debent id Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Quamquam & ipsa senum depravatio, cum aliter oppressæ innocentiæ succurri nequit, palam est referanda, prout fecit Daniel in causa Susannæ.

Ut senibus honorem & reverentiam debent adolescentes, sic adolescentibus omnimodæ virtutis exemplum debent senes; cui si officio desint, grave recipient judicium a supremo judice, ad quem, velint, nolint, totis pedibus properant. Sensit hoc, & in praxim redegit Eleazarus ille senex, qui rogatus instanter ut mortis vitandæ gratia fingeret vesci porcina carne, & *iniqua* pseudoamicorum *miseratione* commotus, *cogitare cœpit ætatis, ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem*, & *respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est*, inquit, *fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, &c.* 2. Machab. 6.

ARTICULUS QUARTUS.

Quid sibi debeant conjuges.

Conjuges multa sibi, eaque magni momenti debent; quæ sigillatim exponemus, ut solvantur præcipui casus unicuique obligationi correspondentes.

SECTIO PRIMA.

De obligationibus a debito conjugali distinctis.

Hic tantum quæritur an conjuges amorem mutuum, individuam vitæ societatem, & alimenta sibi debeant. Sit

Conclusio I. Conjuges ad mutuum, sanctum, & specialem amorem obligantur.

Prob.

Prob. ex Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam* : atqui Christus sancto specialique amore dilexit Ecclesiam ; quandoquidem *seipsum tradidit pro ea*, ibid. eamque *acquisivit sanguine suo*, Act. 20. ergo & idipsum facere debent conjuges. Quod enim hic de viris dicitur, cadit & in uxores, quibus etiam præcipit Apostolus 2. *ut viros suos ament*.

Confirm. quia vir & uxor simul uniti sunt, tum insolubili contractu, tum per Sacramentum, quo repræsentatur unio Christi cum Ecclesia ; quam utique unionem, quantum fieri licet, conjuges imitari debent.

Contra hanc mutuæ charitatis legem graviter peccat uterque conjux, 1. si rixas, odium, & jurgia suscitet aut foveat; si alium ad iram gravem, vel aliud grave peccatum excitet; si eum conviciis aut maledictionibus afficiat; si vir uxorem, & a fortiori si uxor virum graviter percutiat; 2. si se dedat zelotypiæ vitio, non minus crudeli quam communi inter conjuges. Inde enim quot perversa judicia, quot diu noctuque perturbationes, quot adversum innocentes maledicta, quot sui aliorumque infamationes? una fere est, quæ malo huic mederi possit, oratio acris & intensa. Sed hæc animum animo suspicacis mariti placidiorem requirit. Oret saltem per alios, qui vix per seipsum potest orare; 3. si cœco quodam, ac animali, (nisi pejor est animali) amore se rapi sinant : & is enim gravia crimina parit, præsertim vero coitus nefandos, & in coitu *retractum*, ne nascatur proles vitæ matris nociva.

Conclusio II. Conjuges ad conjugalem societatem tenentur, & ideo secum cohabitare debent, quoad domum & thorum, nisi legitima causa excuset.

Prob. 1. ex Matth. 19. ubi sic loquitur Christus: *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una* : quod sine prædicta cohabitatione fieri non potest; 2. quia susceptio prolis, conveniens ejusdem institutio, obsequia sibi mutuo a conjugatis præstanda, & alia id genus, quæ matrimonium important ex natura rei, absque conjugali hac societate subsistere non valent.

Circa hæc notandum 1. electionem domicilii pertinere ad virum, utpote *caput mulieris*, ex 1. Corint. 11. 2. licitum esse viro a domo recedere ad breve tempus, sine licentia uxoris, sed non vice versa : imo posset vir abesse diu, si id exigeret res familiaris, Principis obsequium, aut gravis infirmitas: alias, *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero* (nisi de ejus consensu) *esse divisus*, ex cap. 1. *De con. lepros.*

Quæres 1 an teneatur uxor sequi maritum, qui alio divertit.

R. non teneri 1. si maritus post matrimonium vagari velit quo sibi videbitur; 2. si uxori eumdem secuturæ immineat periculum gravis peccati, mortis, aut defatigationis maximæ, ut si maritus ad bellum proficiscatur : Pontas v. *Divorte*, cas. 19. 3. si maritus pro nutu & absque necessitate vera in Regionem admodum remotam, ut Indias, migrare velit; est enim transmigratio hæc onus tam grave, ut nemo eam sibi absque præcedenti pacto censeatur imposuisse; 4. si inter partes convenerit futurum ut habitationem non mutent: hæc tamen conventio non impediret, ne uxor maritum sequi teneretur, si hunc alio avocaret justa & gravis necessitas, puta insalubre & gravius cœlum mutandi, exequendi jussa Principis, & similia; ex quibus tamen mulier grave periculum non subeat, ut dictum est.

Quæres 2. an & quibus de causis possint conjuges sive quoad tectum, sive quoad torum a se invicem separari.

R. omis-

R. omissis multis magni momenti quæstionibus, quæ circa conjugii dissolubilitatem fuse & commode agitantur in Tractatu de Matrimonio. R. inquam 1. licitum esse utrique conjugi ab alio secedere, idque in perpetuum propter adulterii crimen. Patet id ex celebri Christi oraculo Matth. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*: ergo, ait S. Augustinus Lib. 2. de adulterin. conjugiis c. 5. *licite dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris* conjugii, *propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis*. Idem patet ex tit. *De divortiis*, c. 4. 5. & 8. *Vide quæ dixi pag.* 214. *& seq.*

Circa hoc quædam notanda pro praxi; & quidem 1. non minus uxori, quam viro licitum esse divortium propter fornicationem: quia non minus vir quam uxor fidem violat conjugalem adulterando, quæ injusta fidei læsio divortium inducit. Ita fere omnes contra Cajetanum, cujus singularem ea de re sententiam temeritatis redarguit Sanchez L. 10. disp. 3. n. 6. Non potest tamen in Gallia uxor ob adulterium solum insequi conjugem intuitu separationis quoad tectum: licet eidem marito adulterium objicere efficaciter possit, ne ab eodem separetur. Ferriere v. *Adultere*. Papon Lib. 24. tit. 2. num. 5.

Not. 2. adulterium hic sumi paulo latius, adeoque etiam pro concubitu sodomitico, & bestialitate sive activa sive passiva. Ratio est, quia sic etiam dividitur caro contra matrimonii fidem, quæ exigit ut *duo* sint *in carne una*, Genes. 2. & hæc assertio tam communis est, ut ab ea recedere in praxi non ausit Pontius, etsi in oppositam propendens, Lib. 9. cap. 16. pag. mihi 702. Aliud est de amplexibus, osculis, tactibus impudicis, si desit copula, etsi non desit proprii aut alieni corporis pollutio. Hæc enim licet adulterii suspicionem parere possint, haud tamen ad divortium sufficiunt, tum quia per hosce actus non violatur consummate fides matrimonii, quandoquidem caro non dividitur in aliam carnem; tum quia in odiosis stricte leges intelligi oportet.

Not. 3. quatuor esse casus, in quibus adulterium non sit legitima causa divortii.

Primus est, cum adulterium vacat a culpa, solumque est materiale. Hinc non erit divortio locus si fœmina ab eo cognoscatur, quem virum suam esse credit; si vi opprimatur, nisi monita ut fugeret, fugere noluerit (quæ limitatio male rejicitur a Sanchez ibid. disp. 5. n. 14.) si bona & inculpata fide, rebus scilicet, ut decebat, exploratis, novum ineat matrimonium: modo ab eo recedat, statim ut certior facta fuerit, quantum satis est, de vita legitimi conjugis.

Quod si mulier ex gravissimo mortis metu cesserit adultero, poterit urgeri divortium. Is enim metus cum non excuset ab adulterio formali, nec a pœnis ejus excusat. Quamquam exigit utcumque charitas, ut vir uxori serio contritæ injuriam dimittat in hoc casu, nisi contrarium suadeant graves quædam aliæ causæ. Vide Pontas v. *Adultere*, cas. 9.

Secundus casus est, cum vir fuit vel est uxori suæ adulterandi causa; veluti si eam prostituat, si in factum ejus consentiat, a fortiori si idem consulat. Ratio est, quia consentienti non fit injuria, saltem ea, quæ divortii causa sit.

Ampliatur, etiamsi tacite tantum consentiat alter alterius crimini; prout facere censetur, cum scit crimen, & non prohibet, quando posset prohibere: quia *qui* in hoc casu *tacet, consentire videtur*, c. 43. de Reg. Jur. in 6. *Tacitique & expressi idem est judicium*, L. *Cum quid*, ff. *Si certum petatur*. Aliud est, ut patet, si taceat ex metu gravi. Imo mulier,

quæ

quæ virum non reprehendit, non censetur communiter consentire, quia vocem præcludunt timor & reverentia; si tamen uxor in iis esset circumstantiis, in quibus; commode & absque damni periculo, contradicere posset, jam consentire judicaretur; nisi forte dissimularet ad tempus, ut indubie detecto per testes facinore, de eo maritum convincere posset, & divortium juridice prosequi.

Sed quid si maritus uxorem domo ejiciat, sive neget alimenta, vel debitum, & hæc dedat se crimini?

Censet Sanchez ibid. n. *6.* & 7. licitum esse hoc etiam in casu divortium. Idem tenet Anacletus Reiffenstuel in tit. 19. Lib. 4. Decret. n. 70. ubi universos Doctores hoc in puncto idem sentire docet. Sed fallitur vir eruditus: quandoquidem S. Thomas in 1. Cor. 7. Lect. 2. expresse negat posse virum *ob causam fornicationis uxorem dimittere .. quando ipse ei fornicandi occasionem dedit, ut quia non vult reddere debitum*. Idem docet Toletus Instr. Sacerd. Lib. 7. cap. 24. n. 7. hos sequitur contra Genetum Pontas v. *Adultere*, cas. 5. & 8. Ratio est, quia licet adulterium nullam recipiat excusationem, haud tamen æquum est ut illud quasi minime reus plectere possit, qui ad ipsum quasi coegit iniqua sua, ac crudeli agendi ratione.

Tertius casus est cum conjux alter ipse quoque adulterium commisit; ita colligunt omnes ex c. 4. *De divort.* & c. 7. *De adulteriis*, &c. ubi *paria crimina mutua compensatione* tolli, ac deleri dicuntur. Nec refert, quod alter altero prius, graviusve aut sæpius ceciderit: quia licet in crimine desit paritas quoad numerum aut malitiam, est tamen paritas quoad iniquam carnis divisionem in plures, & conjugalis fidei violationem, quam jura præcipue attendunt, & ut radicem divortii assignant.

Sed an non poterit is, qui occulte solum peccavit, ab ea, quæ publice peccavit, separari, aut ei saltem debitum denegare?

Negat Pontas ibid. cas. 4. & ante eum alii plures, præsertim vero S. Thomas in 4. dist. 34. q. un. a. *6.* ad 5. S. Bonaventura, Sanchez fuse ibid. Lib. 10. disp. *6.* n. 9. Ratio eorum tota reducitur ad id Juris: *Non videtur, quod pari crimine infectus alium de eodem punire possit*.

Quia tamen aliquando fieret, ut maritus alioqui parum patiens, se ipsum non reclamando, adulterii suspectum redderet, addunt Canonistæ quidam, posse eum se gerere, quasi qui injuriam publice nocenti condonet: imo, ajunt iidem, si ob publicum scandalum teneretur publice nocentem dimittere, dimittere deberet ad aliquod tempus breve, & iterum recipere simulando injuriæ condonationem, vel potius injuriam, qua parte publica est, vere condonando. Quod *si vir egisset pœnitentiam, & uxor nollet agere, sed perseveraret in adulterio, posset sine peccato accusare & dimittere*. Verba sunt S. Antonini 5. part. tit. 1. cap. 21. §. *6.* idem docet S. Bonaventura in 4. dist. 34. resp. ad dub. 12. subscribit Pontas ibid. cas. 12.

Major est difficultas, an, qui innocens obtinuit divortii sententiam uxorem revocare teneatur, si ipse postea adulterium committat.

R. Vel maritus iste publice peccavit, & tunc uxori ejus datur actio, qua in jus suum restituatur; *Cum paria crimina compensatione mutua deleantur*, ex citato c. 7. *De adult.* &c. vel occultum est mariti crimen, & tunc divisi sunt Doctores. Alii enim cum S. Thoma ubi supra ad 4. censent *propter adulterium, quod vir prius innocens committit*, non debere eum *secundum rigorem juris cogi ad recipiendam uxorem adulteram*: tum quia, *quod bene semel definitum est, nulla debet iteratione retractari*, c. *6.* VI. q. 4. tum quia vir per sententiam libe-

liberatus est a conjugii servitute, ut loquitur Glossa in c. 3. xxxii. q. 7. ita Sanchez ibid. disp. 10. n. 30. Pontas v. eod. cas. 23.

Sed sanior videtur opinio contraria, quam tuentur Doctor Seraphicus in 4. dist. 35. art. 1. q. 5. Pontius, Covarruvias, Barbosa, Navarrus, Fagnan. & alii plures. Ratio est, quia conjux semper tenetur alteri conjugi etiam dimisso servare fidem: unde etiam post divortium peccando, vere adulter est, & stricte iniquus; ergo infert injuriam, quæ compensari debet, si potest. Potest autem non obstante sententia: tum quia hæc reconciliationis facultatem non aufert; tum quia lata non fuit pro statu præsenti, sed pro statu innocentiæ, qui jam non subsistit; tum denique quia in hypothesi nostra neuter conjux statum mutavit, Religionem amplectendo.

Quod si is, qui innocens erat, committat adulterium, mutato jam statu, aut receptis sacris Ordinibus, dicendum est cum Pontio L. 9. c. 20. n. 7. eum nec debere nec posse ad alium reverti. Quia cum esset habilis ad profitendum, Religio verum in eumdem acquisivit jus, quo impeditur jus conjugis prius dimissi. Idem dicendum de jure, quod per Ordinis sacri susceptionem acquisivit Ecclesia.

Atque hinc deduci potest, maritum, si Novitiatus tempore peccasset, etiam facta Professione ad uxorem reverti debere; utpote qui professus fuerit contra jus, quod uxor ex ejusdem crimine acquisierat, ac proinde sine necessario uxoris consensu.

Quartus casus, in quo conjux compartem adulteram dimittere non potest, est cum suum ipsi crimen condonavit. Quod ut intelligatur, supponendum est non teneri absolute conjugem innocentem ab adultero discedere. Et id quidem certum est de muliere; hanc enim marito etiam palam adulteranti cohabitare posse, docent Theologi saniores, quos sequitur Pontas ibid. cas. 20. tum quia ita facere consueverunt mulieres piæ, quibus sua ad meritum prodest patientia, etsi forte non semper prodest maritis, qui tamen hac via quandoque retrahuntur a vitio; tum quia non præsumitur uxorem, quæ non recedit a tali marito, ejusdem adulterii complicem esse.

Idem etiam certum est de viro, cum uxoris adulterium occultum est, aut manifestum quidem, sed cujus uxorem serio pœniteat: ita docent SS. Thomas & Bonaventura in 4. dist. 35. Ratio est, quia divortii favor in gratiam innocentis introductus est: porro, si nihil obsit: *omnes licentiam habent, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare*, Leg. 29. Cod. *De pactis*, cui consonat Reg. 61. Juris in 6. hic tamen cavere debet maritus incertæ prolis periculum.

Quod si uxor frontem meretricis gerens, in crimine palam vivere pergat, tunc urgebit illud Proverb. 18. *Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens:* imo & adulteræ peccati *reus & particeps*, ut habetur c. 3. *De adulteriis*, &c. Unde colligit Pontas ibid. cas. 19. non posse maritum in hoc casu retinere uxorem, etsi eadem indigeat seu ad victum, seu ad evitandam incontinentiam; extra tamen casum extremæ necessitatis, quæ vix in victu locum habere potest; in incontinentia vero nunquam; cum tentationes precibus & lachrymis coerceri possint. His præsuppositis.

Dico conjugem qui alii conjugi adulterium dimisit, jam ab eo divelli non posse, *divinæ* nimirum *imitatione clementiæ, quæ dimissa peccata in ultionem redire non patitur*, ut ait Gelasius c. 29. xxiii. q. 4. Porro potest conjux innocens nocenti adulterium, ejusque proinde pœnas, dupliciter remittere, *expresse* scilicet, cum id verbis aut litteris manifeste indicat; & *tacite*, quod ex

ex communi Doctorum sententia contingit 1. cum conjux conjugem ad copulam admittit; 2. cum ei amicitiæ signa seu licita, seu prohibita concedit; 3. cum eum, non obstante criminis notorietate, retinet domi: nisi tamen retineat vel ex ignorantia juris sui, vel ex male fundato judicis præcepto, vel ex metu præjudicii sibi imminentis. Tunc enim ne ipsa quidem copula veram condonationem indicaret; sed esset vel solutio debiti putativi, vel solutio coacta. Cœterum prædicta signa idem operantur postquam partes judiciali sententia separatæ sunt, ac ante; quia semper licita est condonatio, extra casum scandali.

Sed quid si conjugibus post alterius adulterium reconciliatis, fornicetur, qui ante innocens alterum dimiserat, poteritne is vice sua dimitti?

R. affirmat. Quia prior injuria fuit omnino deleta, per reconciliationem. Æquum tamen esset, ut qui tibi resipiscenti pepercit, & ei parces resipiscenti. Idem dicit Simonetus ubi de Matrim. p. 394. pro casu in quo postquam uterque conjux mœchatus esset, emendatus alter, alterum ad emendationem & reconciliationem invitasset. Qui enim postmodum emendatus est, reputatur innocens; ac proinde jus habet dimittendi alium, si deinceps ad pristinos mores redeat.

Ut huic adulterii materiæ imponatur finis, quatuor supersunt expendenda, 1. an privata auctoritate divortium fieri possit; 2. an & quando innocens possit, vel teneatur sontem dimissum recipere; 3. an facto ex adulteri causa divortio licitum sit partibus Religionem ingredi; 4. apud quem & cujus expensis educari debeat proles, facto divortio. Quæ omnia ut paucis solvantur, dico

Ad 1. Si sermo sit de sola separatione quoad torum, fatentur omnes partem innocentem ab adultera discedere posse *proprio arbitrio*, ut ait S. Thomas, *Ubi supra art. 3.* & ante judicis sententiam: modo tamen insonti de sontis crimine constet certo, seu physice, quod rarum est, seu moraliter, id est per indicia non *temeraria*, non *probabilia*, sed adeo *violenta*, ut in judicio fidem facere possint; puta si *nudum cum nuda in eodem lecto jacentem* viderit: &c. Etsi vero docent vulgo Canonistæ licitum esse insonti hoc in casu ingredi Religionem, si absit scandalum; fatendum tamen cum iisdem, id vix, ac ne vix quidem in praxi fieri posse: quia testis unus, præsertim in propria causa testis nullus. Unde *C. 12. De præsumpt.* is indubie a judicibus compelleretur reverti ad uxorem; & merito, ne scilicet iis, quos pigeret matrimonii, daretur ansa sub adulterii sibi noti prætextu discedendi a conjugibus. Interim etsi is qui propria sponte discessisset, ad compartem redire teneretur post judicis præceptum, non teneretur tamen eidem judici, qui conjugalis debiti redditionem præcepisset, obsequi; quia ex debiti hujus negatione, utpote occulta non sequitur scandalum. Ita Sanchez Lib. 10. disp. 12. num. 34.

Si vero sermo sit de omnimoda separatione, generatim saltem in Galliis opus est prævia Judicis sententia etiam in casu notorii adulterii: nisi, ait Pontas ibid. cas. 17. tanta sit criminis notorietas, ut hoc nemo in dubium vocet; ut si conjux cum adultero palam vivat; si liberos habuerit, quos certum sit mariti utpote nunc impotentis fœtum non esse; si adultera crimen suum juridice confiteri coacta sit. Aliud esset si adulter suum & mulieris crimen confessus esset, quia ex cap. fin. xv. q. 3. juxta editionem Pithœnam, *Nemini, præterquam de crimine læsæ majestatis, de se confesso credi potest super crimen alienum: quoniam ejus, atque omnis rei professio periculosa est, & admitti adversus quemlibet non debet*. Vide Pontas ibid. cas. 16.

Ad 2.

Ad 2. quatuor dico, 1. Semper licet innocenti conjugem adulterii causa dimissum, ac pœnitentem recipere; ita omnes ex cap. 7. XXXII. q. 1. neque vero innocens acquiescendo sententiæ Judicis cedit juri suo, cum eidem sententiæ nonnisi in sui favorem acquiescat.

Dico 2. Non tenetur innocens dimissum recipere etiam pœnitentem. Ratio est, quia pœnitentia tollit quidem culpam apud Deum, sed nec injuriam homini factam nec pœnæ reatum tollit. Et vero potest innocens adulterum conjugem, cujus crimen didicit, in ordine ad divortium insequi, etiamsi is pluribus jam ab annis inculpate vivat; ut colligunt omnes ex cap. 8. XXXIII. q. 2. ergo multo magis potest ipsum etiam pœnitentem non recipere; quia *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*. Unde cap. *Si vir* 2. *de adult. Si mulier dimissa egerit pœnitentiam..... debet vir, sed non sæpe recipere peccatricem*, intelligitur a Glossa de debito non justitiæ, sed honestatis: quamquam & intelligi potest de debito charitatis, pro eo casu in quo innocens sine magno quodam incommodo recipere potest conjugem emendatam, & hoc expedit saluti ejus, alioqui v. g. ad vomitum reversuræ. Insuper

Dico 3. Non desunt tamen casus, in quibus adulter dimissus recipi debeat: hi nempe, 1. si dimittens in adulterium ceciderit; 2. si condonaverit; 3. si comperiat sententiam Judicis ex falsa præsumptione latam fuisse; 4. si patitur incontinentiæ periculum: huic enim secluso, ut diximus, scandali metu, mederi debet per legitimum conjugem, cum per alium non possit.

Dico 4. Tenetur pars adultera, etiam post sententiam Judicis ad innocentem reverti, si revocetur: modo, ut supponitur, integer sit conjugum status, & neuter Religionem ingressus sit. Ratio est, 1. quia divortiam in favorem innocentis institutum est: *Quod autem ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; ut in præsenti casu retorqueretur, si innocens suo privaretur jure in corpus nocentis; 2. quia nemo debet ex delicto suo commodum reportare; nec debet pœna, qualis est divortium, immunitatem præstare delinquenti; 3. quia alioqui præberetur conjugibus maritorum pertæsis adulterandi occasio.

Ad 3. Licet innocenti edere votum simplex castitatis, vel Ordines recipere, vel ingredi Religionem, ibique irrevocabiliter profiteri, post divortii sententiam, ut diximus paulo ante. Sed non eadem est, ut nec esse debet, conditio nocentis. Is enim sine innocentis licentia non potest ingredi Religionem; quia revocari potest ab innocenti. Si tamen adultera peracta biennio toto pœnitentia adhuc rejiciatur ab innocente, postquam hunc Episcopus, aut alius vir gravis crebro hortatus fuerit ad veniam, docent Canonistæ plures cum Sanchez Lib. 10. disp. 10. n. 16. posse eam in Monasterio profiteri, quia tunc vel concessa est ei facultas profitendi, ut amplius lavetur ab iniquitate sua, vel injuste denegata censetur. Ab hac disciplina non distant Galli, ut colligere est ex iis, quæ docet Josephus Ferriere, v. *Authentiquer une femme*. Addit Pontas v. *Divorce*, cas. 15. uxorem a viro revocari non posse, cum is cognito ejusdem Novitiatu, ac Professione non reclamavit: quia tunc tacere, idem est ac assentiri.

Ad 4. Facto ex quacumque causa divortio, proles omnis educanda est apud conjugem innocentem, expensis illius, qui divortio causam dedit: nisi tamen innocens ad prolis educationem minus idoneus sit. Ita habetur Auth. *Si pater*, Cod. *Divortio facto*, &c. sed superfluum fuerit his, quæ a Judice definienda sint, diutius immorari.

Secunda divortii totalis causa est fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresim,

resim, aut gentilismum. Patet id ex cap. 6. *De divort.* ubi sic: *De illa, quæ a viro suo labente in hæresim sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier ei, cum conversus fuerit, sit reddenda; quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam:* modo tamen hæc Religionem professa fuerit, cap. *Quanto*, eod. tit. alioqui enim tam vir, quam mulier, quamdiu manent sui juris, conjugem conversum recipere tenentur: 1. quia corporea fornicatio, una est divortii perpetui causa; 2. quia nemo jure quod a Deo habet privandus est sine lege expressa: atqui conjux ab hæresi resipiscens jus a Deo habet ut recipiatur ab alio conjuge, cum Deus jus illud iis solum abstulerit, qui carnaliter adulterantur. Aliunde nulla citatur lex quæ expresse hæreticum conversum hoc suo jure privet. Caput enim 6. quod supra citavimus, & cui innititur Pontas v. *Divorce*, cas. 14. vel intelligi debet sub conditione Religionis professæ, vel correctum est per caput *Quanto*, ut censet Glossa. Et hoc in Gallia certius, quam ubicumque videri debet: quia divortium apud nos restringitur quantum potest; unde, ut monet Auctor Coll. Andeg. conjuges a se invicem ob hæresim divelli non poterant ante Edicti Nannetensis revocationem.

Tertia causa est periculum animæ, quando scilicet conjugum alter alterum ita inducit ad crimen, puta ad sodomiam, ad furtum, ad maleficia, ad deserendam fidem, ut is jam cum eo habitare non valeat sine gravi salutis periculo. Negare quidem videtur Alexander III. cap. 2. eod. tit. quod *mulier pro furto aut alio crimine viri sui, nisi fidei suæ religionem corrumpere velit, ab eo* possit *separari*: sed supponit ille Pontifex uxorem a marito non sollicitari ad hæc crimina, quod sæpe contingit, cum econtra raro contingat, ut qui in hæresim lapsus est, alium conjugem in eam attrahere non conetur. Adde quod cum religio veræ fidei quocumque crimine corrumpatur, possit is esse Alexandri III. sensus: *Mulier a viro etiam scelesto non discedat, nisi is eam ad crimen adducere velit*.

Cœterum conjux non potest in exteriori foro a conjuge discedere efficaciter, nisi probet se ab illo ad paria crimina vivide sollicitari: quia & sollicitatio hæc crimen est, & crimina non præsumuntur, sed probantur. Quod ad forum interius spectat, mulier cujus saluti verum a viri cohabitatione periculum imminet, cohabitare non potest etiamsi ad id per censuras compellatur.

Quarta divortii causa, quæ ut plurimum & fere sola viget in Galliis, sunt sævitiæ, seu malæ alterutrius conjugis tractationes, quæ, qua de causa nescio, gallice vocantur *sevices*. Itaque, ait Sylvius in Resolv. v. *Divortium. Si vir gladium apposuerit ad collum & gulam uxoris, animo occidendi vel feriendi: si insidias vitæ paraverit per venenum, vel maleficia, vel alio modo: si minatus sit occidere, & præ terribili ingenio soleat minas exequi, aut prudenter judicari possit, quod ea sit executurus... si minis accedant injuriæ, & aliæ malæ tractationes, quæ excedant terminos levis correctionis marito erga uxorem permissæ: si sint percussiones graves & atroces, aut abortum causantes, aut sanguinolentæ, aut in capite vel oculo illatæ: adde etiam verbera, si illa sint immoderata*: quæ omnia a Judice definiri debent *attenta qualitate personarum & feminæ, quæ vexatur: quia si illa nobilis, pudica, honesta & morigerata fuerit, minores molestiæ censeri debent nomine sævitiæ*; licitum est innocenti coram Judicibus agere in separationem; nisi pars; quæ sævitiam exercuit, spem injiciat moderationis convictus. Si tamen, ait Alexander III.

cap. 8.

cap. 8. eod. tit. *De divort. capitali odio ita mulierum vir prosequitur ; quod merito de ipso* ejusque promissis *diffidat , alicui probæ & honestæ mulieri usque ad causæ decisionem custodienda studiosius committatur in loco , ubi vir , vel parentes ejus , mulieri nullam possint violentiam inferre.*

Hic duo notanda cum Auctore Coll. Andegav. Tom. 1. de Matrim. p. 529. & 530. 1. maritum qui capitalis criminis notam impegerit uxori, nec probare potuerit, sufficientem divortio causam dedisse, prout anno 1716. judicavit Senatus Parisiensis; 2. ut uxori contra maritum, sic marito contra uxorem licitum esse agere titulo sævitiæ. Quidni enim a muliere dœmoniaca separari velit maritus, ut hæc velle potest a viro ejusdem farinæ separari. Sane parem esse utriusque conjugis hoc in puncto conditionem supponit Lex 8. Cod. *De repudiis*, §. 3. ubi sic: *Nec ullo modo vir expellat nisi adulteram, vel veneficam, aut homicidam, aut plagiariam... vel sibi veneno vel gladio, aut alio simili modo insidiatricem.* Atque hinc obiter colliges iram prætereuntem, rixas leves, minora jurgia, cœterasque id genus matrimonii appendices, legitimam non esse causam divortii; quod ne propter minutiora hæc tentetur, totis viribus obstare debent Pastores, qui & marito prudentiam, quam debet habere majorem, & uxori patientiam, qua præstare debet, sollicite commendabunt.

Addo ex communi Doctorum sententia percussionem etiam atrocem, quæ ex insolita ira vel perturbatione processerit, nullumque pro futuro similis excessus periculum inducit, non esse sufficientem divortii causam: 1. quia ex insolito, & transeunte motu non colligitur sævitia viri; 2. quia non conceditur divortium ad ultionem sævitiæ, sed propter imminens deinceps ejusdem periculum; 3. quia cum cessat mariti sævitia, eique sufficienter provisum sit, tenetur uxor ad eum reverti; ergo multo magis tenetur non discedere, cum nihil sit, quod in posterum vereatur.

Quæres an sit divortio locus, si mulier pessima sua agendi ratione, conviciis, petulantia, &c. virum commoverit?

R. affirmat. Quia potest quidem uxor ob delicti sui qualitatem puniri, sed a judice, non a marito. *Præceptoris enim nimia sævitia culpæ adsignatur*, Leg. 6. ff. *Ad leg. Aquil.*

Quinta legitimæ separationis causa est cum timet mulier, ne in mariti sui criminibus involvatur, & propter illa vitæ, bonorum, aut honoris dispendium incurrat. *Si qua* ergo mulier, ait Lex 8. Cod. *De repudiis, maritum suum adulterum aut homicidam, veneficum, vel certe contra imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit ..... ei permittimus libertatem & causas dissidii legibus comprobare.* Hic tamen cavendum ne vel falsum imponatur crimen, vel verum detegatur, cum non debet: unde prudenti opus est consilio.

Sexta causa est alterutrius conjugis furor; unde alteri impendeat vitæ, vel gravis infortunii periculum. Quod si furoris effectus coerceri possunt, pars sui compos, omni quo potest modo aliam fovere, ac juvare debet, nedum ab ea recedere possit.

Septima causa est pietas, quam ut impensius sectentur conjuges, ab eodem lecto divelli possunt de communi consensu, non tamen ab eadem habitatione, nisi eorum alter, vel Ordines sacros recipiat, vel in Religione profiteatur; & tunc *si ita uxor senex est & sterilis*, adde & casta, *quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare* poterit Episcopus, *ut ea in sæculo rema-*

remanente & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejus: alioqui & ipsa, quantumvis extra incontinentiæ suspicionem posita, si juvenis sit, ad Religionem amplectendam compellenda erit, prout statuit Alexander III. cap. 4. *De convers. conjugat.*

Porro quidquid opinetur Sanch. L. 7. disp. 32. n. 15. merito docet Fagnan. in cap. mox citatum, judicis esse definire quis censeri debeat senex, an non; attentis robore ac constitutione corporis, quin & regionis qualitate: ex quibus fit ut alii ocius, alii serius senescant, & steriles efficiantur. Interim fatetur idem n. 22. cum aliis, ante annum quinquagesimum neminem dici posse senem, quemvis vero senem dici posse post septuagesimum.

Q. An ad separationem quacumque ex causa requiratur sententia Judicis.

R. Ad 1. cum Auctore Coll. Andeg. Tom. 1. p. 539. separationem quoad torum & tectum regulariter ac generaliter loquendo nec licite nec valide fieri absque Judicis arbitrio, etiamsi fiat ex causa justa, modo non adulterii.

Ratio est, tum quia & divortiis & iniquis accusationibus aperiretur janua, si conjux alter ab altero secedere posset pro nutu; tum quia cum partes publica auctoritate conjunctæ sint, easdem simili auctoritate divelli convenit, secundum vulgare istud: *Per quascumque causas res nascitur, per easdem & dissolvi debet*. Unde uxor, quæ a marito discessum parat, ante omnia libellum supplicem Judici exhibere debet, & postea in communitatem aliquam, dum lis agitur, secedere.

Dixi: *regulariter loquendo*, quia si ex mora quacumque immineat periculum grave, ut imminere potest præsertim ex furore mariti, licet sibi illico per fugam consulere, & deinceps implorare opem Judicis.

Dixi iterum: *excepto adulterii casu*; quia mulier, quæ adultero debitum redderet, censeri posset ei condonare; & sic excideret a jure quod habet ad divortium.

Quæres 2. an maritus in hæresi prolapsus possit separare se a conjuge adultera.

R. Posse, quia in criminibus naturæ tam disparis locum non habet compensatio. Pontas ibid. cas. 18.

CONCLUSIO III. Conjugum alter alteri alimenta debet.

Prob. quia conjuges *non sunt duo, sed una caro*, ex Matth. 19. atqui ex Ephes. 5. *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam*: ergo conjugum alter alterum nutrire debet.

Hinc generaliter loquendo, peccat graviter maritus, qui vel negat uxori alimenta cum habet; vel non adhibet diligentiam saltem mediocrem ut acquirat & conservet quantum necesse est boni ad decentem, & statui suo proportionatam uxoris sustentationem, Sic enim lædit tum charitatis conjugalis jura, tum officium capitis familiæ, tum & justitiam; cum ideo dotem, dotisque administrationem recipiat, ut uxorem & familiam sustentet.

Quod si mulier non attulerit dotem, etiam tunc tenetur vir eam sive egenam, sive divitem sustentare, posito quod gratum habuerit ut sibi dotem non constitueret. Secus, si nulla dotis mentio facta fuisset, & mulier esset dives: tunc enim tacite conventum esset de futura constitutione dotis.

Dixi: *generaliter loquendo*, non enim tenetur maritus uxorem alere, 1. cum hujus pater non vult promissam dotem solvere, ut potest: aliud esset si evasisset impar solvendo. Imo si pater ex nimia duritie nec filiam recipere vellet, nec dotem pendere, teneretur maritus rem propriam cum ea partiri,

II. Cum uxor pro libitu discedit a viro, eumve ob causas futiles deserit, ut quia aliquid paulo durius locutus fuerit, aut leviter excesserit in ejus castigatione. Secus si recesserit propter correctionis acerbitatem, aut periculum luis venereæ, morbive alterius perinde exitialis.

3. Si vel dotem consumpserit, inscio marito, vel ea ob perpetratum scelus meruerit a Judice privari. Quamquam nec crediderim uxorem in his casibus a marito deseri posse totaliter; etsi sponte fatebor cum ea tunc durius agendum esse. Pari de causa mulier ex bonis suis debet alimenta præbere viro, ob sua etiam delicta ad carcerem, aut triremes detruso.

SECTIO SECUNDA.

De debito conjugali.

CONCLUSIO. Conjuges in eo, quod ad debitum conjugale spectat, sibi invicem obsequi tenentur, nisi excuset ratio legitima.

Prob. Ex I. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte consensu ad tempus ut vacetis orationi; iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Hæc Apostoli verba thesim nostram & continent & probant.

Hinc inferes 1. obligationem debiti conjugalis esse sub mortali: tum quia est obligatio justitiæ, & in materia gravi; tum quia ex debiti negatione conjicitur alter conjux in periculum multiplicis incontinentiæ. Unde ei, qui serio, & rationabiliter petit etiam tacite, negare debitum vel semel sine justa causa non vacat a noxa lethali. Aliud erit si compars petat remisse, & dilationem facile concedat, nec subeat incontinentiæ periculum.

Inferes 2. cum Pontio L. 10. c. 2. novi peccati reum esse, qui mediis illicitis, v. g. voluntaria pollutione, commercio fornicario reddit se impotentem ad satisfaciendum uxori debitum juxta prudentiæ leges exigenti. Peccaret etiam, qui indiscretis jejuniis vel mortificationibus se ad idem officium notabiliter impotentem redderet. Quod extendit Pontius, etiamsi jejunia sint ex Ecclesiæ præcepto; quia, inquit, fortius est istud justitiæ vinculum. Hæc tamen limitatio vix in praxi inservire potest, quia vix fiet ut moderata abstinentia graviter impotentemt reddat; & licet reddat minus potentem, non ideo magis deserenda erit, quam exercitia quædam, quæ ad status conservationem conducunt, & tamen vires debilitant. Cæterum uxor, quæ præ deformitate crearet marito periculum adulterii, abstinentias suas sub peccato moderari teneretur.

Priusquam variæ, quæ circa practicam hanc materiam occurrunt, difficultates, expediantur: *Rogo vos fratres* cum S. Cæsareo Arelat. Serm. 88. *ut mihi indulgeatis, quia pro salute animæ vestræ cum grandi timore, & cum verecundia de talibus rebus vos admonere videor, quia & hoc mihi expedit dicere, & vos oportet audire,* utpote non semel iis de rebus interrogandos. Quapropter

Quæritur 1. an conjuges aliquando teneantur petere debitum.

R. Non teneri per se loquendo; cum ex c. 6. *De privileg. liberum sit unicuique juri suo renuntiare.* At tenentur per accidens, si alter præsertim uxor, ex signis vel dispositione remedium hoc cupere videatur, licet ex verecundia taceat. Ita S. Thomas in 4. dist. 32. art. 2. Ratio est, quia tacita peti-

petitio, non desinit esse vera petitio. 2. cum etsi ne tacite quidem petatur, sentitur tamen conjugem alterum versari in periculo incontinentiæ: Quisque enim grave proximi peccatum impedire debet, cum facile potest. 3. cum id ad fovendum amorem mutuum, vitandaque odia necessarium est. 4. cum prolis generatio necessaria est ad avertendum grave damnum, Religionis præsertim, & Reipublicæ. Ita P. Antoine.

Quæres 2. an & quando conjux possit non reddere debitum.

R. Debitum negari posse 1. cum qui petit, vere ebrius est, amens, aut furiosus. Tum enim petitio non est humana. Potest tamen & debet uxor mariti petitioni acquiescere, ut majora mala, adulterium, v. g. aut pollutio compartis vitentur. Si uxor ipsa amens sit, & subsit periculum abortus, non licet petitioni ejusdem acquiescere.

2. Cum, qui petit, non potest rationabiliter conqueri de denegatione; ut si debitum reddi nequeat sine periculo vitæ vel gravis ægritudinis ex copula secuturæ. Se enim habet conjugale debitum sicut alia justitiæ debita, quæ communiter non obligant cum tanto incommodo. Imo quia nemo vitæ suæ dominus est, censeo cum Pontas v. *Devoir*, cas. 33. matrimonii usum graviter illicitum esse, cum mulier a medicis didicit, se, si pariat, probabiliter esse morituram. Censet quidem Sylvius eam, quæ nupsit leproso, cujus morbum non ignorabat, eidem reddere debitum; idque communiter receptum est ab iis qui titulum *De conjugio leprosorum* interpretati sunt: verum decisio hæc ad minus dubia mihi videtur, si judicari possit morbum hunc saltem proxime mortem illaturum esse. Ut ut est, non licet negare debitum propter incommodum graviditatis, & ordinariam partus difficultatem.

3. Cum conjux petendi jure excipit per adulterium: si tamen scelus illud ab altera parte ignoretur, aut dissimuletur, licebit si non exigere ut stricte debitum; saltem petere ut concedendum benevole. Non enim tenetur adulter manifestare crimen suum; aut exequi in se pœnam debiti non petendi, nisi hæc a conjuge innocente imponatur. De aliis delictis, quæ privationem debiti inducunt, dicam infra q. 4.

1. Cum petitur frequentius: id enim & rationi dissentaneum est, & graviter incommodum.

Quæres 3. Quandonam debitum absolute debeat negari.

R. Quoties pars, a qua petitur, necessario peccaret concedendo. Hinc 1. concedi nequit in loco sacro, etiam ad vitandam petentis incontinentiam; ut dixi in Tractatu de Peccatis.

2. Cum is, qui petit, debitum concubitus modum ita prætermittit, ut non possit recipi semen; ut si copulam perficere velit in vase indebito; vel eam ita tentet in vase naturali, ut ipsa concubitus dispositione manifestum subsit periculum seminis extra vas effundendi. Ratio est, quia talis congressus est prohibitus ob circumstantiam ipsi actui inhærentem; quare perinde est, ac si vir peteret, ut uxor sibi ad pollutionem cooperaretur. Unde ne mortis quidem ipsius timor excusaret tunc fœminam reddentem, ut docet Sanch. L. 9. disp. 16. n. 7. disp. 17. n. 5. Cæterum sodomiam inter conjugatos gravius esse peccatum, inter solutos, & veri adulterii specifice confitendi rationem habere docet idem Sanch. disp. 18 n. 3. & 4. *Pontas ib. c. 39.*

3. Cum vir præ senio copulam perficere non valet. Si vero semel in uno aut altero mense perficere possit; certum videtur, ait Pontas hic cas. 40. illius uxorem ad debitum ei persolvendum etiam sub peccato mortali teneri.

4. Cum vir, ne uxor concipiat, aut alia de causa detestabile Onami crimen committit, & semen fundit extra vas; idque mulier ex continua experientia compertum habet. Aliter dicendum si vir identidem copulam perficiat, quia non licet ob incertum crimen jure suo radicali quempiam spoliare. Interim uxor virum serio monere debet, ut a tanto crimine abstineat.

Sed quid si mulier versetur in gravi incontinentiæ periculo, poteritne debitum reddere, aut petere?

Respondet Habertus uxorem, quæ alterum Onam experitur in marito, non posse eidem etiam extrema minanti obtemperare absque lethali peccato: quia, inquit, concurreret ad actum per se malum. Et vero ajebant viri graves ea de re consulti, uxor præbet materiam actioni mortiferæ, quæ cum utriusque conjugis cooperationem requirat, utrique eodem modo imputari debet, sicut & furtum, ad quod alter alteri quasi invitus cooperaretur.

Hæc momenta probant quidem uxorem nec posse nec debere obsequi marito absque gravi causa. Sed nihil probant pro præsenti casu, in quo mulier post adhibita remedia orationis, eleemosynæ, &c. in gravi incontinentiæ periculo versari supponitur. Certe sicut ob gravem causam licet mutuum exigere ab eo, qui sub usuris daturus sit, aut Sacramenta ab infami Ministro, quia uterque potest id, quod petitur, legitime dare; sic & videtur uxor uti posse jure, quod habet ad copulam, quia penes maritum est legitime copulari. Equidem constat non id facturum sine peccato; sed constat etiam malum Parochum non daturum Sacramenta sine crimine. Quidni ergo sicut usurarii aut mali Sacerdotis crimen, in eos solos cadit, quia, qui ad eos recurrunt, materiam, ut ita loquar de se innocentem præbent, ita mulier necessitate pressa recurrere possit ad virum, cujus crimen personale est, & junctum actioni, quæ licite exerceri valet?

Nec nocet allatum exemplum furti, cui duo cooperarentur. Malitia enim furti non se tenet ex parte personæ tantum, sed & ex parte actus, cui proinde quisquis cooperatur, malo cooperatur. At vero malitia illius, qui se retrahit, non tenet se ex parte copulæ ipsius, quæ ab eodem rite perfici potest, sed ex mala ejusdem voluntate pendet. Adde quod furi cooperari posses, si in extrema necessitate versareris: quamquam ut non opus est extrema necessitate ad petendum sub usuris, sic nec extrema opus esse videtur ad peccandum a novo Onam debitum. Et vero percussus est Onam, non uxor ejus. (Et hæc dicta sint, non ut quis in eis pedem figat, sed ut habita cum doctioribus collatione partem vero magis similem amplectatur.)

Saltem, inquies, non licebit reddere debitum ei, qui petit illicite ob circumstantiam inamovibilem, puta si petens sit ligatus voto; aut per incestum cum consanguinea uxoris suæ commissum exciderit a jure suo, aut serio dubitet de valore matrimonii.

Et hic quoque dividuntur Theologi. Censent Sanch. L. 9. disp. 12. Bonacina de Matrim. q. 4 punct. 3. Heislinger p. 1. cas. xi. & alii non pauci post S. Antoninum, debitum tunc posse & debere reddi: quia sicut non obstante voto simplici castitatis poterat pars vovens transferre in aliam personam dominium corporis sui mediante matrimonio; sic & voto non obstante servare potest, & de facto servat dominium in corpus conjugis: ergo cum debitum exigit, peccat quidem, sed tamen utitur jure suo: ergo conjux eidem debitum negare non potest sine injustitia. Quemadmodum si Deo soli promiserim me non repetiturum esse id, quod mutuo dedi, & id tamen postea non

obstan-

obstante voto repetam, erit petitio hæc mala malitia hinc, & nunc inamovibili; & tamen, qui mutuum acceperat, licite, imo & ex justitia redditioni mutui hujus cooperabitur.

Oppositam opinionem tenet Pontius lib. 10. c. 3. n. 3. ubi generalem hanc regulam post alios plures constituit: *Quotiescumque petens debitum peccat in petitione, sive ratione circumstantiæ se tenentis ex parte actus, sive ex parte personæ petentis, si non est in potestate petentis se liberare ab ea circumstantia, quæ reddit licitam petitionem, prout tunc exercitam, est peccatum in reddendo.* Ratio ejus hæc est, quod qui tunc reddit, cooperetur actioni hic, & nunc malæ, quæ sine jure ullo exigitur, quia totum petentis jus voto ejusdem ligatum est quoad usum: ergo non minus peccat reddendo debitum, quam peccaret caupo præbendo carnes Carthusiano cognito ut tali; aut quivis alius ministrando cœnam ei, quem sciret hac die obstrictum voto jejunii. Aliud esset, si malitia actus posset per agentem removeri. Unde, inquit, non debet debitum negari ei, qui fornicario animo petit (& hoc ultimum docet cum Sylvio Pontas ibid. cas. 8.)

Quod spectat ad exemplum voti de non repetendo mutuo: vel votum illud mutuatario incognitum est, & tunc non peccat reddendo; vel est eidem cognitum, & tunc nec debet, nec potest reddere. Non debet, quia votum hoc, nisi insanum est, quamdam donationem importat; non potest, quia præberet materiam transgressionis voti. Hæc fere Pontius.

Posterior hæc opinio satis consona est iis, quæ diximus agendo de Charitate. Quoniam vero ibidem ex communi Theologorum sensu dictum est præberi aliquando posse materiam mali, cum alioqui gravius imminet malum; addendum foret uxorem marito habenti votum castitatis obsequi posse, cum, nisi obediat, gravius impendet malum, quam quod avertere conatur, puta uxoricidium. Supra p. 332.

Alii tamen faciliorem a quocumque peccato declinandi viam aperiunt: suadent scilicet ut compars, quæ non vovit, petat dum prævidet a vovente petendum; sic enim utrique licita erit copula. Quod si vovens prævenerit, alter dicat petenti: Volo ego ut tu mihi reddas. Ita P. Antoine Tom. 2. pag. 368.

De voto castitatis a conjugibus emisso vide, quæ dixi in Tract. de Relig. part. 2. cap. 5. sub finem.

1. Hic addere juvat eum, qui, emisso ante matrimonium voto castitatis, uxorem ducit, teneri tum ad abstinendum semper a debiti petitione, tum uxore defuncta a secundis nuptiis. Ratio est, quia votum impleri debet quantum potest.

An autem idem homo ante matrimonii consummationem teneatur Religionem ingredi, controvertitur. Et quidem non tenebitur, si Religioni idoneus non fuerit; tuncque ne prima quidem vice peccabit matrimonium ad alterius petitionem consummando. Quod si aptus sit ad Religionem, censent plures eumdem ad Religionem teneri. Quia qui votum habet, idem debet implere, si potest: potest autem ingrediendo Religionem; quod si medium illud sit arduum, sibi imputet, cum sua se culpa conjecerit in necessitatem illud adhibendi ad servandum votum. Ita inter alios S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. S. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 4.

Aliter sentiunt Sanch. lib. 9. disp. 34. n. 8. Cabassut. lib. 3. c. 21. n. 4. &c. 1. quia ut quis debitum sua etiam culpa contractum solvat, necesse non est, ut dura quæque, & extraordinaria media assumat, ut diximus T. t.

2. quia Religionis status requirit vocationem moraliter certam ; cum in male vocatis fœcunda sit miseriarum seges: quis vero puellam, v.g. quæ, promissa Deo castitate, nubit, illico asserere ausit ad Religionem rite vocatam esse . 3. quia Joannes XXII. cap. unic. *De voto* , & statuit ut qui inconsulta uxore sacros Ordines suscepit, *ad ingressum* Religionis, si matrimonium consummatum non fuerit , per Episcopum *instanter* moneatur : *Quod si*, inquit, *forsan renuerit adimplere*, *ipsum*, *si sponsa ejus institerit*, *per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare*: atqui si credidisset ille Pontifex necessum esse ut homo votum habens castitatis, ejusdem servandi causa, ingrederetur Religionem, non jussisset eum per censuras adigi ad matrimonii consummationem , sed econtrario eumdem , vetita per censuras matrimonii consummatione, compulisset ad ingressum Religionis: ergo.

Posterior hæc opinio admodum probabilis apparet, & iis , qui a priori SS. Thomæ, & Antonini sententia recedere nolent, ad id saltem inserviet ut propter dubium sibi sufficere putent Episcopi dispensationem; prout jam docui in Gallico Tractatu de Dispensationibus, Tom. 2. pag. 167.

5. Debet negari debitum cum uxor uterum gerit, & ex redditione incurreret periculum abortus, fœtu etiam nondum animato . An autem & quousque secluso abortus periculo peccent conjuges, qui eo tempore matrimonio utuntur, non convenit inter Theologos. Communior opinio nonnisi veniale peccatum hic agnoscit cum S. Thoma in 4. dist. 31. idemque est de concubitu cum menstruata , ex qua falso docent aliqui nasci prolem leprosam . Et vero si fluxus diu nimis duraret , posset maritus juxta SS. Thomam, & Antoninum accedere ad uxorem sine culpa: ergo accessus ille eo præsertim vitiosus est, quod incontinentiam denotat, secundum id Aug. lib. 3. contra Julian. c. 21. *Pudicitiam* conjugalis *nec menstruatis*, *nec gravidis utitur fœminis*, *nec ejus ætatis*, *qua certum est eas jam concipere non valere*.

Eadem est ratio concubitus cum uxore tempore puerperii . Unde placet tota Sylvii decisio : sic ille in Suppl. q. 64. art. 7. *Tempore puerperii nec petere licet nec reddere* debitum , *ut respondet Gregorius c.* 10. *ad interrogationes Augustini Angliæ Apostoli*; *idque partim ob mulieris indispositionem*, *partim ob nocumentum prolis jam natæ*, *vel ejus* , *quæ nasci posset ex tali complexu* . *Si tamen tali tempore congrediantur* , *non videtur esse mortale* , *nisi aliquod damnum inde fit rationabiliter timendum* ; puta si probabile sit infantem necdum ablactatum , vitiato ex concubitu lacte graviter debilitatum iri.

5. Ambigitur an mulier, quæ hactenus mortuos filios edidit, possit reddere aut etiam exigere debitum.

R. cum Sanchez, Bonacina, Sambovio, Haberto, & aliis pluribus contra Sylvium , marito graviter instanti obsequendum esse : quia nonnunquam contingit , ut quæ pluries abortum fecerat, pariat tandem feliciter. Et vero abortus plerique e sola prodeunt culpa conjugium, qui vel intemperantius utuntur matrimonio , ita ut impediatur plena fœtus conformatio; vel sibi prægnationis tempore non satis consulunt, seu uterum arctius constringendo, ne gravidæ videantur , seu onera nimia deferendo . Quin & id occultis Dei judiciis tribui potest, ut docet Aug. Lib. de grat. & libero arbit. c. 22. unde benedictio ejus efflagitanda est crebra oratione, frequenti eleemosyna , aliisque hujusmodi piis operibus.

De abortu pluribus dicam, cap. sequenti.

Quæ-

Quæres 4. qui futiles sint negandi debiti prætextus.

R. esse plures. Sic peccat mulier 1. quæ marito etiam publice excommunicato debitum negat: quia obligatio naturali jure imposita per excommunicationem non relaxatur: & ita definiit Gregorius VII. in Synodo Romæ habita an. 1078.

2. Quæ marito hac in parte obsequi non vult, quia de recipienda sacra synaxi cogitat, aut festam diem sanctius transigere intendit. Unde si petens monitioni non acquiescat, non erit jure suo frustrandus; quamquam is, seclusō gravi incontinentiæ periculo, non sit immunis a culpa; quia *omnia tempus habent... tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus*. Eccle. 3. quo autem tempore magis recedendum est ab actibus, qui deprimunt animam, & ad Dei obsequium tardam & hebetem efficiunt, quam eo, quod Deus cultui suo specialiter consecratum esse voluit? *Hinc B. Paulus Apostolus ad Corinthios scribit dicens*: Abstinete vos ad tempus ut vacetis orationi, *& hoc utique Laicis præcepit*, ait Inn. I. in sua ad Exuperium Epist.

An autem eadem die permitti possit Eucharistiæ receptio, nonnihil habet difficultatis. Negasse videtur Synodus Illiberitana an. 305. his verbis: *Omnis homo ante sacram Communionem a propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus*. Et vero ait S. Hieronymus relatus Can. 1. xxxiii. q. 4. *Si panes propositiones non poterant ab his, qui uxores suas tetigerant, comedi; quanto magis panis ille, qui de Cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo ante hæsere amplexibus violari atque contingi*? Si tamen, ait Sylvius in 3. p. q. 80. art. 7. *aliqua causa oppositum suadeat, ut Festi solemnitas, dies indulgentiarum, specialis devotio, aut nota quædam ex communionis omissione*, licebit ad sacram mensam accedere. (Idem obiter dicendum de iis, qui nocturnas illusiones vel sine sua culpa, vel ex causa leviori passi sint.) Nisi tamen *effectus aliqui maneant, ut turpium cogitationum occursus, mentis distractio, &c.* tunc enim *congruum est abstinere*, nisi gravior suppetat causa, ut *Festi solemnitas, specialis aliqua devotio, vel infamiæ evitatio communionem postulet*. Ita idem ibid. suffragatur Pontas V. *Devoir*, cas. 7. & V. *Communion*, cas. 2.

3. Nec potest saltem moraliter conjux conjugi recusare debitum metu prolis numerosæ. Est enim id diffidentia quædam de providentia, quæ dando benedictionem uteri, frequenter etiam dat benedictionem boni temporalis; seu faciendo ut inter tot liberos nascatur unus, qui familiam promoveat, seu aliter. Debet ergo uterque jactare curam suam in Domino, *qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*. Psal. 146.
Et vero, qui censent cum Henno Tom. 8. p. 559. conjugem, qui non habet in re aut in spe, unde pluribus pueris juxta moderatam suam conditionem providere possit, non teneri reddere debitum comparti, excludere solent casum periculi incontinentiæ: ideoque fatentur opinionem nostræ oppositam raro reducendam esse ad praxim; imo nunquam posse *a pauperibus communibus, cum possint prolibus omnibus mendicando providere*: Non desunt tamen occasiones, in quibus eadem opinio inservire possit, ut si honesta mulier in extremam conjicienda sit necessitate seu respectu sui, prolisve suæ, seu respectu patris, quem jam alere non possit, &c. Circa quod vide singularem casum apud Comitolum lib. 1. qu. 136. Ut ut est, docet S. Antoninus licitum esse conjugibus a copula ex mutuo consensu abstinere ad vitandam filiorum multitudinem, modo absit incontinentiæ periculum.

4. Haud licitum est negare debitum leproso, vel eplipetico, præcise ne nascitura proles iisdem morbis inficiatur: *Melius enim est* prolem *sic esse, quam penitus non esse*, ait S. Thomas in 4. dist. 32. q. un. art. 2. Vide Lamet V. *Devoir*, cas. 3. Aliud esset ut supra dixi, si ipsi conjugi immineret periculum mortis ex hac sua debiti redditione.

5. Nec licet reddere debitum, quia uxor pactam dotem non solvit, tum quia debiti obligatio non e dotali contractu, sed ex matrimoniali proficiscitur; tum quia maritus alia via dotem insequi, & obtinere potest.

Quæres 5. quæ crimina conjugem alterum vel utrumque privent jure petendi debitum.

R. quatuor assignari, adulterium, affinitatem, baptismum, ac demum susceptionem prolis seu communis, seu quam alter conjux ex alio progenuerit. De adulterio diximus supra, de cœteris agemus in præsenti.

Et quidem 1. affinitas, quam contrahit alteruter conjux per commercium formaliter incestuosum, & completum cum consanguineis conjugis alterius in primo vel secundo gradu, privat reum jure petendi debiti. Ita sancitum est c. 1. *De eo, qui cognovit*, &c.

Dixi 1. *affinitas quam contrahit alteruter conjux*; quia in hac materia idem est jus uxoris, ac mariti, ut fatentur omnes apud Sanchez lib. 7. disp. 15. num. 1. nec interest an crimen occultum sit, necne; quia nulla lex requirit ut sit publicum.

Dixi 2. affinitas *per commercium formaliter incestuosam*: unde mulier per vim a mariti sui consanguineo cognita, non excidit a jure suo, quia nullam commisit culpam; hæc autem privatio per modum pœnæ statuta est, ut patet ex c. 6. eod. tit. (Aliud esset si mulier metu ipsius mortis cessisset: quia non cessisset, nisi gravissime peccando.)

Hinc etiam non excidit a jure suo maritus, qui cognoscit fœminam, quam uxoris suæ consanguineam esse ignorat; & licet affinitatem contrahat cum aliis cognitæ consanguineis, quas idcirco post uxoris suæ mortem ducere non posset, eam tamen non contrahit, quod privationem juris petendi debitum, in cujus possessione jam antecedenter existebat. Ita sentiunt pene omnes teste Sanchesio Lib. 9. disp. 32. n. 43. Ratio est, quia citato c. 1. *De eo, qui cognovit*, &c. expresse habetur: *Si qui cum filiastra sua* (id est privigna) *scienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem*: ubi expresse requiritur sciencia ad incurrendam petendi debiti privationem.

Sed duplex hic oritur difficultas, utraque gravis. 1. an ignorantia vincibilis facti excuset ab ea pœna. 2. an excuset quæcumque ignorantia juris.

Quod spectat ad primum, fatentur omnes non excusare ignorantiam affectatam facti: quia ignorantia hæc dolo, & proinde scientiæ æquiparatur. Sed contendunt plures, quos citat, & sequitur Pontius lib. 10. c. 6. n. 10. excusare ignorantiam etiam crassam: quia cum ex una parte lex scientiam requirit, dicendo: *Si præsumpserit, si ausus fuerit, si scienter* vel *temere fecerit*; & ex alia parte occurrit ignorantia quævis, modo non affectata, jam deest ille modus, quem lex requirit ad inflictionem pœnæ; aliunde vero pœnæ restringendæ sunt, non extendendæ. Huic opinioni ob communem Theologorum sensum jam adhæsi in Tractatu de Censuris part. 1. c. 4. modo tamen ignorantia non sit adeo crassa, ut affectatæ æquivaleat.

Atque hinc colligit Sanch. ubi supra n. 48. eum, qui abusus est uxoris suæ consanguinea in secundo gradu, quam falso credebat esse solum in tertio gra-

gradu, non incurrere hanc pœnam: quod extendit etiamsi is ex erronea conscientia putaret sibi propter commercium in tertio gradu interdici debiti petitionem. Tunc enim adhuc perseverat ignorantia facti, cui pœna illa respondet, non autem conscientiæ erroneæ. Sic qui percutit Clericum, quem bona fide Laicum esse putat, non contrahit censuram, quamvis erronee existimet Laicorum percussores excommunicationi obnoxios esse.

Quod spectat ad ignorantiam juris, hæc in præsenti bifariam intelligi potest. Vel enim ignoratur commercium cum consanguinea uxoris Ecclesiastica lege prohiberi; vel cognoscitur lex, sed ignoratur talem pœnam eadem lege impositam esse. Si secundum censemus cum Sanchez ibid. n.21. pœnam incurri. Ratio est, quia regulariter loquendo ad incurrendam pœnam non prærequiritur ejusdem pœnæ cognitio, ut probatum est in Tractatu de Irregularit. par. 1. c. 4.

Major est difficultas an in primo legis incognitæ casu eadem pœna incurratur. Negant non pauci; alii, quia credunt non incurri pœnas, nisi cognoscatur lex Ecclesiastica; quam opinionem rejecimus in Tract. de Irregular. ibid. Alii & melius, quia lex privans jure debiti requirit scientiam; & cum pœnalis sit, mitius & benignius intelligi debet, itaut tam juris, quam facti scientiam requirat. Sed quia hæc opinio minus est communis, & aliunde c. 1. *De eo, qui cognovit* &c. aperte satis de scientia facti loquitur, ut ad eam solam possit restringi, satius est ut quisquis in hoc casu versabitur, ab Episcopo dispensari curet.

Dixi 3. *& completum*, scilicet per penetrationem vasis ordinarii, & in eo seminis emissionem; etiamsi mulier ipsa non seminet. Ita cum communiori sententia docet Comitolus l. 1. q. 130. quem & alios circa materiam hanc Christianis auribus admodum gravem consule, si indiges. Favet c. 7. *De eo, qui cognovit*.

Dixi 4. *cum consanguineis conjugis alterius*. Si quis enim propriam suam consanguineam, vel cognatam spiritualem, aut legalem, vel affinem uxoris suæ cognoscat, non erit huic pœnæ obnoxius; quia id nullibi constitutum est in jure; & sæpe minorem culpam plectunt Canones, non punita graviore, quia rariori. Vide Pontas hic cas. 23. Sanchem lib. 7. disp. 15. n. 8.

Dixi 5. cum consanguineis *in primo vel secundo gradu*. Ratio est, quia cum Tridentinum affinitatem ex copula fornicaria ortam, in ordine ad matrimonium contrahendum ita restrinxit, ut nonnisi in primo & secundo gradu locum haberet; eamdem indirecte restrinxit quantum ad usum matrimonii: cum cohabitatio utpote matrimonii accessoria, naturam principalis sequi debeat. Et ita declaravit Congregatio Cardinalium apud Sanchem l. 9. disp. 27. n. 14. *Vide Resolutiones Heislingeri 1. par. cas. 15.*

Dixi 6. *privat reum jure debiti*. Etsi enim conjux innocens jus suum semper retinet, ut infra dicam, haud tamen ad redditionem debiti tenetur; quia ubi jus petendi amissum est, ibi nulla & invalida est petitio: *Ubi autem nulla est petitio, ibi nulla est mora*, Leg. 127. ff. *De verb. obligat*.

Quod si uterque conjux incestum commiserit, videndum an id ideo factum sit ut alter alterum fraudaret, an solo voluptatis intuitu. In secundo casu extra dubium est utrumque excidisse a jure suo; unde neuter aut petere potest, aut petenti reddere, juxta superius dicta. An vero idem dicendum sit in priori casu, colligetur ex iis, quæ a pari dicentur in casu, quo ambo conjuges suam prolem baptizaverint.

Sed

Sed quid si parte altera affinitatem contrahente, altera in adulterium lapsa sit, nonne crimen crimine compensabitur?

R. negat. quia compensatio in criminibus disparis naturæ locum non habet: nec penes conjugem alium est pœnas legibus sancitas moderari. Qua etiam de causa conjux incestuosus, etsi debitum reddere debet, & de facto innocenti petenti reddit, nusquam tamen exigere potest, donec obtinuerit dispensationem. Et licet eam invito innocente obtinere possit, potest semper pars minime rea eidem debitum negare, non ratione affinitatis, cujus vinculum dispensatione sublatum est, sed ratione adulterii donec ab innocente condonetur. Amissio enim juris propter adulterium, est favor innocenti ab Ecclesia concessus, quo a nemine spoliari potest. Ad id tamen inservit Episcopalis dispensatio, ut, si occultum sit crimen, debitum peti possit ut benevole reddendum.

Quin & ante obtentam dispensationem debitum peti posse videtur, cum alioqui injicietur suspicio criminis admissi, aut alter conjux adducetur in periculum incontinentiæ; aut, addunt aliqui, credet se minus diligi. Quod ultimum est difficilius; cum maritalis amor multiplici alia ratione exhiberi possit. Interim urgenda est quamprimum dispensationis impetratio.

Hic addere juvat, conjugem, qui alterius incestui consentit, a suo jure excidere, non secus ac si ipse commisisset incestum. Ita expresse docet S. Bonaventura in 4. dist. 34. art. 3. q. 1. Et vero ideo Canones innocenti permittunt ut debitum petere possit, quia *non debet suo jure sine culpa privari*: atque hæc ratio locum non habet, cum alter alterius culpæ consensit: ergo.

Secundum delictum, vi cujus conjugum alter privatur jure petendi debiti, est cum pater v. g. culpabiliter baptizat, vel in Baptismo aut Confirmatione suscipit seu communem, sui nempe & uxoris suæ filium, seu prolem, quam uxor sua ex alio legitime vel illegitime habuerit. Equidem pœnam hanc hodie non contrahi censent viri graves, quos citat & sequitur Coninck disp. 34. dub. 8. n. 66. pag. mihi 852. ubi antiqua jura, quæ potissimum habentur causa 30. q. 1. posteriori Decretalium jure correcta esse contendit. Sed quia Theologi plerique post SS. Thomam & Bonaventuram in 4. dist. 52. art. 1. impedimentum hoc agnoscunt; quia insuper hujusmodi pœnæ ope consuetudinis, quæ ambiguas leges optime interpretatur, induci possunt; quia demum a tutiori parte non est facile recedendum, idcirco tritam viam sequemur. Itaque

Dixi 1. *cum pater v. g.* ut ostenderem eamdem esse matris ac patris in præsenti casu conditionem.

Dixi 2. cum *culpabiliter baptizat*. Si enim baptizet in casu necessitatis, aut ex ignorantia facti, puta quia nescit eum, quem baptizat, suum esse, aut conjugis filium, immunis est a pœna, sicut & a culpa: qua etiam de causa vir propriam uxorem ad fidem conversam urgente necessitate baptizans, nullam cum ea contraheret cognationem conjugalis officii impeditivam, ut bene docet Pontius lib. 10. cap. 6. n. 5. Et vero, ait Joannes VIII. cap. 7. 30. q. 1. *inculpabile judicandum* est, *quod necessitas intulit*. An autem excuset hic ignorantia vincibilis facti vel juris, colligendum est ex iis, quæ supra dixi agendo de affinitate. Imo caput *Si vir*, 2. *De cogn. spir.* scientiam juris requirere videtur, ut incurratur prædicta pœna.

Sed quid si vir communem, aut uxoris filium baptizet absente quidem Sacerdote; sed præsentibus aliis, qui baptizare possent?

Cen-

Censeo cum Sambovio, Pontas, Auctore Collat. Andeg posse virum hunc, ut antea, matrimonio uti. 1. quia Joannes VIII. subindicat tunc tantum peccare patrem cum in præsentia Sacerdotum prolem suam baptizat. 2. quia pœnæ, quantum fieri potest intacta Canonum littera, restringi debent. 3. quia hæc nostra opinio tot in Diœcesibus docetur, ut ibidem approbata esse videatur: unde hic virtualis quædam intervenit dispensatio. *Vide Pontas ibid. cas.* 52.

Si cui tamen hæc opinio minus probabilis videtur, ut visa est plurimis, quos citat & sequitur Sanch. lib. 9. disp. 26. n. 3. præsertim, quia Joannes VIII. ponderat, patrem, de quo consultus erat, *bene fecisse* baptizando filium, ne decederet sine baptismo; quod supponit neminem prorsus adfuisse, a quo baptizaretur infans: si cui, inquam, opinio hæc minus probetur, is ad Episcopum recurrat, dispensationem obtenturus.

Quod si quis, ait Pontius idem cum Sanchez sentiens, videns filii sui necessitatem, etiam præsentibus aliis pene indeliberato accurreret, eumque imminenti periculo territus baptizaret, laudem potius mereretur, quam vituperium, & a pœna immunis videretur; quia in tanta necessitate vix suppetit deliberandi locus.

Dixi 3. vel *suscipit in baptismo*, &c. nimirum personam gerens patrini, (non autem puerum materialiter suscipiens:) hoc enim in casu multo probabilus est incurri privationem juris conjugalis, non quod extet ulla lex, quæ id diserte probet, sed quia ita sentit longe major Doctorum copia, a quibus non est temere recedendum.

Sed quid si maritus in baptismo patrini munus exerceat in defectum alterius cujuscumque? Scinduntur hic ut & in aliis pluribus Theologi. Alii cum Pontio, perpetuo fere Sanchesii adversario, existimant eum privationi, de qua loquimur, obnoxium esse: quia nulla est vera in baptismo etiam solemni patrini necessitas. Alii eumdem ab hac pœna immunem esse volunt, etiamsi in baptismo privato idem exerceat munus. Quia etsi absolute conferri potest baptisma absque patrino, satius tamen est adhiberi, quam non adhiberi patrium. Unde *si necessitas exigat* ut pater vices gerat patrini, erit is admittendus, ut docet S. Thom. 3. par. q. 67. art. 8. ad 2. ergo a culpa & proinde a pœna immunis erit. Et ita docet post S. Antoninum 3. par. tit. 1. cap. 15. & alios plures idem Sanchesius ubi supra n. 3. Comitolus lib. 1. q. 137. n. 5. &c.

Dixi 4. *filium communem, aut filium uxoris suæ proprium*. Si quis enim baptizet filium concubinæ suæ, contrahet quidem cum ea affinitatem, ex qua eamdem deinceps ducere non poterit uxorem, at nihil inde contrahet impedimenti relative ad propriam conjugem.

Quamquam vero conjux ex baptismo vel susceptione prolis *amittit jus petendi debitum*, donec secum dispensetur, *tamen debet reddere* petenti alteri, *quia ex ejus culpa non debet aliquod incommodum alius reportare*. Ita S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. art. 1. quem omnes sequuntur. Adde, quod etsi conjux debitum petere nequit, non potest tamen excludi a domo, & cura alterius conjugis.

Sed quid juris si alter conjugum prolem baptizaverit, altero conivente; vel si uterque idem fecerit?

R. si uterque conjux id fecerit ex malitia, idest animo alterum defraudandi jure conjugali, quamvi uterque exciderit a jure suo, ac proinde petendo peccet, tenetur tamen alteri petenti reddere. Ratio est, quia cum

cum hæc pœna solo positivo jure infligatur, debet restringi, prout ab eodem jure restricta est: atqui jus contentum cap. *Si vir*, 2. *De cogn. spir.* sic prædictam pœnam restrinxit, ut conjugem alium alii petenti debitum reddere sanxerit, ne scilicet iis sua fraus patrociniaretur: ergo. Hæc solutio communis est, sed difficilis.

Si vero uterque culpa sua, sed non animo alterum defraudandi, contraxerit illud impedimentum, neuter tenetur, nec licite potest alteri reddere. Ratio est, & quia excidit uterque a jure suo; & non viget in hoc casu jus ei simile, quod pro præcedenti casu allegavimus.

Quæres 6. quid conjugibus licitum sit aut vetitum in dubio de valore matrimonii sui.

Constat imprimis eum, qui de conjugii sui nullitate certus sit, nec petere posse nec reddere debitum; quia is foret accessus ad non suam; qui utpote intrinsece malus, nullis in circumstantiis licitus esse potest. Quin etsi censuris urgeretur pars nullitatis conscia, haud tamen cohabitare posset: quia præceptum falsa suppositione omnino nixum, nullam in foro conscientiæ obligationem parit.

Nec est, quod dicas, præceptum hoc Superioris Ecclesiastici rationem habere dispensationis. Id enim aperte falsum est. 1. quia multa sunt impedimenta, in quibus ne ipse quidem Papa dispensare potest. 2. quia non dispensat, nisi qui vult dispensare, idque ut plurimum cognita causa: porro Episcopus censuras decernens adversus eum, quem credit ex pervicacia negare debitum, non intendit dispensare; neque id licite & aliquando valide posset, sine prævio rerum examine. 3. quia generaliter pronuntiat Innocentius III. cap. 44. *De sent. excomm.* quod conjux *pro certo* sciens *impedimentum conjugii... debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.*

Ex dictis colliges ne vitandæ quidem mortis gratia licitam esse prædictam cohabitationem; quia quæ intrinsece mala sunt, etiam in minori gradu facere numquam licet, ut vitentur graviora mala. His præsuppositis

R. Vel dubium de quo agitur fundatum est & probabile, vel leve & nulla innixum ratione probabili. Si sit grave, vel præcessit matrimonium, vel eidem jam contracto supervenit, Vel demum eodem angitur uterque conjux, vel alteruter.

Si dubium leve sit, *explosa & quidem ad Pastoris sui consilium conscientia levis & temerariæ credulitatis, licite potest* pars dubitans, *non solum reddere, sed exigere debitum conjugale.* Ita Innocentius III. cap. mox citato. Ubi nota & dubium hoc explodi debere, quia non licet ire contra conscientiam quomodolibet errantem, & explodi facile posse, prout dixi in Tract. de Consc. cap. 4. concl. 1.

Si vero dubium sit grave, & matrimonium præcesserit, poterit, qui dubitat, dubio permanente, reddere debitum, non autem petere. Si vero uterque in dubio matrimonium inierit, neuter petere aut reddere potest.

Quod in priori casu non possit peti debitum, patet, quia qui stante tali dubio debitum petit, exponit se fornicationis periculo, cui se non exponit ab eadem petitione abstinendo: ergo non tenet partem tutiorem, quam [illegible] bio teneri necessum est: ergo peccat.

Jam vero, quod in eodem casu debitum reddi oporteat, non minus liquet: 1. quia cap. 2. *De secundis nupt.* dicitur: *Si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non dene-*

get

get postulanti, 2. quia qui bona fide rem possidet, non est ea ob malam alterius fidem spoliandus: atqui conjux, qui nullum circa matrimonii sui validitatem dubium habet, bona fide rem suam, seu alterius conjugis corpus possidet; 3. quia in dubio minus malum eligi debet, cum utrumque vitari non potest, secundum id Concilii Toler. VIII. c. 2. *Duo mala, licet sint omnino cautissime præcavenda, tamen si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare*: atqui minus est malum reddere debitum conjugi, qui jus illius bona fide possidet, quam non reddere. Reddendo enim ad summum committetur fornicatio; denegando autem gravis, & admodum periculosa committetur injuria; 4. quia ita sentiunt SS. Thomas, & Bonaventura in 4. dist. 38. D. Antoninus 3. par. tit. 1. c. 9. aliique longe plures, quos citat & sequitur Sanchez lib. 2. dis. 41. n. 45.

Quod autem in posteriori casu neuter exigere possit aut reddere: Probatur 1. quia nemo potest vel uti re de qua prudenter dubitat an sit sua, aut ejus usum permittere; sed qui ambo de matrimonii sui valore dubitant, ex motivo gravi, dubitant prudenter an corpus alterius sit suum: ergo non possunt ejus usum petere; ergo nec possunt reddere alteri etiam dubitanti, cum is nec ullum habeat jus justitiæ ad petendum, nec tranquillam possessionem; 2. ideo in casu præcedenti licitum est reddere debitum conjugi petenti; quia utpote bonæ fidei possessor, non est spoliandus jure suo: atqui cum ambo in dubio matrimonium contraxere, neuter est bonæ fidei possessor: ergo neuter debitum reddere potest, donec adhibita morali diligentia dubium suum excusserit, & deposuerit.

Præcipua difficultas est, quid facto opus sit cum dubium grave suboritur contracto jam matrimonio. Hæc nobis videntur esse statuenda.

1. Si matrimonium necdum consummatum fuerit, non erit primo bimestri consummandum; quia tunc ex Ecclesiæ concessione debitum inculpate denegari potest, ac proinde ob dubium denegari debet.

2. Si jam consummatum sit, & conjugum alter nihil habeat dubii, acquiescendum erit petitioni ejus, nihil autem ab eo exigendum, donec res utramque in partem serio disputatæ fuerint, & æqua trutina suspensæ.

3. Si post serium examen idem, quod prius, dubium perseveret, divisi sunt Doctores: alii dubium hoc abjici ut frivolum, ac proinde deponi debere contendunt; unde sequitur debitum exigi posse; ita cum aliis pluribus Sanch. ibid. n. 46. Sotus, Pontas v. *Devoir*, cas. 17. Alii pugnant ex adverso, & dubii vere subsistentis eamdem, ac cum primum exortum est, rationem esse volunt; unde inferunt reddi quidem debere debitum conjugi, qui non dubitat, haud tamen licitum esse illud ab eo exigere. Et hæc opinio ut tutior, sic & multo probabilior nobis in praxi tenenda videtur. Itaque

Prob. 1. quia nemini licet manifesto fornicationis periculo se exponere: sed qui post seriam inquisitionem dubitare pergit an v. g. prima sua uxor mortua sit, exponit se evidenti fornicationis periculo. Qui enim solide & graviter dubitat an sua sit ea, ad quam accedit, exponit se manifesto fornicationis periculo; sed qui in præsenti casu dubitare pergit, solide & graviter dubitat an sua sit ea, ad quam accedit. Dubitat enim sicut ab initio dubitavit; cum ex hypothesi totum, quod instituit, examen, nulla ex parte dubium ejus imminuerit; ergo non magis post examen illud debitum exigere potest, quam potuerit initio dubii.

Nec

Nec dicas hominem hunc ratione possessionis suæ dubium habere speculativum dumtaxat, non autem practicum. Præterquam enim hæc dubii divisio in speculativum & practicum, totam pene moralem Theologiam corrumpit, ut alii fusius ostenderunt; constat in nostro casu fictitiam hanc possessionem non tollere dubium: quandoquidem ipsissima est possessio de qua dubitatur. Qui enim dubitat serio, num mortua sit prima sua uxor, necessario dubitat, an eam vere & uxoris titulo possideat, quam secundo loco duxit. Et vero cur possessio mariti tam ponderabitur, & nihil erit possessio primæ ejus uxoris, quæ tantum habet juris in ipsum, quantum habet ille in secundam uxorem? Plura ea de re videris in Tractatu nostro de Conscientia cap. 4.

Prob. 2. ideo censent Pontasius & alii, eum, qui post sufficiens examen, rei veritatem assequi non potuit, dubium abjicere posse ut frivolum, quia, inquiunt, jam versatur in ignorantia invincibili, quæ ab omni peccato excusat: atqui hæc ratio nulla est, & in ambiguo ludit. Etsi enim, qui rebus mature perpensis pergit ut antea dubitare, veritatem ignorat, quia nescit v. g. an reipsa prima conjux obierit, haud tamen ignorat invincibiliter peccandi periculum, cui sese objicit: cum ut incertus est an eadem uxor mortua sit, sic & incertus sit ob gravia momenta an non vivat; ergo non ea laborat ignorantiæ invincibilis specie, quæ excuset a peccato; quæque tunc solum occurrit, cum nulla menti serio attentæ observantur momenta, quæ eam ab agendo deterreant.

Prob. 3. quia in dubio ad votum pertinente pars tutior teneri debet, ut fuse probavimus Tom. 1. ergo a pari in dubio, quod matrimonium tangit.

Prob. 4. ex citato c. 44. *De sent. excom.* ubi sic pergit Innocentius III. *Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Atqui hæc verba ad minus generalia sunt; imo magis intelligenda videntur de dubio examinato, quam de dubio nascente. Cum supponi soleat eos, qui in hujusmodi casibus versantur, nihil neglexisse, quo ad rerum, ut in se sunt, notitiam devenirent: ergo.

Hinc colliges, si idem sit utriusque conjugis dubium, & utrique cognitum, teneri ambos abstinere etiam a redditione debiti. An autem & quando alter alteri sua dubitandi motiva pandere possit, res est ex pii prudentisque Confessarii judicio definienda, qui eam ipse ex circumstantiis resolvet.

Quod si conjux non dubitet solum, sed ex momentis multo gravioribus moraliter certam habeat matrimonii sui invaliditatem, tunc nequidem petenti debitum reddere poterit; nisi forte motiva hæc viro sapienti longe minora videantur, quam ipsi conjugi. Consule, quæ de casu non absimili diximus in Tract. de Conscientia.

SECTIO TERTIA.

De Conjugum peccatis extra, vel intra usum Matrimonii.

Actus conjugalis multiplici intuitu exerceri potest: 1. quidem intuitu generationis; 2. intuitu reddendi id, quod alteri debitum est

ex

ex justitia ; 3. vitandi peccatum proprium , v. g. adulterium aut mollitem ; 4. sanitatis ; 5. solius delectationis ; 6. partim delectationis , partim generationis . His præmissis

Quæres 1. quando peccent conjuges in usu matrimonii.

R. Copula alio quocumque, quam generationis aut justitiæ, fine exercita, semper est peccatum.

Prob. 1. quia ita sensere SS. Patres, quibus ne uno quidem passu recedet vir sinceræ ethicæ studiosus. S. Augustinus Lib. de bono conjug. cap. 10. *Concubitus*, inquit, *necessarius causa generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem*, & ser. 51. *Numquid hoc non est peccatum, amplius, quam liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere a conjuge debitum? est quidem peccatum*. Unde sic: Peccat, qui non obsequitur rationi, sed libidini: atqui ex S. Doctore, libidini obsequitur, quisquis matrimonio utitur alio fine, quam ut liberos generet, aut comparti debitum reddat: ergo.

Idem docet S. Fulgentius Epist. 1. c. 9. & 4. his verbis: *Maculam contrahit..... quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ, suæ miscetur uxori*. S. Gregorius Magnus lib. 30. Moral. cap. 17. ubi sic: *Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum... pro suscipienda prole miscentur*.

Eadem fuit sententia Bedæ, & ita totius retro traditionis, ut in eam calculo unanimi conspirent Doctores Angelicus, Seraphicus, & Subtilis, Sic, ut cæteros omittam, S. Thomas in 4. dist. 31. q. 2. art. 2. *duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis procreandæ, & debiti reddendi, alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale*.

Prob. 2. si copula extra duos casus a nobis assignatos immunis esset a peccato, maxime cum habetur ad præcavendum propriæ incontinentiæ periculum: atqui valde probabile est eam ne in isto quidem casu vacare a peccato. Prob. min. ex Apost. 1. Cor. 7. ubi postquam dixit: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*; & infra: *Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*; subdit: *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*: atqui verba hæc *secundum indulgentiam* denotant in eo etiam actu, quo quis vitandæ incontinentiæ causa miscetur, aliquid subesse peccati. *Quis* enim *esse peccatum neget, cum dare veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur?* ait S. Augustinus, Enchir. c. 78. & lib. 5. contra Julian. c. 7.

Idem docet S. Thomas statim ad 2. ubi sic: *Si aliquis per actum matrimonii intendit vitare fornicationem*, aliamve incontinentiam *in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hoc est quædam redditio, quæ ad bonum fidei* conjugalis *pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas; & secundum hoc est peccatum veniale; nec ad hoc matrimonium est institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus*. Nempe vero, ait Nat. Alexander Reg. 3. de usu matrim. *aliis modis convenientioribus, scilicet per orationem, jejunia, aliaque pia opera vitare quis potest fornicationem, & continentiam a Deo impetrare. Conjugis autem intemperantiæ, cui ex fide matrimoniali obviare tenetur, aliter mederi non potest, cum aliena voluntas non sit in nostra potestate*.

Prob. 3.

Prob. 3. tum quia conjux, qui debitum exigit ad sedandos ignes libidinis, obsequitur concupiscentiæ, quam oratione & piis operibus refrænare posset; tum quia, ut bene discurrit Scotus, nec Deus nec natura matrimonium ordinavit ad vitandam incontinentiam. Non Deus, quia quod solum toleratur ex indulgentia, vere ad aliud non ordinatur. Non natura, quia naturalis scopus matrimonii sola est hominis multiplicatio, sicut alimentorum finis sola est nutritio.

Hinc colliges 1. pari de causa reum esse, qui in usu conjugali solam sanitatem quærit. *Quamvis enim intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum; sicut qui ex Sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quæreret. Et similiter est in proposito de actu matrimonii*. Ita S. Thomas ibid. ad 4.

Colliges 2. peccare & eum, qui partim prolis, partim voluptatis amore coit. Ratio est, quia is ex parte *obsequitur libidini*, ut supra ajebat Augustinus. Haud equidem illicita est delectatio, quæ ex matrimonii usu percipitur, sicut nec ea illicita est, quæ percipitur ex alimentorum esu. Sed quemadmodum peccat, qui voluptatis causa comedit, quia invertit finem a natura præscriptum; sic & a pari in proposito.

Confirm. ex S. Augustino Lib. 10. Confess. c. 31. ubi sic loquitur profundus & humilis Doctor: *Cum salus sit causa vescendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo*, & paulo infra: *In his tentationibus positus, certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi & bibendi ....: Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum*; ergo, sicut qui propter salutem manducat, reus est, non quidem cum annexam alimentis voluptatem sentit, sed cum etiam ejusdem voluptatis causa manducat; ita & in casu matrimonii. Hinc S. Thomas ubi supra art. 3. *Si quæratur delectatio intra limites Matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur, quam in conjuge, sic est veniale peccatum*. Is ergo penes unus a culpa in præsenti negotio immunis est, qui cum juniore Tobia c. 8. dicere poterit: *Et nunc Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum*. Sed *quis est hic, & laudabimus eum?*

Colliges 3. a fortiori & gravius peccare, qui solius voluptatis intuitu operatur. Hinc Innocentius XI. hanc propositionem an. 1679. proscripsit: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsus caret culpa, ac defectu veniali.*

Et vero non minus peccat, qui in usu matrimonii temperantiæ limites transilit, quam qui eosdem excedit in mensa: atqui licet conjuges jus habeant utendi licitis cibis, qui apponuntur in mensa, peccant tamen contra temperantiæ leges, si eos assumunt ad voluptatem. Minor patet ex censura hujus propositionis: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*; quæ thesis ad Epicuri Scholam ablegata est a Clero Gallicano ann. 1700. Major indubia est apud Augustinum; sic ille Lib. de bono conjug. cap. 16. *Quod est cibus*

ad

ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis; & quod est in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus; ergo. Et ita *docuerunt omnes antiqui PP. & Scholastici ante nuperum Joannem Majorem*, ait Sotus in 4. dist. 31. q. 1. art. 3.

Contra responsionem nostram, qua parte statuit venialiter malum esse usum matrimonii intuitu vitandæ propriæ incontinentiæ, objiciuntur quædam minime spernenda: & 1. quod hæc Apostoli verba: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, non significent ignoscentiam mali minoris, sed concessionem minoris boni: adeo ut is sit eorum sensus: *Revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas. Hoc autem dico* ex indulgentia, quia perfectius esset ab iis abstinere; non autem imperando; vellem *enim vos omnes esse sicut meipsum*, & æque cœlibes vivere. Et vero, inquiunt, Apostolus non potuisset dare indulgentiam venialiter peccandi; 2. alioqui peccaturam esse Ecclesiam, quæ senum aut sterilium matrimonio assistit, cum sciat eos matrimonio usuros ad minus ob sedationem concupiscentiæ; 3. matrimonium secundario institutum esse in remedium concupiscentiæ, secundum id Pauli ibid. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat*, &c. 4. non minus imo magis licitum esse uti matrimonio ad sedandos proprii corporis motus, quam ad subveniendum concupiscentiæ uxoris; quo tamen in casu matrimonii usum approbant omnes; 5. ita sentire viros graves, quorum instar sit S. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 20. ubi hæc habet: *Tunc est veniale petere ubi non speratur proles, imo nec veniale si fiat propter vitandam fornicationem in se vel in alio. Et in hoc concordant Doctores*. Verum hæc absolute solvi possunt. Unde

Ad 1. Allata a nobis expositio textus Apostolici, auctores habet multos magni nominis Patres, & convenit lectioni græcæ, quæ proprie significat veniam seu condonationem peccati, ut notat Fromondus. Neque tamen ideo Apostolus consulit peccatum veniale, sed habita infirmitatis humanæ ratione, tolerat minus malum, ut gravius avertat.

Ad 2. Non peccat Ecclesia nuptiis senum assistendo. Ii enim non peccant si solum individuam vitæ societatem, subsidium mutuum, mutuumque solamen intendant. Si vero intendant carnale commercium, venialiter quidem delinquunt, sed sua, non Ecclesiæ culpa.

Ad 3. Fatemur matrimonium in remedium concupiscentiæ institutum esse, sed secundario & consequenter, ut nimirum concupiscentia per copulam licitam, idest habitam amore prolis, non ita stimulet ad fornicariam; ad quod etiam confert gratia sacramentalis concupiscentiæ coercitiva. Negamus vero matrimonium sedandæ sensualitatis gratia directe & primario institutum fuisse. Et vero ante fuit in Paradiso terrestri matrimonium, quam concupiscentia.

Ad 4. Potest quis suæ non alienæ libidini mederi, quia suam, non alterius voluntatem penes se habet, ut supra ajebat Nat. Alexander.

Ad 5. Magna profecto est S. Antonini in moralibus auctoritas, sed major Augustini, qui ex adverso pugnare videtur.

Interim ex ea opinionum varietate colliget sagax Confessarius vix unquam, vel a matrimonio contrahendo, vel ab ejusdem usu avertendos esse pœnitentes, qui ajunt se quæritare medelam concupiscentiæ; ne forte dum Apostolo accuratior esse vellet, eos in gravia peccata conjiciat,

quos a venialibus ex zelo minus prudenti retrahere moliebatur. Eadem servanda est methodus cum iis, qui pari de causa ad conjuges steriles, senesve, aut gravidas accedunt. Neque id rigidioribus Theologis improbatum iri puto; præsertim ob hæc Fromondi verba in citatum Apostoli textum: *Sotus, Sanchez* * *& passim Neoterici dicunt Sanctos Patres amore castitatis matrimoniorum libertatem paulo magis restrinxisse; docentque contra ipsos licere petere debitum ad vitandam non tantum alterius (quod etiam omnes Patres concedunt, quia hoc est potius reddere, quam petere debitum) sed etiam propriam fornicationem: durum enim videtur, quod steriles aut provectæ ætatis nunquam sine peccato veniali possint petere debitum. Sed si Augustinus attente legatur, forte non docet contrarium; quia ubicumque docet tantum licitum esse petere ex intentione generandæ prolis, supponit peti causa saturandæ libidinis, quod omnes docent esse veniale. Nec videtur reflexisse ad illum casum, quo quis petit ad vitandam propriam fornicationem, quando alio modo difficulter eam vincere potest.*

Sed cujus speciei est peccatum, quod admittunt conjuges, qui ultra assignatos limites debitum exigunt.

Una est, ait Habertus, Theologorum sententia, esse peccatum ex sua natura dumtaxat veniale, juxta id Augustini L. de bono conjug. c. 7. *Reddere debitum conjugale nullius est criminis: exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis*. Hinc & illud ejusdem S. Doctoris L. 1. de nupt. & concup. c. 14. *Etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se*; quatenus scilicet venerea illa voluptas, quæ extra nuptias foret lethale peccatum, per nuptias efficitur culpa solum venialis.

Coitus tamen intemperantia per accidens est peccatum mortale, 1. quando graviter nocet valetudini sive petentis, sive reddentis: tunc enim se habet ut peccatum gulæ, quod in pari casu letiferum esse fatentur omnes.

2. Cum quis ad uxorem animo fornicario accedit, idest sic affectus ut vel optet coire cum alia, quam sibi repræsentat; vel ad hanc accederet etiamsi non esset sua. Ita S. Thomas in 4. dist. 31. q. 2. art. 1. præiverat S. Hieronymus L. 1. adversus Jovinian. his verbis: *Nihil est fœdius, quam uxorem amare quasi adulteram*.

3. Cum agitur ex fine graviter malo, puta ut mulier moriatur in partu; ut filii aliquando formentur ad latrocinia patris.

4. Cum actus conjugalis vel in loco sancto exercetur, vel coram aliis: & hic potissimum invigilare sibi debent pauperes, qui sub eodem tecto una cum pueris degunt.

5. Cum conjuges sodomitice conveniunt. Neuter enim jus habet nisi in copulam, quæ generationi inservire possit, qualis non est nefanda ea, de qua loquimur. Imo abusus *contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore*, ait Augustinus L. de bono conjug. c. 11. Neque etiam licitum est in vase indebito inchoare copulam, etiam sine animo ibidem consummandi, sed ex sola intentione excitandi se ad consummandum in vase naturali: est enim actus ille criminis sodomitici inchoatio, ac proinde grande scelus.

6. Cum

* Non satis accurate citat Fromondus Sanchez; is enim L. 9. disp. 9. n. 4. affirmat tunc culpa vacare petitionem debiti causa vitandæ fornicationis in ipsomet petente, quando adhibitis aliis mediis nequit carnis stimulos sedare: secus quando potest convenienter alio modo ab incontinentia abstinere: tunc enim, inquit, erit veniale.

6. Cum prætermittitur naturalis concumbendi modus, ut si vir accedat a tergo vel succumbat; & inde imminet periculum seminis perdendi: alioqui enim plures culpam hic solum venialem agnoscunt; quia illicite quidem, sed tamen intra fines matrimonii quæritur voluptas. Hæc tamen culpa, ut in genere suo gravis, serio increpanda est in tribunali pœnitentiæ. Cæterum si vir debitum situm prætermittat, eo quod corporis dispositio naturalem situm non patitur, immunis est a culpa, secluso pollutionis periculo.

7. Cum generationem impediunt, aut extingunt conceptam prolem, ejusve per abortum ejiciendæ aut graviter lædendæ periculo sese exponunt; ut enim propriam suam, sic & prolis vitam servare debent incolumen.

8. Cum vir retrahit se, vel complete non seminat in vase. Exterior enim seminis emissio, non differt a pollutione.

9. Cum mulier susceptum semen de industria ejicit, aut ejicere conatur, aut semen proprium de industria privatim effundit.

An autem possit aliquando vir inchoatum coitum non perficere secluso pollutionis periculo, disputant Theologi. Affirmant S. Antoninus ubi infra, & Comitolus l. 1. q. 133. modo, inquit, conjux eo sit coitu contenta: si enim perfectum exigeret, non posset eo privari sine scelere. Verum hæc Auctoris probabilissimi opinio hinc difficilis est, quod in hoc casu nunquam fere abesse videatur saltem ab alterutro conjuge proximum pollutionis periculum. Quod autem dicit Comitolus non peccaturum eum, qui ut hostem vitæ suæ imminentem propulsaret, cessaret ab actu inchoato, vix quidquam concludit ob infrequentiam casus, & sedationem concupiscentiæ ex gravitate mali impendentis. Prædicta igitur opinio non est tuta practice, & ita ex Laymano docet Henricus a S. Ignat. n. 124.

Quæres 2. an obscœni tactus & aspectus inter conjuges sint peccata.

R. prædictos tactus aliquando esse ab omni culpa immunes; aliquando habere culpam solum venialem; aliquando demum non vacare a culpa mortali.

1. Quidem immunes sunt a culpa, cum absque pollutionis periculo adhibentur ut necessarii ad copulam vere maritalem. Ratio est, quia tunc non fiunt voluptatis intuitu, sed intuitu copulæ, quæ cum inter conjuges licita sit & honesta, licitum facit id, quod ad eamdem excitat & disponit. Ita Habert, P. Antoine, aliique seniores, qui, ut & nos jam fecimus, exciperent contactum etiam inchoate sodomiticum.

2. Culpam habent venialem, cum tametsi ad copulam ordinantur, ad eam tamen necessarii non erant, ac proinde nonnisi majoris voluptatis causa fiunt. Ratio est, quia ex dictis, ne ipsa quidem copula maritalis vacat a peccato, cum solius voluptatis intuitu exercetur; ergo minus a peccato vacant, quæ nonnisi ob copulam licita esse possunt, & ad eamdem haud necessaria esse supponuntur.

3. Iidem tactus mortaliter mali sunt, quoties proximum habent periculum pollutionis: hæc enim conjugatis sicut & aliis graviter prohibita est: ergo & iis graviter prohibitum est ejusdem periculum. Unde ab iis sub gravi tenentur abstinere conjuges, quoties advertunt se per conjugalem actum pollutioni obviam ire non posse.

An autem iidem tactus sint mortiferi quoties secluso etiam pollutionis periculo exercentur absque animo deveniendi ad copulam, controvertitur.

Et quidem 1. fatentur pene universi quosdam esse tactus adeo infames, ex defectu proportionis inter membrum tangens & tactum, ut ne quidem

ex copulæ intuitu excusentur a gravi peccato; quia nimirum graviter dedecent naturam rationalem, & indicia sunt libidinis tantæ, ut cum casta Dei super omnia dilectione non cohæreat.

2. Et id etiam fatendum est impudicos tactus plus habere mali in iis, qui jam coire non possunt, v. g. ob supervenientem impotentiam, quam in aliis; quia ii tactus ne remote quidem ordinantur ad copulam, ob quam solam excusari possunt. Quod enim dicunt aliqui tales contactus id saltem habere boni, quod concupiscentiam mitigent, falsum est; cum eam potius accendant.

Tota igitur quæstio est de ordinariis tactibus, qui ad copulam ordinari possent, nec ad eam tamen ordinantur. Censent Cajetanus, Angelus, Armilla, Sotus, Habert, aliique plures apud Sanchem L. 9. disp. 44. n. 12. culpam hic subesse solum venialem: sed miror, ait Comitolus L. 4. q. 22. hujus opinionis defensores, nihil ad eam persuadendam firmæ solidæque probationis excogitasse. Unde cum eodem fatendum est oppositam sententiam non carere probabilitate: 1. quia hic fere semper occurrit pollutionis periculum, nisi forte cum obsceni tactus matrimonii usum satis proxime sequuntur; 2. quia quod conjugum unus in suo corpore sine scelere facere nequit, neque hoc efficere potest in alieno corpore, quamvis conjugii jure suum sit; quia suum non est nisi in ordine ad munera matrimonii, & justæ generationis fines: atqui conjux alter semetipsum sine gravi peccato impudice tangere nequit, ut in se suscitet voluptatis venereæ sensum, & in eo conquiescat; prout docet Navarrus, Sylvester, Azor, Vasquez, Habert &c. ergo &c. Huic opinioni adhærent Paludanus, Sylvester, & alii nonnulli cum S. Antonino 3. p. tit. 1. c. 20. §. 6. ubi tamen S. Doctor decisionem suam restringit ad eum, qui *diu insistit in hujusmodi tactibus*. In idem facile propendeo; sed obstat utcumque, quod seclusio pollutionis periculo non peccat magis, qui uxorem tangit vel osculatur ex libidine, quam qui eamdem ex pari motivo cognoscit. Est enim copula libidinosa, tactuum omnium magis prohibitus: sed qui ex libidine mera coit cum uxore, etsi gravius peccat, quam qui coit ut incontinentiam vitet, non arguitur tamen peccati mortalis: ergo. Quapropter in re admodum difficili, severe arguerem conjuges, qui pene omnia hæc sibi permissa esse putant; haud tamen forte eos statim addicerem inferis, cum a gravi excusentur a longe majori Theologorum parte. Sed hæc cum omnimoda consiliis alienis subjectione dicta sunt. Interim nusquam admiserim cum Sanchez ibid. n. 15. conjugatum: *qui se ipsum tangit propter voluptatem captandam absque pollutionis periculo*, nonnisi venialiter peccare.

An mortaliter peccet conjux, qui in absentia compartis deliberate delectatur cogitatione coitus habendi vel habendi cum conjuge absque tamen pollutionis periculo? Expendam ubi de nono Decalogi præcepto. Interim ex dictis facile colliges non immerito dixisse Apostolorum Principem, quod *non expedit nubere*. Certe conjugalis castitas tam rara est, ut teste August. L. de bono conjug. c. 13. *Multi homines facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi nisi prolis causa*. Quia
Matt. 19. tamen *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*; & aliunde *melius est nubere, quam uri*; *sciat* & curet quisquis matrimonio junctus
1. Cor. 7. est, *vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*, 1. Thessal. 4.

C A-

CAPUT SECUNDUM.

De quinto Decalogi Præcepto.

POst imperatam Dei, ac proximi, præcipue vero parentum dilectionem, vetat idem Deus id omne, unde lædi proximus possit; ac imprimis ne eidem mors inferatur, his præcipit verbis Exod. 20. *Non occides* Quod verbum etsi in speciem breve multa complectitur. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 112. art. 6. ad 2. *Omnia nocumenta, quæ in personam proximi inferuntur, intelliguntur in homicidio, sicut in principaliori.*

Hinc homicidii nomine veniunt ea quibus contra disciplinæ ordinem male mulctatur hominis corpus, scilicet verbera, vulnera, mutilatio, injusta incarceratio, & aliæ id genus violentiæ, quæ quædam sunt mortis inchoatio. Quin & in lege Christi; quæ spiritu magis, quam opere externo adimpletur, lex non occidendi prohibet etiam interiores affectus, qui suapte natura ad inferendam proximo necem, aut vim quamcumque externam tenderent; quales sunt odium, ira, amor vindictæ, prava alienæ mortis desideria, gaudium ex ea, vel quibuslibet adversis proximo evenientibus inhumane perceptum, invidia item, contumelia, irrisio, obtrectatio, aliæque similes injuriæ. Atque id apposita ad cordis ipsius radicem securi expressissime declaravit Christus Matth. 5. his verbis: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, &c.

Quoniam vero de ira, & invidia disseruimus in Tractatu de Peccatis; de odio ejusque appendicibus in Tract. de Charitate, de contumelia & detractione, in Tract. de Justitia, superest, ut quæ homicidium ipsum directe tangunt, exequamur.

Homicidium prout quinto præcepto vetitum est, definitur Injusta hominis occisio, seu Corporis humani animati injusta peremptio.

Dicitur 1. *occisio corporis*; nam occisio animæ, quæ fit per peccatum aut scandalum non est homicidium nisi metaphorice.

2. *Humani*; qui enim bruta occidit, non peccat, ut delirabant Manichæi, contra id Genes. 9. *Omne quod movetur, erit vobis in cibum.*

3. *Animati*, neque enim vere homicida est, nec ut talis punitur, qui hominis mortui cadaver transfodit.

4. *Injusta*, ideoque deliberata, & ab eo facta, qui potestatem non habet: occisio enim licita non dicitur homicidium; quia homicidæ, & homicidii nomina deteriorem in sensum accipi solent. Quamquam hic latius sumetur nomen homicidii.

Quod autem homicidium stricte, & proprie acceptum sit crimen grave, hinc patet, quod gravissimo adversatur præcepto, & contra charitatis, ac justitiæ leges hominem privat bono bonorum præstantissimo, planeque irreparabili. Hinc Cain ubi se homicidam esse reflexit, *Major est*, inquit Genes. 4. *iniquitas mea, quam ut veniam merear.*

Cœterum homicidii crimen etsi de se enorme, gravius fieri potest ex circumstantiis: ut 1. si is, qui occisus est Reipublicæ necessarius erat, si Sacerdos; vel consanguineus. 2. si necatus sit in loco sacro. 3. si de industria quæsitus sit ad necem, si ejus occidendi animus diu servatus fuerit, &c.

ex copulæ intuitu excusentur a gravi peccato; quia nimirum graviter dedecent naturam rationalem, & indicia sunt libidinis tantæ, ut cum casta Dei super omnia dilectione non cohæreat.

2. Et id etiam fatendum est impudicos tactus plus habere mali in iis, qui jam coire non possunt, v. g. ob supervenientem impotentiam, quam in aliis; quia ii tactus ne remote quidem ordinantur ad copulam, ob quam solam excusari possunt. Quod enim dicunt aliqui tales contactus id saltem habere boni, quod concupiscentiam mitigent, falsum est; cum eam potius accendant.

Tota igitur quæstio est de ordinariis tactibus, qui ad copulam ordinari possent, nec ad eam tamen ordinantur. Censent Cajetanus, Angelus, Armilla, Sotus, Habert, aliique plures apud Sanchem L. 9. disp. 44. n. 12. culpam hic subesse solum venialem: sed miror, ait Comitolus L. 4. q. 22. hujus opinionis defensores, nihil ad eam persuadendam firmæ solidæque probationis excogitasse. Unde cum eodem fatendum est oppositam sententiam non carere probabilitate: 1. quia hic fere semper occurrit pollutionis periculum, nisi forte cum obscœni tactus matrimonii usum satis proxime sequuntur; 2. quia quod conjugum unus in suo corpore sine scelere facere nequit, neque hoc efficere potest in alieno corpore, quamvis conjugii jure suum sit; quia suum non est nisi in ordine ad munera matrimonii, & justæ generationis fines: atqui conjux alter semetipsum sine gravi peccato impudice tangere nequit, ut in se suscitet voluptatis venereæ sensum, & in eo conquiescat; prout docet Navarrus, Sylvester, Azor, Vasquez, Habert &c. ergo &c. Huic opinioni adhærent Paludanus, Sylvester, & alii nonnulli cum S. Antonino 3. p. tit. 1. c. 20. §. 6. ubi tamen S. Doctor decisionem suam restringit ad eum, qui *diu insistit in hujusmodi tactibus*. In idem facile propendeo; sed obstat utcumque, quod secluso pollutionis periculo non peccat magis, qui uxorem tangit vel osculatur ex libidine, quam qui eamdem ex pari motivo cognoscit. Est enim copula libidinosa, tactuum omnium magis prohibitus: sed qui ex libidine mera coit cum uxore, etsi gravius peccat, quam qui coit ut incontinentiam vitet, non arguitur tamen peccati mortalis: ergo. Quapropter in re admodum difficili, severe arguerem conjuges, qui pene omnia hæc sibi permissa esse putant; haud tamen forte eos statim addicerem inferis, cum a gravi excusentur a longe majori Theologorum parte. Sed hæc cum omnimoda consiliis alienis subjectione dicta sunt. Interim nusquam admiserim cum Sanchez ibid. n. 15. conjugatum: *qui se ipsum tangit propter voluptatem captandam absque pollutionis periculo*, nonnisi venialiter peccare.

An mortaliter peccet conjux, qui in absentia compartis deliberate delectatur cogitatione coitus habendi vel habendi cum conjuge absque tamen pollutionis periculo? Expendam ubi de nono Decalogi præcepto. Interim ex dictis facile colliges non immerito dixisse Apostolorum Principem, quod *non expedit nubere*. Certe conjugalis castitas tam rara est, ut teste August. L. de bono conjug. c. 13. *Multi homines facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi nisi prolis causa*. Quia
Matt. 19. tamen *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*; & aliunde *melius est nubere, quam uri*; *sciat* & curet quisquis matrimonio junctus
1. Cor. 7. est, *vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*, 1. Thessal. 4.

C A-

CAPUT SECUNDUM.

De quinto Decalogi Præcepto.

POst imperatam Dei, ac proximi, præcipue vero parentum dilectionem, vetat idem Deus id omne, unde lædi proximus possit; ac imprimis ne eidem mors inferatur, his præcipit verbis Exod. 20. *Non occides* Quod verbum etsi in speciem breve multa complectitur. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 112. art. 6. ad 2. *Omnia nocumenta, quæ in personam proximi inferuntur, intelliguntur in homicidio, sicut in principaliori.*

Hinc homicidii nomine veniunt ea quibus contra disciplinæ ordinem male mulctatur hominis corpus, scilicet verbera, vulnera, mutilatio, injusta incarceratio, & aliæ id genus violentiæ, quæ quædam sunt mortis inchoatio. Quin & in lege Christi; quæ spiritu magis, quam opere externo adimpletur, lex non occidendi prohibet etiam interiores affectus, qui suapte natura ad inferendam proximo necem, aut vim quamcumque externam tenderent; quales sunt odium, ira, amor vindictæ, prava alienæ mortis desideria, gaudium ex ea, vel quibuslibet adversis proximo evenientibus inhumane perceptum, invidia item, contumelia, irrisio, obtrectatio, aliæque similes injuriæ. Atque id apposita ad cordis ipsius radicem securi expressissime declaravit Christus Matth. 5. his verbis: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, &c.

Quoniam vero de ira, & invidia disseruimus in Tractatu de Peccatis; de odio ejusque appendicibus in Tract. de Charitate, de contumelia & detractione, in Tract. de Justitia, superest, ut quæ homicidium ipsum directe tangunt, exequamur.

Homicidium prout quinto præcepto vetitum est, definitur Injusta hominis occisio, seu Corporis humani animati injusta peremptio.

Dicitur 1. *occisio corporis*; nam occisio animæ, quæ fit per peccatum aut scandalum non est homicidium nisi metaphorice.

2. *Humani*; qui enim bruta occidit, non peccat, ut delirabant Manichæi, contra id Genes. 9. *Omne quod movetur, erit vobis in cibum.*

3. *Animati*, neque enim vere homicida est, nec ut talis punitur, qui hominis mortui cadaver transfodit.

4. *Injusta*, ideoque deliberata, & ab eo facta, qui potestatem non habet: occisio enim licita non dicitur homicidium; quia homicidæ, & homicidii nomina deteriorem in sensum accipi solent. Quamquam hic latius sumetur nomen homicidii.

Quod autem homicidium stricte, & proprie acceptum sit crimen grave, hinc patet, quod gravissimo adversatur præcepto, & contra charitatis, ac justitiæ leges hominem privat bono bonorum præstantissimo, planeque irreparabili. Hinc Cain ubi se homicidam esse reflexit, *Major est*, inquit Genes. 4. *iniquitas mea, quam ut veniam merear.*

Cœterum homicidii crimen etsi de se enorme, gravius fieri potest ex circumstantiis: ut 1. si is, qui occisus est Reipublicæ necessarius erat, si Sacerdos; vel consanguineus. 2. si necatus sit in loco sacro. 3. si de industria quæsitus sit ad necem, si ejus occidendi animus diu servatus fuerit, &c.

Homicidium septem præcipue modis fieri potest: 1. *opere*, ut cùm quis alteri vitam eripit ferro, manibus, lapide, veneno, &c. 2. *præcepto*, cum alius alium occidi mandat; sic Uriam occidit David; 3. *consilio*, cum quis ad vindictam accenditur exprobratione ignaviæ, accepti dedecoris exaggeratione, &c. 4. *receptione*, cum homicidæ favetur, eique præbetur asylum; de quo vide, quæ dixi ubi de justitia; 5. *permissione*, cum qui publicæ rei præsunt, negligunt comprehendere sicarios, non veriti id 3. Reg. 20. *Quia dimisisti virum dignum morte . . . erit anima tua pro anima ejus*, 6. *cooperatione*, cum adjuvatur homicida, seu præbitis armis, seu excubias agendo, seu sarcinis invigilando; prout ferme Stephanum occidit Saulus, *magis sæviens omnes adjuvando, quam manibus suis lapidando*, ait Augustinus; 7. *negligentia*, & avaritia, ex qua quintum præceptum violant medici, qui causa sunt cur moriatur æger, ejusve morbus ingravescat, aut diu protrahatur; pharmacopolæ item, qui medicamentorum compositiones vetustas, & evanidas speciè adhibent, ægrotis nihil aut parum profuturas, nisi ad exercitium patientiæ, & virium imminutionem. Chirurgi quoque, qui absque debita scientia abscindunt membrum; aut eliciunt sanguinem: parum solliciti, ait lepide quidam, an cœmeteria impleant mortuis, modo bursam impleant nummis. Infirmarii demum, qui pro nutu, & phantasia, & non ex præscripto medici ægrotos tractant. Et hi omnes licet causaliter homicidæ, tenentur & stipendium familiæ, & pensionem Magistratibus, si quam ab iis habent, & damni, quod intulerunt, consectaria restituere.

Sed ut homicidii materiam secundum se totam investigemus, notandum, quod homicidium latiori sensu sumptum pro omni occisione justa vel injusta, dividitur 1. in homicidium sui, & alterius. 2. homicidium alterius in illud, quod fit auctoritate publica, & illud, quod fit privata. 3. quod fit auctoritate privata, vel fit ob necessariam sui defensionem, vel non. 4. quod fit sine hac necessitate, vel est casuale, vel voluntarium. 5. voluntarium, vel directè volitum est, vel indirectè dumtaxat. 6. quod est directè volitum, vel fit ex condicto, vel non fit ex condicto. Varias illas homicidii species expendemus, sed ordine paululum immutato.

ARTICULUS PRIMUS.

An licita sit sui ipsius occisio.

NOT. Duobus modis potest quis se occidere: directè, ut si gladio se confodiat, & indirectè vel negative, ut si se quibusdam periculis exponat, aut id omittat, quo vitam servare posset.

CONCLUSIO I. Non licet homini semetipsum directè, & proprio motu occidere. Est de fide contra Circumcelliones, seu Circuitores, qui teste S. Augustino L. de hæref. c. 69. quæcumque poterant loca circumeuntes, docebant eos pro martyribus habendos esse, qui vitam sibi eriperent, vel ab alio eripi curarent.

Prob. 1. ex citato Decalogi præcepto: *Non occides*: atqui per hæc verba, tam nostra, quam proximo occisio prohibetur; imo nostra magis, quam proximi: tum quia non plus habet juris homo in propriam, quam in proximi vitam; tum quia hæc est charitatis bene ordinatæ conditio, ut a nobismetipsis incipiat, & hac de causa jubemur proximum sicut nos ipsos diligere: ergo.

Prob. 2.

Prob. 2. ex S. Augustino L. de Civ. Dei c. 17. cujus verba referuntur c. 9. 23. q. 5. *non licet privata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit; profecto etiam, qui se ipsum occidit, homicida est.*

In eumdem sensum loquitur Concilium Bracarense II. c. 16. *Placuit ut hi, qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per suspendium, aut praecipitium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.*

Prob. 3. Non licet facere id, quod Deo, parentibus, & Reipublicæ gravem injuriam infert: atqui sui ipsius occisio 1. gravem infert injuriam Deo cujus jura usurpantur. *Tu es enim, Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*, Sap. 16. v. 13. & Deut. 32. v. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam*. 2. eadem occisio non minus est perniciosa Reipublicæ, cui civem; & parentibus, quibus filium adimit. Gravior tamen esset noxa Principis, ducisve egregii, a quo penderet populorum salus. Is enim majorem, quam alii populis perniciem creando, majorem inferret injuriam.

Obj. 1. Licet id facere, quod viri sancti sancte fecerunt: atqui viri sancti sancte mortem sibi intulerunt. Prob. min. tum ex sacris Paginis, tum ex Historiæ Ecclesiasticæ monumentis. Sic L. Judic. 16. v. 30. Samson concussis fortiter columnis semetipsum *cum Philistiim* obruit. 2. Eleazar supposuit se elephanti cujus mole oppressus interiit, ut videre est 1. Mach. c. 6. 3. Razias *gladio se petiit, eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus*. 2. Mach. 14. Eadem fuit agendi ratio S. Apolloniæ, quæ se conjecit in rogum, quo consumpta fuit: ergo.

R. Dist. viri sancti mortem sibi sancte intulerunt speciali S. Spiritus instinctu, C. motu proprio. N. Itaque vel sancti non sunt, qui sibimetipsis mortem intulere, vel si sancti sunt, speciali S. Spiritus instinctu ad hoc determinati sunt; & hoc ultimum constat de Samsone, qui nonnisi post imploratum Dei auxilium columnas concussit, adeoque se cum Philistæis interemit Spiritu latenter jubente, *qui per eum miracula faciebat*. Augustinus L. 1. de Civit. Dei cap. 21.

Quod spectat ad Eleazarum, & Raziam, quos Patrum aliqui redarguunt, aliqui plurimum commendant, ii vel a se ipsis mortem quæsierunt, & tunc non mortui sunt *nobiliter*, nisi juxta propriam suam opinionem; vel a Spiritu Sancto impulsi fuere, ut de Samsone dictum est: quamquam Eleazarus mortem directe sibi non conscivit; sperare enim potuit elephantem in alterutram partem casurum, aut se recessurum prius quam caderet.

Idem dicendum de his Christi sponsis, quæ in flammas se præcipites dederunt. *Hoc* enim *fecerunt*, ait S. Augustinus L. de Civ. Dei c. 26. *non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes: sicut de Samsone nobis fas non est aliud credere*; cum eum Apostolus Hebr. 11. Sanctis annumeret. Adde virgines illas excusari posse ex ignorantia, qua crediderint licitum esse *suicidium*; cum alioqui grave fidei vel castitati periculum impendet.

Obj. 2. ex S. Heronymo in c. 1. Jonæ, *non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere*: ergo saltem licitum est mortem sibi inferre servandæ castitatis gratia. Et reipsa e duobus malis illud eligi debet, quod minus est: at minus est perire corpus, quam animam, quæ perit dum violari sinitur castitas; ergo.

Respondent aliqui 1. S. Hieronymum particulam *absque eo* accipere non exclusive, sed inclusive ut sumitur 4. Cant. *Quam pulchra es, amica mea, absque eo, quod intrinsecus latet.* Sicut ergo sensus hujusce loci est Sponsam exterius pulcherrimam esse, atque etiam tunc talem apparere cum interiora ejus considerantur; sic, inquiunt, apud Hieronymum sensus est illicitum esse se occidere, atque etiam id remanere illicitum cum castitas periclitatur.

Respondent alii particulam *absque eo* esse quidem exclusivam; sed eam a Hieronymo solum appositam esse, quia noluit videri reprehendere SS. mulieres, quæ vel ex ignorantia invincibili, vel speciali Spiritus Sancti impulsu se occiderunt.

Alii denique concedunt verba Hieronymi esse intelligenda ut sonant; sed volunt eum ex aliorum sententia locutum esse quod sæpe facit in Commentariis; aut demum claram Augustini anctoritatem obscuro Hieronymi verbo præferendam esse. Ita Sylvius 2. 2. q. 64. art. 5. Van-Roy c. 6. p. 110.

Ad id, quod additur; R. falsum esse, quod pereat anima, dum violatur corpus: *Corpus enim mulieris non vis maculat, sed voluntas*, ait ipse S. Hieronymus relatus cap. 5. 32. q. 5. Quin & ei, quæ vereretur ne peccato consentiret, licitum non esset violentas sibi manus inferre. 1. quia ex Rom. 3. *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*. 2. quia nefas est in certum facinus ruere ut declinetur ab incerto. 3. quia Deus virginum, sponsas suas vinci non permittet, sed eis abundanti gratia succurret, si pro ipso constanter laboraverint: *Hoc ergo dicimus, hoc asserimus hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere... propter aliena peccata: ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum.* S. Augustinus L. 1. de Civit. Dei cap. 26.

Obj. 3. ex Christo Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo saltem licet pro amicis se interimere.

R. dist. ant. Ut animam suam ponat pro amicis suis, mortem sibi illatam pro iisdem patienter ferendo, ut fecit Christus, qui eo loco suam erga Apostolos charitatem commendat, C. mortem sibimet proprio motu inferendo, N. non enim exercet charitatem, qui charitatis sibi debitæ præceptum propria auctoritate transgreditur.

Hinc colliges 1. non licere ei, qui crudele ignis supplicium, aut infame suspendium veretur, venenum haurire ne duriora patiatur. Quia non licet medio prohibito infamiam aut cruciatus effugere.

Colliges 2. ne quidem ad salvandum infantem, qui statim sine baptismo moriturus sit, licitum esse se in fluvium dejicere, ut is ibidem baptizetur; si nulla subsit spes evadendi.

An autem & is etiam homicida sit, qui unicum, quo vitam tolerare possit, panem cedit amico ne is moriatur, prout generatim asserit Henno Tom. 4. p. 309. res est difficilior. Contrarium enim tenent viri graves cum Sylvio. Sed de his, aliisque, qui ad hanc materiam pertinent casibus, vide, quæ dixi ubi de Charitate, &c.

Saltem, inquies, licet Magistratui auctoritate publica donato, qui cum patriæ hostibus egerit, aut grave aliud commiserit crimen, pœnam mortis contra patriæ hostes latam in se exequi.

R. Negat. cum S. Thoma, qui 2. 2. q. 64. a. 5. sic loquitur: *Nullus est Judex sui ipsius; unde non licet habenti publicam auctoritatem, se ipsum occidere propter quodcumque peccatum.* Prædictus ergo Judex, non occideret se publica

au-

auctoritate, quam erga alios, non erga se recepit, sed privata, quod grande est scelus.

CONCLUSIO II. Licet homini se indirecte, & negative occidere.

Prob. quia licet homini justa de causa variis sese periculis objicere. Licet etiam ei vel quædam omittere media, quibus vitam conservare posset, vel asperum vivendi genus amplecti, quo fieri possit, ut breviori tempore consumetur: ergo.

Quæres, quibus in casibus censeatur homo se nonnisi indirecte occidere.

R. multos numerari. Primus est cum agitur de bono Reipublicæ totius: unde nemo dubitat quin miles possit, & teneatur manere in statione sua, & in hostes irruere cum certo mortis periculo, si id patriæ saluti opportunum esse viderit. Sic etiam potest quis vitam exponere navigando ob publicam utilitatem: si tamen mare aliquod ita esset naufragiis male famosum, ut nemo fere ab eo evaderet, haud licet ei se committere, nisi id postularet privati, vel communis boni necessitas.

Secundus affertur, cum avertendum est imminens eidem Reipublicæ damnum. Hac de causa excusant aliqui eos, qui naves suas jam in potestatem hostium deventuras incendunt, etiamsi flammis una cum navi consumendi sint; vel qui easdem naves succendunt ut hostes Reipublicæ perniciosos, quibus permixti sunt, e medio tollant; quod æque licitum est, inquiunt, ac Sampsoni licitum fuerit se cum Philistæis obruere. Fatendum tamen hoc Sampsonis exemplum plus nocere, quam prodesse eis, a quibus citatur. Si enim Sampson ideo solum excusetur, quia egerit ex impulsu Spiritus Sancti, excusari non possunt nisi, qui eodem impellente principio agere dignoscuntur. Si tamen, qui navem flammis dant, sperare possunt se natando ex aquis ad portum emersuros esse, non utique arguendi essent, sicut non arguuntur, qui ex alta turri grassante incendio se dejiciunt: tum quia ex periculo certo se liberant, & in incertum, a quo etiam multi evasere, se conjiciunt, quod licitum est; tum quia in casibus tam repentinis plus movet terminus a quo, quam terminus ad quem.

Tertius casus est, cum agitur de avertendo proximi damno, sive spirituali, sive temporali. Hinc 1. non peccat, sed magnæ charitatis actum exercet, qui se interimi finit ab injusto aggressore, ne eum interimendo in æternam damnationem conijciat. Ita communiter Theologi, qui tamen hoc limitant. 1. nisi qui se interimi permittit, persona sit publica, & Reipublicæ necessaria, vel admodum utilis; quia salus populi suprema lex esse debet. 2. nisi possit per fugam saluti suæ consulere. 3. addunt aliqui, nisi ipse credat se esse in peccato mortali, quia propriam salutem alienæ saluti anteponere tenemur. Hæc tamen exceptio parum fundata videtur, quia cum nemo majorem habere charitatem possit, quam ut pro amicis animam ponat, quis credat eum vere contritum non esse, qui pro suis etiam inimicis animam poneret?

Hinc etiam licitum est peste aliove morbo infectis servire, eosque cum propriæ etiam valetudinis periculo consolari. Ita Sairus, & alii, qui docent amico licitum esse in naufragio, unicam qui habet tabulam, alteri amico relinquere: quam opinionem limitat Sylvius. Vide quæ dixi in Tract. de Char.

Quartus casus est, cum vita propria nonnisi difficillimis mediis servari possit: Sic non habetur ut homicida sui, qui abstinet a pretiosissimis medicamentis, in quibus profundi deberent opes patrimonii; item, qui non vult gravissimos cruciatus, pedum v. g. vel brachiorum sectionem pati, ut vitam diutius

tius protrahat; cum hujusmodi media moraliter impossibilia sint: unde actus ille utpote nimium difficilis non posset præcipi a Superiore. Ita Sylvius 2. 2. q. 65. art. 1. Docent tamen Theologi hominem teneri pati membri abscissionem, si hæc sine gravissimis doloribus fieri possit; imo & debere eum ingentes cruciatus pati, quin & ad eos cogi posse, si vita ejus bono communi necessaria foret; quod raro contingit.

Sed quid si homo ne moderatos quidem dolores pati velit, vitam servet, poteritne invitus abscindi? Poterit ab iis aut de mandato eorum, qui curam ejus gerunt, ut pater, tutor, Superior, & similes: an autem & ab aliis mutilari possit, non ita constat. Negat Henno, quia, inquit, homo quilibet respectu membrorum propriorum est sui juris, nec ab alio cogi potest. Quid sentiendum de lege, quæ Carthusiensibus esum carnis indistincte prohibere videtur, latius expendi in Tract. de Legibus.

Quintus casus est, cum quis ut Deo justitiæ faciat satis, ea non arripit media quibus incolumem se præstare posset. Sic licet ei, qui juste ad mortem condemnatus est, ea quæ ad mortem præambula sunt facere, ut 1. se offerre Judici, secundum S. Thomam; 2. non egredi e carcere, etiamsi se offerat opportunitas, & noverit paratam sibi esse mortem: & reipsa Martyres non crediti sunt sibimetipsis mortem inferre, cum patentibus portis e carceribus non exierunt. Ita Sylvius q. 69. art. 4.

Sed potestne qui damnatus est ut venenum hauriat, aut aperiat sibi venas, hæc licite facere?

Respondent aliqui Judices equidem non posse præcipere reo ut ea contra se exequatur, quæ gravem naturæ horrorem parerent, puta ut se transfodiat gladio, sibi linguam amputet, &c. At vero censent iidem Doctores posse Judicem deficiente justitiæ ministro, reo præcipere ut aperiat sibi venas, aut venenatum quid hauriat, & tunc reum obsequi debere docent, si mors ab alio inferenda debuisset ob gravitatem criminis esse acerbior. Ratio est, inquiunt, quia tunc videtur esse proportio delictum inter & sententiam; nec rationi dissentaneum est, ut eam, quis auctoritate publica in se exequatur.

Contrarium docet post Comitolum Lib. 4. q. 10. & alios plures Sylvius loco mox citato; & Judicem, qui hæc naturæ adeo adversa præciperet, injustum vocat. Et certe, qui sciens & volens alteri potionem mortiferam propinat, eum occidit; ergo occideret se, qui hujusmodi potionem sciens & volens sumeret: se ipsum autem occidere, est contra jus naturæ.

Dices. Non magis reus venenum ex Judicis imperio hauriens, se ipsum occidere censetur, quam cum scalas ascendit, aut collum extendit abscindendum: atqui in posteriori casu semetipsum occidere non censetur; ergo nec in priori.

R. neg. maj. Actiones enim, quæ mortem violentam præcedunt duplicis sunt generis; aliæ per se & directe mortem procreant, ut se ex scalis dejicere, bibere venenum, venas abscindere, cum eas statim occludere non licet; aliæ licet ad mortem facilius recipienda disponant, eam tamen per se & immediate non pariunt, unde non ex ipsis sed ex actione ministri consequitur mors: in hoc ordine sunt scalam ascendere, linguam extrahere amputandam, &c. Actus prioris generis a Judice non possunt imperari reo; alioqui poterit etiam homo atrocis sceleris reus, jubente Judice sclopum in se explodere; quod nemo admiserit: nihil vero obstat quominus Judex actus secundi generis præcipiat, quia nec naturæ repugnant, nec ex se mortem inferunt. Ita ferme Sylvius ubi supra.

Quæ-

Quæres, quid sentiendum de funambulis, qui in fune excelsius protenso saltant, &c.

R. Censent aliqui eos, si longa experientia moraliter certi sint de industria & agilitate sua ad vitandos lapsus, non peccare saltem graviter. At sanius sentiunt, qui eosdem lethalis peccati reos esse docent: 1. quia quantacumque polleant agilitate, semper obnoxii sunt proximo mortis, aut gravis vulneris periculo; cum ad id sufficiat vertigo, irrepens imaginationis debilitas, subitus adstantium clamor ex plausu, vel tremore. Unde tot fortassis ex eo ludo periere, quot ex torneamentis, quæ tamen Conc. Later. III. c. 20. severe interdicta sunt; 2. quia ea est funambulorum conditio ut scenis suis obscœna multa promisceant. Ita Pontas v. *Bateleur*, cas. 4. & v. *Danse*, cas. 3.

Quæres iterum an immunes sint a peccato, qui ut theriacæ suæ virtutem commendent, hauriunt venenum, aut se a vipera morderi permittunt.

Affirmat Henno, quadruplici hac conditione, 1. ut theriacæ confector sit vir artis suæ peritus; 2. ut vim ejus in bruto expertus sit; 3. ut certo credat nihil subesse periculi; 4. ut si forte sentiat theriacam suam propulsando veneno imparem esse, præsto habeat remedium aliud infallibile. Alias ob periculum graviter peccat.

Quæres 3. an liceat corpus torquere jejuniis & afflictionibus, quæ vitam efficiunt breviorem?

R. 1. graviter peccare eum, qui consulto aut etiam advertenter jejuniis aut vigiliis sanitatem aut vitam suam immoderate læderet: tum quia faceret contra charitatem sibi debitam in re gravi; tum quia, ut ait S. Hieronymus, *nihil interest parvo aut magno tempore te interimas*. Unde c. 4. dist. 5. *De consecr.* dicitur post eumdem S. Doctorem: *De rapina holocaustum offert, qui sive ciborum nimia egestate, vel somni penuria, corpus immoderate affligit*. Imo ibid. prohibetur ne *propter abstinentiam immoderatam, atque indiscretam Psalmorum vel Officiorum decantationem* homo *tristitiæ notam incurrat*.

R. 2. qui corpus moderate affligit, pietatis opus exercet: 1. quia id facit, quod faciebat Apostolus, qui I. Cor. 9. v. 27. aiebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*; 2. quia ejusdem Apostoli consilium sequitur: sic ille Coloss. 3. v. 5. *Mortificate membra vestra*; 3. quia viri pœnitentia & vivendi asperitate celebres, longe diutius vixere, quam vivere soleant, qui carnis desideria sequuntur; 4. quia tam licet jejunio & abstinentia vitam minuere propter Christum, quam liceat propter temporale lucrum artes profiteri, quæ vitam sensim atterunt. Abesse tamen debet minuendæ, quæ nostra non est, vitæ intentio, qui enim vel diem, vel horam sibi auferret, esset occisor sui. Deinde in his omnibus standum est sapientis Confessarii judicio, ad quem pertinet nimios aliquando nascentis pietatis impetus coercere. At ea vivimus ætate, qua tales excessus vix timeri debeant.

Plus sane imminet periculi ex liquorum usu, & crapula, propter quam *multi obierunt*, Eccli. 37. unde, qui hujusmodi poculentis inserviunt, sunt in continuo sui homicidio, ac proinde in perpetuo statu peccati. Quin & cum eo devenere, ut jam quæcumque nimia potus iteratio mortem acceleret, nisi ad angustos limites reducatur, toties lethaliter delinquunt.

CONCLUSIO III. Nemini licet mutilare se extra casum necessitatis.

Prob. quia non magis homo membrorum suorum constitutus est a Deo dominus, quam vitæ, cujus totalitas a membrorum integritate pendet: atqui ex dictis homo non est vitæ suæ dominus: ergo.

Et

tius protrahat; cum hujusmodi media moraliter impossibilia sint: unde actus ille utpote nimium difficilis non posset præcipi a Superiore. Ita Sylvius 2. 2. q. 65. art. 1. Docent tamen Theologi hominem teneri pati membri abscissionem, si hæc sine gravissimis doloribus fieri possit; imo & debere eum ingentes cruciatus pati, quin & ad eos cogi posse, si vita ejus bono communi necessaria foret; quod raro contingit.

Sed quid si homo ne moderatos quidem dolores pati velit, vitam servet, poteritne invitus abscindi? Poterit ab iis aut de mandato eorum, qui curam ejus gerunt, ut pater, tutor, Superior, & similes: an autem & ab aliis mutilari possit, non ita constat. Negat Henno, quia, inquit, homo quilibet respectu membrorum propriorum est sui juris, nec ab alio cogi potest. Quid sentiendum de lege, quæ Carthusiensibus esum carnis indistincte prohibere videtur, latius expendi in Tract. de Legibus.

Quintus casus est, cum quis ut Deo justitiæ faciat satis, ea non arripit media quibus incolumen se præstare posset. Sic licet ei, qui juste ad mortem condemnatus est, ea quæ ad mortem præambula sunt facere, ut 1. se offerre Judici, secundum S. Thomam; 2. non egredi e carcere, etiamsi se offerat opportunitas, & noverit paratam sibi esse mortem: & reipsa Martyres non crediti sunt sibimetipsis mortem inferre, cum patentibus portis e carceribus non exierunt. Ita Sylvius q. 69. art. 4.

Sed poteſtne qui damnatus est ut venenum hauriat, aut aperiat sibi venas, hæc licite facere?

Respondent aliqui Judices equidem non posse præcipere reo ut ea contra se exequatur, quæ gravem naturæ horrorem parerent, puta ut se transfodiat gladio, sibi linguam amputet, &c. At vero censent iidem Doctores posse Judicem deficiente justitiæ ministro, reo præcipere ut aperiat sibi venas, aut venenatum quid hauriat, & tunc reum obsequi debere docent, si mors ab alio inferenda debuisset ob gravitatem criminis esse acerbior. Ratio est, inquiunt, quia tunc videtur esse proportio delictum inter & sententiam; nec rationi dissentaneum est, ut eam, quis auctoritate publica in se exequatur.

Contrarium docet post Comitolum Lib. 4. q. 10. & alios plures Sylvius loco mox citato; & Judicem, qui hæc naturæ adeo adversa præciperet, injustum vocat. Et certe, qui sciens & volens alteri potionem mortiferam propinat, eum occidit; ergo occideret se, qui hujusmodi potionem sciens & volens sumeret: se ipsum autem occidere, est contra jus naturæ.

Dices. Non magis reus venenum ex Judicis imperio hauriens, se ipsum occidere censetur, quam cum scalas ascendit, aut collum extendit abscindendum: atqui in posteriori casu semetipsum occidere non censetur; ergo nec in priori.

R. neg. maj. Actiones enim, quæ mortem violentam præcedunt duplicis sunt generis; aliæ per se & directe mortem procreant, ut se ex scalis dejicere, bibere venenum, venas abscindere, cum eas statim occludere non licet; aliæ licet ad mortem facilius recipienda disponant, eam tamen per se & immediate non pariunt, unde non ex ipsis sed ex actione ministri consequitur mors: in hoc ordine sunt scalam ascendere, linguam extrahere amputandam, &c. Actus prioris generis a Judice non possunt imperari reo; alioqui poterit etiam homo atrocis sceleris reus, jubente Judice sclopum in se explodere; quod nemo admiserit: nihil vero obstat quominus Judex actus secundi generis præcipiat, quia nec naturæ repugnant, nec ex se mortem inferunt. Ita ferme Sylvius ubi supra.

Quæ-

Quæres, quid sentiendum de funambulis, qui in fune excelsius protenso saltant, &c.

R. Censent aliqui eos, si longa experientia moraliter certi sint de industria & agilitate sua ad vitandos lapsus, non peccare saltem graviter. At sanius sentiunt, qui eosdem lethalis peccati reos esse docent: 1. quia quantacumque polleant agilitate, semper obnoxii sunt proximo mortis, aut gravis vulneris periculo; cum ad id sufficiat vertigo, irrepens imaginationis debilitas, subitus adstantium clamor ex plausu, vel tremore. Unde tot fortassis ex eo ludo periere, quot ex torneamentis, quæ tamen Conc. Later. III. c. 20. severe interdicta sunt; 2. quia ea est funambulorum conditio ut scenis suis obscœna multa promisceant. Ita Pontas *v. Bateleur*, *cas.* 4. & v. *Danse*, *cas.* 3.

Quæres iterum an immunes sint a peccato, qui ut theriacæ suæ virtutem commendent, hauriunt venenum, aut se a vipera morderi permittunt.

Affirmat Henno, quadruplici hac conditione, 1. ut theriacæ confector sit vir artis suæ peritus; 2. ut vim ejus in bruto expertus sit; 3. ut certo credat nihil subesse periculi; 4. ut si forte sentiat theriacam suam propulsando veneno imparem esse, præsto habeat remedium aliud infallibile. Alias ob periculum graviter peccat.

Quæres 3. an liceat corpus torquere jejuniis & afflictionibus, quæ vitam efficiant breviorem?

R. 1. graviter peccare eum, qui consulto aut etiam advertenter jejuniis aut vigiliis sanitatem aut vitam suam immoderate læderet: tum quia faceret contra charitatem sibi debitam in re gravi; tum quia, ut ait S. Hieronymus, *nihil interest parvo aut magno tempore te interimas*. Unde c. 4. dist. 5. *De consecr.* dicitur post eumdem S. Doctorem: *De rapina holocaustum offert, qui sive ciborum nimia egestate, vel somni penuria, corpus immoderate affligit*. Imo ibid. prohibetur ne *propter abstinentiam immoderatam, atque indiscretam Psalmorum vel Officiorum decantationem* homo *tristitiæ notam incurrat*.

R. 2. qui corpus moderate affligit, pietatis opus exercet: 1. quia id facit, quod faciebat Apostolus, qui I. Cor. 9. v. 27. aiebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*; 2. quia ejusdem Apostoli consilium sequitur: sic ille Coloss. 3. v. 5. *Mortificate membra vestra*; 3. quia viri pœnitentia & vivendi asperitate celebres, longe diutius vixere, quam vivere soleant, qui carnis desideria sequuntur; 4. quia tam licet jejunio & abstinentia vitam minuere propter Christum, quam liceat propter temporale lucrum artes profiteri, quæ vitam sensim atterunt. Abesse tamen debet minuendæ, quæ nostra non est, vitæ intentio, qui enim vel diem, vel horam sibi auferret, esset occisor sui. Deinde in his omnibus standum est sapientis Confessarii judicio, ad quem pertinet nimios aliquando nascentis pietatis impetus coercere. At ea vivimus ætate, qua tales excessus vix timeri debeant.

Plus sane imminet periculi ex liquorum usu, & crapula, propter quam *multi obierunt*, Eccli. 37. unde, qui hujusmodi poculentis inserviunt, sunt in continuo sui homicidio, ac proinde in perpetuo statu peccati. Quin & cum eo devenere, ut jam quæcumque nimia potus iteratio mortem acceleret, nisi ad angustos limites reducatur, toties lethaliter delinquunt.

CONCLUSIO III. Nemini licet mutilare se extra casum necessitatis.

Prob. quia non magis homo membrorum suorum constitutus est a Deo dominus, quam vitæ, cujus totalitas a membrorum integritate pendet: atqui ex dictis homo non est vitæ suæ dominus: ergo.

Et

Et vero si licitum esse homini semetipsum mutilare, Ecclesia hoc non improbasset: atqui improbavit, ut patet ex dist. 55. cap. 4. quod desumptum est e cap. 22. Canon. Apostol. *Si quis abscidit semetipsum, id est amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia est sui homicida*, & cap. 6. *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt.*

Dices. Matth. 5. habetur: *Si oculus tuus scandalizat te; erue illum*; ergo saltem cum aliter vitari peccatum non potest, licet membrum sibi amputare.

R. Neg. conseq. verba enim Christi metaphorice intelligenda sunt, & significant eas peccandi occasiones, quæ oculis ipsis cariores sint, procul abjici debere. Hinc S. Chrysostomus per *oculum dexterum* intelligit mulierem amicam; Augustinus amicum periculosum; alii aliud, quo in peccatum trahi possimus. Etsi autem oculi & caro adversus spiritum concupiscens, plerumque sunt peccati fomes & illicium, quia tamen præsto sunt alia media, quibus eorum tentationibus resisti possit, hinc nulla unquam est necessitas ea membra convellendi.

Ex his colliges graviter peccasse Origenem, eosque ejus imitatores, qui illud Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt*, ad litteram sumunt. Hic enim non corpoream abscissionem, sed castitatis studium commendat Christus. Adde quod hæc mutilatio concupiscentiam non extinguit, & carnis petulantiam non refrenat.

Colliges 2. approbari non posse factum seu Ammonii, qui referente Sozomeno Lib. 6. cap. 30. aurem sibi præcidit, ne Episcopus crearetur; seu Marci Anachoretæ, qui ne sacris initiaretur, amputavit sibi pollicem, seu Clarissarum earum, quæ ne turpi concubitu fœdarentur, faciem sibi enormiter deturparunt; nisi hic intervenerit vel ignorantia, vel specialis Spiritus sancti impulsio.

Colliges 3. gravioris adhuc peccati reos esse eos, qui pueros etiam consentientes abscindunt, ut eis vocis suavitatem etiam in Ecclesiæ obsequium conservent.

Dixi in Conclusione: *extra casum necessitatis*, quia ordo postulat ut partem in gratiam totius resecare liceat, quia pars est propter totum; & aliunde pereunte toto pars ipsa non conservaretur, sed una cum toto periret. Hinc licet 1. membrum putridum amputare; 2. abscindere manum, si quis ea ligatus incendium aliter vitare non possit; 3. idem docent plures de eo, cui mortem comminatur tyrannus, nisi sibimetipsi aurem, aliamve corporis partem abscindat; quia etsi graviter peccat, qui barbariem hanc præcipit, haud tamen videtur peccare, qui partem cœteroqui perituram cum toto, in gratiam totius impendit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Homicidio publica auctoritate facto.

Cum aliorum hominum occisionem sæpius præcipiant & Principes bellum indicendo, & Magistratus plectendo sontes; æquum est ut expendamus an & bellum inferri, & sontes morte condemnari possint. A posteriori isto capite ut facilior initium ducemus.

SE-

SECTIO PRIMA.

De Reorum occisione.

Valdenses, ut refert Alphonsus a Castro, negabant licitum esse Principibus ipsis & Magistratibus malefactores morti addicere. Scotus vero, juxta quosdam, docuit eos solum occidi posse, quos Jus divinum in Scripturis expressit, quales sunt arioli, homicidæ, blasphemi, non autem alios, qui ibidem non determinantur. *Neque adhuc*, inquit, *visa est Bulla de Cælo, quæ huiusmodi concedit occidi*. Prima Valdensium opinio pura est hæresis. Secunda vero cujuscumque sit, erronea a viris piis, & eruditis judicatur; eamque a Scoto non doceri tradunt subtiles ejus alumni, quos inter consulatur P. Herinx dis. *6.* q. 4. Henno, & alii, quibus sponte suffragamur. Sit *Scot in 4. dist. 15. 3. 3.*

Conclusio. Licitum est malefactores occidere, & eos etiam, qui in Scripturis non exprimuntur.

Prob. 1. pars ex cap. 22. Exodi, ubi sic legitur: *Maleficos non patieris vivere; qui coierit cum jumento, morte moriatur*; & Levit. 20. interfici jubentur, qui maledixerint patri aut matri, qui declinaverint ad magos ariolos, qui adulterium vel incestum cum nuru aut noverca perpetraverint; ergo lex, quæ Exodi 20. prohibet ne quis occidat, generalis non est, sed cum restrictione multiplici intelligenda.

Prob. 2. pars: 1. ex S. Paulo Rom. 13. v. 4. *Si malum feceris time* Principem, *non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum operatur*; ergo Princeps, ut Dei minister, gladio seu morte eos punire potest, qui mala præsertim Reipublicæ perniciosa operantur.

Prob. 2. Improbari ut malum non potest id quod sæcularis & Ecclesiastica potestas præcipiunt ut bonum: atqui ... De sæculari potestate nihil est dubii; de Ecclesiastica vero constat tum ex praxi, tum ex Canonibus: *Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere*. Ita S. Cyprianus, & refertur cap. 40. XXIII. q. 5.

Prob. 3. quia ex sententia quam impugnamus sequeretur, quod Catholici Principes nunquam possent Hæreticos tranquillitatis publicæ oppugnatores, & apostatas morti addicere: atqui hoc est contra veterum Patrum sententiam. *Si enim*, ait S. Cyprianus de exhort. ad Martyrium, cap. 5. *ante adventum Christi hæc servata sunt*, ut falsus Propheta interimeretur, & morte moreretur homo, qui superbiret nolens obedire Sacerdotis imperio, *quanto magis post adventum Christi servanda sunt*. Dicendum ergo cum S. Bernardo Serm. *66.* in Cant. *Melius procul dubio gladio coercentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos trajicere permittantur*. Legatur de hoc puncto Sylvius 2. 2. q. 11. art. 4. *Quæritur 4. utrum hæretici recte puniantur morte*. *Deut. 17. & 18.*

Porro ad hujusmodi malefactores occidendos requiritur auctoritas publica. *Qui enim sine publica ulla administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur; & tanto amplius, quanto sibi potestatem a Deo non concessam usurpare non timuit*. Ita S. Augustinus Lib. 2. de Civ. Dei:

Obj. 1. Lex Dei vetat Exodi 22. ne fur diurnus occidatur; 2. Christus abrogavit præceptum puniendi adulterii, ut patet ex his ejus verbis ad mu-

lierem

lierem adulteram : *Neque ego te condemnabo*. Ergo saltem crimina quæcumque adulterio minora puniri non possunt in nova lege.

R. ad 1. dist. ant. Vetat id, quia necessarium non erat ut fures occiderentur, C. vetat ut rem intrinsece malam, N. Itaque cum Hebræa gens latrociniis addicta non esset, sufficiebat mitior pœna ad cohibendos fures. At vero furtis adeo crescentibus ut inde pax Reipublicæ, & commerciorum securitas turbaretur, pœnam augeri oportuit. Neque id impedire potest Lex Mosaica, quæ quoad judicialia non obligat. Adde apud nos non omne furtum etiam grave puniri capitali supplicio, sed illud, cui gravis annexa est circumstantia; quale est furtum nocturnum, sacrilegum, factum cum effractione, vel in viis publicis, abigeatus, peculatus, &c.

R. ad 2. neg. ant. Nam 1. aliud est mulierem unam in aliqua singulari circumstantia absolvere; aliud prohibere, ne ulla deinceps puniatur; 2. Christus eo loci non locutus est ut Legislator, sed ut pater misericors; ergo exemplum dedit, quod Judices sequi aliquando possint, non quod tenere necessario debeant.

Obj. 2. Deus Genes. 9. v. 6. prohibet ne quis humanum sanguinem effundat, quia *ad imaginem Dei factus est homo*: atqui imago Dei in homine etiam flagitiosissimo perseverat: ergo ejus sanguis fundi non debet.

R. Deum hac hominis ad imaginem suam facti ratione usum esse, ut homines ab iniqua fratrum suorum occisione deterreat, non vero ut iis semper parcatur, qui imaginem hanc fœdant; cum ibidem mortis pœnam decernat adversus eum, qui alium hominem occiderit, ut ex his verbis patet: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*.

Obj. 3. Falsum est, quod hæreticos occidere liceat: 1. quia id vetuit Christus cum ait Matth. 13. *Sinite crescere utraque*, triticum scilicet, & zizania, *usque ad messem*; 2. quia Apostolus ad Tit. 3. solum præcipit ut hæreticus *post unam, & alteram correptionem* devitetur; ergo occisio ejusdem Apostolicæ praxi repugnat; 3. quia sententia, quæ hæreticos addicit morti, adversatur judicio puriorum, ac priorum Ecclesiæ Doctorum, quales fuere Ignatius Martyr, Irenæus discipulus Polycarpi, Justinus, Tertullianus, Augustinus, &c. ergo, ait Bechman, Jenensis Professor e Lutherano grege, in Theologia Polemica, pag. 1027. errant Pontificii, qui hæreticos morte plectendos esse definiunt: & merito *huic* eorum *crudelitati B. Lutherus se opposuit*.

R. 1. Argumenta hæc saltem ex parte militare contra Bechman, ejusque socios vel asseclas: 1. enim fatentur e medio tolli posse eos omnes, quorum *error pugnat directe cum ipso lumine naturæ, & iis, quæ recta ratio dictat de discrimine honestorum & turpium, de cultu divino*: puta qui *docent, non esse Deum, plures esse Deos, idola esse colenda, licitum esse adulterium, furtum*, &c. 2. idem dicunt de iis, quorum *dogmata tranquillitatem & salutem Reipublicæ evertunt, ut cum quis docet Magistratum esse abolendum, Magistratui non esse obediendum*; prout, inquit Bechman, docent Pontificii, juxta quos licitum est Papæ *Reges & Principes de regnis suis dejicere, omnemque iis potestatem adimere*. Unde obiter sequitur bene actum iri si & Papa & Papistæ omnes uno sacculo conclusi in mare dejicerentur: ut est, si Lutheranis permissum est indistincta Christi, Pauli, priorumque Patrum verba restringere, nihil est profecto quod impediat, ne ea nos restringamur.

R. 2. Mirum esse, quod Novatores hæreticorum occisionem prohibitam esse tantopere contendant, cum ipsi tot Innocentum millia ubique ferro & flam-

flammis extinxerint; cum nulla doctrina supremæ Principum independentiæ, ac ipsi vitæ Regum plus adversetur, quam, quæ a Pseudoreformatis fabricata est, ut nervose probat Gallica Catholicorum apologia, adversus calumnias Libri inscripti: *La politique du Clergé de France*; cum denique Calvinus ipse & Servetum vivum comburi curaverit, & eos, qui profanas Anglicanæ Liturgiæ novitates impatienter ferebant *gladio ultore* coercendos esse definiat in Epist. 93. ad Angliæ Protectorem. * *Apolog. part. 1.*

R. 3. Si id solum velint Protestantes, Hæreticum, qui sibi soli nocet hæretice vivendo, nec turbas agit, nec venenum suum diffundere conatur, commiseratione digniorem esse quam pœna; jam id docent, quod in praxi sequi solent Magistratus Catholici, qui adversus tales ne pœnam quidem exilii decernunt. His præmissis

Ad 1. Non soli hæretici, sed & impii quicumque intelliguntur nomine zizaniorum. *Zizania*, ait Christus ipse, *filii sunt nequam*: porro, qui vetat ne passim occidantur impii, non vetat ne is vel ille occidatur. Et vero si suspenditur latro, qui temporanea solum bona aufert, quidni interimi aliquando possit, qui auferendo fidem, bonum temporali quocumque potius aufert: præsertim cum fur etiam pœnitens necetur; hæreticus vero, nonnisi post plures Ecclesiæ monitiones, quæ Ecclesiasticam & civilem pœnam præcedunt. Adde, quod ut notavit Augustinus Lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. non prohibet Christus ne zizania eradicentur, sed ne eradicentur, cum ita similia sunt triticis; ut discerni facile non possint; aut cum subest periculum schismatis: ergo seclusis iis casibus potius subindicat Christus non semper parcendum esse zizaniis.

Ad 2. Loquebatur Apostolus non Magistratui sed Episcopo, cujus est solis censuris animadvertere in hæreticos. Deinde, quo tempore plerique Magistratus, ethnici erant, non potuisset Apostolus opem eorum invocare contra eos etiam hæreticos, qui plures deos admisissent: & istos tamen plecti posse non negat Bechman.

Ad 3. Non est speciosa in ore Protestantium Traditio: his pugnamus armis Catholici; non ii, qui Patres dedignantur. Dicendum igitur cum Sylvio, quod primis post Apostolos temporibus in hæreticos capitali pœna animadversum non sit, partim accidisse, quia Principes necdum erant Christiani; partim quod experientia paulatim docuit lenioribus remediis malum non minui, sed augeri. Primo enim adhibita est excommunicatio, deinde pecuniariæ mulctæ, subinde exilia; quæ cum parum proficerent, ad extrema supplicia deveniendum fuit. Et id ægre quidem tulerunt, atque etiamnum ferunt viri Christiane mansueti: sed tulerunt tandem & hodie ferunt, ne modicum fermentum totam massam vitiet. Hinc Augustinus cujus ea *primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum*, alios tandem spiritus induit quasi invitus. Unde Parmeniano conquerenti, quod Constantius Donatistas capitali pœna damnasset, his respondet verbis Lib. 1. contra ejusdem Epistolam c. 8. *Quid non isti juste patiuntur? prius probent se non esse Hæreticos vel Schismacos, tum demum de indignis pœnis suis lividam emittant vocem*; & Tract. 11. in Joan. *Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur*. Hæc & alia id genus plura videris apud Sylvium ibid. *Epist. 48.*

Quæres 1. an reus morte condemnari possit, non servato juris ordine.

R. id

* Adi vitam Calvini Auctore Beza p. 161.

R. id ordinarie loquendo illicitum esse. Ratio est, quia vetat Scriptura Deuter. c. 17. ne quisquam *occidatur*, *uno contra se dicente testimonium*; & id ubique gentium receptum est. Porro si reus sine sufficienti testimonio occidi nequit, nec a fortiori damnari potest sine examine, accusatione, convictione, ac defensione.

Hinc peccat Judex 1. qui sufficientem, adeoque gravem non adhibet diligentiam in examine rei, circumstantiarum, accusatoris,& testium; 2. qui reum contra se testimonium dicentem facile audit, & ex dictis condemnat; quia ex trito apud sanos Judices axiomate: *Nemo auditur perire volens*; 3. qui eumdem reum in sui gratiam verba facientem perturbat, audire renuit, sive negat Advocatum; 4. qui eum interrogat de rebus, quarum ne indirecte quidem præcessit accusatio ulla, vel juridica suspicio; 5. qui eum addicit torturæ sine probatione semiplena, qualis ea est, quæ petitur a teste *de visu*, eoque omni exceptione majori, (& is nec esse potest reus ad mortem damnatus, nec qui ab alio vulneratus declaraverit in ipso mortis articulo, se ab hoc vel illo vulneratum fuisse) aut ab indiciis pluribus, quæ gravia sint, vehementia, & manifesta, prout docet Ferriere v. *Question*. 6. & qui eumdem aut gravius justo, aut inutiliter *torqueri* mandat, ut cum jam satis constat de crimine per testes indubios; nisi tamen legitime præsumatur crimen non ab uno solum perpetratum fuisse, sed a sociis pluribus, quos detegi oporteat.

Cœterum tortura seu quæstio *res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint*. Leg. 1. §. 23. ff. *De quæstionib.* Flebile veritatis hujus exemplum refert Charondas de marito, qui tormentis victus, confessus est se uxorem suam furno inclusam combussisse; quæ tamen in litis decursu sana & incolumis comparuit. Vide & S. Hieronymum Epist. 34.

Sed quid si Judex ex cognitione injuste extorta reum damnet?

R. eum & peccare graviter, & restitutioni obnoxium esse. Quia cognitio injuste extorta nullum dat jus; ac proinde ea uti non licet; cum medio injusto uti non liceat. Unde duplex hic intervenit iniquitas; prima quod Judex injuriam fecerit, cognitionem inique extorquendo. Secunda, quod injustitiam eamdem continuet, utendo in præjudicium alterius cognitione inique parta.

Porro inique extorquetur criminis perpetrati confessio; cum reus interrogatur nulla præcedente infamia, vel semiprobatione, vel sine indiciis competentibus; 2. cum elicita est confessio ex quæstione, cui reus injuste subjectus fuerit; sive quia deerant indicia, ob quæ pœna hæc de se gravis incurreretur; sive quia non patiebatur infirmitas, ætasve, privilegium, aut dignitas, ut reus torturæ addiceretur: quamquam in Gallia potissimum, *reatus omnem dignitatem excludit*, prout ex Jure civili docet Ferriere ibid. 3. cum delicti confessio dolose obtenta, v. g. promissa impunitate, aut pœna mitiori: tunc enim reo servanda erat fides, quæ etiam hosti cuicumque servanda est; 4. cum criminis confessio pendet a confessione sacramentali; puta cum improbus Sacerdos pœnitentis crimen revelavit absque expressissima istius licentia; aut cum testes, qui alicuius elatiori voce peccata deponentis, delictum audierunt, contra eumdem deponunt judicialiter; aut demum cum inventa est schedula continens peccata in confessione sacramentali deponenda

da aut deposita. Sic communiter post Juris civilis peritos Canonistæ in tit. 18. Lib. 2. Decretalium, qui est *De Confessis*: ubi & notant licitum esse Judici veritatem elicere tum blandis verbis, tum & quibusdam industriis, ut fecit Salamon, cum infantem jussit vivum dividi.

Quæres 2. an reo possit ante mortem denegari tempus confitendi peccata?

R. negative. Ratio desumitur ex cap. 1. *De pœnitent. & remiss.* ubi refertur id Viennensis Concilii: *Cum secundum statuta canonica ultimo deputandis supplicio, negari (si petant) non debeat pœnitentia sacramentalis, abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes; Justitiarios omnes, & Dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant abusu, hortamur in Domino.: Locorum Ordinariis nihilominus injungentes, ut eos ad hoc, cum primum commode poterunt, diligenter monere; &, si necesse fuerit, Ecclesiastica censura compellere non omittant.*

Et vero, si necesse sit malefactorem e medio tolli, ne temporalia aliorum bona disperdat; quanto magis necesse est curari animam ejus, ne pereat in æternum.

Cœterum utraque hæc nostra responsio procedit de via ordinaria. Quandoque enim præmisso, vel in specie, vel generaliter processu judiciario potest quis in ipso temporis articulo interfici. 1. cum periculum est, ne elabatur seu arte magica, seu quia illico aderunt, qui eum liberent. 2. cum Reipublicæ graviter interest, ut qui in flagranti delicto repertus fuerit, statim ad aliorum terrorem plectatur; ut quandoque contingit in bello. Operæ tamen pretium fuerit, ut capitalem Judicem, qui milites quosdam continuo suspendi jubet, semper comitetur Confessarius, qui iisdem ad seriam contritionem excitatis absolutionem largiatur. Imo in defectum Confessarii debet Judex reum monere de eliciendo contritionis actu.

Quod spectat ad sacram Communionem, moris est Romæ, & pluribus in locis, ut hæc reis mortem damnatis ipsa etiam supplicii die administretur; & id fieri posse absque eo, quod ii jejuni sint, docent complures: quia tunc datur per modum Viatici. Contrariam consuetudinem, quæ in Hispaniis ob Provincialium quorumdam Conciliorum statuta inoleverat, revocavit Pius V. Bulla *Cum sicut*, an. 1569. Quin & Judices, qui id prohibuerint, censuris plectendos esse docet Flavius Cherubin scholio 2. in prædictam S. Pii Bullam.

Sed male: Christus enim hanc Ecclesiæ potestatem concessit, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia id statueret, quod Sacramentorum venerationi judicaret expedire. Hac fretus potestate S. Cyprianus sanxit in Concilio Episcoporum, peccatorem, qui nonnisi in mortis periculo cœpisset veniam deprecari, Communione sacra prorsus esse privandum. Idem sanxit sæculo 4. Concil. Arelatense 1. cap. 23. quanto plus servari id debet erga eos, qui ad mortem usque impœnitentes esse solent, & crimina sua, etiam prævio veritatis aperiendæ juramento, constanter negare. Ita ferme Habert sub finem partis primæ Tractatus de Eucharistia.

Major esse videtur difficultas de iis, qui ne primam quidem Communionem, divino jure ad minus pro una vice præceptam, fecerunt. Sed, & his præcedens solutio accommodari potest. Addunt aliqui Confessarios sibi plurimum cavere debere, ne a reis, qui in carceribus diu languent, decipiantur præsertim tempore Paschali: unde hi benigne quidem, quoad confessionem audiendi sunt; sed haud facile absolvendi; nec absolvendi unquam nisi parati sint Judici juridice interroganti veritatem aperire.

Quæres 3. de quibus Homicidam aut mutilatorem interrogare debeat Confessarius.

R. interrogare debet 1. an occiderit ex repentino furoris motu, an ex veteri odio, vi cujus occidendi voluntatem pluries iteraverit; an provocaverit occisum, aut ab eo provocatus fuerit; an plures adhibuerit socios; quia pro eorum numero multiplicantur peccata ipsius. 2. an occisus affinitate vel sanguine sibi jungeretur, an non Clericus foret, aut Religiosus; an non plus vel minus superior, ut Magistratus, Tutor, Præceptor, Herus. 3. an idem occisus prolem haberet, aut uxorem, quam labore suo sustentaret; an non plures tempore morbi in medicos expensæ factæ fuerunt, &c.

Quæres 4. quid sentiendum de legibus, qui patri & marito permittunt, ut filiam, ut uxorem turpiter inventam occidant.

R. eas leges justas esse, quatenus hanc patris, aut mariti agendi rationem non puniunt; quia admodum difficile est, ut pater & maritus, altum quo hisce in circumstantiis utuntur, dolorem temperare possint. Et
L. 5. tit. 39. ita sensit ipsa Christi Ecclesia cum ab excommunicatione exemit eum, *qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas*. Cap. 3. *De sent. excomm.*

At eædem leges injustæ sunt, si supponantur hujusmodi homicidia approbare. 1. quia nullibi data est potestas patribus, aut maritis filias, aut uxores pro libito enecandi. 2. quia non patitur æquitas, ut quis inauditus & non condemnatus occidatur; forte enim dicet puella se vim pati, &c. 4. quia etiamsi supponeretur latam esse a Judice sententiam, non deceret, ut eam pater contra filiam, sponsus contra uxorem exequutioni mandaret. 4. demum, quia charitati Christianæ repugnat, ut quis eo occidatur in statu, in quo damnationem æternam fugere vix, ac ne vix, quidem potest. Merito igitur reprobata est ab Alexandro VII. sequens ista propositio: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*.

Quæres 5. an a Republica proscriptus, interfici possit a quolibet privato.

R. id pendere ex natura sententiæ adversus fugitivum hunc latæ: hæc enim si unicuique copiam faciat eumdem interficiendi, quod rarum est, jam non privata, sed publica auctoritate interficitur. Cœterum, qui morte *per contumaciam*, ut ajunt, damnatus esset; non posset a privato quolibet interfici, ut annotat Pontas v. *Tuer*, cas. 6. quia aliud est reum damnare morte, aliud unicuique permittere ut hanc mortis sententiam exequatur.

Quæres 6. an aliquando liceat interficere innocentem.

R. cum omnibus, id prorsus illicitum esse, nisi speciale accesserit Dei mandatum. Ratio est, quia hoc & natura vetat, ut malum intrinsece, non secus ac adulterium; & expresse prohibuit Deus Exod. 24. his verbis: *Insontem & justum non occides*.

Quod si speciali revelatione præcepisset Deus innocentis occisionem, ei sane, ut vitæ & mortis domino esset obtemperandum. Hinc non peccasset
1. Reg. 15. Abraham si filium suum immolasset. Neque peccarunt Israelitæ, qui Amalecitas devastando, nec ætati, nec sexui pepercerunt, quia Dei jussio urgebat.

Extra hunc casum qui hodie non contingit, homicidæ sunt, qui in bello etiam justo interficiunt innocentes, cujusmodi sunt parvuli, mulieres, agricolæ, peregrini, Religiosi, Moniales, Clerici. Quod si innocentes nocentibus permixti, ab iis discerni non possint, licet alios cum aliis involvere, sed tunc tantum, quando bellum justum aliter expediri non potest. Ita Syl-

Sylvius q. 64. art. 6. Neque tamen liceret infantes captos ante patrum oculos jugulare, ut ii se dedant.

Hinc colliges rabiosos non debere suffocari, ne aliis noceant, sed includi, & alligari.

Solet hic quæri, quid facto opus sit, si tyrannus civitatem obsidens, alicujus innocentis mortem petat, alioqui minitando se omnes Reipublicæ cives gladio perempturum.

Respondet Sylvius ibidem, non posse cives propria manu eum occidere, quem petierit tyrannus: tum quia generaliter vetat Deus ne innocens occidatur; tum quia etsi civitas civium suorum vitam exponere potest jubendo ut contra hostes pugnent, iis tamen auferre vitam nequit, nisi Reipublicæ, perniciosi sint: porro innocens, qua talis non nocet Reipublicæ, sed potius prodest.

Dices. Cives singuli se habent ut membra ad hominem: atqui si tyrannus mortem alicui homini minaretur, nisi hic manum, aut pedem sibi amputaret, posset ille membra hæc sibi amputare: ergo.

Respondent aliqui neg. min. quia, inquiunt, etsi licitum est homini, putridum v. gr. membrum sibi abscindere, quia mors tunc ab intrinseco imminet; id tamen eidem licitum non est, cum mors non imminet, nisi ab extrinseco. Verum hæc responsio, sicut & distinctio, qua nititur, haud satis fundata est; si enim homini pereundum esse vel ab incendio, vel a feris, vel a fure, nisi sibi membrum amputaret, posset ex communiori sententia membrum sibi amputare; atqui tamen ignis, ferrum, & fures sunt aliquid homini extrinsecum, sicut & tyrannus: ergo si tyrannus mortem alicui decerneret, nisi hic digitum, manum aut pedem abscindat, posset is hoc membrum amputare, nisi tyrannus amputationem hanc in contemptum Dei, Legisve naturalis præciperet. Unde

R. neg. maj. Ratio disparitatis est, quod membra humani corporis, utpote, quæ per se seorsim supposita rationalia non sint, non sint etiam injuriæ capacia; singuli vero cives per se totidem sunt supposita, quibus injuria fit, cum neci dantur, absque eo, quod commeruerint.

Sed si tyrannus non petat ut Respublica per se innocentem occidat, sed eum sibi tradat occidendum, quod nisi fiat, excidium generale minatur, quid faciendum?

Divisi sunt hic Theologi. Alii negant absolute tradi posse innocentem tyranno, sicut tradi ei non posset virgo violanda; quia, inquiunt, utrumque est intrinsece malum. Ita Sotus, Turrianus, &c. Alii eum tradi posse putant: ita Navarrus, Molina Tom. 4. disp. 10. Lessius Lib. 2. cap. 9. dub. 7. Delugo disp. 10. sect. 4. n. 113. Rationes hujus sententiæ sunt. 1. quod juxta Sotum, & alios statim referendos, homo ille teneatur ex charitate se ipsum offerre pro salute communi, & sponte sua ad tyrannum exire: ergo Respublica id ei præcipere potest, adeoque & eum, ne effugiat, prævenire, ac ligatum tradere tyranno. 2. quod si unus panis suppeteret privato, posset ab eo auferri, ut Principi subveniretur, etiamsi privatus ille fame periturus esset: ergo a pari in casu proposito; cum in uno non magis, quam in alio cooperetur Respublica mortis innocentis. Alii denique Theologi, ut Bannez, Salonius, Sylvius q. 64. artic. 6. docent innocentem numquam posse a Republica tradi: sed addunt, quod nisi semetipsum tradat, ut ex charitate, & justitia legali facere tenetur, addunt, inquam, eum fieri reum, præsertim si Superiores ejus precipiant

ut se tradat; unde concludunt, eum tunc posse tyranno tradi, ut, qui jam non sit amplius innocens; quatenus, & privatum bonum suum pluris æstimat, quam commune, & Superioribus id, ad quod jam tenetur, præcipientibus obedire recusat. Et huic opinioni credimus inhærendum. Interim de his consule Molinam, & Delugo.

SECTIO SECUNDA.

De occisione, quæ fit in bello.

Bellum sic dictum, vel per antiphrasim, ut placet Hieronymo Epist. 127. quia reipsa nihil habet belli, aut ameni: vel quia in eo plerumque imitantur homines, nisi superant, belluarum feritatem; bellum, inquam, definiri potest: Publica armorum assumptio, Reipublicæ ab extraneis tuendæ, aut vindicandæ gratia.

Dicitur 1. *assumptio publica*, id est publica auctoritate constituta, & sic excluditur duellum, in quo unus contra alium, aut pauci contra paucos decertant, & quidem sæpius auctoritate privata.

Dicitur 2. *Reipublicæ tuendæ, aut vindicandæ gratia*; quia bellum duplex est, aliud defensivum, quo vis ab aggressore illata vi, & armis propulsatur; aliud offensivum, quo hostis hostem aggreditur, ut ab eo illati alicujus damni sive in bonis, sive in honore, compensationem obtineat.

Dicitur 3. *ab extraneis*, ut distinguatur a seditione, quæ inter ejusdem Regni, aut Communitatis incolas suboritur: quamquam bellum civile nuncupetur seditio, in qua pars quædam Regni contra aliam dimicat.

Jam quæruntur tria. 1. an bellum licitum sit, & qua conditione. 2. quæ in bello aut ejus occasione committantur peccata. 3. quid sentiendum de variis ad bellum spectantibus.

PUNCTUM PRIMUM.

An licitum sit bellum, & quibus conditionibus?

Bellum rem esse de se malam censuerunt Manichæi teste Augustino lib. 22. contra Faustum, cap. 74. unde, & reprehendebant Moysem, qui plura bella gessit.

Eumdem errorem diu sepultum renovavit Joannes Œcolampadius; in hoc tamen discrepans a Manichæis, quod sola Christianorum bella increparet, non autem Mosaica, ut quæ speciali Dei mandato indicta essent.

Lutherus ita bellum contra Christianos, Papam præsertim, & Papistas approbavit, ut docuerit non licere bellare cum Turcis; quia est id reluctari Deo, nostras per eos iniquitates visitanti. Ita ex parte refert Alphonsus a Castro, Lib. 3. de hæresib. V. *Bellum*, pag. mihi 186. Sit

CONCLUSIO I. Licitum est etiam Christianis belligerare, positis ponendis. Veritas hæc, ait Sylvius, ad fidem pertinet.

Prob. 1. Ut bellum Christianis licitum sit, satis est ut bellandi facultas antiquis Patribus concessa fuerit, & nusquam in nova Lege revocata: atqui utrumque constat. 1. quidem pie, & sancte bella gesserunt Patriarchæ antiqui, ut Abraham, cui a cæde Regum revertenti benedixit Melchisedech, Genes.

Genes. 14. Moyses, & Josue, qui protegente Deo insignem de Amalecitis victoriam reportarunt; Gedeon, Barac, David, aliique innumeri; 2. hæc belligerandi licentia nullibi in nova Lege revocata est, sed e contrario satis aperte confirmata: 1. quia rogatus Luc. 3. Joannes Baptista a militibus, quid sibi ad æternam salutem facto opus esset; *Neminem*, inquit, *concutiatis, neque calumniam faciatis, & estote contenti stipendiis vestris*: porro, ait Augustinus Epist. 5. *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut .... se omnino militiæ subtraherent*; 2. quia Matth. 8. Christus, Centurionis se milites sub se habere dicentis, fidem laudavit, non autem imperavit militiæ desertionem; 3. quia Centurio alius Act. 10. prædicatur, ut vir justus, ac timens Deum; & is tamen, & miles erat, & miles esse non destitit: ergo.

Prob. 2. quia nullus Patrum Imperatoribus Christianis bella gerentibus obstitit; quin & iis, præsertim autem Theodosio Magno victoriam precibus suis obtinuerent pii Anachoretæ. Accedit quod Ecclesia, seu per Pontifices suos, seu etiam in Conciliis, Christianos Principes sæpius ad arma contra Infideles accenderit; sæpe etiam insignes triumphos impetraverit: ut constat de memorabili victoria, quam a Turcis reportavit an. 1571. Joannes Austriacus; quæque Pii V. meritis, unanimi calculo, assignata est.

Prob. 3. quia vim vi repellere omnia jura, legesque permittunt: atqui inter Principes vis illata armis, non aliter quam armis repelli potest: ergo.

Et vero si privatus illatæ sibi injuriæ compensationem exigere potest; hanc a fortiori Reges exigere possunt; ergo si aliter quam indicto bello obtinere eam non possint, æquum est, ut bellum denuntient. Merito igitur damnata est a Leone X. hæc propositio Lutheri: *Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo*. Quin & ipse Lutherus, parum sibi, ut in aliis erroribus, ita & in isto consentiens; sermonem eorum, qui Turcis resistendum esse negabant, his perstrinxit verbis: *Hic sermo est seditiosus, qui neque ferri, neque permitti debet*, & iterum: *Turcis resistere tenemur ob multas causas*. Ita Sylvius in 2. 2. q. 40. quem consule.

Obj. 1. prædixit Isajas cap. 2. futurum ut in adventu Christi cessarent bella omnia, ut patet ex his ejusdem verbis: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*. Idem diu ante cecinerat Psalmographus, *Auferens*, ait Psalm. 45. *bella usque ad finem terræ*: ergo.

R. sudandum esse, ut ex iis verbis inferatur bellum post Christi tempora illicitum fore. Hic ergo duo docet Isajas 1. nascente Christo nascituram in piorum, ac fidelium cordibus veram cum Deo & hominibus, quoad fieri poterit, concordiam, & intimam eam pacem, quam in ipsa Salvatoris nativitate, promiserunt Angeli *hominibus bonæ voluntatis*; 2. abolenda esse apud eos, qui vias Domini edocti fuerint, hæc non tam bella, quam latrocinia, quæ lapsis retro ante Christum temporibus a Nabuchodonosor, Alexandro, Chaldæis, Assyriis, Persis, & similibus exercita fuerant. Et vero Principes sincere Christiani nulla unquam gerunt bella nisi pacis amore, & præclusa alia quacumque reconciliationis semita.

An autem hic etiam prophetet Isajas venturum Messiam toto Orbe jam in pace composito, gravis est difficultas, quam hic ne delibare quidem licet. De ea consuli potest Opus sub hoc editum titulo: *Jam templum Christo nascente reseratum, seu Tractatus Chronologico-Historicus, vulgarem refellens opinionem existimantium pacem toto terrarum Orbe sub tempus Servatoris nostri na-*

 tale,

tale, stabilitam fuisse. Auctore Joanne Masson Eccles. Anglic. Præsb. Roterodami, an. 1700.

Obj. 2. Qui prohibet ne resistatur malo, & mortem per gladium comminatur iis, qui acceperint gladium, ille bellum omnino vetat: atqui Christus utrumque hoc fecit. Primum quidem Matth. 5. his verbis: *Ego autem dico vobis non resistere malo*. Secundum autem Matth. 26. ubi ait: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt:* ergo.

R. ad 1. part. dist. min. Christus prohibet ne resistatur malo, animo passionis, & vindictæ; imo vult, ut potius tunicæ, & pallii jacturam patiamur, quam ut, dum ea prosequimur ardentius, objiciamus nos periculo minuendæ, aut amittendæ charitatis, C. vult pure, & simpliciter, ut rem nostram neque in judicio, neque in bello repetere possimus, N. Itaque cum bella, & lites sint innumerorum malorum radix, monet Salvator, ut ad hæc remedia raro, & caute deveniatur. Atque idem docuit Apostolus 1. Corint.6. ubi ait: *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis patimini?* Sed neque Magister, neque discipulus absolute prohibuit, ne suam quisque rem juridice repeteret, seu armis, seu lite coram Judicibus intentata: cum ipse Paulus qui Christi mentem textu citato genuine reddidit, non absolute lites Christianis interdicat, sed vel eas, quæ ad ethnicos Judices cum Infidelium, & Fidelium scandalo deferebantur; vel eas, quæ ex injustitia fiebant, aut saltem avidiori rei suæ repetendæ desiderio, quod Apostolus vocat *delictum*, id est defectum, aut virtutis infirmitatem. Vide Cornelium a Lapide in hunc locum.

Ad 2. part. dist. Christus mortem comminatur iis, qui propria auctoritate gladium acceperint, prout fecit S. Petrus, plus agens quam sibi fuerat imperatum, C. qui gladium acceperint auctoritate publica, N.

Obj. 3. Nicænum Concilium iis, qui ad militiam redierint, decem annorum pœnitentiam constituit Can.11. eamdem militiam plures Patres graviter redarguerunt, præcipue vero Tertullianus L. de Corona militis, c. 10. S. Leo Epist. 82. c. 10. S. Ambrosius in c. 22. Luc. atqui id iniquum foret, si liceret belligerare: ergo non licet.

R. Concilia & Patres vetuisse militiam, vel quæ idololatriæ periculum haberet, ut sæpe contingebat sub Imperatoribus ethnicis, qui milites Diis Imperii ante pugnam sacra facere jubebant; qua occasione Thebæa Legio, decimo quoque interempto, tota occidit; vel quæ ob expertam jam fragilitatem esset gravis peccandi occasio, ut plerumque erat, & sæpe erit. At non ideo militiam præcise, & ratione sui sumptam prohibuerunt; ut patet ex secunda nostra probatione, & ex constanti sæculorum omnium usu, juxta quem nemo Principum, nemo militum eo præcise Ecclesiasticam notam sustinuit, quod interfuerit bello etiam offensivo.

Conclusio II. Ut bellum sit omnimode justum, & licitum, quatuor requiruntur, nimirum ut fiat 1. auctoritate publica; 2. justa de causa; 3. recta intentione; 4. cum justo moderamine.

Prob. 1. pars: 1. quia privatæ personæ habent Superiores coram quibus jus suum prosequi possint; ergo illud insequi non debent vi armorum, quæ tunc solum licite sumuntur, cum & auctoritate publica sumuntur, & deest alia quævis juris sui consequendi via; 2. quia bellum est actus justitiæ vindicativæ; porro injurias vindicare, ad eum solum pertinet, qui publicam habet auctoritatem.

Hinc bellum indicere non potest nisi Princeps supremus, aut Respublica perfe-

perfecta, id est quæ alterius Reipublicæ pars non sit. Imo nequidem posset Respublica imperfecta ad arma vocare, etiamsi negligeret Princeps supremus illatam eidem injuriam vindicare, sicut non potest privatus vi aperta illatam sibi perniciem resarcire; etiamsi debitam hanc reparationem a Superiore obtinere non possit.

Potest tamen quævis Communitas etiam imperfecta injustum invasorem armis repellere; est enim id consonum rationi; nec deest tacita Superioris licentia.

Prob. 2. pars. Bellum ex pluries dictis est actus justitiæ vindicativæ; & quidem gravis: atqui actus tanti momenti nonnisi justa de causa exerceri potest: ergo.

Porro belli causa, generaliter loquendo, una solum est, illata scilicet injuria, nec resarcita, secundum id Augustini q. 10. super Josue: *Justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias.*

Verum sub injuriæ causa, causæ variæ continentur. Eæ vero sunt juxta Sylvium ibid. 1. recuperatio ejus quod debetur Principi; seu debeatur ut tributum; seu quia subditis ejus terra marive sublatum fuerit; 2. gravis ignominia Principi, ejusque legatis illata; 3. protectio eorum, qui contra Principem inique præliantur, aut rebellant, aut bono publico nocent; 4. violatio fœderis, pactive magni momenti; 5. fœderatorum injuste oppressorum, aut justam causam tuentium oppressio; 6. negatio transitus innocui; quam ob causam Amorrhæos debellarunt Israelitæ. *Innoxius*, enim, *transitus jure humanæ societatis æquissimo patere*, debet, ait August. q. 44. in Numeros.

Quod addit Sylvius, bellum adornari posse, ne innocentis (qui ad Rempublicam nostram, aut amicam non pertinent) idolis immolentur; aut ne Infideles Evangelii promulgationi obsistant; multo plus habet difficultatis pro secunda parte: 1. quia fatente Sylvio ibid. facta rerum divisione potest una gens diversorum, & omne commercii genus alteri negare, secluso necessitatis casu: ergo, & ejus Sacerdotibus ingressum territorii sui præcludere potest; 2. quia ex eodem Sylvio, infidelitas, idololatria, sicut & alia contra naturam crimina, non sunt causæ, ex quibus bellum denuntiari possit; ergo nec denuntiari potest ex eo, quod gens Infidelis recipere nolit Ministros, quorum ope ab Infidelitate revocetur; 3. quia Infideles, ut Turcæ, qui Religionem suam cœteris potiorem esse indubie existimant, Christianis eodem prætextu bellum inferre possent; idemque sibi jus asseverent hæretici: inde vero quot strages? Hortatur quidem Barbeiracus, Laudunensis Professor, nota 1. ad sect. 3. c. 6. L. VIII. Tract. de Jure nat. & Gent. editi a Barone de Puffendorf, hortatur inquam Christianos Principes, ut contra *Inquisitionem*, ejusque Ministros arma conclament. Verum hæc male feriati cerebri commenta in eodem censeri debent ordine, quem apud æquos rerum æstimatores obtinuerunt insulsa convicia, quibus sanctissimos quosque Patres obruit idem Scriptor in Præfatione Operis ejusdem. T. 2. p. 455. & 372.

Quod spectat ad primam partem; sicut qui a crudeli Principe idolis devoventur, e territorio suo in alienum confugere possunt, quo vitæ suæ consulant; sic & ii, Principis alieni opem implorare posse videntur, & is eorum partes tueri.

An autem secluso eo invocati auxilii casu possint Indi, v. g. impeti bello, quia populares suos occidunt, & devorant, non conveniunt eruditi. Negabat Puffendorf, sed affirmat Barbeiracus ibid. p. 459. quem consule, & in multis ne sequere.

Cœterum merito observat Sylvius ad justitiam belli necessum esse 1. ut illata fuerit injuria vel gravis, vel quæ nisi compensatur, in gravem abitura sit; 2. ut bellum non sit illaturum majora Christianæ Reipublicæ damna, quam ea sint, quorum intenditur reparatio: quia tunc se habet Princeps, ut pars Reipublicæ totius, cujus commune bonum particulari suo præponere tenetur; 3. ut non ante ad bellum deveniatur, quam tentatæ fuerint aliæ satisfactionem obtinendi viæ: est enim, & esse debet bellum, sicut & tormenta bellica, *ratio ultima Regum*.

An teneatur ex justitia Princeps accepiare satisfactionem sibi oblatam flagrante jam bello, controvertitur. Verior, ut & coram Deo tutior videtur pars affirmans: 1. quia statim, ac congrua offertur satisfactio, bellum desinit esse necessarium; ergo & licitum esse definit; cum ob innumera, quæ parit mala, nonnisi ob necessitatem licitum esse possit, ut docet August. Epist. 189. alias 205. 2. quia parta etiam victoria non potest Princeps plus accipere, quam requiratur ad satisfactionem plenam, & ad præcavendum, ne jam sibi, aut suis pares inferantur injuriæ; ergo, si hæc inchoato jam bello & ante victoriam sibi offerantur, non est cur bellum prosequi possit.

Hæc tamen vix inservire possunt in praxi; quia, cum sæpe offeratur satisfactio, ut habeatur spirandi mora, ut hostis a fortunata confligendi occasione deturbetur, ut exercitus numerosior habeat spatium accedendi, vix ut plurimum definiri potest, an hostis satisfactionem paret, an struat insidias.

Sed quid si dubitetur justane sit belli causa?

R. vel Princeps ipse dubitat, vel subditi ejus, vel extranei, qui sub vexillis ejus dimicare vellent.

Si primum, ante omnia serium rei totius institui debet examen. Et quidem si de injuriæ causa agitur, non licet movere bellum; quia nec licet dubiam injuriam certa tot hominum strage ulcisci. Si vero de possessione sermo sit; in dubio favorabilior est conditio possidentis. Res tamen discutienda erit, admissis, illius, qui non possidet, legatis; qui si rejiciantur, bellum indicere licebit. Si competitorum alter plus altero juris habeat, ei rem pro rata juris sui prosequi concessum est.

Si secundum, subditi Principis, & militiæ nomen dare possunt, & jam inscripti decertare debent absque examine: 1. quia in dubio quisque Superiori parere tenetur, cum id exigat & subordinatio debita, & possessio potestatis præcipiendi, quæ Principi inest; 2. quia toties obediendum est Superiori, quoties eumdem male imperare non constat: atqui implicat, ut in casu dubii constet Principem male imperare. Unde S. August. L. 22. contra Faustum c. 75. *Vir justus, inquit, si forte sub Rege, homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit certum non est: ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi*; 3. quia grave caperet præjudicium publica res, si ob militum dubia quiesceret bellum; cum nec omnes de causis belli instrui possint, nec qui instrui possent, semper instrui expediat.

Quod de militibus subditis, idem dicendum de iis, qui ante bellum stipendiarii erant. Habet enim Princeps jus certum in eorum operas; quo, in casu dubii, privari non potest.

Si tertium, tenentur extranei illi investigare justitiam belli, & quamdiu perseverat dubium abstinere a militia. Ratio est, quia abstinendo ab armis, nulli injustitiam faciunt; cum extraneo Principi obedientiam

non

non debeant? militando autem exponunt se periculo gravem alteri Principi, ejusque subditis injuriam inferendi.

Hic nota eos, qui post exitum belli ejusdem injustitiam certo comperiunt, si eam sine sua culpa ignoraverint, ad id solum restituendum teneri, quo facti sunt ditiores, aut quod nondum consumpsere, non autem ad resarciendum domos combustas, conculcatas segetes, &c. qui vero iniquitatem belli culpabiliter nescierunt, de toto damno tenentur.

Prob. 3. pars, scilicet, quod ad bellum requiratur intentio recta: tum quia hæc in singulis actionibus requiritur, & a fortiori in iis, quæ sunt gravioris momenti; tum quia, ut ait Augustinus Epist. 189. bellum geritur, ut pax acquiratur. Et Lib. 22. contra Faustum cap. 74. *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacalus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia; hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.*

Is tamen rectæ intentionis defectus, charitati solum, non autem justitiæ adversaretur. Unde suppositis æqua bellandi causa, & auctoritatis publicæ sigillo, nulla incumberet obligatio restituendi, nisi vindictæ libido traxisset ultra metas.

Prob. 4. pars. Bellum spectari potest, vel antequam inchoetur, vel in ipso progressu, vel cum pace compositum est: atqui quocumque spectetur modo, necessum est, ut intra certos æqui, & justi limites consistat.

1. Quidem antequam denuncietur bellum, pars lædens a læsa debite moneri debet de injuria aut damno, ut hæc congruo tempore resarciat; adeo ut sola compensationis obtinendæ necessitas bellum inducat; prout supra diximus.

2. In decursu belli meminisse debent, & duces, & milites, se non latronum aut sicariorum partes agere, sed legitimæ vindictæ ministrorum: unde etsi occidere possunt, spoliare, deprædari, &c. debent tamen vitare quidquid crudelitatem sapit, & ordinarios limites prætergreditur. Hinc quoad vitam parcere debent innocentibus, quorum nomine hic veniunt infantes etiam Turcarum, pueri, senes, rustici, mercatores, peregrini, amentes, Clerici, Religiosi, & quicumque gestandis armis impares sunt. Si tamen Clerici, Religiosi, aut ipsæ mulieres se se bello immisceant aggeres erigendo, virgultorum fasces deferendo, explodendo bellicas machinas, jam digni sunt aliorum sorte, eorumque mors directe intendi potest.

Etsi vero Clericorum, & advenarum, qui se, ut tales gerunt, vitæ parcendum est, possunt tamen eorum auferri bona, si prævideatur hostem iis usurum esse. Si quid tamen ex iis supersit finito bello, restitui debet: quia res Deo sacræ, v. g. tolli non poterunt nisi ad præcavendam hostium utilitatem, quæ jam non indiget præcaveri. Hæc, ait Henno, de jure sunt certa, sed male observata.

Quod ad eos attinet, qui in bello nocentes reputantur, quia censentur inique præliari, hisetsi se supplices victori dedant, quandoque vita eripi potest in pœnam criminis, aut aliorum terrorem, quandoque benignius agendum est. Certe negare videtur S. Augustinus in ipso conflictu, & a fortiori extra ipsum, occidi posse eos, quos satis fuerit constituisse captivos. *Hostem pugnantem*, ait citat. Epist. *necessitas perimat, non voluntas, sicut enim bellanti, & resistenti violentia redditur, ita victe, aut capto misericordia debetur.* Fatendum tamen pendere id a circumstantiis, tum temporis, tum & hostium quibuscum manus conferuntur.

3. De

3. Demum bello jam composito, aut prope diem componendo, æquum est ut victor utatur moderamine, tum in statuendis pacis conditionibus, quæ duriores imponi non debent; tum in earumdem conditionum observatione, quibus religiose adhærendum est; unde qui instaurandi belli causas nectunt de industria, gravissimi peccati reos se constituunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

De peccatis eorum, qui bello inserviunt.

QUæ hactenus de bello disputata sunt, solis pœne Principum supremorum Confessariis inservire possunt; multo majoris sunt usus, quæ in hoc puncto veniunt disputanda. Sit itaque

CONCLUSIO I. Multipliciter peccant Duces exercituum, seu primarii, seu subordinati.

Prob. quia peccant 1. cum vi, fraude, vel dolo milites conscribunt, de quo infra.

Sylv. pag. 241. 2. Cum seclusa necessitate, aut Papæ licentia, Clericos in sacris, etiam sponte se offerentes recipiunt; quia gravi eorum sacrilegio cooperantur.

3. Cum eosdem pro Clericis sacris cognitos non mittunt.

4. Cum milites suos aliis Ducibus vendunt, aut commutant, nisi de eo conventum sit saltem tacite.

5. Cum eorum curam, quod animam, & corpus non gerunt; cum percutiunt injuriose, cum asperioribus verbis alloquuntur.

6. Cum promissam abeundi copiam suo tempore invitis denegant: aliud enim esse, si amice ad longius ministerium allicerent.

7. Cum debita militibus stipendia subtrahunt, vel minuunt; potumve vel cibum vitiatum, aut periculosum præbent, ut parcant sumptibus. Et hi restituere debent stipendia militibus, & damnum, a militibus illatum, ut viverent.

8. Cum militum rapinas, furta, concussiones, stupra, aliaque crimina, nec puniunt, nec impediunt quantum licet. Item cum merces interdictas, tabacum v. g. sal, indicas telas contra expressam Codicis militaris legem vel transferunt ipsi, vel a militibus transferri permittunt.

9. Cum periculosæ gloriæ avidi, urbem vi capiunt, quam in deditionem certis, & æquis condicionibus accipere potuerant. Urbem enim expugnare impetu vix unquam licet ob immania, quæ inde subsequuntur, flagitia.

10. Cum in expugnatæ urbis deprædatione, non obstant pro virili ne spolientur Ecclesiæ, aut comburantur, nisi arcium instar munitæ fuerint; ne miles virginum Monasteria ingrediatur; ne ingressus stuprum inferat.

11. Cum pagos quosdam majori, quam par sit, militum copia gravant; vel militum instar recipi faciunt, qui milites non sunt; vel a certis pagis pecuniam, aut munera recipiunt, ut milites ducant, vel mittant in alium pagum hospitaturos: sic enim duo loca gravant pro uno contra Principis intentionem, & jura civium.

12. Cum accipiunt xenia ad impediendas militum vexationes; quas jam ex officio, & justitia impedire tenebantur.

13. Cum temere ineunt prælium, aut absque rationabili causa hostilibus telis exponunt militum vitam.

14. Cum ignaviter decertant, & militibus extra casum necessitatis præbent

bent fugiendi exemplum: multo magis cum ante conflictum e capite phalangis suæ discedunt, seu inertia mera, seu odio illius, qui toti exercitui præest.

15. Cum in spoliorum, aut onerum distributione justitiam distributivam violant.

16. Cum pauciores habent milites, & stipendium recipiunt pro pluribus; nisi, quod satis raro evenit, in id consentiat Princeps, ut duces perpessis damnis fatigati novas cogere copias possint. Item, si in turbarum lustratione suppositos milites educant coram Inspectore.

Neque id licet etiam ad acquirendum compensatione stipendium, quod de suo contulerint militibus: 1. quia compensatio mendaciter, & dolose extorta, non vacat a peccato; 2. quia hæc agendi ratio potest esse admodum exitialis Principi, qui ratus se tot habere milites, non plures mittit ad castra; unde fit ut hostes, si non vincant, at saltem non vincantur; 3. quia causa sunt gravis peccati, quod committunt fictitii illi milites injustitiæ cooperando, quam, & in defectum Ducis resarcire tenentur, nisi egerint metu gravioris mali sibi impendentis; quo sensu excusari solent rustici, qui prædas vehunt.

Etsi vero in plerisque ex casibus modo recensitis inferiores Duces ad restituendum tenentur, hæc tamen restitutionis obligatio quandoque cadit in Principem supremum, ejusve ministros. Idque non solum cum imperio aut consilio iniqua bella movent; verum etiam cum in bello justo milites a deprædationibus iniquis, incendiis, stupris, & similibus, legum & pœnarum severitate non coercent. Item cum militibus non subministrant necessaria; unde eos, nisi fame confici velint, utraque manu furari necessum sit. Excusari tamen potest Princeps, si in bello præsertim defensivo tenuius copiis provideat; quo in casu, & milites ipsi, & Provinciarum incolæ aliquid in boni communis gratiam pati, & tolerare debent.

Conclusio II. Multipliciter quoque peccant milites gregarii.

Prob. 1. quia peccant contra Principem, cum vel bona ejus tueri, vel mala avertere non curant; cum eum produnt, seu transmigrando ad hostes, seu secreta balli revelando; cum deserunt stationem suam, tametsi periculosam; cum latentes hostes non indicant; cum in prælio ignaviter pugnant, declinant periculum, arripiunt fugam victoria necdum desperata, & sociis pusillanimitatis spiritum afflant, & incutiunt. Hæc autem peccata sunt contra justitiam; quia milites stipendio conducuntur, ut cum ipsius vitæ periculo fideliter serviant.

2. Peccant contra subordinatos Duces, seu, ut ajunt, Capitaneos, 1. cum a signis discedunt. Est enim quilibet miles, res seu bonum Capitanei sui; unde desertores non modo equum, vestem, & arma, aut pretium, quod inscriptionis tempore receperunt, restituere debent, sed & valorem obsequii, quod præstituri erant, attento spatio temporis, quo inservire tenebantur. Peccant & iidem tunc contra Deum ob violatam juramenti militaris fidem; peccant & contra se ipsos, quia certo mortis periculo sese objiciunt, si deprehendantur; 2. cum Duci parere detractant; 3. cum sine ejus licentia recedunt a castris; & quidem si media leuca recedant, qua parte morantur hostes, plectuntur morte instar desertorum. Certe si quilibet pro nutu a castris abesse posset, facile, qui superessent, irruenti hosti strenue excipiendo impares efficerentur; 4. cum a militia ante condictum tempus dolose, aut sub mendaci prætextu excedunt: pacta enim conventa servari debent.

3. Peccant contra hospites suos, aliosve, cum eos indebite gravant, concutiunt,

cutiunt, spoliant, dicteriis impetunt, aut devastant. Neque eos excusat dissimulatio Principis, aut Capitanei auctoritas, (nisi, ait Sylvius, hoc fieret in pœnam rusticis, aut civibus juste inflictam; vel istis per modum tributi impositum sit, ut minora quædam subministrent copiis apud se transeuntibus, aut hiemantibus.) Inde vero quanta restitutionum seges, & quam raro ab iis, quibus debetur collecta.

4. Peccant contra hostilium terrarum incolas, cum injussi, & a fortiori cum contra Ducis prohibitionem, ferro & flammis omnia depopulantur; cum eos, qui impositum pensum seu *contributione* pendunt, barbare spoliant, hostes enim hac impositi oneris solutione acquirunt jus immunitatis ab omni damno, & ulteriori exactione. Peccant a fortiori cum abutuntur virginibus. In his autem injustitiæ casibus tenentur ad restituendum, vel ipsis rerum dominis, si dignoscantur; vel multitudini læsæ, idque per manus seu Episcopi, seu Parochorum. An autem, & quando restitutio hæc, tota uni in aliorum defectum incumbat, expendi in Tract. de Justitia, part. 2. alias 3. c. 2. art. 6. sect. 1.

Hic notandum, & duces, & milites plerosque ob paratam duelli inferendi, vel acceptandi voluntatem esse in perpetuo peccati statu, & absolutionis incapaces:

Conclusio III. Multiplicis quoque peccati reos se faciunt castrensis annonæ, tum venditores, seu vivendarii, tum provisores, quas aliqui Amonitiarios vocant.

Prob. 1. pars. Vivendarii communem mercatorum legem sequi debent; ergo peccant, & ad restituendum tenentur, 1. cum facto inter se monopolio conveniunt, ut panis, vinum, paleæ, avena, aut nimio, aut nonnisi rigoroso pretio distrahantur; 2. cum taxatum castrensi lege pretium transgrediuntur; 3. cum pecunia aut muneribus legionum Præfectos circumveniunt, ut milites obligent ad emendum apud se, non apud alios. Sequuntur hæc ex iis, quæ passim dicta sunt part. 2. de Contractibus. Vide cap. 1. art. 8. sect. 3. ibid.

Prob. 2. pars. Graviter enim peccant victuum provisores, cum frumentum, avenam, fœnum, & alia vel corrupta, vel vilioris pretii, quam de quo conventum erat, subministrant extra casum necessitatis; & tunc de natura rerum monere debent, ut quantum fieri licebit, avertatur damnum ex rei vitiatæ usu impendens; 2. cum Provinciatum Præpositos seu Intendentes donis inducunt, ut grani pretium taxent viliori pretio, aut privatos prohibeant ab emendo, ut interim emant ipsi, quo pene voluerint pretio, 3. cum rationum inspectores, seu, ut alii vocant, opinatores * excæcant muneribus, ut fraudem, quam vident, reticeant; 4. cum de indebito panum, candelarum, liquorum numero conveniunt cum belli Ducibus in præjudicium Principis; 5. cum non providant tempore suo militibus necessaria; unde eos fame, frigore & miseria confici evenit, aut ubilibet deprædari; 6. cum Regis nomine abutuntur, ut ab iis frumenta extrahant, qui ab eo onere immunes sunt.

* *Controlleurs.*

Conclusio IV. Multipliciter etiam peccant ærarii bellorum Tribuni, seu Thesaurarii.

Prob. peccant enim 1. cum fingunt, se non habere pecuniam regiam, ut extundant munera a militibus, quibus se ex ære proprio anticipatam facere solutionem simulant; 2. cum solutionem differunt, ut interim mutuo dent pecuniam regiam, & ex ea lucrentur; 3. cum in stipendiorum solutione utuntur

tur cambiis usurariis, fingendo v. g. se in Alsacia solvere id, quod Parisiis solvunt. 4. cum in militum inspectione, conveniunt de substituendis suppositis militibus, gallice *passevolans*; ut stipendia, quæ fictitiis hujusmodi turmis reipsa non solvuntur, dividant inter se; quod & jure naturali vetitum esse liquet, & Regiis Constitutionibus prohibitum est sub pœna exauctorationis. De his multo plura videris in generali statuum omnium examine, Tom. 1. cap. 24. & 25. Vide & ultimum Volumen Collat. Andegav.

PUNCTUM TERTIUM.

Expenduntur variæ, quæ huc spectant, difficultates.

QUæres 1. an qui vigente bello justo sine Principis auctoritate decertant, ad restituendum teneantur?

R. affirmat. posito, quod desit etiam tacitus Principis consensus. Ratio est 1. quia sic fieret bellum privata auctoritate, quod non licet. 2. quia male ordinata privatorum prælia plus plerumque nocerent Principi, & Reipublicæ, quam prodessent. Nescit enim plebs sibi permissa intra moderationis limites sistere; unde sæpius aggeraret iras hostium, etiam cum leniri expedit, non exulcerari.

Hinc peccant rustici, qui cum militiæ nomen non dederint, occidunt, spoliant, depopulantur, & quod deterius est, Troem, & Rutulum nullo discrimine habent. Si tamen, ait Sylvius, rustici a parte hostium stantes, rusticos nostros expolient, his videtur licitum excurrere in agros eorum etiam hostium, a quibus nihil damni pertulere: quia sunt membra Reipublicæ, quæ, quam fecit injuriam, reparare non vult; & censetur virtualiter consentire Princeps, ut hoc modo jacturam suam reparent, qui eamdem aliter reparare non possunt.

Hinc colligit idem Duacensis Theologus repræsallias non esse per se injustas, modo & constet de injuria, cujus restitutio haberi non possit, & interveniat præsumpta Principis voluntas, quæ ex præterita, aut præsenti ejusdem in paribus casibus agendi ratione colligi potest; & non plus recuperetur, quam perditum sit; & Ecclesiæ bonis parcatur; & demum non graventur personæ innocentum. Si tamen facilis pateat accessus ad primarios belli Duces, nec periculum sit in mora, multo satius est, ut hi consulantur.

Quæres 2. an bellum utrinque justum esse queat?

R. bellum non posse utrinque justum esse materialiter: quia fieri nequit, ut res, quam repetit alter, ut suam, alter autem reddere non vult, sit simul utriusque. At vero bellum potest utrinque justum esse formaliter, id est justum utrinque bona fide reputari. Se enim habet bellum, ut privatorum lites, in quibus, tam petitor, quam defendens, rem, de qua lis est, suam ambo esse inculpate credunt. Hoc sensu justum erat bellum Chananæos inter, & Israelitas motum. Israelitæ enim juste impetebant, ob expressum Dei mandatum; juste vero tuebantur se Chananæi, quia jussionem divinam ignorabant; nec ea in re hostibus suis, saltem primo quoque tempore, fidem habere tenebantur.

Quæres 3. cur adeo graviter peccent, qui per vim ad militiam cogunt, & ad quid teneantur?

R. ad 1. peccare eos graviter 1. quia in materia gravi Regiis Sanctionibus con-

contradicunt, ut patet ex Codice militari Lib. 1. tit. 1. art. 1. 2. quia homini invito durum Martis onus imponunt, eumque majori privant parte libertatis suæ, quo bono nullum homini præstantius concessum est. 3. quia parentes, totamque aliquando familiam solatio, & subsidio privant.

R. ad 2. eos teneri de damno toto, quod patitur, seu is, qui vi aut dolo militiæ inscriptus fuerit, seu pater ejus, mater, uxor, liberi, creditores, &c. sequitur ex dictis ubi de Justitia.

Quæres 4. quo jure Clericis vetitum sit præliari.

R. bellum Clericis prohibitum esse tum jure Ecclesiastico, ut probatum est pag. 14. tum aliquatenus jure naturali, utpote quod, secundum rectæ rationis dictamen, Ecclesiasticum statum valde dedeceat, sicut negotiatio, & matrimonium, quæ tamen absolute loquendo, & gravi de causa, Clericis permitti possent; tum denique quadantenus etiam jure divino, quo cautum est, ne quis *militans Deo* implicet *se negotiis sæcularibus, ut ei* totus *placeat, cui* totum *se probavit*, seu dedicavit. Hinc seclusa Pontificis licentia, quæ nonnisi ob graviores causas concedi potest, peccat lethaliter Clericus in sacris, qui per se dimicat, exercitum dirigit, bellica tormenta in hostem explodit, aut explodentibus præest. Neque vero convenit, ut altarium minister, qui magis, aut minus proxime agni mansueti sacrificio cooperatur, publicæ vindictæ ministrum se faciat, & manus suas fraterna cæde cruentet. Vide Tract. de Irregularitate. Vide & Sylvium ubi supra art. 2.

Quæres 5 an in bello insidiis, & stratagematibus uti liceat.

R. affirmat. Sic licitum est hostium vestibus, ac signis militaribus uti, & fugam simulare, prout mandante Deo fecit Josue. Unde Augustinus q. 10. in Josue. *Cum*, inquit, *justum quis bellum susceperit, utrum aperta pugna, an per insidias vincat, nihil ad justitiam interest*; secundum id Romani Poetæ: *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat*?

Josue 8. v. 2. & 15.

Docet quidem Sylv. ib. art. 3. eos qui struunt insidias, tunc solum a mendacio immunes esse, cum *non habent animum significandi exterius id, quod revera non est, sed occultandi, quid in mente consilioque versent*. Verum quomodo fieri potest ut Galli Germanas vestes induendo, militaria Germanorum signa præferendo, tympanum pulsando Germano more exterius pro Gallis haberi velint? Censeo igitur has, & pares insidias vacare a mendacio: quia jam ab uniuscujusque belli limine præmoniti sunt hostes, se ab hostibus omni, qua poterunt via circumveniendos esse. Sic non mentiebatur ille, qui cum fictitios suos terra marique eventus enarrare vellet, ab his exordium ducebat verbis: En ego a capite ad calcem mentiar. Is enim neminem fallebat, nisi qui falli vellet.

Neque tamen quibuscumque insidiis etiam contra hostes uti licebit. Sic nec excubias agentem inebriare licet, nec quemquam sollicitare ad id, quod inculpate facere nequit, v. g. ad occidendum Principem suum, ad spoliandos concives suos, ad prodendam civitatem, &c. est enim id inducere ad grave peccatum, & facere mala, ut eveniant bona. *Aliud est*, ait Grotius Tract. de Jure belli & pacis Lib. 3. cap. 1. n. 22. *si quis opera sponte nec suo impulsu peccantis, ad rem sibi licitam utatur*. Id enim iniquum non esse patet exemplo Dei ipsius, qui sæpe suos in fines parata impiorum opera utitur.

Quæres 6. an diebus festis præliari licitum sit.

Lib. 1. *c.* 2. R. affirmat. Patet id 1. exemplo Macabæorum, & eorum etiam e Christianis Principibus, qui majori pietare floruerunt. 2. quia Festorum observatio non impedit, quominus possit suam quisque vitam tueri.

Quin

Quin, & bellum offensivum Festis diebus licitum est, ut obtineatur, quæ fortasse neglecta occasione obtineri non posset, insignis victoria: nam, & hoc etiam ad Reipublicæ salutem necessarium est.

Extra necessitatem vero bellare prædictis diebus, modo non omittatur auditio Missæ, non excedit culpam venialem, ex Sylvio, & aliis pluribus.

Quæres 7. an liceat præbere infidelibus vel hæreticis turmas.

R. Affirm. 1. quia Machabæi cum Romanis fœdus inierunt, ut alii aliis in bello socii forent, & adjutores. 2. quia societas cum Infideli non impedit ne bellum juste geratur.

Si tamen prævideat Princeps futurum, ut ex suorum cum hæreticis commercio, Catholica fides grave sit præjudicium perpessura; item, ut advocati infideles templa diruant, sacra mysteria profanent, cultum sanctum derideant, jam iisdem uti non poterit, nisi par, aut gravius malum sibi ab hoste impendeat.

Quæres 8. an Catholicus inter infideles, aut hæreticos militare possit.

R. 1. posse in casu necessitatis, sive id præcipiat Princeps: sive aliter grave malum vitare non possit; modo tamen justum sit bellum, cui deservit: alioqui enim ne remigare quidem potest contra Christianos Christianus apud Turcas captivus, ut dixi Tom. 1.

R. 2. posse etiam extra necessitatis casum, si iis in quibus toleretur Religio Catholicorum, cujus proinde officia explere possit. Alioqui enim peccaret graviter, quatenus incurreret periculum evidens subversionis fide, & moribus, defectu Sacerdotum, a quibus & corroborari, & Sacramentis refici posset. Quin tot a primo passu committeret peccata, quot se exponeret omissionibus Missarum, Confessionum, &c.

Quæres 9. an vicino Principi bellum inferre liceat, ne fiat potentior.

R. negat. nisi certo moraliter constet Principem hunc nobis malum parare, & in nos, ubi primum res sua firmaverit, irrupturum esse. Alioqui enim bellum inferre non licet; quia, potentia vicini, etsi in posterum nobis nocere potest, actu tamen nullam infert injuriam, quam bello vindicare liceat. Et vero nemini licet esse iniquus, ne alter deinceps iniquus fiat. Vid Puffendorf Lib. 8. cap. 6. p. 458.

ARTICULUS TERTIUS.

De Homicidio privata auctoritate facto.

Homicidium, quod fit independenter a Judicis auctoritate, vel est *necessarium*, ut cum, quis occidit, ne occidatur, vel *voluntarium*, cum, quis occidit, quia occidere vult, sive mortem alterius in se ipsa velit, seu eam velit in causa ab eadem morte prorsus inseparabili; vel *casuale:* idque duplex est, casuale *simplex*, quod præter agentis intentionem sequitur ex actione, ex qua nec prævidebatur, nec moraliter prævideri poterat secuturum; & casuale *mixtum*, quod, quis reipsa non intendit, sed prævidere potuit, & ideo impedire.

Constat apud omnes homicidium simpliciter casuale, utpote involuntarium excusari a culpa. Hinc non est homicidii reus. 1. qui inculpabiliter ebrius alium occidit; imo nec reus esset homicidii, qui sua culpa ebrius, haud prævidere potuisset homicidium, quod perpetravit. 2. qui admi-

admisit quidem culpam, sed inefficacem respectu homicidii: ut si quis leviter vulneraverit alium, cui vulnus, vel chirurgi negligentia, vel incuria propria corruptum, mortem attulerit. 3. qui causam de se mortiferam posuit, sed adhibita omni, quæ viri prudentis judicio adhiberi potuit, diligentia; ut si venator explosa fistula, postquam satis circumspexit, num adesset aliquis, hominem occiderit. An autem, qui vacat rei illicitæ, homicidii pœnas incurrat, adhibita etiam quantalibet diligentia, expendi in Tract. de Irregularit. part. 3. cap. 1. art. 2. quem, & totum Caput consule, ubi multa pertractata sunt, quæ hic repeti non decet.

Constat rursus homicidium mixtum, esse peccatum plus, aut minus grave, prout plus, minusve habet voluntarii. Hinc homicidii rei sunt. 1. qui actum, sive licitum, sive illicitum, modo periculosum faciunt, non adhibita sufficienti diligentia; ut patet in venatore temere fistulam explodente, aut in nutrice, quæ infantulum relinquit in loco, unde decidere potest.

2. Qui actum ponunt periculosum, nec in potestate habent; ut sint sufficienter diligentes. Hinc graviter peccant parentes, qui cum somni tempore in omnem partem se versent, tenellos infantes in eodem secum lecto reponunt; quia cum nec a somno abstinere possint, nec sibi dormiendo invigilare queant, in perpetuo suffocandæ prolis periculo, adeoque & statu peccati versantur. *Monendi igitur sunt, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimantur; unde ipsi homicidii rei inveniantur;* verba sunt Stephani V. Can. 20. 11. q. 5.

3. Qui omittendo aliquid, ad quod tenentur, causa sunt, cur alter pereat. Sic homicidii reatum incurrunt. 1. Medici, & similes, quorum negligentia, vel imperitia ægro mortem affert; tenentur enim scire, aut abstinere ab iis curandis, quos curare nesciunt. 2. Advocati, qui innocentis causam male tuendo, causa sunt, cur capite plectatur. 3. Principes, aut Politiæ Præfecti, qui, cum possunt, non abigunt latrones viatoribus infestos. Etsi vero delinqueret graviter, & homicidii late sumpti reus esset, qui omisisset quidpiam, ad quod ex charitate sola tenebatur, non esset tamen restitutioni obnoxius, aut irregularitati, prout Tom. 1. & 3. dictum est.

His præsuppositis, expendendum superest, an, & quando occisio hominis privata auctoritate facta, ab omni labe immunis sit: quamquam occisio, quæ ab omni culpa vacat, eo ipso publica legum auctoritate fieri dicenda videtur. Triplex hic potissimum movetur difficultas: prima de abortu; secunda de occasione ad sui, suorumve defensionem; tertia de duello.

SECTIO PRIMA.

An liceat abortum procurare.

NOt. 1. Abortus est ejectio præmatura fœtus animati, vel inanimati, quem mulier in utero gestat. Unde ejectio seminis ante conceptionem, nec proprie abortus est, nec alligatas abortui pœnas inducit.

Not. 2. Abortus dupliciter intendi potest, directe nimirum, & indirecte; & tunc melius aliquando diceretur permitti, aut non impediri, quam intendi. Directe quidem, ut si mulier potionem sumat eo fine, ut uteri sui fructum disperdat, & ejiciat; indirecte vero, ut si quid faciat, unde per acci-

accidens, & contra intentionem sequi possit ejusdem fructus extinctio. Patebit utrumque gemino exemplo. Mulier, quæ partum aut infamiam veretur, projicit se per fenestram, ut abortum faciat; en directa abortus intentio. Mulier, quæ multis precibus prolem poposcit a Deo, irruente flamma per eamdem fenestram se projicit, en abortus non tam intentio, quam permissio. Prima agit *ex desiderio* abortus, & vere intendit abortum, secunda agit *cum periculo* abortus, sed abortum vere non intendit. Sunt tamen multi casus inter utrumque medii: sic non eadem est conditio mulieris gravidæ, quæ ut saltem elegantius, uterum cingit zona strictiori, quam illius, quæ ut victum lucretur, fert onus nimium; & hæc plurimum adhuc differt ab ea, quæ ne viva comburatur, insilit per murum.

Not. 3. Triplex hic proponi solet quæstio. Prima utrum puellæ, quæ honori suo aliter consulere non potest, liceat abortum sibi procurarare; saltem cum fœtus nedum est animatus. Secunda, an peccet Medicus, qui aliter vitæ matris succurrere non valens tradit ei potionem, ex qua moraliter certus est secuturam esse fœtus ejectionem. Tertia, quibus subjaceant pœnis, qui abortum procurant. Sit

CONCLUSIO I. Abortum procurare in primo casu, mortale est peccatum.

Prob. 1. ex Conc. Ancyrano an. 314. quod sic statuit: *De mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem* Conc. Illiberitani, & aliorum *definitio, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet; humanius autem tunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pænitentiæ largiamur*. Grande profecto oportuit esse scelus, propter quod usque ad exitum vitæ aliquis ab Ecclesia ejectus erat, & deinde per indulgentiam decem pœnitentiæ annis subjectus. *Conc. Illiber. ann. 305. Can. 63.*

Prob. 2. ex Tertulliano Apologet. c. 9. *Nobis vero*, inquit, *homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero dum adhuc sanguis in hominem delibatur*, hoc est justa Rigaltium hic, dum adhuc dubitatur, an concepta utero semina coitura sint in fœtum, *dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci: nec refert natam, quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus*. Atqui homicidii festinatio peccatum est mortale: ergo.

Idem docet S. Basilius Epist. ad Amphiloch. can. 2. *Quæ de industria fœtum corrupit cædis pœnas luet. Formati autem, vel informis subtilitas a nobis non attenditur*.

Prob. 3. ex censura, quam tulit Innocentius XI. an. 1679. adversus laxiores Theologos, quorum prima propositio, quæ inter 65. damnatas, est numero 34. sic concepta erat: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*. Secunda vero, quæ ex iisdem damnatis est trigesima-quinta, sic habet: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi*. Qua doctrina, juxta Augustinum impudentissima, haut satis scio an deterius quid evomuerint inferi. Merito igitur prohibuit Innocentius XI. ne quis prædictas propositiones defenderet, idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Apostolicæ Sedi, præterquam in articulo mortis reservatæ. *August. Ench. c. 86.*

Quæres, an puellæ volenti se occidere, quo infamiam vitet, liceat abortum consulere. Supponitur nihil non tentatum esse, ut ferale hoc consilium abjiceretur, adeo ut puella, & se, & fœtum suum certo extinctura sit.

R. Id posse fieri aliquo sensu, sicut volenti occidere duos, suadere licet, ut unum dumtaxat necet. Neque est id impellere ad malum, sed parata ad duo mala retrahere ab uno.

Conclusio II. Quando fœtus est, aut esse putatur animatus, imo cum de hoc dubitatur, non licet matri etiamsi alioquin versetur in certo mortis periculo, præbere medicinam de se tendentem ad occisionem fœtus.

Prob. 1. quia hoc esset directe cooperari ad occisionem innocentis, quod per se malum est. 2. quia ex S. Ambrosii sententia, quæ refertur c. 10. xiv. q. 5. *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum*. 4. quia inde futurum est, ut infans spiritualem, & corporalem vitam perdat; vel saltem dubium est, an non tali periculo exponatur: atqui non licet periculo tanto quemplam exponere: ergo.

Obj. 1. Fœtus, quamdiu est in utero, se habet ut pars matris: atqui licet partem abscindere in gratiam totius: ergo.

R. Neg. maj. Fœtus enim involvit suppositum a matris supposito penitus distinctum: ergo nonnisi abusive dici potest pars matris.

Obj. 2. Fœtus respici potest, ut aggressor vitæ matris, non secus ac pravi humores: ergo, sicut istos ejicere licet, sic & istum licebit.

R. Fœtum, nonnisi ridicule spectari posse ut aggressorem maternæ vitæ, eumque toto cœlo differre ab humoribus noxiis, qui sunt pars plus, quam superflua, cum fœtus sit homo, vel hominis inchoatio. Et certe plus nocere solet fœtus jam grandis, adeoque animatus, quam sub initio formationis suæ, & tamen vix quisquam dicere ausit, animati fœtus expulsionem directe intendi posse. Præterea ex adversariorum principiis colligi potest, eum, qui ex abundantia corrupti seminis incurrit vitæ periculum, posse semen illud per pollutionem directe intentam expellere; quod a sanis quibuscumque Theologis rejicitur, demptis iis, quos bene, vel male citat Amadeus, Guimenius pag. 22. edit. 1665. se ergo habet proles in utero ad vitam matris, sicut se habent pueri forte sedentes in via, per quam eques laxatis habenis fugit adversarium, qui eum ad mortem insequitur. Sicut ergo licet fugienti conterere eos pueros, quamvis aliter propriæ saluti consulere nequeat, ita nec matri periclitanti, nec medico fœtum animatum interficere licet. Ita Habertus.

Sed licetne, si fœtus nondum sit animatus, præbere matri alioqui certo perituræ, medicinam, quæ ex natura sua ad abortum tendat?

Divisi sunt hoc in puncto Casuistæ. Alii hoc licitum esse putant, & pro hac opinione stat S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 7. *Si puerperium*, ait S. Doctor, *nondum est animatum anima rationali, posset tunc & deberet dare talem medicinam; quia licet impediret animationem talis fœtus, non tamen esset causa mortis alicujus hominis: & hoc bonum sequitur, quia lib erat matrem a morte*. Idem cum aliis pluribus sentiunt Habert Tom. 7. p. 749. & 750. quia, inquit, fœtus nondum animatus in extremo matris periculo est veluti humor infectus, & inficiens, ex quo fructus sperari non potest.

Hanc tamen opinionem ut parum tutam, & periculosam rejiciunt alii Theologi complures, ut Sylvius 2.2. q. 64. art. 7. Comitolus L. 4. q. 13. n. 3. Delugo disp. 10. sect. 5. Cabassut. L. 5. c. 20. n. 8. theoriæ, & praxis, Pontas v. *Avertement*, cas. 2. 1 quia non magis licet mulieri abortum sibi procurare ad vitandum mortis periculum, quæ ipsi ab intrinseco impendet, quam eidem liceat impedire conceptionem ad vitandum idem periculum,

culum, quod experta est sibi imminere ex partu, aut eidem ex derelictione criminis imminet, si concipiat, & fœtus in lucem prodeat: atqui non potest mulier in secundo casu conceptionem impedire, &c. ergo nec in primo abortum procurare sibi potest.

2. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: sed abortum procurare per se malum est, ut patet ex dictis in prima responsione: ergo nunquam licet abortum fœtus etiam inanimati eligere, ut medium ad mulieris incolumitatem.

3. Non potest etiam ad vitæ conservationem intendi aut procurari pollutio ope pharmaci, aut ciborum, ex quibus futura putetur: atqui abortus procuratio majorem habet mali speciem, quam pollutio; hæc enim unum semen, illa duo destruit; hæc peccat in mediis, illa peccat in ipso fine; nempe in fœtu, qui finis est seminis: ita Comitolus & Cabassutius: ergo multo tutius est, ac proinde necessarium, ut mulier se totam divinæ committat Providentiæ, quam ut fœtus etiam inanimati perniciem intendat.

Quid ergo, inquies, quid præcise in tota abortus materia fieri potest?

Ut periculosæ huic quæstioni faciam satis, ne voculam quidem a memetipso loquar, sed Theologos, eosque seniores sequar e vestigio. Itaque ut pedetentim procedam, & omnia paucis complectar,

R. 1. Nihil unquam sumere licet, aut dare ex intentione abortus procurandi, etiamsi agatur de servanda, non dico, fama, sed etiam vita matris. Et id locum habet, tametsi fœtus necdum anima donatus sit. Sequitur ex dictis.

R. 2. Cum mater vexatur morbo, quo minime verisimile est illam extinctum iri, prolem vero perdendam, si aut venam incidat, aut sumat certum aliquod medicamentum, remedia hæc tentare nefas fuerit. Ratio est, quia mulier pluris animam fœtus, imo procreationem hominis inchoatam æstimare debet, quam propriam valetudinem. Ita ad verbum Comitolus; ibid. n. 8. quin si dubium dumtaxat fuerit, an ex potione perdenda sit proles, potionem, censeo, prorsus esse repudiandam; quia ratio præcedens etiam pro casu dubii militat.

R. 3. Si prudenter judicent medici matrem certo morituram esse, nisi utatur medicamento, quod inducat periculum abortus, potest medicamentum, hoc dari & recipi, si fœtus necdum sit animatus, modo remedium de se sit salutare, & ad abortum non tendat, nec proinde alio detur intuitu quam matris innocenter sublevandæ. Ita communiter Theologi, ita Comitolus, n. 6. Sylvius, Habert, Moralis Gratianopolitana ad 5. Decalogi præceptum. Tom. mihi 7. n. 58. Ratio est 1. quod tunc abortus neque ex intentione operantis, neque ex intentione operis sequatur ex medicina. 2. quia pati potest homo quasdam incisiones, etsi periculum sit, ne propter eas pereat, irrepente v. g. gangrena, aut aliquo simili. 3. quia tunc consulitur vitæ matris, cum lucro fœtus, qui pereunte matre peribit certo, eadem vero liberata forte liberabitur & fœtus.

R. 4. idem dicendum esse, etiamsi fœtus sit animatus, modo, certo constet, & matrem alioqui morituram esse, & fœtum sine baptismo extinctum iri. Ita Habert T. 7. p. 748. Moralis Gratianopolit. ibid. Collat. Patis. Tom. 1. p. 381. & fuse Comitolus ubi supra n. 6. nisi plus dicit. Ratio est 1. quia desperata salute temporali matris, & æterna, ut supponimus, salute infantis, nihil melius fieri potest, quam si uterque juvetur eo meliori modo, quo licet: atqui tunc proles non potest melius juvari, quam si juvetur mater; neque hæc melius potest juvari, quam medicamine de se salutari, ex quo

quidem forte sequetur abortus, sed forte etiam sequetur sanitas matris sine abortu. 2. quia nunquam licet se ipsum interficere: atqui se interficere videtur ea, quæ medicinam de se propulsivam morbi & mortis sumere renuit. Quid enim interest, aut vitam ferro sibi exhaurire, aut recusato alimento, vel medicamine ad conservandam vitam instituto? Recusat, inquies, 1. si noceat proli. Sumit, inquam ego, ut servet prolem, cujus vita vitæ suæ alligata est; & quæ extingui quidem poterit ex medicina, sicut ex eadem extingui poterit mater, sed contra agentis intentionem, & actu, quem supponimus de se ad abortum non ordinari. 3. ait Comitolus n. 7. mulier gravida cum sibi a fame mors certa impendet, non solum potest, sed etiam debet oblatum cibum sumere, quamvis cibus ille exitio futurus esset fœtui: ergo a pari idem de medicamento dicendum videtur. Rationi huic non immorabor, quia bene ponderata, plus videtur probare, quam probare velim. Interim impossibilis videtur casus, in quo mulier nullo vesci possit alimento, sine certo prolis interitu.

R. 5. Si spes sit extincta matre proditurum esse infantem & baptizandum non licet curare matrem cum vero prolis periculo. Ratio est, quia *temporalem vitam suam, pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*, prout ex Sancto Augustino docuimus, ubi de Charitate, pag. 280. Aliud esset 1. si medicina habeat se indifferenter ad abortum, id est, neque promovendo, neque impediendo. 2. si æquale sit periculum abortus, sive medicinam sumatur, sive non; tunc enim sine majori fœtus periculo consulitur vitæ matris.

Quæres 1. quo tempore fœtus anima donetur.

R. Fatentur doctiores quique Philosophi, corpus non ante humanæ mentis hospitium esse, quam præcipua ejusdem mentis sedes fuerit absoluta; quia nimirum tota corporis, & animi communio, consistit in mutua utriusque partis in se invicem efficientia: hæc autem non prius esse potest, quam absoluta fuerit mortis humanæ sedes. Jam vero cum mentis sedes præcipue sit in ea cerebri parte, cui respondent omnes nervi, & ad quam feruntur spiritus animales; ad definiendum, quo præcise tempore anima corpori uniatur, definiendum esset, etiam quo tempore perficiatur cerebri constructio: Id autem non minus arduum est dictu, quam periculosum: hinc multæ ea de re opiniones. Visum est Aristoteli, mares circa quadragesimum fere a conceptione diem in latere sinistro matris moveri, fœminas circa nonagesimum; quamquam nihil in his certi affirmare ausit Philosophus. Hippocrates corpus maris die 32. fœminæ vero die 42. conformatum esse scribit. Aug. L. 83. qq. q. 56. membrorum omnium, seu maris sint aut fœminæ, fabricam die 45. perfectam esse contendit. Theologi ferme cuncti adhærentes Glossæ, corpus maris die 40. fœminæ autem die 80. absolvi & anima informari volunt. Quidam tamen incertum prorsus esse docent, quo tempore corpori uniatur anima; nec Medicis etiam peritioribus fidem hac in parte haberi volunt: hi enim si errant in multis gravius cœcutire debent circa conjunctionem hanc, quæ a solitis naturæ legibus non pendet. Ut ut est, si quando agitur de irregularitatibus, adhærendum est Glossæ & Theologis, a quibus non recedit Ecclesia, cum pœnas decernit, & quos hoc in puncto sequitur sacra Pœnitentiaria, ut ex Navarro tradit Sylvius 2. 2. q. 64. art. 7. p. 419. in fine.

Si concepti fœtus indicium quæras, hoc dabit Hippocrates apud Comitolum ibid. *Mulieri dormituræ incœnatæ, mulsam aquam* frigidam *præbeto: si ventris tormina passa fuerit, concepit, sin minus, non concepit.*

Quæ-

Quæres 2. quibus subjaceant pœnis, qui animati fœtus ejectionem procurant; & qui procurare eam censendi sint.

R. ad 1. pœnas eas ample contineri in Bulla 87. Sixti V. dignissima, quæ legatur. Ibi abortum quemcumque inanimati etiam fœtus procurantes: *ita ut abortus reipsa inde secutus fuerit*. 1. *pœnas* omnes, *adversus* eos, *qui homicidium voluntarium actu, & reipsa patraverint inflictas eo ipso* incurrunt. 2. si *Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & Beneficiis Ecclesiasticis ipso facto* privantur, *& in futurum inhabiles ad ea suscipienda* decernuntur. 3. *ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo* possunt. 4. *qui Clerici non fuerint*, pœnam etiam irregularitatem contrahunt. 5. extenduntur eædem pœnæ ad *eos, qui sterilitatis potiones ac venena potionibus propinaverint, & quominus fœtum concipiant, impedimentum præstiterint: sive quocumque modo in his consuluerint; ac mulieres ipsas, quæ eadem pocula sponte ac scienter sumpserint*. 6. excommunicatio ob abortum contracta, soli reservatur Romano Pontifici, *præterquam in articulo mortis*. 7. & ei quoque reservatur dispensatio irregularitatis contractæ *a Clericis*, qui hujusmodi delicta perpetraverint, *etiamsi crimen eorum occultum fuerit*.

Sed hic duo notanda. 1. privationem Beneficiorum a Sixto V. decretam, non habere locum nisi post sententiam Judicis, nisi procuratio abortus sit simul parricidium. Confer, quæ dicta sunt Tractat. de Legibus capit. 5. artic. 2. section. 1. & Tractat. de Beneficiis capit. 4. 2. prædictam Sixti V. decretalem a successore ejus Gregorio XIV. temperatam fuisse octava ejusdem Bulla, quæ incipit: *Sedes*. 1. quatenus, qui abortum procuravere, a peccato, & excommunicatione propter illud contracta, absolvi possunt a quolibet *Confessario tam sæculari, quam regulari ad Christi fidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputato*. Ex quibus Gregorii XIV. verbis colligit Sylvius, merito dubitari posse, an qui generalem habet potestatem absolvendi a casibus, & censuris Episcopo reservatis, possit ab hoc casu absolvere; & verius videtur, quod non, ait Sylvius, cum Pontifex requirat ut Confessarius sit specialiter deputatus ad hos casus, de quibus loquitur. Consulenda sunt uniuscujusque Diœcesis statuta, & consuetudo: ita ut si cui detur illimitata a censuris reservatis absolvendi facultas, is ea in præsenti etiam casu uti non vereatur; modo tamen, ait Henno, hæc facultas ab Ordinario concessa fuerit; cum Ordinarii licentiam requirat Gregorius. Unde hic non sufficeret deputatio Provincialis, nisi respectu suorum; quia erga istos, non erga sæculares est Ordinarius.

2. Limitata est eadem Sixti V. constitutio, & *ad terminos juris communis* redacta, quoad eos, qui fœtus inanimati abortum procurant, aut mulieribus sterilitatis venena ministrant, aut qui consilium vel auxilium ad hoc præbent: unde ii hodie non subjacent excommunicationi. *Nec etiam judicandus est irregularis, nisi qui jam formato puerperio* seu fœtu *abortum procurat*, ait S. Thomas in 4. dist. 31. *Quod si dubitatur utrum ex percussione vel rei sumptione secutus fuerit abortus, vel alia ex causa, vel utrum puerperium esset formatum, vel non, si probabiliter dubitat, debet a promotione, & ministerio abstinere, ne periculo se committat*. Verba sunt S. Antonini 3. p. tit. 28. c. 2. apud Pontas. V. *Irregularitate*, cas. 53.

R. ad 2. prædictas pœnas incurri ab iis, 1. qui abortum directe intendunt, sive cooperantur, seu *percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus*,

oneribus laboribusque mulieri prægnanti impositis; seu *opem*, *consilium*, *favorem scienter dando*, *ac etiam scribendo litteras*, vel *alia*, *verbis*, *aut signis* juvando vel consulendo. Ita Sixtus V. cujus Bullæ nihil in hac parte derogatum est a Gregorio XIV. 2. & ab eis, qui abortum volunt interpretative solum, ut si quis prægnantem fœminam acrius verberet; si mulier gravida saltet immoderate; si experta se abortum facere, quando ferr onus grave, illud tamen portandum suscipit; nisi hoc inadvertenter faciat; & tunc, ait Sylvius, quamvis incogitantia ejus possit non vacare a mortali, videtur non incurrere excommunicationem. Ulterius progreditur Henno, & inquit abortum quemvis, si fiat præter intentionem, & ex industria quæsitus non sit, excusari a censura, quam proinde, inquit, non incurreret *mulierem ex mero odio aut cholera graviter percutiens*; *aut Medicus ignorans dans potionem sanitatis causa*, licet, ut ait supra, ignorantia sit vincibilis, modo non sit crassa, supina, aut affectata. Iis tamen, qui in his, aut similibus casibus versabuntur, semper auctor ero, ut ad minus ad cautelam absolvi curent a censura, & dispensari ab irregularitate: est enim ea pars longe tutior; præsertim cum abortus, de quo loquimur, veri homicidii rationem habeat, & homicidio etiam casuali mixto annexa sit irregularitas.

SECTIO SECUNDA.

An occidere liceat invasorem vitæ, bonorum, &c.

Dicemus 1. de iniquo invasore vitæ. 2. de invasore boni, honoris, &c.

PUNCTUM PRIMUM.

An iniquum vitæ invasorem occidere liceat.

Not. 1. quæstio procedit de invasore seu aggressore actuali: satis enim convenit, quod ante vel post moralem actum aggressionis non liceat quempiam occidere; quia defensione opus non est, ubi non est aggressio, nec aliter vi uti licet, quam ad vim repellendam. Hinc ex communi sententia non licet occidere aut repercutere eum, qui postquam aggressus est, fugæ se dedit, quive accepto vulnere, jam nocere non potest. Eadem de causa non licet prævenire eum, qui te ad occidendum quærit, quia non est aggressor: aggressor tamen censetur, non modo, qui ad feriendum accedit, sed qui jam in præsentia parat se ad actu invadendum: aut qui solvit efferum animal, a quo vorandus sim.

Not. 2. Non agitur hic nisi de injusto aggressore: neque enim carnifices aut lictores a reo licite occidi possunt; alioqui daretur bellum ex utraque parte justum. Pari de causa, si propter enorme scelus permisisset Respublica, ut quisquis occurreret Titio eumdem occideret, posset is quidem fugere, non autem leviore etiam injuria se tueri.

Not. 3. Agitur de invasore, a quo quis occidendus est, si non occidat: qui enim fugiendo vitam tueri potest, fugere tenetur. Excusant quidem aliqui cum Navarro, duces, & viros nobiles, quibus it juint, ignominiosa est fuga: sed absit ut ignominiosum existimet Christianus, quod judi-

judice Deo magnum est, & nobile. Unde S. Antoninus ubi infra: *Si quis*, ait, *ne reputetur pusillanimis, vult resistere .·. non excusaretur ab homicidii crimine*.

Not. 4. eos, qui occidere licitum esse putant, quasdam exigere conditiones, quarum prima, quæ ab iis omnibus admittitur, est ut occisio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Est autem moderamen illud observatio modi debiti; adeo ut homo id tantum faciat, quod ad sui defensionem necessarium est: unde moderamen hoc non observat, qui ad sumendam vindictam, non ad propulsandam injuriam alium occidit; item qui eum interficit, quem ab occisione sui cohibere posset, solum vulnerando, aut mutilando; qui mutilat, cum satis esset percutere; qui percutit, cum sufficeret minari, clamare, fugam arripere. Quapropter ex istis Auctoribus multi docent mulierem, quæ in lecto sub pulvinari pugionem invenit, eo contra maritum uti non posse, sive clamare, & opem implorare possit, sive non possit; quia mariti animus mille viis mutari potest, & aliunde non licet inimicum prævenire, ut supra dictum est. Existimant tamen alii maritum in hac hypotesi esse morali modo invasorem, dum de mala ejus intentione constat, & uxor aliter evadere nequit. Ego quidem facile crediderim cum Soto, nonnisi ex circumstantiis judicari posse, an in hujusmodi casibus sit præventio, an necessaria sui defensio: unde in his caute procedendum.

Secunda conditio est ut actio iniqui invasoris sit vera per vim aggressio. Hinc colligere est neutiquam licitum esse occidere iniquum Judicem, aut falsos testes, qui vitæ suæ insidiantur. 1. quia hic non occurrit vis illata, sed solum calumnia, quæ proinde Juris ordine non violentia propulsari debet. 2. quia alioqui aperiretur via homicidio; facile enim sibi persuaderent homines se inique accusari, mortem nonnisi accusatorum, & Judicum morte vitare posse. 3. quia hæc inimici machinatio nimis est remota a morte. 4. quia damnata est ab Alexandro VII. propositio ista n. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*.

Tertia conditio, quam requirit Angelus Scholæ, & post eum alii complures, hæc est, ut qui injustum aggressorem occidit, non ejus mortem, sed sui tantum defensionem intendat. Sed haud satis scio, an qui plumbeam glandem nonnisi in caput inimici sui explodere potest, possit mortem ejus non intendere; atque, ut notat Decoq: facile ab adversario præveniretur, & occumberet, qui diutius ratiocinaretur, & expenderet, an hic vel ibi possit eum ferire, ut mortem ejus non ut medium intendat, sed ut defensionis effectum permittat. *2. 2. q. 64. art. 7.* *Pag. 74.*

Not. 5. Duplex est de proposita quæstione Theologorum, &, ut opinari quis possit, Ecclesiæ Patrum sententia. Alii putant licitum non esse injustum invasorem occidere, quocumque moderamine id fiat. Ita inter alios Accursius, Ricardus a S. Victore, & alii quidam apud Norisium in Vindiciis Aug. item & Leonardus Van-Roy cap. 6. q. 9. Alii vero longe plures numero, & ex iis etiam, qui a laxioribus opiniunculis abhorrent, credunt id licitum esse, si fiat cum conditionibus mox assignatis. Ita Estius in 3. Sent. dist. 37. Sylvius pag. 427. Decoq, Boudart, Pontas. V. *Tuer*, cas. 1. Auctor Moralis Gratianop. licet timide, Natal. Alexander in 5. Decalog. Præcept. & alii prope innumeri. Utriusque opinionis momenta proponemus, ita ut tamen facile percipiatur, quam in partem propendamus.

Momenta eorum, qui putant, eum peccare contra charitatem, qui injustum aggressorem occidit.

Primum desumitur ex S. Augustino, qui Lib. 1. de lib. arb. cap. 5. sic loquitur: *Quomodo apud divinam providentiam liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* atqui ibi S. Doctor inter res contemnendas eas ponit, quas inviti amittere possumus, cujusmodi est *vita*, *libertas*, *pudicitia*: ergo censet S. Doctor nequidem ad propriæ vitæ defensionem occidi quempiam posse.

Idem S. Pater consultus a Publicola viro illustri, sic scribit Epist. 27. alias 154. *De occidendis hominibus, ne ab aliis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica sanctione teneatur, nec pro se hoc facere, sed pro aliis vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima procuratione, si ejus congruat personæ.*

Secundum desumitur ex S. Cypriano Epist. 57. juxta quem *occidere innocentibus nec nocentem licet*, & Epist. 56. *Christianis occidere non licet injustos vitæ ipsorum ereptores, sed occidi necessum est.*

Tertium ex S. Ambrosio lib. 3. de Offic. c. 4. ubi dicit sibi non videri, *quod vir Christianus, & justus, & sapiens quærere sibi vitam aliena morte possit aut debeat, utpote, qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangelii libris aperta, & evidens sententia est: Reconde gladium tuum, &c. Quis latro detestabilior, quam persecutor, qui venerat ut Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere sanare.*

In eumdem sensum omissis aliis scribit S. Bernardus Tract. 1. de nova militia. *Est*, inquit, *qui nec ulciscendi zelo, nec vindicandi typho, sed tantum evadendi remedio, interficit hominem; sed nec hanc quidem bonam dixerim victoriam, cum de duobus malis, in corpore, quam in anima mori levius sit.* Et eamdem prosequens materiam caput sequens sic inchoat: *Quis igitur finis vel fructus sæcularis hujus non dico militiæ, sed malitiæ si & occisor lethaliter peccat, & occisus æternaliter perit?*

Quartum petitur ex Nicolao Papa Can. 6. dist. 50. ubi sic respondet S. Pontifex: *Pro quibus consuluisti, scilicet, qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendari possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere, scito nos nullam occasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi.*

Confirm. quia ipsi etiam adversarii fatentur in Apologia Casuistarum, homicidium ad propriæ etiam vitæ tuitionem non solum a recentioribus multis improbari, sed etiam a multis Patribus, & nominatim a Cypriano, Lactantio, & Cyrillo.

Quintum desumitur ex variis rationibus, quarum hæc est prima. Nemini licet alium occidere privata auctoritate; est enim hæc occisio intrinsece mala: sed qui ut vitam tueatur occidit, occidit auctoritate privata; non enim occidit vel regia, vel divina; cum eæ nullibi permittant, ut quis injustum invasorem occidat: ergo.

Secunda ex S. August. Lib. de mendacio c. 6. ubi sic: *Temporalem plane vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*: ergo cum invadens, si occidatur, damnandus sit, per propriam vitam ei consulendum est. Ratio ulterior est, quia tunc est in extrema necessitate spirituali.

Ter-

Tertia. Si occisio invasoris licita foret, invasus ad eam obligaretur: falsum consequens: ergo & antecedens. Minor patet. Prob. maj. Tenetur unusquisque medium licitum, & quod in sua potestate habet non omittere, cum agitur de servanda vita; alioqui jam homicida foret: atqui occisio alterius medium esset licitum ex hypothesi: ergo.

Momenta alterius opinionis.

Etsi gravia sint eorum momenta, qui negant hominem vitæ suæ per alienæ vitæ dispendium consulere posse, non desunt tamen viri graves, qui contrariam sententiam *uti communissimam, ita longe probabiliorem existiment*. Imo Salonius primam opinionem dicit forsan esse temerariam, ut quæ & multis textibus, & communi omnium fere Doctorum placito repugnet. Et Navarrus expendens S. Thomæ verba, quibus vetat S. Doctor, ne dum quis se defendit, invadentis occisionem intendat, dicit hanc S. Doctoris limitationem novam esse, & novationes, qua parte fieri potest esse fugiendas. Nequid autem labori nostro desit, præcipua hujus opinionis momenta proferemus, ut cognita causa in alteruttam partem promptius mens se determinare possit; & quidem differemus ex mente D. Thomæ, quem sequitur nobilior Theologorum pars. Itaque secunda hæc opinio Flor. De- cap. 69.

Prob. 1. ex cap. 22. Exodi v. 2. *Si effringens fur domum, sive effodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit.* In quem locum sic scribit Augustinus quæst. 24. in Exodum: *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait: Si orietur super eum sol; poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venerit. Hoc, & in Legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit: jam enim plus est quam fur*: Ergo licet occidere furem sive nocturnum, quia nescitur an animo veniat occidendi; sive diurnum, quando constat eum non ad furandum modo, sed ad occidendum venire.

Respondent 1. per citata Legis verba hominem immunem fieri non a peccato, sed a pœna judiciali, ut aliqui docent de libello repudii. 2. quod Judæis licitum fuisset, non fore continuo licitum Christianis, quibus nova Christus, eaque arctiora mandata imposuit.

Refelluntur 1. quia S. Augustinus verbis supra citatis textum hunc intelligit de foro conscientiæ. Hoc enim forum spectabat S. Doctor, non sæculare, de quo nulla lis moveri potest.

2. Quia caput 3. *De homicidio*, utrumque, & Exodi, & Augustini textum adducit, & confirmat: atqui Jus Canonicum de foro conscientiæ loquitur; cum corrigere soleat Leges civiles, quæ illiciti quidpiam permittunt: sic enim malæ fidei præscriptionem Jure civili permissam, sic uxoris in adulterio deprehensæ occisionem eodem jure toleratam proscripsit: ergo in prædicto capite agitur de occisione coram Deo inculpata; atque id patet ex ipso capitis ejusdem titulo: *Non occiditur fur diurnus sine culpa: nocturnus autem sic.*

3. Idem confirmabitur ex mox citandis Romanorum Pontificum auctoritatibus.

Prob. 2. ex variis Patribus. 1. quidem ex S. Cyrillo lib. 1. in Joannem cap. 35. *Undenam*, inquit, *Petrus gladium habuit?* Deinde respondet: *Quia secun-*

secundum Legem gladio se defendere licebat, idcirco quoque gladium ferre licebat, & supra: *Nam si vi multitudinis invitus ad necem traheretur Christus, omni modo fortassis debuissent illum discipuli defendere*.

2. ex S. Ambrosio Lib. 1. de Officiis cap. 36. *Neque in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est: qui enim non repellit a socio injuriam; si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit? unde Moyses cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit, itaut Ægyptium sterneret*.

3. ex S. Augustino, qui Epist. 153. alias 54. hæc habet: *Cum homo ab homine occiditur, multum distat utrum fiat nocendi cupiditate .... sicut fit ab inimico, sicut a latrone; an ulciscendi, vel obediendi ordine, sicut a Judice, sicut a carnifice; an evadendi, vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro a viatore, hostis a milite*. Hic S. Doctor necessitatem viatoris, qui ne occidatur occidit, comparat cum necessitate milttis, qui hostem Reipublicæ extinguit: atqui miles hostem perimens, indubie vacat a culpa: ergo & qui occidit, ne occidatur. Vide Estium in 3. Sent. dist. 37. §. 21.

Prob. 3. ex variis Romanorum Pontificum decisionibus. Et quidem sententiam hanc expresse tradit Innocentius III. cap. 2. *De homicidio voluntario*. Consultus enim ille Pontifex circa Canonicum Regularem, qui furem Eucharistiam cum ornamentis asportantem fossorio arrepto percusserat, vult eum ut homicidiam haberi, etiamsi dubium maneat num fur ex ictu sibi per Canonicum hunc inflicto interierit, an vero ex vulneribus, quæ a populo irruente acceperat. Deinde sic pergit: *Quamvis vim vi repellere omnes Leges, & omnia jura permittant, quia tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, non videtur idem Sacerdos a pœna homicidii penitus excusari*. Nempe, quia usus erat instrumento gravem inferente plagam, & in capite, ut insinuatur ibidem, prædictum furem læserat, quem satis erat apprehendi.

Lib. 5. tit. 38. 2. Idem tradit Alexander III. cap. 3. *De sententia excommunicationis. Si vero*, inquit, *Clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmitti, si in continenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes Leges omniaque jura permittant*.

3. Idem docet Concilium Viennense sub Clemente V. & refertur Clem. unica *de homic.* his Verbis: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem*.

Unde sic: Illud censeri non debet charitati contrarium, & prohibitum lege divina, quod Leges omnes, omniaque jura permittunt; quod tuto fieri potest, modo non fiat ad sumendam vindictam; quod iis non subjacet pœnis, quibus subjacet homicidium quodcumque peccaminosum; quod denique comparatur actionibus infantis aut dormientis, quæ prorsus a culpa vacant: atqui tale est ex Jure Canonico homicidium ad sui defensionem perpetratum: ergo.

Prob. 4. ex præcipuis Scholæ Doctoribus. Et quidem sic loquitur S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. *Si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum: si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio; nam secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo*

suæ

suæ vitæ providere, quam vitæ alienæ. Quibus posterioribus verbis plane excluditur eorum responsio, qui dicunt B. Thomam loqui intra terminos Juris naturalis, non vero spectare charitatis ordinem; nam omissio illius, quod est contra charitatis ordinem, est ad salutem necessaria, cum præcipue agitur de homicidio: atqui occisionis alterius omissio non est ad salutem necessaria ex Doctore Angelico: ergo.

2. S. Antoninus p. 2. tit. 7. c. 8. §. 1. fol. mihi 273. *Cum quis occidit alium necessitate ductus inevitabili, quia scilicet invasus ab alio volente occidere, vel graviter vulnerare, se defendendo occidit, servato debito moderamine, cum aliter non possit evadere manus ejus, non est proprie homicida, prout scilicet homicidium dicimus peccatum.* Quod ulterius probat mox adductis S. Thomæ verbis.

3. Doctor Seraphicus serm. 6. de decem Præceptis, ubi postquam dixit excusari a tanto, non a toto, qui fugere potuisset: sic pergit: *Si autem sit necessitas inevitabilis, ut homo occidat alium hominem, non amore vindictæ, sed amore conservationis, vitæ, & animæ ... & fiat hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc concessum est personis etiam perfectis, non solum imperfectis.* Et hoc probat S. Bonaventura ex S. Augustino Lib. de liber. arbit. qui tamen nobis objici solet.

Consonat Catechismus Romanus tertia parte cap. 6. n. 7. ubi explicans cædes, quæ quinto Præcepto non continentur, sic ait: *Qua etiam ratione, si quis salutis suæ defendendæ causa, omni adhibita cautione, alterum interimit, hac lege non teneri satis apparet.*

Prob. 5. ratione. 1. quia ex S. Augustino lib. 22. contra Faustum c. 70. *Ille utitur gladio male, qui nulla Superioris, ac legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur.* sed qui in hypothesi nostra occidit, armatur legum omnium id concedentium potestate. Hic enim conspirant lex naturæ, quæ proximi vitam nostræ postponi suadet; lex divina Exodi 22. lex civilis & Ecclesiastica, uno verbo *leges omnes, & omnia jura*: ergo. 2. quia ut notat Comitolus lib. 4. q. 10. n. 20. p. 457. *Opinio contraria, arma certa ministrat injustitiæ, cædi bonorum, Rerumpublicarum eversioni, tyrannidi vitiorum: tollit item divinæ providentiæ præscriptionem, quæ non patitur ut parricidiarum temeritas & improbitas, innocentiæ dominetur, eamque perimat.*

Si quæras quo pacto posterioris hujus sententiæ defensores, ab auctoritatibus pro priori opinione adductis sese expediant, paucis accipe.

Ad S. Augustinum respondent 1. quod licet in alteram sententiam propenderit in Lib. de lib. arb. inde tamen certo colligi non possit, quæ expressa fuerit ejus sententia; quia Librum hunc scripsit valde adolescens, & in eo multa tradidit inquirendo potius & disputando, quam firmiter asseverando, ut ipse tradit lib. 1. Retractionum cap. 9.

Et vero Augustinum non tam eos damnasse, qui in hypothesi præsenti occidunt, quam in iis excusandis laborasse, suadent hæc dubii alicujus verba, *Quomodo inculpati esse queant non video*, & rursus: *Quo pacto istos defendam, non video.* Quod autem tunc omnino non sciebat Augustinus, hoc deinde didicit, ut patet ex adductis supra ejusdem S. Doctoris textibus, quibus priorem hanc, in quam totus ire videbatur, opinionem emollivit. *Ego quidem*, ait Norisius in Vindic. August. §. 11. *judico S. Augustinum ex sacris Litteris, quas cum scriberet, Librum primum de libero arbitrio parum se calluisse testatur, postea oppositam sententiam tradidisse.*

Re-

secundum Legem gladio se defendere licebat, idcirco quoque gladium ferre licebat, & supra: *Nam si vi multitudinis invitus ad necem traheretur Christus, omni modo fortassis debuissent illum discipuli defendere.*

2. ex S. Ambrosio Lib. 1. de Officiis cap. 36. *Neque in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est: qui enim non repellit a socio injuriam; si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit? unde Moyses cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit, itaut Ægyptium sterneret.*

3. ex S. Augustino, qui Epist. 153. alias 54. hæc habet: *Cum homo ab homine occiditur, multum distat utrum fiat nocendi cupiditate .... sicut fit ab inimico, sicut a latrone; an ulciscendi, vel obediendi ordine, sicut a Judice, sicut a carnifice; an evadendi, vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro a viatore, hostis a milite.* Hic S. Doctor necessitatem viatoris, qui ne occidatur occidit, comparat cum necessitate militis, qui hostem Reipublicæ extinguit: atqui miles hostem perimens, indubie vacat a culpa: ergo & qui occidit, ne occidatur. Vide Estium in 3. Sent. dist. 37. §. 21.

Prob. 3. ex variis Romanorum Pontificum decisionibus. Et quidem sententiam hanc expresse tradit Innocentius III. cap. 2. *De homicidio voluntario.* Consultus enim ille Pontifex circa Canonicum Regularem, qui furem Eucharistiam cum ornamentis asportantem fossorio arrepto percusserat, vult eum ut homicidam haberi, etiamsi dubium maneat num fur ex ictu sibi per Canonicum hunc inflicto interierit, an vero ex vulneribus, quæ a populo irruente acceperat. Deinde sic pergit: *Quamvis vim vi repellere omnes Leges, & omnia jura permittant, quia tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, non videtur idem Sacerdos a pœna homicidii penitus excusari.* Nempe, quia usus erat instrumento gravem inferente plagam, & in capite, ut insinuatur ibidem, prædictum furem læserat, quem satis erat apprehendi.

Lib. 5. tit. 38. 2. Idem tradit Alexander III. cap. 3. *De sententia excommunicationis. Si vero*, inquit, *Clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmitti, si in continenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes Leges omniaque jura permittant.*

3. Idem docet Concilium Viennense sub Clemente V. & refertur Clem. unica *de homic.* his Verbis: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.*

Unde sic: Illud censeri non debet charitati contrarium, & prohibitum lege divina, quod Leges omnes, omniaque jura permittunt; quod tuto fieri potest, modo non fiat ad sumendam vindictam; quod iis non subjacet pœnis, quibus subjacet homicidium quodcumque peccaminosum; quod denique comparatur actionibus infantis aut dormientis, quæ prorsus a culpa vacant: atqui tale est ex Jure Canonico homicidium ad sui defensionem perpetratum: ergo.

Prob. 4. ex præcipuis Scholæ Doctoribus. Et quidem sic loquitur S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. *Si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum: si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio; nam secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo*

suæ

suæ vitæ providere, quam vitæ alienæ. Quibus posterioribus verbis plane excluditur eorum responsio, qui dicunt B. Thomam loqui intra terminos Juris naturalis, non vero spectare charitatis ordinem; nam omissio illius, quod est contra charitatis ordinem, est ad salutem necessaria, cum præcipue agitur de homicidio: atqui occisionis alterius omissio non est ad salutem necessaria ex Doctore Angelico: ergo.

2. S. Antoninus p. 2. tit. 7. c. 8. §. 1. fol. mihi 273. *Cum quis occidit alium necessitate ductus inevitabili, quia scilicet invasus ab alio volente occidere, vel graviter vulnerare, se defendendo occidit, servato debito moderamine, cum aliter non possit evadere manus ejus, non est proprie homicida, prout scilicet homicidium dicimus peccatum*. Quod ulterius probat mox adductis S. Thomæ verbis.

3. Doctor Seraphicus serm. 6. de decem Præceptis, ubi postquam dixit excusari a tanto, non a toto, qui fugere potuisset: sic pergit: *Si autem sit necessitas inevitabilis, ut homo occidat alium hominem, non amore vindictæ, sed amore conservationis, vitæ, & animæ... & fiat hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc concessum est personis etiam perfectis, non solum imperfectis*. Et hoc probat S. Bonaventura ex S. Augustino Lib. de liber. arbit. qui tamen nobis objici solet.

Consonat Catechismus Romanus tertia parte cap. 6. n. 7. ubi explicans cædes, quæ quinto Præcepto non continentur, sic ait: *Qua etiam ratione, si quis salutis suæ defendendæ causa, omni adhibita cautione, alterum interimit, hac lege non teneri satis apparet*.

Prob. 5. ratione. 1. quia ex S. Augustino lib. 22. contra Faustum c. 70. *Ille utitur gladio male, qui nulla Superioris, ac legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur*. sed qui in hypothesi nostra occidit, armatur legum omnium id concedentium potestate. Hic enim conspirant lex naturæ, quæ proximi vitam nostræ postponi suadet; lex divina Exodi 22. lex civilis & Ecclesiastica, uno verbo *leges omnes, & omnia jura*: ergo. 2. quia ut notat Comitolus lib. 4. q. 10. n. 20. p. 457. *Opinio contraria, arma certa ministrat injustitiæ, cædi bonorum, Rerumpublicarum eversioni, tyrannidi vitiorum: tollit* item *divinæ providentiæ præscriptionem, quæ non patitur ut parricidiarum temeritas & improbitas, innocentiæ dominetur, eamque perimat*.

Si quæras quo pacto posterioris hujus sententiæ defensores, ab auctoritatibus pro priori opinione adductis sese expediant, paucis accipe.

Ad S. Augustinum respondent 1. quod licet in alteram sententiam propenderit in Lib. de lib. arb. inde tamen certo colligi non possit, quæ expressa fuerit ejus sententia; quia Librum hunc scripsit valde adolescens, & in eo multa tradidit inquirendo potius & disputando, quam firmiter asseverando, ut ipse tradit lib. 1. Retractionum cap. 9.

Et vero Augustinum non tam eos damnasse, qui in hypothesi præsenti occidunt, quam in iis excusandis laborasse, suadent hæc dubii alicujus verba, *Quomodo inculpati esse queant non video*, & rursus: *Quo pacto istos defendam, non video*. Quod autem tunc omnino non sciebat Augustinus, hoc deinde didicit, ut patet ex adductis supra ejusdem S. Doctoris textibus, quibus priorem hanc, in quam totus ire videbatur, opinionem emollivit. *Ego quidem*, ait Norisius in Vindic. August. §. 11. *judico S. Augustinum ex sacris Litteris, quas cum scriberet, Librum primum de libero arbitrio parum se calluisse testatur, postea oppositam sententiam tradidisse*.

Re-

Respondent alii, Augustinum de iis loqui. qui, ut plerumque contingit, ira, vel odio, aut immoderato vitæ affectu, ac libidine alios a quibus invaduntur, occidunt: raro enim fit, ut qui alterum invadentem ferit, ea utatur mansuetudine, patientia, & charitate, qua inimici sui mortem non quærat, ut aliquod sui bonum, sed ut solam sui defensionem; adeoque vix evenit, ut non excedat justos moderatæ tutelæ limites. Hanc responsionem cœteris Patribus accommodatam volunt.

Perperam objicias, Augustinum eodem loqui modo de homicidio pro vita, ac pro pudicitia servanda. Nihil enim obstat quominus verba S. Doctoris intelligantur diversimode pro subjecta materia, quomodo in Decreto Jerosolymitano, aliter fornicatio, aliter suffocata prohiberi intelliguntur, licet unica clausula indistincte prohibeantur. Adde, quod quæcumque occisio immoderate facta, & animo vindictæ, pariter reprobanda sit, sive fiat ad vitæ, seu ad pudicitiæ conservationem. Primæ solutioni adhærendum est.

Quod spectat ad textum desumptum ex Epistola ad Publicolam, disting. non approbat Augustinus, ut invasor debeat occidi. C. ut possit occidi, subdist. ut possit, cum invasus aliter sibi consulere potest. C. cum non potest, N. Patet solutio ex duodecima quæstione inter octodecim a Publicola propositas; sic enim interrogaverat Augustinum Publicola: *Si Christianus videat se a Barbaro vel Romano velle interfici, debetne eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur? vel si licet interfectione eos repellere, vel impugnare, quia dictum est non resistere malo?* Ad hanc quæstionem respondet Augustinus, *De occidendis hominibus &c.* Atqui hæc quæstio procedit 1. de debito occidendi, *debetne Christianus eos interficere?* 2. procedit de eo etiam casu in quo invasus saluti suæ aliter, quam occidendo consulere possit: quærit enim Publicola an tales *sine interfectione repellere* liceat: ergo sine occisione repelli poterant. Porro nec nos dicimus *debere* eum, qui invaditur, si nec sit miles, nec persona publica, occidere invasorem; neque nobis *placet*, quod non placebat Augustino, *consilium*, ut hi invasores occidantur, quia consilium debet esse de meliori bono; melius autem est sui occisionem pati, quam non pati. Neque etiam arbitramur licitum interficere, cum sine interfectione vita servari potest, quia tunc non servarentur moderatæ defensionis limites: ergo textus ille nihil probat, aut certe minus efficax est, quam ii, quos supra duximus pro secunda opinione.

Supra in Object.

Ad S. Cyprianum. Loquitur S. Doctor de casu persecutionis, quæ, cum inferatur jubente Principe, per vim repelli non potest.

Ad S. Ambrosium. Prima pars textus ex eo adducti est extra rem: in eo siquidem agitur de homine, qui alteri naufrago tabulam eripit; sed qui naufrago tabulam eripit, hominem innocentem occidit: ergo exemplum illud est extra rem.

Quoad exemplum de latrone, verba hæc S. Ambrosii necessario limitanda sunt; ex iis enim sequeretur, si accipiantur rigorose, latronem ne feriri quidem posse; aut eum occidi non potuisse, qui in Christum vitæ & mortis dominum irruebat. Itaque dist. non licet latronem ferire ex odio, vindicta, aut extra casum necessitatis, qualis etiam videri potuit casus Christi, C. non licet etiamsi sola vitæ propriæ defensio intendatur. N. Qui enim docet in depellenda alterius injuria, laudem esse virtutis, ille non negavit propriæ vitæ etiam per alterius occisionem consuli posse: atqui S. Ambrosius in textu inter probationes adducto id docet: ergo objectis

ejus

ejus verbis prohibetur, inquit S. Thomas, *defensio, quæ est cum livore vindicta*, non ea quæ intra moderationis limites tota consistit.

Inst. Idem S. Doctor Lib. 10. in Lucam, *O Domine*, inquit, *cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere me præcipis, quem vetas promi?* Unde sic: Eis occidere non licet, quibus ne feriant, prohibet Christus: atqui ex S. Ambrosio &c.

R. Dist. cum Natali Alexandro, quibus prohibet Christus ut malum ne feriant, C, quibus prohibet ut minus perfectum, N. Pergit enim Ambrosius: *Lex tamen referire non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti*, satis est *dicis, quasi licuerit usque ad Evangelium; ut sit in Lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio*. Ergo Lex antiqua, etiam dum homicidium ad vitæ propriæ defensionem permittit, lex æquitatis est; Lex vero nova, quæ suadet *modo longe urgentiori*, ut illud non fiat, lex bonitatis est, idest quod melius est consulens, & quod sanctius; non autem quod absolute necessarium est.

Ad S. Bernardum, R. 1. verba ejus ad vivum resecari non debere: cum ex iis sequeretur, ne quidem milites moderate quempiam occidere posse. Loquitur enim devotus Pater in toto opere de militibus, ad quos proinde verba ejus pro subjecta materia potissimum referri: debent: porro nemo dixerit peccare militem eo præcise, quod hostem occidat; ergo non ex sola occisione, sed aliunde sumi debet occisionis hujus iniquitas. Unde

R. 2. dist. mala est hæc victoria, quia, ut loquitur S. Doctor, fit in bello *ubi dumtaxat Christus non est causa militandi*, & reportatur ab hominibus, qui dum etiam vindictam non amant, *pudendo furore* aliis vanitatibus inserviunt, ut addit capite secundo S. Bernardus, C. mala est ratione præcise ipsius occasionis, N. Itaque duplici de causa malæ sunt omnes omnino victoriæ militum, de omnibus enim loquitur Bernardus; cum scilicet muliebri pompa ad mortem properant; vel ei se militiæ adjungunt, quæ non amore Christi, sed levibus plerumque de causis instituitur: tunc enim sive vincant, sive vincere velint & vincantur, homicidæ sunt. Porro hanc esse Bernardi mentem liquet ex toto capite secundo. *Quis ergo*, inquit, *o milites, hic tam stupendus error... Operitis equos sericis, depingitis hastas, clipeos & sellas... & cum tanta pompa pudendo furore, & impudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt hæc insignia, an muliebria potius ornamenta?* & infra: *Non sane inter vos aliud bella movet, litesque suscitat, nisi irrationabilis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscumque possessionis cupiditas. Talibus certe ex causis neque occidere, neque occumbere tutum est*. Hactenus S. Bernardus.

Inst. S. Bernardus Lib. de dispensatione & præcepto sic differit: *Mandatum Dei est*: Non occides: *fac ergo duos homicidas, unum quidem spoliandi cupiditate, alterum se defendendi necessitate facinus perpetrasse: an non hic satis evidenter inter lepram, & lepram causa separat, faciens utique disparem valde culpam unius, ejusdemque transgressionis?* *Van. Roy, pag. 130.*

Respondetur, S. Bernardum agere de eo, qui ad defendenda fortunæ bona aliquem interimit: is enim recte quoque & communiter pro se pugnare dicitur, qui pro bonis suis pugnat.

Confirm. quia hic antithesim instituit S. Bernardus; ergo cum in primo membro loquatur de eo, qui spoliandi cupiditate homicidium perpetrat, in secundo explicari debet de eo, qui ne spolietur occidit; ergo locus ille

ille contra nos non pugnat, sed contra eos, qui post S. Antoninum, & Nat. Alexandrum docent fere inculpate occidi posse ab eo, cujus res temporaneas auferi, saltem cum eæ tanti sint momenti, ut sine iis homo statum suum conservare nequeat.

Quod attinet ad argumenta e ratione petita, non videntur hæc gravem moram injicere posse.

Ad 1. negatur deesse sufficientem iniqui vitæ invasoris occidendi potestatem; cum occisionem hanc jura omnia, omnesque leges permittant.

Ad 2. fateor ei, qui in extrema est necessitate spirituali, succurrendum esse meliori modo, quo fieri potest: at nego, eum, qui aliis vitam eripere vult, in extrema necessitate versari; necessitas enim in qua quis constitutus non est nisi ex libera sua voluntate, & quæ cessabit statim ut eam cessare volet, extrema vocari non potest: atqui talis est necessitas, seu potius conditio illius, qui aliis vitam auferre conatur: ergo.

Confirm. Si quis tibi dicat: *Da mihi centum aureos*, aut *quidquid habes boni, alioqui me suspendam*: non teneris dare, quod suspendium futurum non ex proprie dicta necessitate oriatur, sed ex alterius malitia, quæ eidem patrocinari non debet: ergo multo minus vitam tuam tradere teneris.

Ad 3. dico falsum esse quod homo teneatur mediis quibuscumque licitis vitam servare; contrarium patet ex iis, quæ diximus supra p. 425. Dicendum igitur cum S. Antonino 3. p. tit. 4. c. 3. fol. mihi 69. quod *nullus tenetur ad hoc*, quod permittat se occidi; *sed majoris perfectionis esset, si potius permitteret se interfici, quam se defendendo occideret. Et hoc*, addit S. Doctor, *intellige, si est in bona dispositione animæ suæ: nam alias fatue faceret, exponendo se morti corporis animæ*. Quæ postrema S. Doctoris verba non omnibus placent, ut jam observavimus.

Quæres an etiam hominem ebrium vel amentem occidere liceat?

Affirmant communiter secundæ opinionis defensores; quia, inquiunt, etsi nec demens, nec ebrius me invadendo formaliter peccant, vim tamen inferunt, quam vi repellere licet. Quia tamen spiritualis necessitas ebrii est adæquate extrema, neque hic & nunc ab eodem auferri potest; solito vehementius pensari vellem jam citatum id Augustini: *Templum plane vitam suam, pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*. Consonat id S. Antonini ubi supra: *Si constat quod puer moreretur sine baptismate, ubi Sacerdos diverteret ad vitæ suæ defensionem, præeligenda est mors corporalis Sacerdotis morte spirituali pueri ... ubi autem foret dubium probabile de morte vel de vita pueri ... adhuc credere præeligendam mortem Sacerdotis, maxime Parochi*.

Quæres 2. an qui invasori causam dedit irridendo, alapa cædendo, possit, si ab eo invadatur, morte ejus se tueri?

R. Affirmant plures, quia nec alapam passus jus habet alterum occidendi; nec is proinde servandæ vitæ jus amisit. Erit tamen occisor iste obnoxius irregularitati, si prævidere potuerit, se eo redactum iri, ut occidere debeat, ne occidatur, prout dixi in Tractatu de Irregular. par. 2. c. 8. art. 2. dub. 2. quin & hominem hunc non posse se tueri, quia se tuendo alterius morte vere est homicida, docet Comitolus L. 4. q. 10. n. 12. cum Navarro, Toleto, & S. Antonino, in his tamen posterioribus duobus nihil repeti, utique ob editionum diversitatem. Si tamen is, qui primo aggressus est, satisfactionem, offerat, videtur causam retractasse, & proinde jam esset necessarius homicida,

Quæ-

Quæres 3. an possit quis, & debeat occidere injustum invasorem, qui alteri vitam eripere conatur, cum isti aliter succurrere non possit.

R. 1. posse. Ita docent communiter, quotquot credunt homini licitum esse vitæ propriæ invasorem interficere; qui enim proximum sicut seipsum diligere debet, eum, cum injuste impugnatur sicut seipsum defendere potest. Atque hoc saltem de parentibus nostris, & familia probat vetus Pœnitentiale, quod citat Morinus ad calcem Operis sui de Pœnitentia, in quo sic habetur: *Si quis se defendendo vel parentes suos, vel familiam suam, occidisset aliquem, ille non erit reus.*

R. 2. Non convenire Theologos, an qui alium defendere potest per alterius mortem, ad hoc necessario faciendum teneatur? Alii affirmant, quia, inquiunt, in pari damno melior esse debet conditio innocentis, quam aggressoris injusti. Ita Molina, & Bonacina apud Lugo disp. 10. sect. 11.

Alii negant, quia ubi mala sunt paria, & qui ea subire debent, æqualiter proximi locum habent; non potest esse tam gravis obligatio unum interficiendi, ut alter liberetur. Porro tam invasor, quam invasus sunt proximus tuus: ergo non videris tam graviter obligatus ad liberandum unum cum damno alterius. Quod autem dicitur innocentem præferendum esse nocenti, non probat strictam illam obligationem, de qua loquimur. Et vero probabilissimum est, quod multi docent, si duobus, quorum alter justus est, alter impius, quique ambo in fluvio pereunt, opem ferre nequas, impium præ justo eripi posse, propter periculum damnationis æternæ.

Alii demum, quorum opinio veritati magis & naturæ consona videtur, credunt quibusdam in casibus occidi debere alienæ vitæ invasorem. Ut 1. si illius, qui invaditur vita ad communem bonum necessaria sit. 2. si invasus sit pater tuus, mater filius, conjux, aut aliquis, quem titulo speciali defendere tenearis, & multo plus, si qui impetitur a sicario, sit actu in peccato mortali. At iidem credunt alios esse casus, in quibus nec tenearis, nec teneri possis servare alteri vitam per mortem alterius; ut si innocentis invasor esset pater tuus, vel solum filius. Ita Lugo.

Quod si invasus nollet defendi, sed animam suam pro inimici anima ponere vellet exemplo Christi; mallem sinere, ut præstantissimæ virtutis actum exerceret, quam invasorem ejus æternæ morti addicere. Haud tamen reus videretur, qui eum etiam tunc defenderet, quia aliud est impedire actum alienæ virtutis, aliud inique agere.

Cæterum, etsi fatentur omnes, quemlibet teneri ad alterius defensionem; juxta illud Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses*; conveniunt tamen neminem per se loquendo ad id teneri cum propriæ vitæ periculo: quia quisque nihil læso charitatis ordine suam alienæ vitæ vitam præferre potest. Et id vel in ipsis Prætoribus locum habet. Ii enim etsi privatorum vitam, imo & fortunas tueri debent vigilando, puniendo &c. non tamen defensione manuali, ex qua sibi vitæ discrimen impendeat; & ita interpretatur communis hominum sensus.

Si tamen ageretur de vita Principis, alteriusve personæ publicæ, cujus ex morte gravia imminerent Communitati mala, tunc ei cum vitæ etiam suæ periculo succurrendum esset; quia æquum est, ut commune bonum privato semper anteponatur.

Quæres 4. quid juris, si invasus non possit se, vel patrem v. g. tueri, nisi periculo innocentis, quo invasor se protegit?

Affir-

Affirmant Lessius Lib. 2. cap. 9. dub. 9. Vvigers, & alii non pauci, posse invasum se tueri cum hujus innocentis periculo: 1. invasus non privatur jure vitam suam defendendi per innocentis interpositionem, ut quæ ipso invito facta sit; 2. quia si innocens læditur, aut etiam occiditur, id fit contra intentionem invasi, qui hoc cogitat unum, ut vitæ suæ provideat; 3. quia, ex communiori opinione, potest qui juste turrim obsidet, tormentum in eam dirigere, etiamsi hostes hic quosdam innocentes alligaverint: ergo a pari.

Hæc tamen opinio rejicienda est, 1. quia juxta eam liceret claudum, vel infantem in angusta via positum conculcare, cum non aliter vita servari potest; & hoc tamen negant aliqui ex adversariis, & nos negavimus supra; 2. quia etsi jus naturale finit, ut suam quisque vitam servet, at nullibi finit, ut eam cum evidenti innocentis periculo tueatur: ergo, nisi sit spes futurum ut intacto, aut saltem non læso graviter innocente, percuti possit adversarius, præferenda est mors propria iniquæ alterius morti. An autem obsidione urbis directe, & non per accidens solum impeti possint innocentes, Galli v. g. Gallorum ictibus ab hoste expositi, aliis definiendum relinquo. Unum addam, non licere privato pro defensione sua, id quod pro totius gentis salute licitum foret.

PUNCTUM SECUNDUM.

An liceat occidere ad defensionem boni temporalis, honoris, & pudicitiæ.

TRiplicem difficultatem triplici Conclusione solvemus. Sit

CONCLUSIO I. Non licet propter bona fortunæ, ea etiam quæ magni sunt momenti, & aliter recuperari non possunt, injustum eorum invasorem occidere.

Dixi *propter bona magni etiam momenti*. Res enim pretii levioris postponi debere vitæ proximi admonet vel ipsa ratio naturalis. Unde proscripta est ab Innocentio XI. irregularis hæc propositio: *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei*. Itaque

Prob. 1. Præceptum illud, *Non occides*, neque in Scriptura, neque in Patrum Decretis, aut Jure Canonico limitatur, cum de fortunæ bonis sermo est; ergo homicidii reus est, qui pro illis bonis hominem occidit.

Prob. 2. Exodi 22. expresse prohibetur ne fur diurnus occidatur; quia, ut notat S. Augustinus, & ex eo caput 3. *De homicidio*. *Poterat discerni; quod ad furandum, non ad occidendum venisset*: ergo eum qui ad furandum dumtaxat, non ad occidendum venit, occidere nullatenus licet.

Prob. 3. ex SS. Patribus, & Romanis Pontificibus. Augustinus Lib. 1. de lib. arb. *Quomodo*, inquit, *apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus, quas coxtemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Et id quidem nullibi temperavit S. Doctor, prout id visus est temperasse, quod contra eos dixerat, qui occidunt, ne occidantur.

Gregorius lib. 3. Moral. c. 8. *Plus*, inquit, *ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationalibus defendendis, inhiare*.

Alexander III. c. 10. *De homicidio*. *Expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro servandis vilibus & transitoriis rebus eam acriter in alios* latrones *exardescere*. Hæc autem licet occasione Clerici homicidæ dicta sint, probant pro quocumque etiam sæculari.

lari. Et vero an non exigit amor ordinis, ut æternam proximi salutem bonis, quæ nobis absolute necessaria non sunt, anteponamus?

Prob. 4. ratione. Non licet præferre bonum ordinis inferioris, bono ordinis longe superioris, ei præsertim, cujus irreparabilis sit jactura: atqui fortunæ bona sunt ordinis longe inferioris, quam vita, quæ insuper amissa jam reparari nequit: ergo.

Obj. 1. cum Vvigers & aliis: Caput 2. *De homicidio volunt.* ubi sic habetur: *Interfecisti furem, aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occisione. Si te, tuaque liberando*, non teneris ad pœnitentiam.

R. cum Prosp. Fagnan. in his verbis: *te, & tua liberando*, particulam & non esse sumendam disjunctive, sed copulatim, adeo ut sermo sit de fure, qui bona simul, & vitam invaserat, quem qui occidit, a culpa eximi solet, juxta ea, quæ puncto præcedenti dicta sunt.

Obj. 2. Vim vi repellere, omnes Leges, & Jura permittunt: sed vim infert, qui bona temporalia eripere vult: ergo.

R. dist. maj. Jura permittunt vim vi repellere per media legitima, C. secus, N. Occisio autem non est medium legitimum cum de solis fortunæ bonis agitur: si enim bona temporalia exponi debent ad conservandam proximi vitam, a fortiori occidere non licet ad hujusmodi bonorum defensionem. Licet tamen eum, a quo injuste invaduntur, repellere, percutere, imo & pro gravitate rei vulnerare, modo absit occisionis periculum. Ratio est, tum quia impunitatis præsumptio furibus ad diripiendum animos adderet; tum quia res alicujus momenti præferri potest transitorio dolori furis, qui sui tunsionem, & plagas quærit ex malitia sua. Hinc S. Hieronymus in c. 1. Sophoniæ: *Si quis*, inquit, *fortitudinem latronis, & piratæ, & furis diripiat, infirmosque eos reddat, prodest illis sua infirmitas.*

Obj. 3. Bellum juste infertur pro fortunæ bonis, idque non sine multorum clade: ergo.

R. neg. conseq. Ut enim Princeps eos ex subditis, qui res alienas abstulerunt, legitime interficit, sic & iis, qui sua injuste detinent, legitime bellum infert, quia hanc a Deo potestatem accepit: at ubi privatis permissum est, ut auctoritate propria fures occidant?

Obj. 4. Ex dictis licet pro tuenda vita injustum invasorem occidere: sed vitam moraliter eripit, qui eripit bona, sine quibus vita conservari nequit: ergo.

R. 1. Rarum est, quod fur omnia auferat; 2. si omnia prorsus auferret, ita ut vitam auferre merito censeretur, videtur, quod eo casu occidi possit, non ratione boni temporalis, sed ratione vitæ, quam inique auferre vellet. Ita Flor. Decoq.

CONCLUSIO II. Iniquum famæ aut honoris nostri invasorem occidere illicitum est, non solum Clericis, ut multi fatentur, sed etiam sæcularibus, ut quidam male negant.

Prob. 1. Illud absolute illicitum est, quod sine totali ordinis subversione fieri nequit: atqui sine totali ordinis subversione fieri nequit, ut alium quis occidat pro vani honoris jactura. Bonum enim fragile consistens in versatili aliorum opinione, quæ mutatur ut aura, sine summa ordinis subversione præferri non potest temporali, & æternæ alterius saluti: atqui, ergo merito dixit August. L. 5. de Civ. Dei c. 17. *Nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius ponderis est fumus.*

Prob. 2. Ea opinio admitti non debet, qua posita mundanis hominibus ho-

honoris fictitii amore abreptis via ad strages, & homicidia aperitur: atqui posito semel, quod licitum sit ad defendendum honorem occidere, jam stragi, & homicidio aperietur via. Quis enim mundanis hominibus persuadebit, id, quod ubique in mundo pro honore habetur, honorem reipsa non esse?

Prob. 3. Si violatum honorem morte ulcisci liceret, tunc præcipue, cum vir nobilis alapa cæditur; hoc enim illud est injuriæ genus, quod nonnisi sanguine elui posse dicunt: atqui falsum est, quod, qui alapa cæsus est, injuriam hanc inimici etiam vilis, & plebei morte ulcisci possit. Si enim nemine vidente percussus est, tunc nullam, aut fere nullam honoris jacturam fecit: si vero coram multis percussus fuerit, potest percussorem suum testium ope ad sibi satisfaciendum coram Judicibus adigere, & hac, quæ licita est via, honorem suum recuperare. Et vero, quis sincere Christianus honorem ab eo vere recuperatum credat, qui contra charitatis leges fratrem suum æternæ damnationi objiciat? An quin alium occideris, statim falsum reputabitur id, quod contra te dixit: imo an non potius existimabitur verum esse? Merito itaque propositionem hanc proscripsit Innocentius XI. *Fas est viro honesto occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & ... fugiat.*

Sed licetne alapam pro alapa reddere?

R. neg. defensio enim licita quidem est, sed non vindicta: atqui tunc non esset defensio, quæ locum non habet, nisi in actuali aggressione; sed mera vindicta, quæ non conduceret ad servandum honorem, qui jam per injuriam ablatus esset, sed dumtaxat ad acquirendum alium apud mundanos honorem, ex falso fortitudinis inhumanæ nomine: ergo. Si tamen, qui jam percussit, percussionem novam tentaret, repercuti posset, in defensionem non honoris, qui sic non recuperatur, sed coporis.

Obj. ex S. Thom. opusc. 9. de decem Præceptis, præc. 8. *Nihil est tam charum homini, sicut fama.* Hinc Eccles. 41. dicitur: *Curam habe de bono nomine:* ergo si ad defensionem vitæ quempiam occidere liceat, licet id a fortiori ad defensionem honoris, utpote vita ipsa charioris.

R. neg. cons. ut, quæ falso supponat hominem, boni nominis curam habere per inimici sui occisionem. Quæro nempe apud quos bonum habere velint nomen, qui manus suas iniqui famæ invasoris sanguine cruentant. An apud viros infames quorum sapientia terrena est; animalis, & Dei inimica? absit. Bonum ergo nomen illud est, quod tale est Dei, verorumque Christianorum judicio. Quis vero sincere Christianus, eum multo pluris non æstimet, qui Christi, & Sanctorum exemplo benedicit maledi-
Luc. 6. 1. Pet. 3. Matth. 5. centibus se, orat pro calumniantibus, non reddit malum pro malo, & percutienti in dexteram maxillam, præbet illi & alteram? Præterea ex eo, quod fama sit maximi pretii, duo hæc tantum sequuntur, quæ lubenter agnoscimus, 1. cuicumque homini potius eligendum esse ut moriatur, quam ut culpabiliter a fama sua excidat; 2. ut eamdem quibuscumque legitimis mediis coram Judice insequatur.

Hinc colliges 1. jure proscriptam esse ab Alexandro VII. nefariam hanc propositionem: *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina divise, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit.*

Colliges 2. teneri virum etiam nobilem aut Ducem, potius fugere, quam occidere eum, a quo pugnis aut baculo impetitur. Est id quidem

apud

apud mundanos dedecus grande, sed apud Deum, & Angelos æterna gloria dignissimum.

Colliges 3. pseudo hoc axioma: Uni *mentiris*, sua debetur merces alapa, ex solo satanæ specu prodiisse.

Conclusio III. Non licet injustum pudicitiæ invasorem occidere. Ita multi contra non paucos.

Prob. 1. ex S. Augustino, qui L. 1. de l. arb. c. 5. in hanc nostram sententiam manifeste descendit. *De pudicitia vero*, inquit, *quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est; unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest? Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.*

Prob. 2. ratione, quam subministrat Augustinus in allato textu. Si liceret stupratorem interficere, utique ad virtutis tantæ conservationem: atqui virtus castitatis aliter potest, quam scelesti invasoris morte defendi. Ad hoc enim satis est, ut constanter dissentiat persona, quæ vim patitur; tunc enim quamvis opprimatur exterius, id dicere poterit, quod olim S. Lucia tyranno: *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Et vero pudicitia, vel spectatur prout quædam est corporis integritas, vel prout est animi virtus. Si primum, inferioris est ordinis, quam vita, hominis præcipue in æternum perituri. Si secundum, jam non potest pudicitia vi externa corrumpi; quandoquidem nulla unquam animo vis inferri potest. Unde Augustinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 18. *Quis sana mente putaverit, se perdere pudicitiam, si forte in ... oppressa carne sua exerceatur, & impleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit.*

Probatur 3. rationibus antea adductis, quarum summa hæc est: 1. quod bonum temporale æternæ alterius saluti præferri nec debeat nec possit, 2. quod præceptum generale non occidendi nullibi restrictum videatur pro præsenti casu.

Tenetur tamen puella modis omnibus obsistere, fugiendo, clamando, pugnis, pedibus, morsu agendo: imo monet Lugo, rarissime fieri ut puella si serio velit, violationem sui impedire nequeat; rarissime etiam contingere, ut vir delectationem turpem ab omnino invita captare velit.

Dices contra Conclusionem: *Periculum puderis bonis fœminis est morte gravius*; ex S. Ambrosio L. 3. Offic. ergo si pro periculo vitæ interficere liceat, id pro periculo castitatis licitum erit.

R. neg. conseq. vir enim nobilis mallet mori, quam honorem perdere, aut ad summam redigi paupertatem; & tamen ad vitanda hæc incommoda, sibi vel alteri mortem inferre non potest, ex dictis: ergo a pari in proposito. Addunt alii S. Doctorem loqui de pudoris periculo annexum habente peccatum, non autem de pudore simpliciter, cujus jactura ad coronam duplicari potest, ut ex S. Lucia didicimus.

Ex his colliges non licere patri, puellæ, aut marito uxoris pudicitiam tueri per occisionem invasoris. Multo minus liceret uxorem in adulterio deprehensam interimere.

Sed quid ergo in hac materia licitum est ad conservanda seu sibi, seu proximo honoris, fortunæ, aut pudicitiæ bona.

R. 1. si de fama sola seu nostra seu alterius etiam Principis, aut patris agitur, nec lædere licet, nec percutere graviter calumniatorem. Ratio

est, quia bonum hoc alia via recuperari potest, imo nec ista ullatenus recuperatur. An enim, ut jam dixi, pro nebulone haberi desines, quia eum, a quo notam hanc sustinuisti, egregie ceciderís. Imo ingeres, suspicionem te respondisse feriendo, quia non potueris aliter te tueri.

R. 2. tenetur quisque ex charitate, secluso tamen gravi incommodo, proximi bona contra iniquum defensorem tueri, repellendo, percutiendo, imo & lædendo citra periculum mortis, si id exigat rei ablatæ pretium, & ea aliter servari non possit. Ratio est, quia charitas proximo debita exigit, ut in gratiam ejus iisdem prope mediis utamur, quibus in nostri gratiam uteremur. Si tamen proximus, cujus segetes vastantur, incenduntur ædes &c. opem nostram recuset, non licebit invasorem vi propulsare: quia licitum est invaso, quem rei devastatæ dominum supponimus, cedere jus suum.

R. 3. ad tuendam oppressæ virginis pudicitiam licitum est nobis, quod & eidem licitum est. Ratio desumitur ex eadem charitatis lege.

SECTIO TERTIA.

De Duello.

Duellum prout ad præsentem homicidii materiam pertinet, definiri potest: Periculosum certamen duorum paucorumve ex condicto initum.

Dicitur 1. *periculosum certamen*, ut excludantur tum ludicræ pugnæ, quæ exercendi corporis, aut agilitatis ostentandæ causa fiunt; tum pugnæ, quæ fiunt armis ad graviter lædendum ineptis, pugnis v. g. levi baculo, crinium avulsione. Etsi enim in his graviter peccari potest ex passione: imo etsi ludicra etiam certamina infelices aliquando habuerint exitus; cum in eorum uno lethaliter percussus fit a Mongomerio Comite Henricus Galliæ Rex, hujus nominis secundus; differunt tamen hæc a vero duello, quod istud de se periculosum fit, illa nonnisi per accidens; & præter intentionem. Merito tamen proscriptæ sunt equestres eæ pugnæ, quæ in jure *Torneamenta* dicuntur; de quibus adi L. 5. Decretal. tit. 13.

Dicitur 2. *duorum*, unde, quod nos duellum dicimus, hoc Græci monomachiam vocant. Duellum prout duorum certamen differt a rixa, in qua unus contra plures, plures contra unum dimicare possunt. Est tamen duellum veri nominis in pugna plurium; cum singuli contra singulos decertant; principalis v. g. contra principalem, secundantes ut ajunt, seu socii unius contra alterius socios.

Dicitur 3. *ex condicto*, idest ex provocatione unius, & alterius acceptatione. Hinc, si in rixa duo ex calore, & impetu proruant in arma, & pugnent; si inimici in platea sibi occurrentes exerant enses, & digladientur; si adversarius adversarium quærat, ejusve transitum exploret, ac cum eo dimicet, deerit duellum, quia defuerit condictum.

Addunt plures: *tempore & loco designatis*; non quod hæc loci aut temporis determinatio sit prorsus necessaria ad duellum ut sic, prout notat Paulus Voet, Ultrajectensis Antecessor in singulari de duellis Opere; sed quia eadem designatio necessaria est, ut incurrantur pœnæ contra duellatores in Canonibus constitutæ. De quo infra.

Duellum dividitur 1. in solemne, & simplex. Solemne illud dicitur, quod fit servata quadam forma circa tempus, & locum securitatis, (quem *campum francum* appellant Scriptores infimæ latinitatis) adhibitis etiam

etiam testibus, seu patrinis, litteris item provocatoriis, aut earum loco nunciis. Privatum est illud, quod fit ex condicto, statutisque tempore, & loco, sed absque aliis solemnitatibus.

Dividitur 2. in illud, quod fit auctoritate publica, & quod fit auctoritate privata. His præmissis quæritur, an duellum sit licitum, necne. Sit

CONCLUSIO I. Duellum privata auctoritate initum peccatum est mortale, unde illud nec offerre licitum est, nec oblatum acceptare.

Prob. 1. ex frequenti totius Ecclesiæ judicio, quod hisce verbis repræsentavit Synodus Trid. sess. 25. cap. 19. *Detestabilem duellorum usum fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur &c.*

Prob. 2. ex variis Regum Christianissimorum Sanctionibus, Ludovici IX. Henrici IV. præcipue vero Ludovici Magni, qui anno Regni sui primo decrevit, ut qui duello confligent, tanquam læsæ divinæ, & humanæ Majestatis rei habeantur, eorumque corpora foras projiciantur, & christiana sepultura donari non possint. *An.1643. mense Jun.*

Prob. 3. variis rationibus. Nam 1. illud licitum esse non potest, quod repugnat charitati, tum nobis tum proximo debitæ: atqui tale est duellum, quod utriusque decertantis vitam, & æternam salutem morali periculo exponit.

2. Quod justa de causa suscipi non potest, licitum esse nequit: atqui duellum nulla justa de causa suscipi potest. Non 1. cum ad virium jactantiam, gloriamque inanem suscipitur, ut factum est a Goliath; hæc enim gloria & medium, quo procuranda intenditur, perinde futilia sunt.

Non 2. cum agitur de lite terminanda, aut manifestanda veritate, detegendave innocentia: duellum enim non est medium, quod ad hunc finem assumi possit, tum quia medium hoc nimis est crudele; tum quia horrendi sacrilegii plenum est, nempe vel divinationis, si fœlix exitus a dœmone expectetur; vel tentationis Dei, si exitus speretur a Deo; tum quia sæpe contingit, ut in bello seu publico seu privato succumbant, quos justam habere causam certum est.

Non 3. ad vindicias religionis nostræ, cui hæreticus aut infidelis quispiam insultaverit; tum quia nullibi permisit Deus, ut privatus contra privatum aliter, quam verbo Dei, & Ecclesiæ decretis veram fidem tueretur; tum quia æquum non est Religionem ex fallaci & fallibili medio suspendi; tum quia non est temere petendum miraculum, pro casu quem ordinario modo, non extra ordinem Deus decidi voluit: hinc geminum duelli ob religionem suscepti exemplum refert Voetus ubi supra c. 32. q. 4. quod ita cessit, ut semel a Scoto quodam hæretico occisus sit miles Gallus; semel autem a nobili catholico vir hæreticus. Ergo ne ipsius quidem religionis causa licitum est duellum; secluso speciali S. Spiritus instinctu, qui vix unquam præsumi potest. Equidem mitius agere solent Principes cum iis, quos sola armavit religionis suæ defensio; sed non ideo probant, imo nec probare possunt hujusmodi certamina.

Non 4. ad propulsandam ignominiæ labem, quæ ratio feralis est duellorum pene omnium origo: ignavus enim, & infamis haberi non potest ille, quem ut vere fortem, passionisque omnium petulantissimæ, falsi nempe honoris dominum agnoscunt Edictis suis Reges, Decretis suis Pontifices, suffragio & applausu quotquot Respublica sapientes habet. Sed qui duellum constanter recusat, hunc ut vere fortem agnoscunt &c. Patet id non tantum ex judicio Episcoporum plus quam viginti, doctorumque

Parisiensium 53. suffragio, sed & ex nobilium complurium, ac Galliæ Polemarchorum sententia; quæ ad longum repereris in Opusculo inscripto: *Recueil des Edits ... & autres Pieces concernant les duels, & recontres*, apud Sebast. Mabre-Cramoisy, an. 1669. Merito igitur proscripta est ab Alexandro VII. hæc quorumdam propositio: ***Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*** Absit enim ut timidus, & iners judicetur, qui seipsum vincit, qui virtutem, unam veri honoris regulam sequitur, qui Christi patientiam & mansuetudinem imitari studet, qui demum in prælíis contra patriæ hostes primum in acie prodit, postremus in castra revertitur. Sanius utique senserunt Gentiles, quos inter Horatius cum ait: *Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit mœnia.*

Existimant Theologi quidam, quos inter Bannes, Valentia, Decoq. &c. licitum esse ei, qui ad duellum provocatur, ne ignaviæ notam incurrat, dicere provocanti, se quidem duellum non acceptare, sed paratum esse se tueri contra invasorem quisquis fuerit. At summopere timendum est, ne verba hæc indirectam duelli acceptationem complectantur, aliumque ad invasionem illius, qui sic loquitur, quodam modo compellant.

Multo minus fas erit respondere ei, qui ad duellum provocat: Nolim equidem tecum congredi, verum aliquo sum iturus; qui me in itinere adortus fuerit, sentiet me virum esse. Est enim id duellum æquivalenter, & sub aliis terminis acceptare: porro ex Leg. 29. & 30. ff. *De legib.* non ille tantum in legem impingit, qui agit adversus legis verba, sed & is etiam, qui adversus sensum ac sententiam.

Conclusio II. Duellum publica auctoritate juste aliquando iniri potest; rarissime tamen.

Prob. 1. pars: 1. quia occurrere possunt causæ ei similes, quæ Davidem impulit ad ineundum contra Goliath singulare certamen. 2. quia satius est, ut Princeps de causæ suæ justititia certissimus, sed copiis longe inferior, certam suorum ruinam in dubiam victoriæ spem commutet, duellum acceptando aut etiam offerendo; quam ut pene certo exercitus sui excidio, crudelis & infesti belli gravaminibus, ac Provinciarum suarum vastitati se, suosque exponat. Addunt aliqui idem dicendum esse, si publicæ rei intersit ut duellum acceptetur; puta si ex ejus recusatione futurum sit, ut hostis audaciores sumat animos, nostri vero milites cadant & atterantur animis, non sine grandi boni communis detrimento.

Prob. 2. pars, quia extra casus mox adductos, aliosve non dissimiles; duellum quacumque auctoritate fiat, non vacat a gravi peccato. Hinc lethaliter delinquet Princeps duellum indicendo ad solam virium aut dexteritatis ostentationem, ad spectaculum, ad vindictam, ad probandum crimen, quod quis alteri objicit, aut ad purgandum, quod ab altero objicitur. Ratio est, quia in his omnibus vel tenditur ad pravum finem, vel ad bonum, sed medio illegitimo. Hinc vetuit olim Honorius III. ne Templarii eos, qui *de aliquo crimine* infamabantur, *ferri candentis judicium subire* compellerent; quia, ait Pontifex, hujusmodi judicio *Deus tentari videtur*, cap. 3. *De purgat. vulgari.*

Quæres an duobus ultimo supplicio juste addictis possit duellum a Judicibus præcipi hac lege, ut vita fruatur, qui e pugna sospes evaserit.

R. negat. 1. quia sic facile fieret, ut reus plus patiatur, quam meruerit. Esto enim meritus sit suspendium, at non meruit alium instar tortoris conficere; non meruit lentis extingui doloribus, quos forsitan ex imperita alte-

alterius manu persentiet; non meruit toties mori, quoties alium viderit in se proruentem. 2. & hæc ratio præcedenti generalior est, quia sic uterque reus proximo peccandi periculo exponitur. Ita enim uterque concitabitur, nec se justitiæ ministro, sed hostium infensissimo commissum censebit. Inde vero quale discrimen animæ; nihilo fere minus, quam quod in alio quocumque duello reperitur.

Obj. 1. Cum Azor, Reus mortis juste damnari potest, ut fame pereat: ergo & ut cum altero depugnet.

R. Neg. conseq. qui enim necatur fame, solum patitur: at qui cum alio congreditur, agit, ictum parat, & infert, acceptum imputat quasi inimico, sicque graviori animæ periculo obnoxius est.

Obj. 2. Potest Princeps e reis duobus unum deligere, qui alterius carnifex sit, carnifici spe vitæ oblata: ergo potest alium alterius manu occidere extra duellum: sed quidni etiam in duello?

R. Principem posse primum, non secundum: 1. quia utique unum faciendo carnificem alterius, nisi inique agat, reum magis minus reo subjiciet: in duello autem fieri poterit, ut qui nequior est, sospes evadat. 2. qui alium extra duellum necabit, aget pro utilitate publica tanquam justitiæ minister; in duello autem nonnisi pro vita sua decertabit. 3. extra duellum reus salutis æternæ consilia inibit, flagitia sua detestabitur, eorumque veniam supplici prece a Deo impetrabit; in duello solam adversarii sui necem intendet, & in eum furibunde proruet; sicque vix poterit christiane mori. Ita Comitolus L. 6. q. 16. n. 11. & 12.

Conclusio III. Graves duellatoribus, iisve qui ad duellum quoquomodo concurrunt, pœnæ sacris Canonibus inflictæ sunt.

Prob. ex Concilio Tridentino sess. 25. c. 19. ubi sic: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano Orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati ... Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta sacros Canones puniri debeant; & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quempiam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.*

Decretum hoc tam quoad personas, quam quoad pœnas ampliavit Clemens VIII. per Bullam suam 13. quæ incipit: *Illius vices*, & data est an. 1592. Et quidem 1. prædictas *pœnas*, prout jam fecerat Gregorius XIII. *extendit adversus illos etiam omnes, qui non publice, sed privatim ex condicto, statuto tempore, & in loco convento monomachiam* commiserint, *etiam patrinis, sociisque non vocatis, & loci securitate non habita, & procuratoris litteris minime præcedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id, quantum in se fuerit, non* prohibuerint, *cæterosque criminis socios, & ex composito spectatores; etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non stetisset, quominus pugnarent.*

2. Auctoritate Apostolica declarant prædecessorum suorum Pii IV. & Gre-

gorii XIII. Constitutiones, & Tridentini Concilii Decretum, *locum habere ubique gentium & terrarum, inter quascumque personas etiam armatas, & in castris seu propugnaculis militantes, etiam ubi.... Catholicæ fidei hostium furor impune grassatur, & in dominiis per eos occupatis, & detentis. Idem quoque juris censendum esse si publico, & forsan bello justo indicto miles aliquis alterum in adversariorum exercitu militantem, sive alias in hostium castris, præsidiis, aut terris degentem privatas simultates atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo, etiam Ducum permissu, ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum provocet. Necnon iisdem pœnis ... teneri eos inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit: vel si convenerint ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc, & inde pugnent. Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, locum tenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in castris vel extra ea, in alieno vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum monomachiam in quocumq; casu* jure *jam prohibito permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post commissum crimen veniam, & impunitatem concedentes.*

Pergit Pontifex: *Præterea pari ratione prohibemus omnia, & singula ejus generis scripta, Manifesta, seu fides vulgo appellata, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi præparatoria quædam ad chartulas, seu libellos provocatorios, & ad duellum, illorumque veluti radices, aut semina, ut plurimum lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandæ simultatis, atque inimicitiæ materiam præbent...*

Quinimo de novo etiam per præsentes ex parte omnipotentis Dei, Patris, Filii &c. excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscumque, publice vel privatim, palam vel occulte, in quibuscumque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel aliis Constitutionibus, ac Decreta comprehensis duellum ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, & commeatus præbentes, & comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuncios, aut quæcumque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujusque delicti socios, de industria spectatores, patrinos, fautores defensores &c.

Constitutio hæc dubiis pluribus locum fecit, quorum ut aliqua solvantur,

Quæres 1. an prædictis pœnis subjaceant viri duo, qui vel ob injuriam actualem subita ira correpti, vel ob veterem causam commoti & exardescentes in occursu, alio alium ad pugnam provocante, correptis armis statim congrediuntur.

R. Negat. hæc enim congrediendi ratio, ad rixam pertinet, non ad duellum; quia duellum fieri debet ex condicto, locoque & tempore designatis, quod in præsenti locum non habet. Eadem de causa si quis morantem in certo loco inimicum conspicatus, domum convolet, ensem accingat, adversarium suo se gladio itueri jubeat, deerit veri duelii ratio; quamvis non desit grande piaculum. Ita Pignatelli, extraneique Canonistæ plures, quos consule in tit. *De Clericis pugnant. &c.*

Quæres 2. quid juris, si duo in Ecclesia, aut Principis domo rixari cœperint, & dicat alter alteri: *Non est idoneus is locus definiendæ querelæ; eamus foras*, vel *egrediamur in vicinum pratum*; Eritne id veri nominis duellum?

R. Divisos hic esse Doctores: alii negant hoc esse duellum; sed id pro rixa simplici canonicis pœnis minime obnoxia habent: quia cum provocatio, & pugna

pugna in continuo fiant, &, ex subito iræ calore, non fuit nisi una moraliter actio, sicque deest pugna ex condicto, & statuto tempore.

Alii secundo casu ubi designatus est prælii campus, duellum agnoscunt, non in primo, ubi simpliciter dictum est, *Exeamus foras*; quia tunc non stat iniri prælium in loco designato.

Mihi quidem, seclusa locorum consuetudine, quæ vim habet leges interpretandi, uterque casus totam duelli rationem habere videtur; est enim pugna singularis, est pugna ex condicto, est demum pugna in loco sufficienter determinato. An enim deerit duelli ratio, quia ambo dixerint: *Digladiemur in primo, qui ad pugnam commodior occurret loco*? Neutiquam sane nisi Ecclesiæ decreta nescio, qua subtilitate eludantur. Pari de causa duelli suspicarer reos, qui convenissent de prælio ubicumque solus solis occurreret ineundo. Saltem enim in hoc casu multo tutius esset absolvi, ad cautelam, nisi ut dictum est, obsistat locorum consuetudo; quæ ne in ipsa quidem Germania obsistit, cum Pickler Canonista Germanus, doceat verum inesse duellum, si quis alteri dixerit: *Expecta hic dum afferam arma*; vel: *Vade & affer gladium, hic te expecto*; vel: *Exeamus ad illum locum, & ibi congrediemur*; vel: *In hoc loco non decet pugnare, veni mecum in publicam plateam.*

Quæres 3. quid dicendum de duobus, qui non animo lædendi, sed honoris defendendi se provocant, & provocati comparent constituto tempore, & loco, certi moraliter neutrum, quid passurum esse mali, quia sic inter se convenerint.

Resp. idem Pignatelli, prædictos homines in exteriori foro pro excommunicatis habitum iri; reipsa vero, & in foro conscientiæ, a quibuslibet pœnis immunes esse futuros; quia nempe actio hæc non est duellum, sed duelli simulatio. Et certe sicubi actio hæc sub canonicis pœnis prohibita foret, maxime his Clem. VIII. verbis: Declaramus *iisdem pœnis .... teneri eos, inter quos pactiones initæ sunt de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, &c.* atqui perperam verba hæc contra præcedentem decisionem a quibusdam objiciuntur. Aliud enim est pacisci re nihil alteri illaturum esse mali, aliud pascisci te ad primam sanguinis effusionem recessurum esse a prælio. Primum vacat ab omni periculo: secundum vitæ ipsius discrimen injicit, cum fieri possit, ut errante manu, aut crescente ira eum lædas graviter, cui leviorem plagam præparaveras.

Sententiam hanc, si forte vera sit, Ducibus perinde ac militibus commodam esse dicit Anacletus Reiffenstuel; ut qui, inquit, pluries duello congredi teneantur, ne ignaviæ notam incurrant. Verum cum jubeat Apostolus Christianum virum ab omni specie mala abstinere, palam est graviter peccare eos etiam, qui duellum simulant, sicut & ii peccarent graviter, qui fornicationem fingerent, aut a se commissam etiam falso gloriarentur.

Quæres 4. an quisquis duelli spectator fuerit, canonicis pœnis subjaceat.

R. Eos dumtaxat ad effectum contrahendæ censuræ reputari communiter duellatorum spectatores, qui ex proposito, seu *ex composito* ad locum duelli conveniunt, seque adeo exhibent quasi duelli approbatores: unde a censuris eximi solent non ii tantum, qui eo conveniunt, ut duellum, si fieri poterit, impediant, sed & ii quoque, qui in transitu fortuito paulisper subsistunt etiam ex curiositate, aut, qui e fenestra duelli loco vicina rem intuentur. Multo tamen satius fuerit, si malum cohiberi non potest, recta, aversisque oculis transire: cum adstantium corona animos addat, & majorem ex impia victoria gloriam quasi polliceatur.

Quæ-

Quæres 5. an qui alium occidit in duello, ad restituendum teneatur sicut alius quilibet homicida.

Respondent aliqui non esse restituendi obligationem, cum duo æque libere ad duellum descenderunt. Quia, inquiunt, hujusmodi duellatores ea conditione saltem implicita decertant, ut qui alium occiderit, ad nihil teneatur: aliunde vero volenti non fit injuria. Quod si alter quasi invitus certamen inierit, tantumque ne a fama sua excideret; censent eum, qui provocavit, & occidit, ad restituendum teneri. Ita Molina Tract. 3. disp. 82. pag. mihi 1001.

Alii vero, & melius docent occisorem, etiamsi provocatus fuerit, non provocator, teneri ad restituendum tum creditoribus occisi, tum ejusdem uxori & filiis in quantum eorum intererat non auferri vitam ejus, qui occisus est. Ratio est 1. quia idem occisor vera est, & iniqua causa damnorum omnium, quæ patiuntur creditores, uxor, & proles defuncti, 2. quia ii jure suo non cesserunt, nec eo pro ipsis cedere potuit, qui occisus est; ergo eodem jure per vim iniquam spoliati sunt: porro cui jus suum vi iniqua ademptum est, is strictam ipsius reparationem urgere potest. Vide Tractatum nostrum de Justitia.

CAPUT TERTIUM.

De sexto Decalogi præcepto.

ETsi solum adulterium his sexti Præcepti vocibus, *Non mœchaberis*, prohibitum esse videtur, longe tamen major est ejusdem mandati vis, atque extensio. Si enim, ait Augustinus q. 71. in Exod. *furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ ... profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi*. Neque vero membrorum dumtaxat, sed oris etiam & mentis immunditia ibidem vetita censeri debet, prout edocuit nos Christus his verbis Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Quod si aspectus turpis hic reprobatur, a fortiori reprobantur impudicæ voces, tactus, oscula, mollities, fornicatio, & quidquid his deterius fingi potest. Hæc peccatorum monstra totius hujus Capitis materia erunt, lubrica quidem & difficilis, sed quam aspirante virginum sponso, prout fieri poterit, pudice tractabimus. Dicendum itaque de fornicatione, stupro, adulterio, incestu, sacrilegio, raptu, & peccatis contra naturam. His, quæ septem dicuntur species luxuriæ, quædam addemus circa inchoatam illam impudicitiæ labem, quæ consistit in aspectibus, osculis, tactibus, choreis, spectaculis, lascivis ornatibus, &c.

ARTICULUS PRIMUS.

De Fornicatione.

FOrnicatio sic dicta a fornicibus, seu obscuris locis, sub quibus olim Romæ prostabant meretrices, vel late sumitur, vel strictius. Fornicatio late

late sumpta est concubitus quilibet illicitus & extra matrimonium. Fornicatio stricte sumpta est concubitus naturalis soluti cum soluta jam deflorata.

Dicitur 1. concubitus seu congressus *naturalis*, ut excludatur peccatum contra naturam, seu perpetratum in vase ad hunc effectum a natura non ordinato.

Dicitur 2. *soluti cum soluta*, id est viri, & fœminæ, qui liberi sint ab omni prorsus vinculo seu matrimonii, seu voti solemnis, Ordinis sacri, consanguinitatis, aut affinitatis, & qui proinde habiles sint ad contrahendum inter se matrimonium.

Dicitur 3. *jam deflorata*, quia congressus cum virgine hactenus incorrupta reduci solet ad stuprum.

Fornicatio pro præsenti dividitur in simplicem & continuatam. Prima ea est, quæ transitorie exercetur cum una, aut pluribus. Secunda ea est, quæ crebris vicibus exercetur cum eadem, & vocatur concubinatus; unde & definitur continuata fornicatio cum eadem persona; sicque fornicationi addit habitum & perseverantiam, sive interim fornicaria retineatur domi, sive apud se aut alibi conveniatur. His præmissis tria inquiruntur, 1. quale sit peccatum fornicatio simplex aut continuata; 2. an solius fornicationis rea fit sponsa de futuro, quæ alteri, quam desponsato vitiandam se permittit; 3. quæ fornicatoribus constitutæ sint a canonibus pœnæ. Sit

CONCLUSIO I. Fornicatio quælibet est peccatum mortale, jure tum divino, tum naturali graviter prohibitum.

Prob. 1. pars de jure divino, ex Scriptura. 1. Cor. 6. v. 9. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt*, & v. 15. *Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit*, &c. Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia ... qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Ephes. 5. *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. Apocal. 21. *Homicidiis & fornicatoribus ..... pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure*; ergo prima hæc assertionis nostræ pars est de fide, cum diserte exprimatur in Scripturis. Hinc S. Fulgentius Epist. 1. c. 4. *Fornicatio*, inquit, *nunquam potest esse sine gravi crimine, in qua licet non dubitemus damnabiliter peccare hominem ab uxore disjunctum, damnabilius tamen fornicari existimo conjugatum: utrumque autem Scriptura sancta judicandum, & a regno Dei pronuntiat alienum*. Merito igitur proscripti sunt in Viennensi Concilio Beguardi, & Beguinæ, qui ut patet ex Clementina 3. *De hæreticis*, præfracte contendebant actum carnalem, *cum ad hoc natura inclinet, peccatum non esse, maxime cum tentatur exercens*.

Prob. 2. pars de jure naturali, contra Caramuelem, qui fornicationem seclusa Dei lege peccatum futuram esse negat; & Durandum, qui in eadem præcise sumpta culpam agnoscit solum venialem. Prob. inquam: illud jure naturali graviter prohibitum est, quod omnibus concubitus legitimi bonis adversatur: atqui talis est fornicatio. Duplex enim a natura intenditur finis e legitimo concubitu, nempe bonum prolis ipsius, & commune Reipublicæ bonum, ad quod singulis cives suo quisque modo, & ordinate conferre debent: atqui fornicatio duplicem hunc scopum per se, & ex natura sua impugnat: 1. quidem impugnat bonum prolis. In eo quippe situm est bonum illud, ut proles debite educetur, instruatur, & ubi opus erit, defendatur: atqui quotidiana convincit experientia curam hanc prolis ex fornicario com-

plexu

plexu susceptæ, vel nullatenus, vel imperfecte admodum haberi: ita ut mille spuriis vix unus a parentibus decenter informetur; unde ratio sanctæ, & piæ educationis communiter ex parte parentum deficit illegitimæ proli, quam pater sponte deserit, præsertim, cum per se loquendo, non sit certus eam esse suam; quam vicissim tandem deserit mater ab amasio deserta, præsertim cum ipse alios seu licite seu illicite amores captat: ergo cum, id *quod cadit sub legis determinatione, judicetur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo casu* non communi *potest accedere*; merito dicimus fornicationem de se graviter adversari bono prolis. 2. nec minus nocet ea communi bono; cum de se scandala, querelas, ignorantiam, pravamque civium institutionem in Rempublicam invehat; quæ omnia commune bonum insigniter labefactant. Merito igitur damnata fuit ab Innocentio XI. hæc Caramuelistarum propositio: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

S. Thom. 2. 2. qu. 154. ar. 2.

Porro si tantum sit scelus fornicatio simplex, quantum esse debebit concubinatus, qui fornicationi addit statum & perseverantiam: quique annexum habet continuum saltem virtuale peccandi propositum. Vere igitur monet Sylvius in eamd. q. 254. art. 2. quod etsi concubinatus maneat in specie simplicis fornicationis, regulariter exprimendum sit in confessione, non tantum quoties quis fornicationis crimen, aliasque turpitudines commiserit, sed etiam quanto tempore concubinam tenuerit; cum nec eam probabiliter tenere potuerit absque gravi aliorum scandalo, nec satis aperire possit statum suum, in quo pravis cogitationibus millies consensit. Quod autem addit idem Doctor; cavendum esse Directori ne ante concubinarium absolvat, quam is felicem amicam ejecerit; jam nos diximus Tom. 2. agendo de occasionibus peccati. Sed neque id cum eodem Sylvio prætermittendum est, illos nempe, qui concubinarii publice existimantur, etsi non sint, non antea debere absolvi, quam vel eas ejecerint, quæ pro concubinis suis habentur, vel sufficienter ostenderint iis, qui scandalizati fuere, *quod illæ mulieres non sint vel concubinæ vel fornicariæ; quia debent occasionem scandali tollere, si velint esse vere pœnitentes.*

Hic non abs re fuerit laxiores, quæ ad hanc materiam pertinent, & ab Apostolica Sede damnatæ sunt, propositiones referre. Prima, quam proscripsit Alexander VII. sic habet: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Ex aliis vero, quas reprobavit Innocentius XI. prima, quæ inter proscriptas est numero 58. sic expressa est: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Secunda, quæ est num. 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.* Tertia, quæ est numero 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quinimo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Postrema tandem est num. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta fugiendi occurrit.*

Objiciuntur sex: 1. & 2. quod fornicatio nullibi in antiqua lege prohibi-

hibita sit; imo permissa veteribus Patriarchis, qui concubinas habuisse leguntur; 3. quod a Deo præcepta sit Oseæ, cui nequidem permitti potuisset, si fuisset intrinsece mala; 4. quod pacisci possint fornicarii ut proles digne instituatur; 5. quod eidem proli melius sit esse, quam non esse; 6. quod fornicatio Act. 15. in eodem ponitur ordine, ac esus sanguinis, qui certe a natura prohibitus non est. Verum hæc nihil nocent. Unde

Ad 1. neg. ant. 1. enim fornicatio dici potest prohibita ipso Decalogi præcepto, quod non modo adulterium, sed & illicitum quemcumque viri cum muliere congressum prohibere merito censetur, ut jam diximus ex Augustino; 2. idem scelus aperte vetatur his 23. Deuteron. verbis: *Non erit meretrix de filiis Israel, nec scortator de filiis Israel*; Ubi, ait Augustinus q. 37. in Deu teron. *manifeste probibuit fornicari, & viros, & fæminas etiam cum non alienis conjugibus*. Hoc autem peccatum pro gravi habitum fuisse indicant hæc, quæ sequuntur verba: *Non offers mercedem postribuli, nec pretium carnis in domo Domini ...... quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum*. Et vero nisi fornicatio pro gravi crimine habita esset, cur lapidata fuisset puella, quæ exciderat a virginitate; & tamen lapidibus obrui jubetur, *quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui*. Deuter. 22. v. 21.

Ad 2. Patriarcharum concubinæ erant veri nominis uxores, quibus indictum fuit concubinarum nomen, eo quod 1. sine solemnitate ductæ essent & indotatæ; 2. quod jus haberent ad concubitum, non autem ad familiæ gubernationem: unde, quæ servilis conditionis erant, manebant ut antea servæ.

Ad 3. Præcepit quidem Deus Oseæ, ut duceret mulierem, quæ ante fuerat fornicaria, non autem, ut ei fornicarie copularetur; de quo vide, quæ dixi in Tract. de Legibus.

Ad 4. neg. conseq. Neque enim jure naturali prohibita est fornicatio; quasi, quæ semper actu noceat proli, sed quasi, quæ nata sit eidem nocere, ita ut non nisi per accidens non noceat. Deinde si utrumque parentem mori contingat prole adhuc infante, quis idoneam ejus curam geret? An consanguinei, qui filium ex flagitio naturaliter oderunt? An domestici, qui servilem sæpius animum gerentes vix bene quidquam agunt, nisi proprius inspiciantur?

Ad 5. nego rursus conseq. Melius quidem est proli esse, quam non esse; sed non est melius parentibus eam generare, quam non generare. Et vero ex hac ratione colligere erit licitum esse adulterium, quia quæ a marito pueros non suscipit, plerumque susciperet ab extraneo.

Ad 6. Necesse non est, ut quæ in eadem classe recensentur, ejusdem sint rationis; neque enim eadem est Moysis, quæ Dei dignitas, quia dicitur Exod. 14. Israelitas credidisse *Deo & Moysi*. Neque statim ira, & rixæ ejusdem censebuntur gravitatis cum idololatria, quia hæc omnia Galat. 5. inter opera carnis indistincte reponuntur. Ideo autem fornicationem expresse vetuerunt Apostoli, quia hæc a Gentilibus non habebatur pro peccato.

An autem fornicationis nequitia invincibiliter ignorari possit, expendit Sylvius ubi supra, & affirmativam cum aliis pluribus tenet de iis gentibus, quæ aggrestes sunt, moralium veritatum imperitæ, & destitutæ magistris, a quibus erudiantur. Ut ut est de hac opinione, merito addit Theologus Duacensis vix apud Christianos quemquam reperiri posse, quem sua hoc in puncto excuset ignorantia; nisi hominem fingas inopem ingenii, surdum, & mutum a natura, quemque ii, quibuscum vixit, nedum dehortati sint a malo, ad istud potius impulerint.

CON-

CONCLUSIO II. Fornicatio desponsatorum peculiarem habet malitiam, quæ in confessione aperiri debet.

Prob. Circumstantia, quæ efficit ut actio graviter adversetur justitiæ, in confessione necessario aperiri debet: atqui desponsationis circumstantia efficit, ut fornicatio graviter adversetur justitiæ. Magnam enim sponso injuriam facit sponsa, quæ totam ei se promisit, & debet, cum ab alio se cognosci permittit. Idemque, quidquid contradicat Sanch. Lib. 1. disp. 2. dicendum de sponso, qui cum alia peccat: quia sponsam, eamque invitam privat re notabili, jure scilicet, quod habet ad corpus suum integrum; ergo dispositionis circumstantia necessario aperiri debet; non quia adulterium verum faciat, sed quia aliquid facit reductibile ad adulterium, sicut imperfectum reducitur ad perfectum sui generis.

Atque hinc, qui cum desponsata peccavit, eamdem circumstantiam aperire debet: neque enim peccavit cum plene soluta & libera, sed cum ea, quæ corpus suum ei debet, cui solemniter idem corpus spopondit. Ita Sylvius, aliique passim contra Covarruviam.

Quæres 1. an simpliciter fornicari dicendus sit, qui peccat cum vidua; cum Judæa, aut Gentili, cum domina sua, ejusve consanguineis, cum ea, item, cujus tutor sit aut curator; posito quod eæ omnes sint solutæ?

R. espondet idem Sylvius nullam hic subesse circumstantiam, quæ notabiliter aggravet, seclusо legis contemptu, scandalove aut majoris perversionis periculo: unde, inquit, satis est hic simplicem fornicationem confiteri; cum reipsa solum intersit soluti cum soluta commercium.

Crederem ergo circumstantiam fornicationis, qua parte Judæam, Gentilemve respicit, semper aperiendam esse: 1. quia fieri nequit ut Christianus Judæa aut Gentili abutens gravem religionis nostræ despectum non pariat; 2. quia ut bene notat Sanch. Lib. 7. disp. 5. num. 12. cum ob disparitatem cultus prohibeatur matrimonium, censeri debet specialiter prohibita copula de se illicita; 3. quia subest periculum ne proles in infidelitate educetur; 4. quia in quibusdam regionibus Judæus, aut Maurus cum Christiana peccans, capite plectitur.

Quod spectat ad tutorem; is cum patris vices gerat, longe magis reus esse debet, cum puellam curæ suæ specialiter concreditam vitiat, quam cum aliam quamcumque.

Quod ad viduam attinet, observat ex Navarro, & Sayro idem Sylvius, *quod si vidua habens bona sibi a marito relicta ea conditione, ut vaste viveret, fornicaretur: non posset ea bona retinere tuta conscientia propter conditionen non servatam*. Imo si exegisset testator, ut vidua, mente & corpore casta maneret, ut emitteret votum castitatis, ut servaret continentiam, perinde ac si eam vovisset, jam, ait Sylvius, non ex fornicatione sola, sed ex tactibus impudicis, imo ex morosis delectationibus ab hæreditate excideret. Hæc tamen, quantum opinor, in praxi admodum difficilia forent, si de iis publice pactum esset: quia mulier, quæ furtim & latenter deliquisset, semetipsam prodere cogeretur.

Quæres 2. ex utroque quis gravius peccet, an vir, an mulier fornicando?

R. cum S. Thoma in 4. dist. 35. art. 4. virum cœteris paribus peccare magis graviter, quia *plus habet de bono rationis*, ideoque plus habet virium ut irruenti concupiscentiæ resistat. Aliud est in adulterio, ubi mulier, per se loquendo, causa est incertitudinis prolis, & ut mariti bona ad extraneos deferantur. De cœtero hominis adulterium, adulterio muliebri gravius facere.

cere videtur S. Augustinus L. 2. de adulterin. conjug. c. 8. *Irascuntur* mariti, inquit, *loquuntur, atque respondent; Sed nos viri sumus .... Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt. Quasi non propterea debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt*, &c.

Quæres 3. an meretricium gravius sit, quam alia fornicatio.

R. affirmat. quia in hoc scelere non tantum impeditur bona educatio prolis, sed etiam ejusdem prolis generatio. De coitu cum mortua muliere non loquor; est enim insolita libido, nomine quidem carens, sed in confessione ob nequitiam plusquam bestialem necessario exprimenda etiam objective. Gravioris etiam impudicitiæ reus esset copulam habens cum conjugata, vel Moniali, quam cum soluta.

Quæres 4. de quibus interrogandi sint fornicarii, & fornicariæ.

R. interrogandos esse, an peccaverint ex habitu, an cum scandalo, an compartem induxerint ad scelus, quod fœminis aliquando, viris sæpius contingit; 2. an nuptias promiserint, an promissionem firmaverint juramento, an non eodem modo pluribus promiserint; 3. an nihil fecerint, quod ad sodomiam tenderet; 4. an ne haberent prolem, semen fuderint extra vas; an non conceptum fœtum sive inanimem, sive jam animatum extinxerint; 6. quoties iteraverint crimen; 7. an eo consummato devenerint ad tactus novæ copulæ præambulos; 8. an prolem ex turpi habitam commercio neglexerint; eamve exposuerint, cum alendæ ei pares essent. Hæc tamen interrogata, prudentiam, & castitatem comites habere debent. Si quando pœnitens copulam solam exprimit, interrogandus est de suo, & compartis statu, an conjugatus sit, & ea conjugata; an non ambo affines sint, vel consanguinei, &c.

Quæres 5. an possit & debeat fornicator incœptam copulam relinquere cum dispendio seminis.

Affirmat Henno, quia potest, & tenetur peccator quocumque instanti ab actione illicita desistere. Tunc equidem nocetur generationi, sed præter intentionem, quæ tota est, ut a complendo crimine abstineatur. Aliud esset, ait idem, si eadem actio propter motivum humanum abrumperetur.

Quæres 6. an fornicatio possit in aliquo casu non esse peccatum?

R. affirmat. Si enim mulier vim passa sit, nec ullatenus consenserit libidini, erit a noxa immunis, quia *corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas*, ait Hieronymus. Aliud est de viro, quem, cum sit agens, ne mortis quidem timor excusare potest. Phreneticus tamen, aut amens in tali actu non peccaret, sicut nec omnino ebrius, nisi antea illius peccati periculum prævidens, aut prævidere debens, sibi cavere noluisset. *Aliquid enim potest esse voluntarium vel secundum se, sicut quando voluntas in ipsum directe fertur; vel secundum suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum, ut patet in eo, qui voluntarie inebriatur; ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit*. S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 7.

Conclusio III. Graves sacris Canonibus decernuntur pœnæ adversus concubinarios, præsertim Clericos.

Prob. 1. pars ex Concilio Tridentino Sess. 24. c. 8. de reform. ubi sic: *Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, & in hujus magni Sacramenti singularem contemptum, admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus*

ribus alere, & retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi concubinarios, tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter ea de re admoniti fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint, contra eos ab Ordinario severe, pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur; & extra oppidum, vel Diœcesim, si id iisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur.

Hanc sacræ Synodi Constitutionem pleraque præsertim Galliarum Concilia, iisdem fere verbis, suis Canonibus inseruere, puta Concilium Rothomag. an. 1581. Bituricense an. 1584. Aquense an. 1585. Avenionense 1594. Burdigalense an. 1624. &c.

Prob. 2. pars de Clericis, qui eidem vitio inhærent, ejusve suspicionem inducunt; ex Canonibus multis, qui habentur tum dist. 32. & 81. tum passim in titulo *De cohabitatione Clericor. & mulier.* tum denique in Synodo Tridentina Sess. 25. c. 14. Porro pœnæ ibidem adversus prædictos decretæ, vel potius, saltem ut plurimum, decerni præceptæ, ad sequentes reducuntur.

1. *Qui in sacris Ordinibus sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & caste vixerint*, excludendi sunt, seu deponendi *ab omni eorumdem graduum dignitate*. Ita Can. 11. dist. 32. Urbanus II. ubi addit se *de manifestis* solum concubinariis loqui.

2. Iidem si ab Episcopo moniti *acquiescere contempserint, a Beneficiis Ecclesiasticis usque ad congruam satisfactionem* suspendi debent. *Et si* easdem mulieres *suspensi præsumpserint detinere, ab eisdem Beneficiis perpetuo* sunt removendi. Ita Alexander III. cap. 4. *De cohabitat. Cleric.* &c. Pœna hæc ad Clericos in inferioribus solum Ordinibus constitutos extenditur, ibid. cap. 6. Easdem pœnas renovavit, atque etiam ampliavit Synodus Tridentina Sess. 25. cap. 14. de reform. ubi præmissa gravissima præfatione, sic loquuntur Patres: *Si* Clerici quicumque, qui concubinas, aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio, in domo aut extra detinent, *a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum Beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum ipso facto sint privati .. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, secundæ adhuc monitioni non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum Beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant .. sed etiam a Beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam ut Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur; tunc Beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, Beneficiis, ac officiis imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur .. Clerici vero Beneficia Ecclesiastica*

aut

tiset pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam; & qualitatem ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros Canones puniantur.

Hæc Tridentini Concilii dispositio pene desumpta est ex Pragmatica Sanctione Caroli VII. tit. 19. & Concordato inter Leonem X. & Franciscum I. an. 1518. tit. 13. ex iis vero colliges Clericum notorie etiam notorietate facti concubinarium debite, & specialiter admonitum a Superioribus suis, contrahere irregularitatem, quæ licet videatur ex infamia, non cessat tamen per pœnitentiam, sed per solam Superioris, seu Episcopi dispensationem: & hac quidem dispensatione semel concessa, *si Clerici recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles* manere debent, ac proinde nunquam denuo dispensari. Vide Concordatum ibid. §. 4. & 8. & Gibert in Opere inscripto: *Usages de l'Eglise Gallicane*, &c. p. 825.

Quæres, qua pœna plecti debeat Clericus in sacris, ob fornicationem minime concubinariam. Taceo de nefando sodomiæ crimine, contra quod terribiles decrevit pœnas S. Pius V. gemina Constitutione, quinta scilicet, an. 1566. quæ incipit: *Cum primum*; & 72. an. 1568. quæ incipit: *Horrendum illud scelus*.

R. 1. si Clericus committat fornicationem qualificatam; stupri v. gr. adulterii, sacrilegii, incestus cum filia spirituali, quam in sacro baptismatis fonte recepit; eave, cujus audit confessionem, indubium est, quod depositionis pœna puniri possit; ita enim multis Canonibus sancitum est, puta Can. 6. XXVII. q. 1. Can. 9. & 10. XXX. q. 1. ubi sermo est de crimine, *quod in conscientiam populi devenerit*.

R. 2. si Clericus simplicem fornicationem admittat, puniri debet arbitrio Judicis, juxta qualitatem personæ, & circumstantiarum. Ratio est, quia varias varii Canones pro scelere isto pœnas sanxerunt, quandoque acerbas magis, quandoque mitiores; quod argumento est juxta Canonistas, crimen hoc aliter, & aliter puniri posse, puta aliquando suspensione, aliquando graviori pœna. Legatur Can. 5. dist. 82. qui his incipit verbis: *Præsbyter, si fornicationem fecerit, quamquam secundum Canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta auctoritatem B. Papæ Sylvestri, si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat: tribus quidem mensibus privato loco a cæteris remotus, pane, & aqua a vespera in vesperam utatur*, &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Stupro, & Raptu.

Stuprum, est illicita defloratio virginis præsertim invitæ.

Dicitur 1. *defloratio*, seu virginalis claustri per primam carnalem copulam illicita corruptio.

Dicitur 2. *virginis*, quo nomine intelligitur persona omnis, quæ necdum ullam cum altera copulam habuit; atque ea etiam, quæ jam se per mollitiem polluisset, aut turpibus desideriis consensisset. Etsi enim aureola, & virtus virginitatis amittitur per mollitiem voluntariam, censetur tamen virginitas remanere, quoad integritatem carnis. Qua etiam de causa coitus extramatri-

monialis cum ea, quæ virginei signaculi integritatem casu, aut arte violasset, non desineret habere rationem stupri, prout subindicat Comitolus L. 4. q. 16. n. 7.

Dicitur 3. virginis *præsertim invitæ*, triplex enim a quibusdam distinguitur stuprum; simplex, qualificatum, & violentum. Simplex, quod fit consentiente virgine ad id blanditiis, promissis, datisve muneribus inducta. Qualificatum, cui accedit circumstantia malitiam criminis aggravans, ut si tutor pupillam defloret; aut qui unam data matrimonii fide corrupit, aliam sub eadem promissione corrumpat. Violentum, cum virgo per vim opprimitur: atque istud est stuprum magis proprie dictum, quod civili jure, & omnium fere locorum usu plectitur pœna capitali. An autem id, quod vocavimus stuprum simplex, sit veri nominis stuprum; seu, an ad stuprum quodcumque requiratur violenta defloratio, adeoque, an ex allata stupri definitione tolli debeat vox *præsertim*, expendam statim, ut aliquot solvero difficultates.

Quæres itaque 1. an *virginis* nomine intelligantur etiam nostri sexus juvenes; adeo, ut stupri rea sit mulier, quæ a juvene copulam extorserit per vim, metum gravem, dolos, fraudes, preces admodum importunas, & similia, quibus vix obsisti possit.

R. vel esse stuprum, vel quid stupro affine; unde circumstantia vis illatæ in confessione aperiri debet. Etsi enim adolescens, nec signaculum naturale perdat, nec tanto coram hominibus dedecore afficiatur, quam puella; stat tamen suam ei virginitatem eripi, adeoque, & eum specialem coram Deo injuriam sustinere. Felix certe, si eos imitaretur juvenes, quos FF. Minorum historia inter crudeles fœminarum conatus occubuisse testatur, ne ab irreparabili virginitatis flore exciderent.

An autem mulier, quæ cum aliquo hactenus virgine rem habuit, sollicitata potius, quam sollicitans, circumstantiam hanc aperire teneatur; ambigi posset. Negat Theologorum vulgus cum Sylvio ibid. art. 7. partim, quia vir primam fornicationem committens, non perdit signaculum virginitatis, quo ad matrimonium reddatur inhabilior; partim, quia nihil amittit, quod paternæ custodiæ sit specialiter commendatum. Sed quidni filii pudicitia paternæ curæ commendata dicatur? Quidni gravius peccet, quæ libidini obsequens hominem facit audaciorem, & ardentiorem ad scelus? Quidni consequenter ea de re, ut subdubia interrogetur mulier peccatrix?

Quæres 2. quid sentiendum de perditis iis nebulonibus, qui condiscipulos adhuc nescios mali alliciunt ad mollitiem, quasi ad actum indifferentem?

R. eos quandatenus etiam stupri reos esse, ut qui virginitatis decus excutiant incautæ ætati. Adde, quod prima sint origo tot ejusdem naturæ scelerum, in quæ sponte proruunt, qui semel miseram nefariæ hujus actionis voluptatem experti fuere. His positis, sit

CONCLUSIO I. Stuprum est luxuriæ species distincta a fornicatione, 1. si puella opprimatur invita; etiamsi volens cedat stupratori.

Prob. 1. pars, quam nemo in dubium vocat; quia stuprum fornicationi simplici grandem superaddit injuriam; cum per eam violenter privetur puella sigilli virginalis integritate, quæ in ordine ad susceptionem status maximæ apud homines est æstimationis.

Prob. 2. pars. Vel puella quicum peccatur, parentes habet, vel non: atqui in utroque casu defloratio ejus specialem habet malitiam. Si enim paren-

rentes habet, gravis eis infertur injuria; quandoquidem illis invitis violetur integritas, cujus custodiam habent: sicut, ait Sylvius, injuria fieret horti custodibus, si iisdem invitis frangerentur ejus sepes, atque ita hortus deprædationis periculo exponeretur; quamvis consentiret horti proprietarius, sub eorumdem custodum tutela existens: is enim utpote custodum curæ commissus, citra eorum injuriam consentire non posset. Si vero puella sit plene sui juris, crimen cum ea commissum non desinit specialem habere malitiam, 1. quia per illud impeditur a consecutione utilis, legitimique matrimonii, quod alioqui fuisset consecutura; 2. & hæc ratio capitalis est, quia constituitur in periculo, & in via nova deinceps ejusdem generis perpetrandi crimina, & forte meretricandi. Quæ enim hoc in puncto semel, & ægre admodum pede lapsa est, paulo post totis pedibus currit; ut infœlix docet experientia. Hæc ultima ratio probat deflorationem, cui & puella, & puellæ parentes consentirent, non carituram speciali malitia.

Obj. 1. cum Henno; Scienti, & volenti nulla fit injuria: atqui ex hypothesi puella est volens: ergo.

R. dist. min. Puella est volens de facto, C. de jure, N. Vult quidem puella de facto opprobrium suum; sed nec vult, nec velle potest de jure, quia jure divino velle prohibetur. Sic pupillus in sui præjudicium libere sine tutoris assensu contrahens, vult de facto; reipsa tamen vult inefficaciter, quia efficax ejus volitio jure præpeditur. Et vero fatente Henno, qui alterius volentis uxore etiam volente abutitur, verum committit adulterium; quia scilicet neuter conjux velle potest id, quod vult: ergo a pari verum infert stuprum, qui virginem de ipsius, ac parentum consensu extra matrimonium deflorat; quia non solum fornicatur, sed etiam virginali integritati damnum infert contra legem a Deo constitutam, & cujus vis nulla humana voluntate elidi potest.

Obj. 2. cum eodem. Si quid puella patitur damni, hoc non patitur ex defloratione, sed ex diffamatione deflorationem consequenti: ergo defloratio præcise sumpta non habet malitiam a malitia fornicationis diversam.

R. neg. ant. Puella enim etiam præcisa sceleris sui divulgatione, duplex hoc patitur damnum, 1. quod non servet integritatem corporis, quam a natura servare jubebatur, seu ad mortem usque, seu usque ad matrimonium; 2. quod crimen experta frangat pudoris limites, quibus semel diruptis, jam crimen gratis aut saltem vilissime constat.

Obj. 3. Si coitus cum virgine volente sit vere stuprum, tenebitur stuprator ad restitutionem: atqui falsum consequens ex omnium Theologorum consensu; prout ipsi diximus Tom. 1. part. 3. alias 4. c. 2. art. 2. de restitutione: ergo.

R. dist. min. Stuprator non tenetur ad restitutionem, quoad consectaria criminis, C. quoad crimen ipsum, N. Itaque, cum puella jure suo cedere possit, quoad reparationem damni temporalis, imo nullum forsan ex hac parte jus habere possit, non est mirum, quod, qui eam volentem constupravit, ad nullam ex eo capite restitutionem teneatur: at vero cum eadem jure suo cedere nequeat, seu quoad corporis integritatem, seu quoad novæ ruinæ spiritualis periculum, tenetur stuprator damna hæc, quantum poterit, compensare, & avertere, precibus scilicet ad Deum fusis, stipe pauperibus erogata, &c. Vide, quæ dixi in eodem Tract. de Restitut. ibid. c. 1. editionis tertiæ Paris.

Hic obiter revocandum, quod alibi diximus, fœminam scilicet teneri ad

 resti-

resistendum omnibus, quibus potest modis, præsertim vicinorum opem clamoribus implorando, etiamsi (modò tamen clamor speretur profuturus) stuprator districto in ejus peccato pugione mortem comminetur: quia certum usque ad gradum consentit, quæ non resistit quantum licite potest. Unde Deuter. 22. puella in civitate oppressa lapidari jubetur: *quia non clamavit*. Hinc S. Ambrosius L. de lapsu virginis consecratæ c. 3. *Sed dices*, inquit, *Nolui hoc malum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna ... Ego inter duos Præsbyteros posita, inter duos Judices populi .. vinci non potui, quia nec volui. Tu ab ineptissimo adolescente, & in media civitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia ultro vitiari voluisti? quis denique tuas voces audivit? quis obluctationes sensit?* Quapropter jure proscripta est a Clero Gallicano ann. 1700. hæc doctissimi cœteroqui Interpretis Cornelii a Lapide propositio in c. 13. Daniel. *Potuisset Susanna in tanto periculo infamiæ, & mortis negative se habere, & permittere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata, & execrata fuisset*, tanquam *temeraria, scandalosa, piarum aurium offensiva, erronea, & legi Dei contraria*.

Conclusio II. Probabilius est puellam virginem, quæ turpe coitus illiciti desiderium habet, aut in ejus cogitatione morose oblectatur, virginitatis suæ circumstantiam confiteri debere: idem dicendum de eo, qui virginis copulam appetiit. Ita post Azor, & alios plures Sylvius art. 7. p. 835.

Prob. Circumstantia, quæ mutat speciem peccati, exprimi debet: atqui circumstantia virginitatis, seu in ipsa virgine, quæ sui corruptionem expetit, seu in alio, qui expetit ejusdem virginis deflorationem, mutat speciem peccati. Efficit enim, ut pravus animi affectus sit stuprum spirituale; sicut actus, qui pro objecto habet conjugatam, est spirituale adulterium; ergo. Hæc conclusio est in praxi admodum dura: quis enim audito in confessione mali desiderii peccato, puellam jam grandævam, aut Monialem facile interroget, an sit virgo? Aliud tamen docere non ausim.

Quæres, ad quid teneatur stuprator respectu virginis a se vitiatæ.

R. id a nobis fuse expensum fuisse in Tractatu de Jure, & injuria, loco prius citato. Unum iis, quæ ibidem dicta sunt, addere juvat, nimirum si in aliquo loco contingeret, ut puellæ sub promissione matrimonii facile seducerentur, melius futurum esse, ut hujusmodi promissiones, forte etiam juramento confirmatæ, nihil ducerentur ab Episcopis. Et vero in aliqua Regni hujus Parochia, ne una quidem ab uno, & amplius sæculo erat puella, quæ nuberet virgo: omnes ad unam nefariis futuri conjugii promissionibus cedebant. Ut crimini imponeretur finis, habita gravi ea de re cum Parocho, & Episcopo deliberatione, conventum est, ut nullius deinceps, quæ decipi voluisset, banna publicarentur, nisi de Episcopi consensu. Vociferatum est, inclamatum, aditi Magistratus sæculares, patres, matres, puellæ potissimum æstuaverunt ira, & querelis: at ubi tandem animadversum est nihil, aut parum, aut ad summum lentissime procedi, refrænata est peccandi libido, & adeo refrænata, ut vix ulla ejus eodem in loco supersint vestigia.

Raptus, est violentia alicujus personæ abductio, causa libidinis explendæ, vel contrahendi cum ea matrimonii. Cum vero definitionem hanc, aut similem, variasque raptus species, ac effectus primarios exposuerim in Tract. de Dispensat. part. 1. c. pauca admodum hic dicenda supersunt; quæ tamen, ne omittantur.

Quæres 1. quale peccatum sit raptus.

R. ra-

R. Raptus grave est luxuriæ crimen; & a cœteris luxuriæ speciebus distinctum. Ratio est, quia raptus opponitur castitati simul, & justitiæ, quam etiam proprio modo impugnat. Opponitur quidem castitati, quia raptor actum venereum exercere intendit, vel extra matrimonium, vel in matrimonio quidem, sed indebite contracto. Opponitur etiam justitiæ, quia violatur jus vel personæ raptæ, vel eorum, sub quorum potestate, ac cura existit. Jus porro aliter læditur in raptu, quam in stupro, adulterio, &c.

Dices: Benjamitæ filias Silo rapuerunt; ut patet ex c. 21. L. Judic. atqui tamen non peccaverunt: ergo raptus non est peccatum.

R. 1. non desunt, qui cum Abulensi credant peccasse Benjamitas; tum quia prædictas virgines sine grandi parentum injuria auferre non potuerunt: tum quia Silonitas efficiebant perjuros, utpote, qui jurassent se filias suas Benjamitis non esse nuptui tradituros.

R. 2. Alii, & melius Benjamitas excusant a raptu. 1. quia egerunt auctoritate publica, & ad bonum commune unius Tribus Israel. 2. quia agebant ex præsumpto parentum consensu, quem hi sine perjurio præbere poterant, cum aliud sit dare nuptui filiam suam, aliud consentire, ut ea maneat penes maritum, cui jam fere sine graviori malo eripi non possit. 3. quia probabilissimum est raptas puellas, ante conjugio suo consensisse, quam ducerentur in uxores.

Quæres 2. an omnis raptus ejusdem sit gravitatis?

R. Negat. Sed is inter fœminarum raptus ordo esse videtur, ut gravissimum peccatum sit raptus Sanctimonialis, deinde ejus, quæ per simplex castitatis votum dicata est Deo postea consanguineæ * vel affinis, conjugatæ demum, virginis, viduæ, & meretricis. Ita Sylvius, qui addit multo plus peccatum iri, si masculus masculum, fœminam fœmina nefariæ libidinis intuitu raparet.

Quæres 3. an raptor sit sponsus, qui uxorem suam primo bimestri de amplectenda religione deliberantem vi abducit, ad consumandum matrimonium.

R. Affirmat. quia vi abducere eam, quæ jure suo utitur, habet rationem raptus. Quæ tamen sic rapta est, poterit adhuc religionem amplecti invito marito, qui aliam, vivente ista, uxorem ducere non poterit.

Quæres 4. quæ constitutæ sint Jure canonico raptoribus pœnæ?

R. Eas haberi in Tridentino Sess. 24. c. 6. de reform. Matrimonii. Prima est, ut *inter raptorem, & raptam quamdiu ipsa in potstate raptoris manserit, nullum* possit *consistere matrimonium*. Secunda, ut *raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant*. Tertia, ut *teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare*.

ARTICULUS TERTIUS.

De Adulterio.

Adulterium est alieni thori violatio, seu illicitus concubitus conjugatorum, utriusque, vel alterius. Hinc adulterium dividitur in simplex, & du-

* Expendent alii an gravius peccaret, qui sororem aut amitam raperet, quam qui puellam simplici castitatis voto ligatam.

duplex. Simplex, est carnalis copula conjugatæ cum soluto, vel solutæ cum conjugato. Duplex, est concubitus conjugati, cum conjugata alterius. Jam quæritur quale sit adulterii peccatum; an ejusdem semper gravitatis, an adulterii nomen sortiri debeat concubitus cum uxore alterius consentientis, &c. Sit

CONCLUSIO I. Adulterium est gravissimum luxuriæ crimen a cœteris specifice distinctum.

Prob. 1. pars ex Scriptura. Prov. 6. *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur*. Job. adulterium vocatur *nefas, & iniquitas maxima, ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*. Quod ergo mirum, si dixerit Apostolus I.Corint. 6. *Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt?*

Prob. 2. Gravitas pœnarum, delicti gravitatem arguit: atqui adulterium gravibus semper obnoxium fuit pœnis, morti scilicet; idque tum Dei, tum etiam hominum judicio: Dei quidem, ut liquet ex Levit. 20. & Deuter. 22. ubi jubentur occidi adulter, & adultera, seu lapidibus obrui, ut colligere est ex Joan. 8. & hominum vero etiam divina lege destitutorum; sic enim de Rebecca Isaaci conjuge ajebat Abimelech Genes. 26. *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur*: sic & Romani adhuc Gentiles capite plectebant adulteros; quæ lex necdum S. Hieronymi tempore desierat. Et vero quot, supreme Deus! Davidis adulterium subsecuta sunt flagella? *Non recedet gladius de domo tua usque in æternum, eo quod despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ*, II. Reg. 12.

Suas etiam adulteris pœnas, easque gravissimas indixit Ecclesia; nempe annorum 25. Pœnitentiam, ut patet ex Can. 38. apud S. Basilium: & Illiberitana Synodus iis, qui sæpius istud flagitium admisissent, Sacramentorum usum interdicebat præterquam in ipso vitæ exitu.

Prob. 2. pars, quia adulter ultra fornicationis crimen Sacramento injuriam facit, lædit compartis jura, officit bono prolis, nocet familiæ, scandala ciet, & querelas, malisque innumeris se se objecit, ut docet omnium temporum experientia.

CONCLUSIO II. Datur adulterium aliud alio gravius.

Prob. tum quia gravius est adulterium duplex, quam simplex; cum istud jus unum illud jura duo violet: tum quia deterius est adulterium conjugatæ cum soluto, quam conjugati cum soluta. Vel enim copula conjugatæ cum soluto generationi nocet, prout non raro fit; & tunc graviter peccatur contra maritum, qui liberis scelestæ orbatur: vel mulierem, tametsi a duobus cognitam, parere contingit; & tunc sæpius incertum est utrius sit proles edita, an mariti, an alterius, unde dubia proles, & forte plus, quam dubia, hæreditatem, ad quam nullum habet jus, cum legitima prole dividit: hæc porro incommoda conjugati, cum soluta copulam non sequuntur. Hinc Deus pemisit quidem olim viro plures habere uxores, nunquam tamen fœminæ duobus viri copulari.

Hinc pro praxi colliges adulterium, tam suam, quam illius, quicum peccavit conditionem in pœnitentiæ tribunali exprimere debete; ut intelligatur duplexne, an simplex adulterium perpetraverit; sicut, qui eodem ictu duos occidit homines, utrumque homicidium confiteri tenetur.

CONCLUSIO III. Adulterium etiam consentiente marito commissum, non desinit veri adulterii rationem habere.

Prob.

Prob. 1. quia ex Apostolo Rom. 7. ad crimen adulterii nihil aliud requiritur, quam accessus ad non suam: *Mulier*, inquit, *vivente viro*, *vocabitur adultera*, *si fuerit cum alio viro*, cui consonat id D. Thomæ ibid. art. 8. *adulterium sicut ipsum nomen sonat*, *est accessus ad alienum thorum*: atqui posito etiam mariti consensu stat, eum qui peccat, accedere ad non suam, &c. ergo stat, eum vere adulterum esse.

Prob. 2. Ibi est veri nominis adulterium, ubi reperitur omne adulterii malum: atqui in eo, qui ad uxorem alterius consentientis accedit, repeniuntur omnia adulterii mala. Triplex enim est adulterii malum; quatenus nocet 1. generationi, aut congruæ educationi prolis. 2. quatenus violat Sacramenti sanctitatem. 3. demum quatenus lædit jus maritale: atqui triplex hoc mali genus habet adulterium de consensu mariti perpetratum. 1. enim nocet vel generationi, vel congruæ prolis educationi. Quis enim per se, & generaliter loquendo, eamdem spuriæ, aut dubiæ prolis curam geret, quam certæ? Nemo sane, nisi metaphysici supponantur casus, qui esse possunt, nec sunt unquam. 2. violant dignitatem Sacramenti, cui maritus quantumcumque velit, renuntiare non potest. Velit enim, aut nolit, vi sacramenti ad individuam vitæ societatem tenetur, consequenter, ad quam, ut ipse carnem suam dividere nequit in plures, si nec ratum habere, ut suam, uxor sua dividat. 3. demum lædit jus maritale. Ideo enim non læderet, quia maritus est volens, & volenti non fit injuria: atqui hæc ratio, quæ multos decepit Casuistas, nullius est momenti; quia reipsa maritus non est volens valide, nec nisi invalide jure suo cedere potest. Totum enim mariti jus in eo fundatur, quo ipse, & uxor sint caro una: ergo non aliud habet jus in uxorem, quam habeat in membra sua: atqui jus hominis in propria membra, eo totum reducitur, ut iis uti possit, non ut de iis possit pro nutu disponere: sicut ergo vere injustus est, qui alii volenti membra abscindit, ita & qui alterius volentis uxore abutitur. Esto igitur maritus, volens, non lædatur; ut persona privata, at certe læditur, ut maritus est, tum uxori suæ, tum & proli consulere. Jure ergo propositionem istam n. 5. reprobavit Innocentius XI. *Copula cum conjugata*, *consentiente marito*, *non est adulterium*; *adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum*.

Neque melius est, quod docuit Caramuel, adulterium scilicet posse in confessione explicari dicendo prius: Commisi simplicem fornicationem; ac deinde post interjecta alia quædam peccata, addendo: Intuli cuidam gravem injuriam tertia persona mihi cooperante. Quasi vero sufficiat injuriam declarare modo generali, qui tam furto, & detractioni conveniat, quam adulterio.

Dices, Augustinus L. 1. de Serm. Dom. in monte, c. 17. dubitavit de peccato Antiochenæ mulieris, quæ ut marito cœteroqui occidendo vitam servaret, de ejusdem consensu alteri se copulaverat: ergo dubitavit, an fornicatio de mariti consensu, esset adulterium.

R. 1. haud licitum esse nunc dubitare de omnibus, quæ Augustinum habuere impeditum. 2. non dubitasse S. Doctorem de peccato, sed de facti veritate; & vero ante hujus historiæ relationem sic loquitur Augustinus: *Certe non est ita existimandum*, quod *hoc fœmina*, *viro permittente*, *facere possit*. Idem loculentissime statuit L. de fide, & operibus c. 7. quin etiamsi S. Doctor dubitasset de peccato, non tam dubitasset, an actio hæc ex rei natura esset mala, quam an non mulier ex simplicitate immunis fuerit a malitia formali adulterii.

Quæres 1. de quibus interrogandi sint adulteri?

R. Præter ea, quæ pro fornicariorum examine superius dicta sunt, interrogandos esse adulteros. 1. an adultera ex illicito coitu conceperit. 2. an proles ex mariti bonis nutriatur, ut legitima. 3. an eadem proles cum legitimis filiis successerit hæreditati sibi indebitæ. 4. an non adulter cum socia criminis substantiam suam, & familiæ bona dilapidet. 5. an non habeat, cum eadem consuetudinem peccandi.

Quæres 2. an ejusdem nequitiæ sit adulterium cum Infideli, ac cum Christiana?

R. Esse minus, quatenus non læditur Sacramentum; posse vero esse gravius, deterrendo Infidelem a conversione sua.

Quæres 3. ad quid teneatur adulter ratione prolis, aut etiam adultera?

R. Id explicatum fuisse in Tractatu de Restitut. ubi supra. Quomodo autem in exteriori foro probetur adulterium, expendunt Canonistæ in tit. 16. L. 5. Decretal. qui est *De adulteriis, & stupro*.

ARTICULUS QUARTUS.

De Incestu.

INcestus, est peccatum luxuriæ, cum persona cognata, vel affine intra gradus prohibitos.

Dicitur 1. *peccatum luxuriæ*, quia non solus concubitus, sed tactus etiam impudici, oscula, & aspectus inter personas consanguineas, aut affines participant rationem incestus, quasi qui induant malitiam actus principalis, ad quem ordinantur. Quamquam incestus a multis definitur: Congressus cum persona cognata, &c.

Dicitur 2. *cum persona cognata*, sive cognata sit cognatione carnali, sive legali, sive demum spirituali; ex ista enim fit, ut crimen, & sacrilegium sit, & incestus dici valeat, ut patet ex c. *6. De cognat. spirit.* & Trident. Sess. 24. de reform. mat. c. *6.*

Dicitur 3. vel affine. Affines vero sunt eæ, quæ quia consanguineæ sunt uni carnaliter cognoscenti alteram, cum ista quamdam propinquitatem contrahunt. Sed de his adeundus est Tractatus noster de Dispensationibus.

Dicitur 4. *intra gradus prohibitos*, seu a natura seu a legibus Ecclesiæ, quales sunt omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis ex matrimonio contractæ usque ad quartum inclusive; affinitatis autem ex copula illicita usque ad secundum.

Quæres an etiam incestus sit copula Confessarii cum ea, cujus confessionem exceperit.

Affirmant aliqui, ob c. omnes 8. xxx. q. 1. ubi ex Sylvestro sic loquitur Symmachus: *Omnes, quos in Pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales*
An. 505. *filii, sicut illi, quos in Baptismo suscipimus*. Sed negant alii plures; nec immerito. 1. quia spiritualis hæc filiatio, prorsus ab iis differt, quæ impedimentum matrimonii pariunt; unde Bonifacius VIII. c. ult. *De cognat. spirit.* declarat, quod *ex datione aliorum*, quam Baptismi, & Confirmationis *Sacramentorum, cognatio spiritualis nequaquam oritur*. 2. quia pœnitentes eo ferme modo sunt spirituales Confessariorum filii, quo eorumdem filii sunt ii, quos prædicatione verbi, & exhortationibus parturiunt in Christo, & a

pec-

peccato revocant ad gratiam: ii porro nonnisi latiori sensu appellari possunt filii spirituales: ergo copula hæc non est incestus, sed quædam sacrilegii species, eo gravior, quod fiat cum persona, quam Confessarius ex officio patris, medici, judicisque a peccato retrahere tenebatur, nedum ad illud allicere. Quapropter circumstantia hæc in confessione necessario aperiri debet, utpote cui fœdior quædam, & horrenda magis deformitas inexistat.

Erit autem adhuc gravius peccatum. 1. si Episcopus aut Parochus ad crimen adducat; quia utrique specialior incumbit cura spiritualem ovium suarum perniciem avertendi. Hinc Cœlestinus c. 10. 30. q. 1. *Si forte contigerit*, ut prædicti pœnitentibus suis abutantur, *pœniteat Episcopus 15. annos, Præsbyter 12. & deponatur: si tamen in conscientiam populi devenerit*. Quin & Symmachus cit. c. 8. sanxit, ut *si quis hoc scelus perpetraverit, non solum dignitatis honorem amittat, verum etiam usque ad exitum vitæ suæ, jugo pœnitentiæ se subdat*. Et vero ut ex Panormitano notat Fevret. Tract. de Abusu lib. 8. c. 2. n. 13. *Cum Ecclesiæ rector, illi matrimonio spirituali junctus sit, ipsius maritus est, atque ideo dum mulieri quamvis liberæ miscetur, adulter est*. Quin, ut addit idem Fevret. ex Canonistarum sensu, Præsbyteri, vel Clerici in sacris, plus peccant fornicando, quam uxoratus adulterando.

2. Si Confessarius, quisquis ille sit, sollicitet in ipsa confessione, aut occasione vel prætextu illius: puta, si ad turpia eam inducat, cujus fragilitatem ex ipsa confessione habet compertam; aut si eam crebro invisat, specie quidem quasi spiritualem ipsius animæ curam habiturus, reipsa autem, ut pudori ejus insidias struens. Ratio est, quia in his casibus, salubre Christi Sacramentum, aut saltem pietatis larva assumuntur instar medii ad peccatum.

Hic notand. 1. disciplinam Parisiensis Ecclesiæ circa peccata pœnitentem inter, & Confessarium, his nunc exprimi verbis: Reservatur D. Archiepisc. *concubitus Confessarii cum pœnitente, & pœnitentis cum Confessario ∴ Item Parochi cum parochiana, & parochianæ cum Parocho ∴ Sacerdoti conscio cujuscumque tactus impudici adimitur ipso facto omnimoda facultas audiendi umquam confessionem ejus, cum quo, aut qua crimen admisit, ipsum, aut ipsam absolvendi sub quovis prætextu, etiam tempore Jubilæi*. Ubi nomine tactus impudici ille solum intelligitur, qui peccatum sit lethale; cum species quædam gravissimæ suspensionis leves ob causas non infligatur; & hoc indicat nomen *criminis*, quo utitur Illustr. Archiepiscopus. In hac tamen materia quandoque pro levi habetur, quod grave est; unde vel ipsam mali speciem caute effugere debet Confessarius Deum timens, & famæ suæ studiosus. Hinc docent Lamet, & Fromageau V. *Baiser*, pœnitentem, quam Confessarius cum ab ea invisebatur, osculo salutabat, non debere deinceps sua apud eum peccata deponere; quia etsi erat vir bonæ frugis, quamdam nihilominus sui suscipionem invehebat; seque, & pœnitentem pravi consensus periculo exponebat. Addunt iidem V. *Confesseur*, cas. 3. seclusa Diœceseon lege, Confessarium, qui pœnitentem tetigerit minus pudice, aut ab eadem pari modo tactus fuerit, nunquam extra casum magnæ necessitatis eamdem audire posse in tribunali.

Not. 2. pœnitentem aliquando teneri, tum ex vi Constitutionis Gregorii XV. tum ex vi juris naturalis, ad denuntiandum Ordinario infamem Confessarium, qui confessionis occasione utitur, ut suos, suasve pœnitentes ad turpia sollicitet. Verum hic multiplici opus est prudentia, præsertim in iis, qui denuntiationem recipiunt, aut consulunt, prout obi-

ter

ter monui in Tract. de Charitate. Cæterum damnata est ab Alexandro VII. propositio sequens : *Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus*. Vide Pontas v. *Confesseur* 2. cas. 17. ubi docet, & necessarium esse aliquando ut pœnitens Confessarium sollicitatorem denuntiet ; & ei tamen, si denuntiare nolit, non esse negandam absolutionem ; quæ duo secum invicem conciliari vix possunt.

Quæres 2. an crimen sodomiæ, contrahat malitiam incestus in iisdem gradibus, in quibus eam contrahit fornicatio.

R. Affirmat. contra Sanchem. Ratio est, quia in quolibet horumce graduum læditur reverentia cognatis, aut affinibus debita, vel jure naturæ, vel saltem Ecclesiæ præcepto. Et vero apud fideles omnes unanimi quodam sensu receptum est, ut non diversi solum, sed & ejusdem sexus personæ spectentur tanquam affines; ergo quidquid eæ inter se contra castitatem admittunt, participat naturam incestus.

Jam duo hic inquiruntur, quale peccatum sit incestus ; 2. an incestus quilibet ejusdem sit speciei. Sit

CONCLUSIO I. Incestus gravissimum est crimen.

Prob. 1. ex Levit. 20. ubi diversis incestuosorum gradibus mortis pœna constituitur, quia *scelus, nefas, turpitudinem, rem nefariam* operati sunt. Accedit gravis pœna ab Apostolo lata in incestuosum Corinthium, qui satanæ traditus est *in interitum carnis*. 1. Cor. 5.

Prob. 2. ex S. Augustino, qui Lib. de adulterin. conjug. ait : *Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu: pejus est enim cum matre, quam cum aliena uxore concumbere*.

Prob. 3. quia ut hic art. 9. disserit S. Thomas, *naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo trahunt originem; in tantum, quod apud antiquos, ut Valerius Maxim. refert, non erat fas filium cum patre balneari, ne se invicem conspicerent*: atqui *manifestum est, quod in actibus venereis maxime consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria*; *unde de his homines verecundantur*; ergo *incongruum est, quod commixtio venerea fiat talium personarum*. Atque hoc, belluas quasdam, vel ipsa natura docuit: unde narrat Aristoteles Lib. 9. Hist. animal. cap. 47. camellum, qui ex stabularii fraude coierat cum matre sua, deceptorem suum interfecisse; equum vero pari arte delusum, ex alto jactasse se in præcipitium.

CONCLUSIO II. Datur incestus alio gravior ; unde in confessione exprimendum est, quo in gradu peccatum fuerit.

Prob. quia incestus cum matre gravior est, quam cum filia ; incestus cum filia, gravior, quam cum sorore ; incestus cum sorore, gravior, quam cum consobrina, incestus cum noverca, gravior, quam cum uxore fratris : uno verbo gravior est incestus, quo propinquior est consanguinitatis vel affinitatis violatæ gradus. Quin etsi censent aliqui necessum non esse ut exprimatur tertius, aut quartus gradus consanguinitatis, vel affinitatis, satius est tamen, quia multo tutius, eos gradus non reticeri ; quia ad minus incertum est, an non ii gradus sint circumstantiæ notabiliter aggravantes.

Obj. Ideo necessum foret incestus gradum confiteri, quia diversi incestus diversæ essent speciei: atqui id falsum est, tum ex S. Thoma ibid. tum quia peccata ex eodem motivo, & fine prohibita, non differunt

penes

penes speciem: atqui incestus omnes nonnisi ex iisdem motivo, & fine prohibentur, nempe ob reverentiam, quam certæ personæ sibi invicem debent, seu ex natura rei, seu ex Ecclesiæ præcepto: ergo.

R. 1. neg. maj. Sive enim incestus omnes ejusdem sint speciei, sive non, constat eorum aliquos tantam ex circumstantia propinquioris gradus habere deformitatem, ut inde peccatum insigniter aggravetur; quod sufficit, ut ille gradus in confessione debeat aperiri.

R. 2. neg. min. cum pluribus, qui a B. Thoma dissentiunt. Et quidem 1. admodum probabile est, incestum cum consanguinea differre penes speciem ab incestu cum affine; quia reverentia consanguineis debita, non est ejusdem rationis, quam quæ debita est affinibus. Hæc enim solum nititur copula, quam quis consanguineorum meorum habuit cum aliqua; illa vero fundatur in ejusdem sanguinis unitate, & pari descensu ab eodem stipite; 2. specie etiam distingui videtur incestus cum hac consanguinea, v. g. cum matre, ab incestu cum sorore, imo & cum filia, sicut specie differt matris occisio, ab occisione sororis, vel filiæ. Et vero, qui ad matrem accedit, violat rationem principii, eamque inferioritatem, qua filius genitrici suæ subjacet &c.

Quæres, quas incurrat pœnas, qui cum uxoris suæ consanguinea incestum admisit.

R. Eum, si incestum in primo, aut secundo gradu consummaverit, non posse jam sine peccato mortali petere debitum, nisi antea dispensationem obtinuerit. Ratio est, quia gravem transgreditur Ecclesiæ legem, latam cap. 1. *De eo, qui cognovit*, &c. Ab hac pœna hodie dispensant Episcopi, forte ob casus frequentiam, forte ob periculum, quod pateret mora ad Romanum Pontificem recurrendi.

An autem dispensare hoc in puncto possint hodiedum Mendicantes, controvertitur. Affirmat Henno ut probabilius, eos id etiamnum posse; non quidem vi concessionis, vivæ vocis oraculo a Pio V. factæ, (cum omnia vivæ vocis privilegia revocaverit Urbanus VIII.) sed vi privilegii a Julio II. Benedictinis Congregationis Vallisoletanæ concessi, & per communicationem privilegiorum ad Mendicantes extensi. Ad id tamen requirit idem Scriptor, 1. ut Religiosi a Provinciali suo specialiter ad hoc deputentur; 2. ut non alibi, quam in domibus, & Ecclesiis Ordinis, & quidem in ipso pœnitentiæ tribunali dispensent. De his, penes eos, quorum interest, esto judicium.

ARTICULUS QUINTUS.

De Sacrilegio.

Sacrilegium sumptum, ut hic sumitur pro luxuria sacrilega, definitur peccatum venereum, quo res aut persona sacra violatur.

Quod spectat ad sacrilegium ratione rei sacræ, censetur istud committere quisquis in loco sacro actum quemlibet venereum exercet. Locus autem sacer hic intelligitur Ecclesia sive consecrata, sive simpliciter benedicta, & sacro cultui deputata; item Cœmeteria, & Capellæ, Episcopi auctoritate ad cultum Dei deputatæ. Ecclesiæ vero constructæ, sed nondum benedictæ; Monasteria quoque, dormitoria, vel cubicula Religiosorum, non sunt locus sacer ad effectum constituendi illius, de quo tunc loquimur, sacrilegii. Idem est, juxta Sanchem lib. 9. disp. 15. n. 26. & seq.

1. de

1. de spelunca constructa sub Ecclesia, nisi hæc destinata sit ad sepulturam fidelium; 2. de turri ubi collocantur Ecclesiæ tintinnabula; 3. de oratoriis sine Episcopi auctoritate erectis; ac etiam de locis illis, quæ neque sunt benedicta, neque divino cultui mancipata, tametsi ex Episcopi licentia interdum ibi celebretur. Ita & Sylvius ead. q. 154. art. 10.

Ego quidem facile cum his aliisque passim auctoribus crediderim non pollui Ecclesiam, si quis, vel supra tectum ejus, vel extra lineam, quam attingunt valvæ cum occluduntur, fornicationem, aut homicidium commiserit: sed difficile credam, crimen ipso templi limine, & quasi sub oculis Christi admissum, non esse deterius eo, quod alibi perpetraretur. Certe, qui sub ipsa Regis fenestra tale quid moliretur, gravius vapularet. Unde, si quis eo usque deliret, ut in tali loco delinquat, ad minus suadebo, ut circumstantiam hanc aperiat, eumque graviori mulctandum pœnitentia censebo.

An circumstantia loci sacri explicanda sit in quocumque luxuriæ peccato, non convenit inter Theologos. Negat Sylvius ibid. si solum sermo fit de verbis, & aspectibus; modo, inquit, neque fuerit pollutio, neque ejus periculum. Aliter sentit de tactibus impudicis, quia hi proxime ad mollitiem disponunt. Diximus nos in Tractatu de Peccatis multo tutius esse, ut qui mortale quodcumque peccatum in loco sacro commiserit, circumstantiam hanc explicet. Sit jam de sacrilegio ratione personæ

Conclusio. Sacrilegium ratione personæ, est peccatum grave, & eo gravius, quo magis Deo dicata est persona, quæ castitatem lædit, & inhonestior actio, qua se inquinat.

Prob. 1. quia si fornicatio Christiani præcise, qua talis, sit crimen adeo fœdum, ut *membra Christi* faciat *membra meretricis*; prout nervose loquitur Apostolus 1. Cor. 6. quanto deterior erit culpa illius, qui consecrationem suam irritam duxerit, & impie violaverit. Senserunt id vel Ethnici, qui Vestales suas, licet infamibus diis mancipatas, lenta, & crudeli morte, si quando pudicitiam temerassent, conficiebant. Quod ergo ad fideles omnes dicit Apostolus Eph. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*, majorem in Clericis sacris locum habere debet.

Prob. 2. ex gravibus pœnis, quæ adversus Clericos sacrilegii reos olim, tum a summis Pontificibus, tum a Conciliis sancitæ sunt. *Qui post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit*, ait S. Gregorius Lib. 3. Ep. 26. *sacro Ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat*. Consonat id Synodi III. Aurelianensis, c. 7. *Si quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessa, in Monasterio, toto vitæ suæ tempore detrudatur*. Legatur ea de re eximia S. Gregorii Epistola ad Lucensem Episcopum, ubi præcipitur, ut Præsbyter pro crimine lapsus sui, a Sacerdotii ordine dejectus, si ministerium suum exercere præsumpserit, sacra Communione privatus in pœnitentiam redigatur, *ita ut usque ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat*. Vide Gratian. dist. 50. Canon. 9. 10. & 11. & dist. 81. passim.

Prob. 2. pars, quia eo gravior est injuria Deo illata, quo gravior est ejusdem injuriæ materia, & gravius prohibita: atqui sodomiæ v. g. materies, gravior est, quam adulterii, & hæc gravior est, quam fornicationis: aliunde hæc gravius prohibita est Sacerdoti, quam Diacono, Religioso professo, quam sæculari personæ, quæ se simplici tantum voto constrinxerit: ergo.

Hinc,

Hinc, ut rite detegatur sacrilegii culpa, & gradus, aperire debet pœnitens voto ligatus, 1. an seipsum fœdaverit cogitationibus, desideriis, aspectibus, tactibusve impudicis; 2. an non idem fecerit in persona alterius, & an ea persona pari voto ligaretur, necne; 3. an simile quid passus sit ab alio, & quis ille sit. Unde etiam persona minime sacra aperire debet, an non relative ad personam sacram deliquerit. Imo, si quis solum permiserit se minus caste a persona sacra tangi, ad id exponendum tenetur; quia specialiorem Deo injuriam facit, qui manibus eidem specialiter consecratis sese tangi, ac fœdari patitur.

At sufficitne, ut qui castitatem solemniter professus est, dicat se fecisse contra votum? Non sufficit, ait Sylvius ibid. pag. 838. sed exprimenda est solemnis voti circumstantia; cum hæc, vel peccati speciem mutet, vel peccatum aggravet notabiliter.

Si quis tamen peccet contra votum, quod pluries renovaverit, necesse non est ut hanc iterati pluries voti circumstantiam aperiat; cum hæc delictum non aggravet ex communi seniorum Theologorum sensu; quia, qui rem semel Deo deliberate promisit, non minus eam debet, quam qui millies: nec plus, qui millies, quam qui semel.

Ergo, inquies, qui Religiosus simul, & Sacerdos fornicatus est, non admittit duplex sacrilegium; unde ei proinde satis erit, si alterutram conditionem confiteatur.

R. id quidem ab aliquibus admitti; quia, inquiunt, nulla est specifica peccatorum diversitas, cum impugnatur eadem virtus, eodemque motivo præcepta: porro Religiosus, qui est in sacris, eamdem solum virtutem impugnat fornicando, nempe castitatem; & hæc non alio præcipitur motivo Sacerdoti, quam Religioso: ergo perinde se habet, ac si idem votum bis emissum transgrederetur. Ita fere Sanchez lib. 7. disp. 27. n. 28.

Quia tamen idem Theologus fatetur probabile esse utriusque circumstantiæ declarationem requiri; & reipsa Sacerdos simul, & Monachus duplicem violat consecrationem ratione sui maxime diversam, duplicemque virtutis districtius amplectendæ titulum, ideo Sanchesii opinio non est practice tenenda. Unde etiam ei, qui contra castitatem deliquerit, explicandum est, an sit Episcopus, an Sacerdos, an Diaconus. Immo, si quis post emissum simplex castitatis votum, solemne ejusdem virtutis votum emittat, utrumque declarari velit: quia licet solemne votum supponatur non differre essentialiter a voto simplici, addit tamen circumstantiam status religiosi notabilissime aggravantem, ut agnoscit idem Sanchez. Adde; quod in dubio ad Sacramenta pertinente pars tutior necessario sit amplectenda: & ita sentit Sylvius in eumd. art. 10. Favet Henno p. 385. etiam dum stat pro contraria opinione.

Quæres, an sacris initiatus, qui laicæ personæ consuluit ut in se, vel in alio impudici quidpiam exerceret, debeat confiteri se esse in sacris.

Negat Henno, quia, inquit, talis non vovit castitatem alienam, sed propriam. Verum ratio hæc mera est, & misera subtilitas. Propriam enim castitatem lædit, qui approbat aliquid impudici: sed, qui actionem veneream consulit, ad minus formaliter, & expresse approbat aliquid impudici; sicut, qui consulit homicidium, ad minus idem homicidium approbat; ergo actio illa non est quidem sacrilega ex parte laici, qui eamdem in se, vel in alio laico exercet; est tamen sacrilega ex parte Ministri sacri, qui eamdem consulit: vel, si mavis, actio est solum impudica; consilium

vero

vero sacrilegum. Atque hinc sacrilegii reæ sunt Moniales, quæ pectoris venustatem laudantes in Pensionariis suis, easdem ad nuditatem scandalosam, in quam junior sexus de se satis propendet, accendunt.

Quæres iterum, an qui in sacris, & alba indutus impudici quidpiam perpetrat, duplex committat sacrilegium?

R. Affirmat. quia gravem ornamentis benedictis, & ad sacrificium, ejusve ministerium consecratis injuriam facit. Aliud est, juxta communiorem, quam alibi amplexi sumus sententiam, si quis reliquias gerens peccet, nisi, quod rarum est, in earumdem contemptum delinquat.

ARTICULUS SEXTUS.

De peccatis contra naturam.

ETsi peccatum omne est contra naturam hoc sensu, quod rectæ rationis dictamini adversatur; ea tamen præcipue scelera contra naturam esse dicuntur, quæ repugnant ordini a natura præscripto ad humani generis propagationem. Is autem ordo exigit 1. ut duo commisceantur, contra quod facit pollutio; 2. ut iidem ejusdem sint naturæ, contra quod facit bestialitas; 3. ut sint diversi sexus, contra quod est sodomia; 4. ut in vase debito conveniant, & eum vitent coeundi modum, qui generationem impedire queat, contra quod rursus facit concubitus sodomiticus, & is, in quo maritus succumberet. De his omnibus dicenti, & legenti ea, adsis, enixe precor, o Deus.

SECTIO PRIMA.

De Mollitie.

MOllities seu incontinentia secreta, quæ passim, & minus caste dicitur pollutio, est Voluntaria seminis ejaculatio extra concubitum.

Dicitur 1. *ejaculatio*, seu emissio cum impetu facta, & sic distinguitur a distillatione seminis, quæ sensim sine sensu contingit ratione sui, licet aliquando annexos habeat turpes motus.

Dicitur 2. *voluntaria*, scilicet in se vel causa; alioqui enim nec culpabilis esset, nec proprie pertineret ad actum venereum, de quo loquimur.

Dicitur 3. *seminis*, & sic rursum distinguitur a distillatione, in qua labitur, & excidit humor quidam, semen inter, & urinam medius, aquosior, & fluidior semine, aqua glutinosior. Ita Sanchez Lib. 9. disp. 45.

Dicitur 4. *extra concubitum*, non autem necessario extra vas generationi destinatum: quia muliebris pollutio in ipso vase absque externo fluxu perfici potest, nec consummatur extra, nisi raro, & per motus admodum violentos. Habet quidem sexus fluxum aliquem non absimilem distillationi, sed is ut plurimum est sine ullo delectationis sensu: & id advertere debent Confessarii, alias mollitiem suspicaturi ubi non sit, non suspicaturi autem ubi sit plenissime.

Jam tria quæruntur, 1. an, & quale peccatum sit mollities; 2. an, & quando poni possit actio, ex qua eadem secutura prævidetur; 3. an licitum sit eamdem desiderare, aut de ea sub aliquo respectu lætari. Sit

CONCLUSIO I. Mollities est peccatum mortale ex natura rei.

Prob.

Prob. 1. pars ex Apostolo 1. Corinth. 6. ubi sic: *Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt*. Et vero actio Onam, qui semen fundebat in terram, dicitur res detestabilis, Genes. 38.

Prob. 2. pars: 1. ex censura hujus propositionis, quæ inter damnatas ab Innocentio XI. est n. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*.

2. Ideo mendacium est contra naturam, quia est contra finem, ad quem instituta est loquela: atqui pariter mollities est contra finem, ad quem institutum est semen humanum; is enim finis non est alius, quam humanæ speciei conservatio: ergo, qui semen disperdit, eodem utitur contra finem a natura intentum; & sic de re, quæ Dei dominio subest, contra ipsius Dei voluntatem disponit. Ita ferme S.Th.q. 15. de malo, art.1. Atque hinc sequitur, quod docet idem S. Doct. aliique passim, mollitiem esse, quid pejus fornicatione.

3. Actus, in quo ratio sensibus voluntarie, & turpiter subditur, repugnat naturæ, quæ animam sensibus imperare præcipit: atqui in mollitie ratio sensibus voluntarie subditur, & admodum turpiter; prout fuse probat Doct. Aug. 2. 2. q. 153. art. 5. ubi intellectum, & voluntatem luxuria insigniter debilitari, & deordinari ostendit. Atque id efficaciter ostendunt exempla, tum senum, qui *exarserunt in concupiscentiam ejus*, Susannæ, *& everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum*, Dan. 13. tum Salomonis, cujus, *cum jam esset senex, depravatum est cor per mulieres*, in tantum, *ut sequeretur Deos alienos*. Ibi quidem sermo est de fornicatione; sed quis nesciat juvenes ad eam mollitiem deduci?

Confirm. Actio, quæ de se proximo peccandi periculo exponit, est de se peccatum: atqui mollities de se exponit ... exponit enim periculo conquiescendi in vehementi ea delectatione, quæ mollitiem comitatur; unde exponit etiam periculo prodigendi seminis in fornicatione, adulterio, & similibus, prout docet experientia: ergo &c. Ita Sanchez L. 9. disp. 17. n. 16.

4. Si mollities naturali jure prohibita non sit, Gentiles destituti positiva Dei lege hoc crimen vetante, nihil fecissent mali corpus suum polluendo: atqui tam falsum, quam horribile consequens; ut patet ex hoc distichon, quo Martialis poeta cœteroqui minime scrupulosus, Ponticum quemdam tetri hujus sceleris mancipium perstringit:

Ipsam credere tibi naturam dicere verum,
Istud, quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

At, inquies, ipsa conjugum copula rationem subdit sensibus, nec tamen peccatum est.

R. 1. conjugalem actum sæpius a culpa non esse immunem; ut supra diximus.

R. 2. evidentia compertum esse rationem non hebetari in iis, qui intra justos limites matrimonio utuntur; & vero Deus conjugii auctor debuit providentia sua efficere, ne ex eo orirentur pravi affectus; & id præstat conferendo, præsertim per matrimonii Sacramentum, auxilia quibus conjugalis amor intra virtutis metas facile possit contineri. Ita Dominicus Viva S. J. in Libro cui titulus: *Damnatæ theses*, &c.

Hinc colliges 1. ne mortuis quidem vitandæ causa licitum esse vel minimam mollitiem sibi procurare. Unde, qui tali situ, v. g. supinus recubat, quive plura aut calidiora bibit vel manducat, eo fine ut etiam in somnis sequatur seminis effusio, reus est mollitiei, etiamsi præcise intendat corporis levamen, ut anima ad obsequium Dei promptior sit, & expeditior.

Col-

Colliges 2. non licere importunos carnis pruritus sedare verenda defricando, si ex ea actione immineat periculum pollutionis: quia confricatio hæc esset directa mali hujus causa. Quapropter patienti animo toleranda est infirmitas illa, & revocandum in mentem momentaneum, & reipsa leve castitatis martyrium, æternum gloriæ pondus operari in nobis.

Colliges 3. non licere tactu, instrumento, aut fricationibus expellere semen corruptum; quia actiones eæ de se ad veri seminis epulsionem provocant. Unde quamvis licitum sit medicamentis, si quæ sint idonea, corruptum semen abigere, sicut fœtum certo mortuum expellere licet; haud tamen unquam licitum est, semen illud expellere ope ejaculationis; quidquid dicant, aut dicere videantur Casuistæ plures, quos turgide citat Amadæus Guimenius p. 22. & ratio est, quia, ut etiam a Medicis didici, semen corruptum, cum sit pars mortua, de se est immobile; ac proinde nonnisi ad motum, & impulsum seminis vivi moveri potest; unde fit, ut ejectio corrupti incipiat ab ejectione vivi, ac proinde a vera mollitie.

Colliges 4. cum Sanchez ibid. n. 17. non licere cooperari ad seminis jam e lumbis decisi effusionem, quamvis ejus retentio grave corporis saluti detrimentum allatura sit. Ratio est, quia ad rem de se malam cooperari non licet. Et quamvis doceat Gerso in speciali ea de re tractatu, licitum esse haud impedire mollitiem, quæ cœpit in somnis, & quæ cum expergiscitur homo, jam est in naturali fluxu: mihi tamen opinio hæc videtur absolute falsa; tum quia debet quis, quantum potest impedire ne malum hoc, quod involuntarie cœpit, de suo consensu perficiatur; tum quia vix fieri potest, ut qui in hoc eventu tranquillus manet, nonnihil delectationi carneæ indulgeat. Haud tamen tactu coerceri velim impetum carnis, sed ardenti ad Deum clamore, invocatione B. Virginis, crucis signo; item frigidiorem lecti partem inquirendo; aut e cubili media etiam hieme foras ad modicum tempus prosiliendo.

Colliges 5. aliquando contingere, ut plus, vel minus peccet, qui fluentis seminis tempore evigilat, *si* nempe *pollutio propter delectationem placeat. Quod quidem erit veniale peccatum, si fit ex subreptione talis placentiæ*, aut sentiatur a semidormiente; *mortale autem, si fit cum deliberato consensu, & præcipue cum appetitu futuri*. Ita S. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. & S. Antoninus ubi infra.

Quæres an omnis pollutio ejusdem sit gravitatis.

R. negat. & id advertere debent Confessarii: 1. etenim gravior est, quæ aliena manu concitatur, quia tunc duplex intervenit noxa, tua scilicet, & alterius, quem ad idem scelus inducis, & forte ante nescium tantæ pravitatis; 2. quia, quæ fit cum cogitatione personæ consanguineæ, sacræ, vel conjugatæ, &c. participat malitiam incestus, sacrilegii, adulterii, &c. 3. quia gravior est mollities conjugati, quam soluti, quia per primam violatur fides conjugalis, exigens, ut conjugum alter alteri corpus suum caste conservet. Censet tamen Ethica amoris mollitiem hominis alterius manu procuratam non distingui penes speciem ab ea, quæ vel propria, vel mulieris manu producitur, nisi prior ad sodomiam ordinetur, quod raro fit; posterior vero ad fornicationem, quod multo facilius evenire potest.

Quæres iterum, an mollitiei malitia invincibiliter ignorari possit.

R. vix id posse supponi, & multo minus apud Christianos: unde, qui peccata sua pluries confessus, crimen hoc reticuisset, & causaretur se id

ex

ex ignorantia fecisse, ad iterandas confessiones indubie teneretur: nisi fingantur hypotheses, quæ nusquam forte fuerunt a parte rei.

Conclusio II. Mollities, quam quis patitur etiam invitus, toties, & tunc dumtaxat est peccatum, quoties procedit ex causa, quæ vitari potuit, & debuit tanquam hujus effectus productiva.

Prob.1.pars. Mollities, ut & alia quælibet actio de se mala, toties peccatum est, quoties voluntaria est in se, vel in causa: atqui toties, & tunc tantum voluntaria est in causa, quoties causa hæc vitari potuit, & debuit: ergo.

Hinc, qui vacat rei ex natura sua malæ, turpi, & quæ de se ad mollitiem notabiliter disponit, ut sunt tactus obscœni, aspectus turpes, amplexus, cogitationes morosæ, desideria, lectiones, locutiones, & alia, quæ graviter impudica sint, reus est mollitiei subsequentis; quia hæc ex natura rei graviter, & directe tendunt ad excitandos venereos motus, & miserias, quæ inde sequi consueverunt, non quidem semper hic & nunc, sed aliquanto post, & saltem in somno. Quin, & dici potest pollutionis, etiamsi forte non sequatur, malitiam prædictis actibus semper annexam esse; quoties nimirum prævideri potuit, ut fere semper potest, mollitiem inde sequi posse.

Quod si causa etiam in genere luxuriæ mala, nonnisi venialiter mala sit, leviterque solum ac remote influat in mollitiem, *verius videtur*, ait Sylvius ibid. art. XI. concl. 2. *quod quis non teneatur abstinere ab illa causa sub peccato mortali, quodque pollutio inde contra voluntatem proveniens, solum sit peccatum veniale; quia non est voluntaria, nisi leviter, & imperfecte.* Favet S. Antoninus 2. part. tit. *6.* c. 5. pag. mihi 248. his verbis: *Si quis comedit nimis, vel nimis calida, ex quo dubitat sibi ex hoc sequi pollutionem in somnis, quia alias expertus est hujusmodi, non tamen propter hoc illa sumit, sed ut satisfaciat gulæ, non propter hoc est mortale.* Ubi pondera S. Doctorem loqui de pollutione non quacumque, sed *in somnis*; eaque non certo futura, sed utcumque dubia. Alioqui enim si hæc extra somnum contingeret, jam actio tametsi de se levis, mortalem haberet culpam relative ad eum, in quo tam infelicem effectum pareret. Quin, si eadem illusio etiam extra vigiliam certo secutura esset ex causa venialiter mala, mihi dubium esset, an res vacaret a gravi peccato: quapropter serio juberem a tali causa abstineri, extra casum alicujus necessitatis: unde omnem caffei usum prohibui cuidam personæ, quæ moraliter talem ex eo effectum expectabat. *Vide, quæ dixi in Tract. de Peccat. part.1. cap.4. & seq.*

Quod *si*, ait Sylvius eodem art. 11. *causam quidem præcognoscas, & possis vitare, sed non tenearis; pollutio inde subsequens non tibi imputabitur, modo nullum sit periculum consensus, quia per accidens, & præter voluntatem accidit ex miseria naturæ per peccatum corruptæ. Non teneris autem causam vitare, quando est, aut necessaria, aut utilis, aut honesta, tuoque statui consentanea. Ita excusantur illi, qui præter voluntatem patiuntur pollutionem confessiones audiendo, turpia propter studium legendo, vel ea ad dandum consilium audiendo.* Chirurgi item, Medici, Infirmarii, qui ex officio impudica tangere tenentur, vel intueri; milites, sive qui negotiorum causa (addit Henno, & causa recreationis honestæ, quod non ita admiserim) ex equi motu ad mollitiem excitantur, ii demum, qui in tali situ non inverecundo recubant; alias non dormituri.

Hæc *communis Doctorum passim omnium doctrina est*, ait Henricus a S.Ignat. L.1. n.40. *solusque, quem viderim Irenæus a S.Jacobo ea in re præ cæteris scrupulizat, summam requirendo necessitatem non prætermittendi causam, ex qua certo moraliter secutura prævidetur pollutio. Cur enim, inquit, alioqui con-*

fessiones fœminarum audias, cum tanta sit aliorum copia, qui absque tanto audiant prœjudicio; Cur æque non abstineas, cum ire possis pedibus, &c.

Mihi quidem multopere placeret hæc citati Irenæi doctrina, quæ jam pridem animis meis se obtulerat: sed ne, & ipse quoque *scrupulizem*, adhærebo *communi Doctorum passim omnium doctrinæ*, dicamque cum eis, *quod licet effectus proxime dicti*, pollutio scilicet, aut venerei motus, *indirecte voluntarii censeantur, absque justa necessitate, vel utilitate ponenti, vel positam non auferenti causam eorum*: *secus* tamen se res habeat, *si eam ponat vel non auferat ex justa causa, vel utilitate, dummodo periculum absit consensus*. Ita idem Henricus a S. Ignatio, quicum tamen animadverti velim *discernendum esse inter motuum* turpium, *causas, & causas, videndumque an per se, & propinque eorum sint excitativæ, an per accidens, & remote dumtaxat*.

Per se, & propinque excitativæ censentur, quæ in hoc corruptæ naturæ statu, eam habent turpitudinis speciem, ut per se ad luxuriam spectarent, nisi propriæ vel alienæ necessitatis titulo honestarentur, ut aspectus, & tactus partium inhonestarum, præsertim alterius sexus. Remote vero, & per accidens, quæ per se eam non habent turpitudinis speciem, sed vel per se honestæ sunt, ut confessiones audire, vel indifferentes, ut cibis vesci calidioribus in communi usu apponi solitis.

Quod si sermo sit de causis solum remote, & per accidens excitativis, Doctores honestam sufficere ajunt utilitatem, ad hoc ut homo non teneatur motuum illorum, seu etiam pollutionis causas remotas prætermittere ad effectus illos impediendos, dummodo effectus illi, nec quærantur, antequam adsint, nec amentur, cum adsunt: tametsi homines spirituales, perfectique amatores castitatis, consulto cum aliquo incommodo suo ab iis, dum necessariæ non sunt, abstineant, ut effectus illos devitent. Si autem sermo sit de causis per se, & propinque natis illos excitare, tanto gravior esse debet necessitas non prætermittendi ejusmodi causas, quanto graviores motus natæ sunt excitare. Et ideo mortifere peccat Chirurgus absque gravi necessitate tangens, vel aspiciens secretiora fœminæ. Hactenus Ethica amoris.

Dices, qui vult causam, vult in ipsa effectum: atqui Confessarius, qui ex audita mulieris confessione, mollitem suam prævidet, vult ejusdem causam: ergo.

R. dist. maj. Qui vult causam culpabiliter, vult effectum, idque magis, aut minus culpabiliter, ut dicam infra, C. qui vult causam inculpabiliter, N. Itaque, qui vult culpabiliter causam, censetur & effectum velle; sic qui ad iram celer, & arrectus vult ebrietatem, judicatur velle homicidium in ea forte perpetrandum: sed qui legitimam habet rationem volendi causam de se honestam, non censetur velle, sed solum permittere effectum ex ea sequentem: sic Princeps, qui turrim hostilem dejicit, aut urbem ferventibus glandibus verberat, immunis est ab innocentium morte, tametsi hæc actioni suæ, quasi necessario annexa sit. Atque id docuit S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. his verbis: *Quando causa duos habet effectus, unum bonum, & alterum malum, poni potest ex intentione solius effectus boni*, non volendo, sed *solum permissive se habendo ad effectum malum*. Modo tamen. 1. causa non sit de se mala; unde non licet te, vel infantulum projicere in flumen, unde neuter emergere possit, ad conferendum ei baptisma, etsi alias sine baptismo decessurus sit. Modo item 2. pravi effectus malitia non superet bonitatem boni effectus; neque enim licebit incendere silvam, ubi una cum lupo rapace exurendus sit homo.

Hic

Hic obiter animadvertendum, quidquid de mollitiei causis diximus, ob paritatem rationis applicandum esse causis, quæ pariunt vehementes motus in partibus venereis. Quod autem ad distillationem spectat, *hæc*, ait Gerso, *aliquando per se diffluit sine cogitatione, & sensu; quandoque vero fit cum delectatione, & pruritu .·. ex levioribus causis, ac majori facilitate movetur ad exitum, quam seminalis humor, præsertim in mulieribus, adeo quod ex levissimo motu corporis absque aliqua cogitatione, & absque sensu proveniat: ex effectu autem percipitur per sordidationem viscosam in carne, & pannis*. Si distillationi annexa sit delectatio, & rebellio carnis, non licet in eo voluptatis sensu, utpote libidinoso, seu ex spirituum venereorum commotione exorto, sibi complacere, & multo minus eumdem promovere. Si vero sine delectatione, carnisque rebellione contingat, mens timorata de eo anxiari non debet, ait post Cajetanum, aliosque Doctores Ethica amoris num. 173. cavendum tamen ne ei detur occasio per amiciora colloquia, aliaque id genus, quæ eam parere nata sunt: tunc enim non vacaret ab omni culpa. Imo juxta Sanchem Lib. 9. disp. 45. n. 32. & disp. 17. n. 18. quoties est peccatum mortale dare causam pollutioni prævisæ, non removendo causas notabiliter influentes; similiter est mortale dare causam notabili distillationi, notabilive commotioni spirituum generationi servientium, per similes causas etiam de se licitas: quia talis distillatio, & commotio spirituum est notabiliter turpis, & quasi inchoata quædam pollutio. Secus ubi levis quædam distillatio procuraretur, levisque spirituum commotio; excusaretur enim a mortali id procurans ratione parvitatis materiæ, cessante omni pollutionis periculo. Hæc ille in terminis, quæ si de directe intenta distillationis, aut commotionis spirituum procuratione intelligantur, prorsus rejicienda sunt, & ab ipso Sanch. deinceps retractata fuere, ut ex dicendis liquebit, ubi hæc plenius investigabuntur.

Quæres obiter, quæ pollutio virginitatem perimat.

R. 1. virginitatem, si pro speciali virtute morali accipiatur, ea solum deleri pollutione, quæ lætaliter mala sit. Unde cum ex dictis talis sit mollities, qualis est ejus causa, adeo ut juxta Cajetanum, qui eam patitur, mereatur aliquando, aliquando autem vel levis, vel mortiferæ culpæ reus sit; consequens est virginitatem quandoque amitti pollutione, quandoque non: & ita docet S. Thomas 2. 2. q. 152. art. 1.

Atque hinc sequitur, quod quæ virgo manet, citra miraculum possit esse & mater; si nimirum plane invita constuprata sit, indeque concipiat, & pariat. Idemque de ea dicendum esset, quæ vino obruta, a lasciviente viro cognita esset, si neque id intendisset, neque prævidere potuisset.

An autem, qui priusquam cubitum iret, turpe desiderium nutrivit animo, atque in somno pollutus est, excidat a virginitate: an item jacturam eamdem ferat, qui vigilans optavit nocturnam illusionem, non convenit inter Doctores. Negat pro utraque parte Tostatus ille Abulensis, de quo scriptum est: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne*. Vide eumdem Tom. 12. part. 1. pag. 26. seu in c. 25. Matth. q. 73. 74. & 75. ubi quæ ad virginitatem, & casus præcedentes spectant, eo discutit modo, quem approbat Comitolus L. 4. q. 18.

R. 2. si virginitas accipiatur prout consistit in integritate carnis, seu membrorum generationi servientium, non amittitur, quamdiu stat eadem carnis integritas. Quapropter, ait Sylvius 2. 2. q. 152. art. 1. quando agitur de consecratione virginum, illæ tanquam virgines consecrari possunt, quæ retinent integritatem carnis, etiamsi aliquando per contactus, aut per volun-

tariam feminis effusionem fuerint pollutæ; quia etiamsi non sint virgines coram Deo, cum non servaverint pudicitiam virginalem, ideoque non sint habituræ aureolam virginibus propriam, communi tamen usu sunt virgines, non quidem secundum virtutem, sed secundum statum. Favet aperte S. August. Lib. 4. contra Julian. cap. 8. his verbis: *Ut quid pudicitiam, & virginitatem, quasi ejusdem generis jungis? pudicitia est res animi; virginitas, corporis. Denique illa integra permanente, potest ista violenter auferri, & cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lascivia voluntate corrumpi*. Unde liquet, ait Sylvius, virginitatem ex Augustini sensu, esse quoddam bonum corporis, non animi, & hoc in utroque sexu.

Cæterum, quod ad virginum consecrationem attinet, Sylvii decisio ad nihil in praxi inservire potest, nisi agatur de puella, cujus crimen cognitum sit: an enim quæ clam peccavit, infamare se tenebitur, & palam aperire se jam virginem non esse.

Quod spectat ad tertiam quæstionem jam ab initio propositam, an scilicet optare liceat pollutionem somni tempore, aut gaudere, quod ea sic evenerit. Constat 1. eam non posse desiderari ex affectu venereo; cum consentire libidini, sit res intrinsece mala; qua etiam de causa nefas fuerit de eadem gaudere ex affectu libidinoso. Constat 2. nec eamdem appeti posse propter se, & præciso quocumque fine utili: sic enim amaretur propter annexam libidinem, quæ tunc unica esse posset ejusdem amandæ ratio. Tota igitur difficultas est, an eamdem desiderare liceat ob finem bonum, puta intuitu sanitatis, aut vincendæ tentationis, quæ ex pleniori seminis abundantia quandoque exurgit. Sit

Conclusio III. Nec ob prædictos fines mollitiem appetere licet, nec de ea pari intuitu gaudere.

Prob. 1. pars. 1. quia ut diximus in Tract. de peccatis, pollutio est intrinsece mala, sicut & homicidium: atqui non licet rem intrinsece, & ex natura sua malam desiderare: ergo.

2. Quia nemo id appetere potest, quod etiam inchoatum impedire tenetur si possit; atqui tenetur quis inchoatam mollitiem impedire, si possit; idque etiam cum gravi incommodo; (quam tamen restrictionem fatemur a pluribus rejici, potissimum autem a Gersone:) ergo.

Obj. Licitum est desiderare ob bonum finem, id, quod non est peccatum: atqui mollities prædicta non esset peccatum; quandoquidem supponitur contingere in somnis absque ulla præcedente causa: ergo.

Respondent aliqui dist. Licitum est desiderare id, quod non est peccatum, si inde non eveniat malum alteri, concedunt; secus, negant. Porro, inquiunt, ex mollitie etiam mere naturali provenit damnum grave generi humano, nempe privatio prolis, ad quam ex natura sua semen ordinatur.

Verum ratio hæc parum videtur firma. 1. quia ex pollutione personæ Deo consecratæ, nulla fit injuria generi humano, cum ad ejus multiplicationem persona sacra sine crimine cooperari non possit. 2. qui semen habent nullatenus prolificum, nihil humano generi nocent suum qualecumque semen disperdendo; & tamen neque iis licitum est aut pollui, aut pollutionem desiderare. Dicendum igitur, rem quoties est intrinsece deformis, imo quoties quamdam habet inordinationem, nonnisi culpabiliter desiderari posse: unde nec licitum est desiderare turpes per somnum corporis motus, etiam ab omni seminis ejectione separatos.

Hinc

Hinc sequitur neutiquam licitum esse lætari de pollutione in somnis habita: quia de eo gaudere non licet, quod non licet appetere. Licet tamen rem detestando, de felici, quem habuit, exitu gaudere: sic detestato Adæ peccato, licet de Christo reparatore lætari. Et sic intelligi potest id Angeli Scholæ in 4. dist. 9. art. 4. *Si placeat pollutio, ut naturæ exoneratio vel alleviatio, peccatum non creditur.*

SECTIO SECUNDA.

De cæteris contra naturam Peccatis.

Etsi fœdissima est præsentis sectionis materia, haud tamen eam prætermittere possumus, præsertim, quia sodomia & bestialitas ubique fere sunt inter casus reservatos, & quandoque censuris plectuntur. Itaque

Sodomia ut sic, est Coitus libidinosus cum persona indebita, seu ejusdem sexus; vel debita quidem, sed in vase indebito. Hinc sodomia duplex, perfecta una, altera imperfecta. Prior, quæ sodomiæ nomine communius intelligitur, est concubitus masculi cum masculo, fœminæ cum fœmina. Nihil autem ad hanc sodomiæ speciem interest, an mares inter se coeant in vase præpostero, an, quod dictu infandum est, in ore: sicut ad idem scelus est indifferens an fœminæ anteriori aut posteriori vase utantur; quia tanti delicti enormitas potissimum petitur ex affectu ad sexum indebitum. Unde tunc scelus illud erit reservatum; modo tamen, ajunt plures semen intra vas quomodolibet infundatur. At nec postrema hæc conditio, imo nec simplex vasis penetratio ullibi requiri deberet ab iis, qui reservatos casus dirigunt; quia pene inutilis sit reservatio; cum rarum sit, ut *masculi in masculos turpitudinem operantes*, ad hanc penetrationem devenire queant. Unde sapienter Pariiis, reservatur *sodomiticum peccatum, non modo consummatum, sed & actu ad id per se ducente tentatum. Item & peccatum, quod illo gravius est, seu bestialitas.* Rom. 1.

Posterior, seu sodomia imperfecta, est concubitus viri cum fœmina extra vas naturale; & hæc specie differt a perfecta; unde & in confessione specificari debet: cum perfecta ad sexum indebitum ordinetur; imperfecta vero sexum debitum respiciat, sed in vase indebito.

Etsi vero neutra sodomiæ species affinitatem matrimonii diremptivam inducit, ut bene docet Sanchez L. 7. disp. 64. n. 13. & 14. in id tamen propendeo, ut credam cum paucis contra multos, utramque, reservata simpliciter sodomia, esse reservatam, nisi aliud constet de mente legislatoris. Sed, quia S. Thomas, a quo non est facile recedendum, ad sodomiam requirit *concubitum ad non debitum sexum*, (unde sequi videtur concubitum *Hic art. 11.* viri cum fœmina in vase præpostero non esse vere sodomiam, sicut a contrario concubitus fœminæ cum fœmina in vase debito ad sodomiam pertinet;) non ausim redarguere Confessarios, qui, seclusa speciali locorum lege, maritum, aut alium quemvis muliere hac in parte abutentem non remiserit ad majorem Pœnitentiarium; & ita post Azor & Bonacinam sentiunt Sylvius art. 12. Leonardus Pirombœuf in Catechismo morali casuum præsertim reservatorum Tract. 1. Catechesi 4. quibus consonat Ethica amoris part. 6. Decalogi n. 181. & 184.

Bestialitas est coitus cum bruto: ad eam reducitur concubitus viri, aut mulieris cum dœmone succubo, vel incubo, sive interim appareat dœmon sub spe-

cie bruti, seu sub humana specie, quia stat tunc quæri voluptatem extra speciem humanam. *In Chronica Martiniana*, ait S. Antoninus 3. p. tit. 2. c. 1. §. 10. *legitur de Merlino, quod fuit filius diaboli*; *quia scilicet conceptus* fuit *per Monialem ex dæmone* prius *succubo* viri, unde suscepit semen, & deinde *incubo ipsius* Monialis. Sed hujus historiæ, aliarumque id genus penes lectorem fides esto. Sit

Conclusio. Immania sunt sodomiæ, & bestialitatis crimina, pejus tamen bestialitatis. Tres sunt partes.

Prob. 1. pars 1. ex Scriptura. Genes. 19. Deus civitates quinque nefandi hujus sceleris reas, ultricibus flammis abolet. *Igitur*, ait textus sacer: *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem a Domino de cœlo: & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.*

Rom. 1. idem illud scelus exhibetur ab Apostolo, ut cœcitatis, ac furoris apex, superbiæque, & idololatriæ par remuneratio. *Propterea*, inquit, *tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum, qui est contra naturam. Similiter autem, & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sic tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

Prob. 2. ex Patribus, quorum instar in re evidentia evidentiori sit S. Chrysostomus Homil. 4. in Epist. ad Rom. hæc ille: *Quodcumque delictum* (dempta bestialitate, forte Chrysostomi temporibus ignota) *nominaveris, nullum huic peccato par dixeris: qui si facta sua sentirent, qui patiuntur, sexcentas utique mortes obirent, ut ne hoc paterentur*, & infra: *O vos brutis insipientiores, & canibus impudentiores! Nusquam enim hujusmodi congressus apud illos*. Quam porro naturæ exosum esse oportet scelus, quod ipsamet animantia bruta perhorrescunt.

Prob. 3. quia pœnarum acerbitas delicti gravitatem arguit: atqui graves, & acerbæ pœnæ, seu civili jure, seu canonico sodomitis constitutæ sunt. Civili, quidem pœna ignis, secundum id Cod. Theodos. L. 9. tit. 17. *hujusmodi scelus, spectante populo, flammæ vindices expiabunt*. Jure autem canonico, præsertim Bulla 72. Pii V. privatio Clericalis privilegii, officii, & dignitatis cujuscumque: ergo.

Prob. 2. pars, 1. ex Levitici 20. v. 15. *Qui cum jumento, & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite*: quod hodieque in Judiciis observatur apud nos, ubi bellua tametsi culpæ incapax in detestationem criminis cum reo comburitur.

2. Ex Canone XI. Pœnitentiali, ubi sic: *Qui coiret cum brutis, pœniteat plusquam septem annis.*

Prob. 3. pars, ex S. Thoma ibid. quæst. 154. art. XI. ad 4. ubi sic: *Gravitas in peccato magis attenditur ex abusu alicujus rei, quam ex omissione debiti usus: & ideo inter vitia, quæ sunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ*, seu mollitiei, *quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species. Unde super illud Genes. 37. c.* Accusavit fratres suos crimine pessimo, *dicit Glossa, quod cum pecoribus miscebantur. Post hoc autem est vitium sodomiticum, cum ibi non servetur debitus sexus.*

Circa hæc quædam a Confessariis sunt observanda, 1. si persona conjugata peccatum istud committat, debet conjugii sui statum aperire in sacro tri-

tribunali, quia grandem injuriam & matrimonio, & alteri conjugi facit. Simili prope de causa exprimendum est, an personæ sint consanguineæ, vel affines, vel Deo sacræ; quia tunc sodomiæ accedit incestus, & sacrilegium aliquando duplex, si nempe utraque persona sit Deo sacra. Si puellam a muliere turpiter tractari contingit, exprimenda erit circumstantia labefactatæ virginitatis.

2. Exprimi etiam debet juxta Lugo, & alios plerosque, a quibus male dissentit Ethica amoris n. 187. quis agens fuerit, quis patiens; quia longe turpior est agentis conditio, quam patientis; & quasi ex se annexam habet mollitiem: equidem patiens in ipsam non raro prorumpit, sed & huic cooperatur, qui agentis partes sustinet, cum ad eam tetra sua actione excitet.

3. Qui coierit cum bestia, non tenetur exprimere, cujus ea speciei foret; nisi, ajunt aliqui, ea tamen sordida esset, & turpis, ut in ejus congressu immanior quædam se proderet libido.

4. Peccatum cum dœmone, si quod extet, præter bestialitatis horrorem id habet, 1. quod sit commercium cum infensissimo Dei, & hominum omnium hoste; 2. quod involvat malitiam ejusdem speciei, quam recogitat persona peccans, incestus v. g. si dœmoni tanquam cognatæ, aut affini misceatur, &c.

Ex dictis colliges, quam juste proscripta sit ab Alexandro VII. hæc n. 24. propositio, quæ est Caramuelis: *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* Certe enim peccata hæc, etsi penes speciem subalternam conveniant, quatenus eamdem castitatis virtutem lædunt, tam differunt specie infima, quam furtum, detractio, & homicidium, quæ eidem justitiæ virtuti adversantur. Vide Dominicum Vivam in prædictam propositionem.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De peccatis Luxuriæ non consummatæ.

Luxuries non consummata, quam alii simpliciter vocant impudicitiam, ea est, quæ ad mollitiem usque non progreditur; eaque ut plurimum consistit in aspectibus, osculis, tactibus venereis, turpiloquio, scriptura, pictura, indecenti mulierum ornatu, choreis, & spectaculis; de his omnibus dicendum.

SECTIO PRIMA.

De Osculis.

In hac materia, quæ meo quidem judicio, cœteras pene omnes difficultates vincit, suppono 1. cum S. Tho. 2. 2. q. 154. art. 4. *osculum, amplexus, vel tactus, secundum suam rationem*, id est ex natura rei non esse *peccatum mortale*, imo nec veniale; quia *possunt hæc absque libidine fieri*, &c.

Suppono 2. oscula cuipiam ob triplicem finem libari posse. 1. in signum amicitiæ, pacis, urbanitatis, &c. 2. præcise ob sensum delectationis illius organicæ, quæ ex ipso osculo exurgit; 3. ob delectationem veneream.

Suppono igitur 3. duplicem osculo cuilibet delectationem annecti posse, unam præcise sensus, seu organi, cui vel quo libatur osculum; aliam vene-

ream, seu libidinosam. Prior, quamplures sensibilem vocant, non sensualem, consistit in quadam convenientia rei tactæ cum organo, quo eadem tangitur, absque ulla alia prorsus delectatione. Delectationis hujus organicæ sensum necessario experitur, seu mater, seu quilibet alius mollem, teneramque infantis venusti carnem deosculando. Posterior, quam magni interest cognovisse, varie a variis definitur, & inde præcipua capitis hujus difficultas, quam auget censura hujus propositionis, inter damnatas ab Alexandro VII. n. 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*. Hæc, ut quantum licebit, explanentur.

Not. 1. Delectatio prout ad rem pertinet, est deliberata seu voluntaria complacentia in bono sensibili. Igitur delectatio venerea, est complacentia in re venerea; res autem venerea, vel est fornicatio, aliusve quilibet actus exterior luxuriæ; vel deliberata ejusdem cogitatio, seu imaginatio. Neque enim solus consensus *in actum*, v. g. copulam est peccatum mortale; sed & consensus *in ipsam delectationem*, seu in jucundam ejus repræsentationem, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 74. art. 7. & solide probat, quia, *quod aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quam, quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus inclinatus sit in fornicationem, aut aliud objectum de se mortale*.

Not. 2. ad peccandum letaliter in quacumque materia, non requiri positionem actus ultimi, sive exterioris, sive interioris; sed sufficere, ut ponatur proximum ejus periculum. Unde mortaliter peccat non tantum, qui fornicatur, aut actu complacet sibi in cogitatione fornicationis; sed, & qui proximo alterutrius periculo sese exponit; quia, ut toties diximus, *Qui amat periculum, peribit in illo*.

Jam ergo osculum libidinosum est illud omne, quod fit cum animo, aut saltem cum gravi periculo degustandi delectationem carnalem; eam nempe, quæ est cum voluntate copulæ, aut cujusvis alterius speciei luxuriæ; aut cum voluntaria, & affectuosa ipsius imaginatione, quamvis nulla sit voluntas consummandi copulam, aliosve luxuriæ actus. Ita quoad sensum Sylvius hic art. 4. licet utcumque differat in verbis.

Aliter, osculum libidinosum (idemque est de tactibus, & aspectibus) est illud, quod fit cum consensu tacito, vel expresso in habendum, vel nutriendum sensum delectationis, quæ oritur ex commotione carnea, quam hujusmodi actus provocare solent. Cum consensu, inquam, *expresso*, ut si quis osculum figat ex intentione prædictæ delectationis; *tacito*, ut si quis, etsi delectationem hanc non intendat, prævideat, aut prævidere possit, se gravi illius experiendæ, & consequenter non rejiciendæ periculo expositum iri. Hanc definitionem eruo ex Nat. Alexandro Reg. 9. & Ethica amoris part. 6. n. 88. qui tamen dum definitiones multiplicant, obscure satis loquuntur, forsitan ob materiæ difficultatem. Sit igitur cum probatioribus Theologis, a quibus nec latum unguem recedam.

CONCLUSIO I. Oscula honesta secundum patriæ consuetudinem facta, causa amicitiæ, urbanitatis, & pacis, non sunt peccata.

Prob. 1. quia primævi fideles etiam diversi sexus, se invicem salutabant in osculo sancto.

Prob. 2. quia, ut bene Sylvius eodem art. 4. nulla ibi apparet turpitudo, cum oscula ejusmodi tantum sint signa & testificationes unionis animorum,

rum, amicitiæ, benevolentiæ, & honestatis. Unde S. Antoninus 2. part. tit. 5. cap. 1. §. 10. *In tantum*, inquit, *sunt peccata, amplexus, oscula, tactus, & stultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria, quæ in fornicatione, & immunditia notatur secundum Theologos*: atqui honesta, de quibus loquimur oscula, non fiunt ex luxuria, nec cum ejus periculo; ergo concludit S. Antoninus, *talia non sunt peccata de se, quamvis possit supervenire tentatio, & mala intentio; sed hoc erit per accidens.*

In his tamen omnibus, ait Theologus Duacensis, servandum est decorum personæ, & cavendum a scandalo. Nam quod Religiosi, aut Clerici sæculares, per oscula amicitiam, aut benevolentiam puellis, mulieribusve etiam consanguineis testentur, neque decens est, neque caret periculo scandali: idem est si Religiosæ viros etiam cognatos deosculentur. Unde, ait S. Antoninus ubi statim, *cum quidam reprehenderet quemdam fratrem coram B. Jordano Magistro Ordinis Prædicatorum, ex eo, quod quædam mulier, ex devotione tetigisset manum ejus, sed ille se excusans diceret, quia mulier bona, & sancta esset. Respondit B. Jordanus: Terra utique bona est, & aqua bona, & tamen ex utraque se contingente fit lutum.*

Duo hic moventur dubia, 1. quid juris, si dum oscula secundum se honesta, & licita dantur, aut recipiuntur, sentiantur motus sensualitatis, & delectationes venereæ; 2. an fœmina, quæ advertit eum, a quo tangitur, secundum loci consuetudinem, & sub honestatis specie, reipsa libidinoso erga eam affectu moveri, contra niti teneatur.

R. ad 1. cum Sylvio, amplexus tales cum subest causa esse licitos, dummodo voluntas in ejusmodi motus, ac delectationem non consentiat.

R. ad 2. Vel tactus de se, est impudicus, ut sunt amplexus columbini; & tunc non est dubium, quin mulier teneatur se retrahere, & impedire tactum, sive palam attentetur, sive in secreto; quia alioqui cooperaretur ad actum se malum, sibique maxime periculosum: quin, & clamare deberet, si non alia posset evadere via. Si vero tactus de se nihil habeat impudici, fiatque juxta ritum patriæ, tunc videndum, an aliqui præsentes sint, an non. Si primum, dissimulare potest; cum subest periculum ne pravam adstantium animis ingerat de proximo suspicionem. Si secundum, id est si nulli adsint, aut præsentes quidem sint aliqui, sed coram quibus citra incommodum, aut periculum scandali, possit mulier declinare contactum, seu retrahendo se, seu repellendo virum, tunc amplexum etsi de se honestum declinare debet; quia quisque proximi peccatum, quantum potest, arcere tenetur. Hæc post Cajetanum, Azorium, & alios Sylvius. Unum addidero, mulierem scrupulosam, quandoque tamen sui etiam amatricem, facile suspicari malum ubi non sit: ea enim est devoti etiam sexus ægritudo, ut se non difficulter credat ultra metas diligi.

CONCLUSIO II. Oscula, & tactus de se honesti, si ex mera levitate, joco, aliave simili causa fiant, juxta plures non excedunt peccatum veniale; modo ait P. Antoine Tom. 1. p. 296. absit affectus omnis libidinosus, & periculum gravis peccati tam in se, quam in alio, nec habita ratione constitutionis personarum veneream commotionem multum excitent: ab his tamen omnibus caute, & severe est abstinendum. Ita & Sylvius.

Prob. 1. pars, quia secluso, tum libidinis affectu, tum ejusdem periculo, prædicti amplexus non sunt mali secundum se, solamque habent malitiæ suæ causam; atqui levitas, jocus, & alia ejusdem generis, non possunt actui

de

de se honesto communicare turpitudinem, quæ ad peccatum mortale pertingat: ergo.

Prob. 2. pars. quia hujusmodi lusus apud personas revera graves, & quæ Deo sincere adhærent, vix, ac ne vix quidem locum habent, sed passim apud juvenes ventosi, ac mobilis ingenii, parum Deo devotos, & virtutis ad summum tepidæ; quis porro non credat ex prædicta jocandi ratione multo plus imminere periculi hominibus sic constitutis, & quibus in re jam utcumque periculosa non aspirat speciale Dei auxilium? 2. quia nisi hic circumspectius agant Confessarii, & arcto freno utantur, verendum est, ne pro levibus habeant multa, quæ re ipsa gravia sunt. Sic Navarrus cap. 14. n. 42. a mortali excusat eum, qui mulieris honestæ mamillas nugando, & absque prava intentione tetigerat; sic Dominicus Viva in examine propositionis 40. superius citatæ immune ab omni culpa pronuntiat *osculum fratris cum sorore, aut aliud quod fit more patrio in signum benevolentiæ, etiamsi commotionem magnam spirituum excitet, & delectationem carnalem inducat, cessante periculo consentiendi, eo quod a fine honesto cohonestetur*. Quæ quidem nimis generaliter dicta, non mihi soli, sed & aliis compluribus videbuntur.

Conclusio III. Oscula propter delectationem organicam data obiter, & more solito, absque ulterioris consensus periculo, ejusdem sunt conditionis, ac ea, de quibus actum est in Conclusione præcedenti. Ita Henno, S. Antoninus, Vviggerius, Comitolus, quem Vincentius Baronius tutissimum Jesuitarum appellat, idem Baronius, Sylvius, Boudart, aliique complures.

Prob. 1. pars, 1. quia, ut discurrit Sylvius, eatenus osculum est mortale, quatenus est libidinosum; nec tale est in principiis S. Thomæ, nisi quatenus fit cum consensu saltem interpretativo *in delectationem peccati mortalis*: atqui oscula, de quibus agimus in præsenti, nec expressum, nec interpretativum involvunt consensum in delectationem peccati mortalis. Se enim habent in genere tactus, sicut in genere visionis habet se aspectus pulchræ mulieris: atqui aspectus ille, si ob solam pulchritudinis delectationem fiat, ut fieri potest ab homine, qui & concubitum mulieris, & quamcumque de eo cogitationem, & ipsam forte mulierem detestetur, nec involvit, nec involvere potest consensum in delectationem peccati mortalis. Hinc Christus Matth. 5. non dixit simpliciter: *Omnis, qui viderit mulierem*, sed, *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Porro, ut post Hesselium notat Sylvius, videre mulierem, quæ uxor tua non sit, ad concupiscendum eam, *est illam ad hoc intueri, ut eam concupiscas, sive cupiens cum ea commisceri, sive animo volvens, quam sit pulchra, atque adeo ad concubitum amabilis, & idonea, etiamsi tu nolis cum ea misceri*: ergo.

2. Quia venialiter tantum peccat, qui comedit, aut bibit ob delectationem gustus: ergo, & qui propter organicam tactus suavitatem osculatur.

3. Quia amplexus non sunt de se libidinosi, alias nunquam licerent: ergo tantum sunt tales ex intentione aut periculo agentis: atqui, & malam intentionem, & verum ejus periculum abesse supponimus: ergo.

4. Non peccat graviter, qui consentit in delectationem mere organicam, quam parit amplexus urbanitatis, aut charitatis gratia factus; ergo nec mortaliter peccat, qui præcise agit propter eam.

5. Osculari affectuose teneras infantium carnes, absque turpi intentione, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale: atqui, ait Henno, id non fit sine delectatione sensibili: ergo.

Verum

Verum probatum hæc non urget plurimum : quia aliud est agere , *cum* delectatione , quam necessario pariunt qualitates corporibus annexæ , aliud *propter* eamdem operari .

At, inquies , quorsum ergo damnata est propositio hæc : *Est probabilis opinio* , &c. sup. p. 504. ?

R. damnatam fuisse eam , quia per delectationem carnalem communiter intelligitur delectatio venerea : porro , juxta Sedem Apost. probabilis non est opinio, quæ in actu quocumque , propter intentam delectationem veneream etiam levem exercito, peccatum agnoscit solum veniale , etiamsi desit ulterioris consensus periculum ; quia ut suo loco dicemus , periculum illud reipsa nunquam deest. Non ergo hac Alex. VII. censura perstringuntur , qui tenent conclusionem nostram , sive vera sit , sive falsa , cum hæc ubilibet & etiam Romæ doceatur ; sed qui cum Caramuele , Aravio , Martino de Magistris , Ledesma , Soto, & aliis apud Sanchem L. 9. disp. 46. n. 7. existimant *in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberate quæsitam* , *propter levitatem materiæ excusari a peccato mortali* ; quam doctrinam , *ne ullus e Societate* Jesu *publice* , *aut privatim* , *non modo ut veram* , *vel probabilem* , *sed nec ut tolerabilem* , *quidem ulla ratione doceat* , *aut sibi placere significet* , *aut secundum illam consilium cuiquam det* prohibuit in viriute S. Obedientiæ & sub pœna excommunicationis Claudius Aquaviva Societ. Propos. Gener. ut refert Domin. Viva ibid.

Objiciuntur tria , 1. quod immunditia excludat a Regno Dei Ephes. 5. porro præfati amplexus ad immunditiam pertinent ; 2. quod oscula prout ad delectationem tendunt , ordinantur ad copulam ; nec proinde pro re levi haberi possunt ; 3. quod , moraliter loquendo, fieri nequeat , ut talibus osculis annexum non sit venereæ delectationis periculum . Unde enim , ait Franciscus Van Ranst , in Opere cui titulus : *Veritas in medio* , unde delectat carnaliter osculum , nisi quia occultius mentem stimulat , & rapit in id , ad quod istud suapte natura , & quasi suo pondere fertur . Sane , ait idem Scriptor , hujusmodi amplexus , nihil sunt aliud , quam repræsentatio , & prægustatio ulterioris criminis . Profecto si SS. Patres jocos , nutus , blandiora verba , & cœtera id genus in disparis sexus præsentia, passim appellent morituræ pudicitiæ initia ; quid non sentiendum de his carnalibus osculis ?

R. momenta hæc satis esse gravia , ut & pœnitentibus, qui talia oscula facile libant , & eorum Confessariis, si rem istam dissimulent , contremiscendum sit . Neque vero dum tritam opinionem sequimur, mens fuit osculis utcumque sensualibus habenas laxare , sed qualemcumque tradere regulam , ut libidinosi amplexus a pure sensibilibus discernantur , ne statim letaliter peccasse judicetur , qui honestum aliquod osculum ex aliqua delectatione sensibili præbuerit , vel receperit . Unde

Ad 1. dici potest oscula solum libidinosa pertinere ad eam immunditiam , quæ per se excludit a Regno Dei .

Ad 2. falsum est absolute loquendo , quod oscula prædicta ordinentur ad copulam : alias enim amplexus ex teneriori animo inter ejusdem sexus personas , ordinarentur ad sodomiam , quod certe falsum est . Si tamen velit quis eadem oscula ordinari ad coitum , dicendum erit hæc eo tendere , sicut litigium tendit ad homicidium , ac proinde nimis remote ut ejus malitiam contrahant : alioquin mortalis culpæ semper reus esset , qui tangeret manum mulieris, vultum ejus intueretur, aut paulo familiarius, cum ipsa haberet colloquium .

Ad

Ad 3. dist. fieri nequit, ut annexum non sit grave periculum talibus osculis sit fiant morose, ac repetitis vicibus, aut modo inter probos insolito, C. si fiant *obiter*, *& solito more*, prout in Conclusione diximus, & supponimus, N. Itaque oscula morosa, ea item, quæ fiunt vicibus aliquoties repetitis, & multo plus, quæ fiunt more columbarum, aut etiam ore ad os, semper sunt mortalia; tum quia per se non parum excitant spirituum genitalium commotionem, & delectationem veneream, quæ in hoc miserrimo rerum statu, physica quadam necessitate oritur ex delectatione sensibili diuturna, vel pluries repetita; tum quia saltem inducunt morale periculum consensus in delectationem morosam; adeoque sunt caufaliter libidinosa, utpote quæ sint proxima causa libidinis, etiamsi hæc forte non sequatur. Sed non est, cur idem prorsus statuatur de quibuscumque generum osculis: quamquam, & ab iis sedulo temperare debent veræ castitatis amatores; tum quia in itinere tam lubrico facilis est descensus a sensibili delectatione ad veneream; tum quia, qui moraliter certus est se libidinose commotum non iri, de persona, cui osculum figit, respondere non potest. Ita Sylvius, Henno, P. Antoine &c.

Conclusio IV. Oscula libidinosa, quocumque etiam charitatis, & amicitiæ prætextu data vel recepta, inter personas ejusdem vel diversi sexus sunt peccata mortalia.

Prob. 1. tum ex S. Thoma hic q. 154. art. 4. & aliis communissime Theologis præsertim Societatis Jesu, quos Vincentius Baron. negat hoc in puncto rigidiores esse Dominicanis; tum quia, ut refert Sanchez lib. 5. Summæ cap. 6. n. 12. Clemens VIII. & Paulus V. præceperunt ut fidei Inquisitoribus denunciarentur, qui assererent in osculis ob meram delectationem veneream habitis non contineri culpam lethalem.

Prob. 2. quia delectatio, seu complacentia deliberata de objecto mortali, puta de homicidio, furto, & similibus, semper est mortalis: atqui osculum, cui annectitur delectatio venerea, importat complacentiam deliberatam de objecto mortali. Objectum enim delectationis hujus vel est repræsentatio copulæ, aut actuum, qui eo tendunt; vel saltem commotio spirituum generationi subservientium: atqui objecta hæc sunt graviter illicita. De copula, & actibus, qui ad eam proxime tendunt, nulla esse potest difficultas. Sed neque seria moveri potest quæstio de spirituum genitalium commotione. Magis enim peccat, qui eam per oscula inquirit, aut exortam libere approbat, quam, qui cogitationi simpliciter morosæ indulget: atqui tamen is mortaliter peccat, ut probavimus in Tractatu de Peccatis, par. 1. cap. 4. art. 2. ergo & ille a fortiori peccabit mortaliter.

Prob. 3. delectatio quamvis modica de homicidio, si sit deliberata, ex omnium opinione lethalem culpam continet; ergo eam a fortiori continebit delectatio quantumlibet tenuis de turpitudinibus modo assignatis, nisi excuset inadvertentia. Dico a fortiori; quia communiter loquendo longe facilius est suam de alicujus occisione lætitiam moderari, quam pessimam, de qua loquimur delectationem certos intra gradus sistere. Unde dato, quod aliquando credidit Sanchez, & re maturius considerata ejuravit, delectationem veneream ex levitate materiæ levem fieri posse, semper tamen præsumenda esset gravis, ob periculum ulterioris consensus. *Nulla* enim, ait in sua de tactibus impudicis disquisitione Bolæus Abbas sub ementito Marcelli Ancyrani nomine, *nulla* est *affectio, quæ magis animum fascinet aut inebriet, adeoque ordinem a summo numine inter se ipsum, & creaturam rationalem constitutum*

Sanch. l. 9. de matrim. disp. 46. n. 7.

tum

cum contumacius, ac morosius disturbet, ac dissipet. *Nihil* proinde *quod vehementius in discrimen, & periculum proximum committendi peccati mortalis adducat, teste frequenti, & minima fallaci experientia.*

Hìc duo paucis observanda, quia per se patent: 1. quoties oscula veneream habent delectationem, exprimenda est circumstantia personæ etiam innocentis, cui datum est osculum: an voto ligata sit, an consanguinea; vel affinis, an alteri desponsata: quia actus turpis imbibit malitiam coitus; ad quem sua natura tendit. 2. id, quod de osculis dictum est, dictum censeri debere de tactibus, verbis amatoriis, & similibus, quæ ad eamdem veneream delectationem proxime disponunt; idque verum est, ait ibidem Viva, etiamsi tactus non fiant immediate supra carnem, sed supra vestem. Quoniam vero sua quoque est in explananda tactuum deformitate difficultas; hìc, licet inviti, paulisper immorabimur.

SECTIO SECUNDA.

De Tactibus, Aspectibus, & Picturis.

Constat 1. tactus quoscumque, seu in proprio; seu in alterius corpore libidinose exercitos, nœvum habere lethalem. Sequitur ex dictis.

Constat 2. tactus, qui ex necessitate a Chirurgis, Infirmariisve fiunt, ne venialem quidem habere noxam, quamvis motus aliquando graves pariant: modo tamen absit consensus, aut proximum ejus periculum. Tota igitur lis est de tactibus ex curiositate, joco, levitate, aut propter solam organi delectationem factis. Qua de re sit

Conclusio I. Qui ex levitate, joco, aut intuitu delectationis mere organicæ, alterum cujuscumque sexus tangit in parte corporis honesta, potest esse reus peccati simpliciter venialis. Secus si tangat in partibus, quæ ad libidinem graviter provocent. Utraque pars est communiter recepta.

Prob. 1. pars, quia ut diximus Articulo præcedenti, Conclusione 2. prædicti tactus, ut qui de se indifferentes sint, totum id, quod habent malitiæ recipiunt ex affectu tangentis: sed affectus personæ, quæ ex sola levitate agit, & quæ a venerea quacumque delectatione abhorret; non est nisi venialis: ergo.

Hinc non semper gravem admisisse culpam censendus est, qui amasiæ vel alterius honestæ mulieris pedem pede suo pulsat, digitos premit, manum obiter torquet, faciem, quasi alapam simulando, tangit. Quamquam ab iis pro virili abstinendum est, ne rugiens adversarius, cujus ignita sunt jacula, exitiales sub honesti amoris larva insidias struat, & juvenile cor eo inflammet potentius, quo hactenus flammæ magis fuerat impervium. Et vero quot a primo urbanitatis passu ad ultimos effrænis amoris fines pleno quasi saltu devenere!

Prob. 2. pars, tum quia, qui certas alieni præsertim corporis partes tangit, non movetur nisi libidine proprie dicta; tum, quia etsi, dum tangere incipit, fingeretur expers libidinis, quæ profecto insolens est, & metaphysica hypothesis, proximum, ac præsentissimum delectationis venereæ periculum subiret.

Porro ad libidinem graviter provocant 1. partes pudendæ, aut iisdem vicinæ, quas idcirco, qui trans indusium, imo & vestes tetigerit, aut tangere simulaverit, graviter reus censeri debet. 2. mamillæ potissimum puellæ jam puberis:

beris: unde, quod contactum hunc *si fiat leviter*, *& obiter*, *& quidem in parte superiori fragilitati humanæ concedit* Henno, serio videtur redarguendum. Imo quo major est fragilitas humana, eo est coercenda severius: aliunde, quid potest hominis concessio, ubi ad minus dubium est, an accedat concessio Dei?

Neque solum peccat, qui præfatas partes tangit, sed & quæ se in iis tangi patitur; tum quia alieno delicto cooperatur; tum quia etsi per impossibile deesset affectio libidinosa, non deesset unquam periculum ejus; cum hæc non minus ex passivo tactu oriatur, quam ex activo.

An autem, & quousque peccent nutrices, & ancillæ quæ quos lavant, aut vestiunt infantes, tangunt in secretiori parte, definiendum est ex circumstantiis; unde, quæ ex libidine agunt, graviter; quæ ex necessitate sola, ne venialiter quidem delinquunt. An vero, quæ sola curiositate moverentur, a gravi culpa immunes essent ob infantilem ætatem, ambigi potest. Mihi quidem satis dubium videtur, an non curiositati huic semper inhæreat nescio, quis libidinis sensus. Quapropter multo satius fuerit hæc ad minus otiosa fugere constanter; & cum admissa fuerint, confiteri, ut dubia mortalia. Aliud esse potest de matribus, quæ quidquid prolis suæ est stulto potius, quam obscœno amore tangunt, & deosculantur.

Quæres, quid dicendum de iis, qui propria verenda tangunt.

R. eos graviter peccare, si ut solent juvenes corrupti, tangant se cum delectatione venerea, aut ejus periculo. Si vero id fecerint *ex curiositate, levitate, vel causa calefaciendi manus*, censent satis communiter Doctores cum Sylvio, id a mortali noxa vacare: quia, inquiunt, *neque tanta est in hujusmodi contactu turpitudo, quanta in contactu partium alienarum etiam non ex delectatione facto; neque est tantum periculum voluptatis veneræ*. Id tamen, & merito limitant aliqui, si prædicti tactus obiter fiant, nec pluries iterentur: quia morosi & repetiti contactus a delectatione curiosa ad veneream, aut saltem ejus periculum facile deducunt. Imo cum hic sermo fit de tactu sufficienter deliberato, semper exigerem, ut is in confessione tanquam dubium mortale deponeretur: quamquam, qui hæc bona quadam fide suppressisset, non crederem absolute adigendum ad iterandas confessiones suas; nisi jam ea de re ab alio Confessario correptus fuisset; aut præ incuria salutis suæ, in eo se constituisset statu, ut neque hæc, neque alia multa paris momenti ponderaret.

Nostro quoque judicio lethaliter peccant, & gravissime, qui pecorum gentilia sine vera necessitate contrectant. Inest enim contactui huic turpitudo gravis, adeoque maxime periculosa. & quamdam bestialitatis malitiam induens. Etsi vero non desunt, qui decisionem hanc ad grandiora pecora restringant, ita ut a mortali excusent eos, qui non ex libidine, sed ex curiositate, vel joco catulos, aut feles in iis partibus, præsertim si non morose, repetitis vicibus, tangerent; mihi tamen lenior hæc decisio, ut, & ejusdem generis pleræque præcedentes, incerta & dubia apparet. Interim nemo a mortali excusare potest eum, qui canem, aut felem agitaret usque ad effusionem seminis, non quidem ob perniciem seminis belluæ, quam necare possit; sed ob grave propriæ depravationis periculum.

Quodsi quis ex vera necessitate animalia vitæ necessaria mere ad propagationem conjungeret, non esset reus, modo quidquid inde suboriretur commotionis, aut delectationis compescere niteretur.

CONCLUSIO II. Aspectus libidinosi, seu nostri, seu personarum utriusque sexus,

sexus, semper sunt mortales. Libidinosi vero sunt aspectus personarum diversi sexus, quoties fiunt in partibus pudendis, aut, quæ pudendis vicinæ sint. Imo aspectus iidem inter personas ejusdem sexus debent reputari lethales. Idemque de paribus proprii corporis aspectibus dicendum, saltem si morose fiant, & studiose.

Prob. 1. pars, quia ex toties repetitis, actus quicumque cum libidine sufficienter deliberata, aut gravi ejusdem periculo exercitus, nunquam vacat a peccato mortali; neque ab eo propter materiæ levitatem exscusari potest, ut jam insinuavi, & infra fusius dicam.

Prob. 2. pars, quia libidinosi sunt aspectus, qui fœdæ libidinis imagines, animis ceteroqui purioribus potenter exprimere nati sunt: atqui tales sunt aspectus, seu viri fæminam, seu fæminæ virum in secretioribus partibus, aut quæ iisdem vicinæ sint, intuentis; idque verum est etiamsi partes illæ e loco remoto conspiciantur: *David* enim *de longe vidit illam, in qua captus est; mulier longe, libido prope; alibi erat quod videret, in illo unde caderet ... numquid tu fortior, quam David*. Ita Augustinus in Psalm. 50.

Confirm. quia prædicti aspectus eo usque naturali honestati adversantur, ut primi parentes licet conjugati erubuerint de nuditate sua, & fecerint sibi perisomata, quibus eam cooperirent. *Nec dicatis*, ait Augustinus Epist. 211. alias 109. *vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia oculus impudicus impudici cordis est nuntius*.

Non me fugit præfatos aspectus judicari tantum veniales a Sanchez Lib. 9. disp. 46. n. 24. & Sylvio eod. art. 4. si ex sola curiositate fiant, & *tam breviter, ut non detur occasio magnæ commotionis in corpore; vel si ratione ætatis puerilis, aut senilis, aut frigidissimæ complexionis esset id periculum commotionis magnæ in aspiciente*. Verum doctrina hæc pro iis, qui pueri non sint, plena est periculi, ideoque prorsus eliminanda. Ecquis nimirum certus sit se e conspectu libidinis supra modum incentivo retracturum oculos, cum volet, aut se id, ut par est, voliturum: Quis sperare possit se leviter commotum iri ex causa, quæ gravissime commovere nata est, & quæ eo plus movet, quo rarius obversatur oculis? &c.

Imo etsi non ægre assentior iis, qui cum Theologorum vulgo, culpæ solum venialis insimulant aspicientes mulieris faciem, & manus, secluso quocumque alterius delectationis periculo, haud tamen paterer brachia ad cubitum usque, ut solent, discooperta, multo minus ubera conspici. Mihi hæc unica probatio, sed coram Deo gravis: *Cornu ferit ille, caveto, & fuge* plusquam *a facie colubri*. Ut ut est, nemo non fatetur aspectum concubitus viri cum fœmina esse lethalem. An idem sit relative ad belluas concumbentes, non ita convenit. Res ex aspectus mora, motivo, impressione, & periculo definienda videtur; ita ut tamen severe semper debeant redargui, qui his, ut moris est, ex vana curiositate occupantur.

Prob. 3. pars, quia vir, qui viri in balneo, vel flumine natantis verenda intuetur, gravi se se periculo objectat: nisi jam gravi libidine ad aspectum hunc determinatur. Hinc, qui se in rivis lavant, debent occultos quæritare recessus, ubi alienis, præsertim fœmineis intuitibus subducantur, propter evidens quod alioqui præbebunt periculum ruinæ. *Unde*, ait Henno, *non video, quo pacto a mortali excusari possint, qui de die in plena civitate*, adde, & in loco omnibus potenti, *se se nudos exponunt coram mulieribus*, imo & coram masculis, *natandi causa. Similes igitur natationes publicas interdicere debet Magistratus. Quin, & expediret*,

diret,

diret, nec expediret solum, sed & necessarium foret, *ut nunquam adolescentes inter se natarent nisi coopertis secretioribus: tot peccata, tot lapsus, tot horribilia non evenirent.*

Prob. 4. pars, quia turpes proprii corporis aspectus, saltem cum morose fiunt, vel oriuntur ex libidine, vel ad eam graviter, & periculose præparant. Atque licet aspectus illi a mortali excusentur, cum obiter fiunt, & ex sola curiositate; si tamen magna deliberatione, & ex proposito fiant, multo tutius fuerit eosdem, ut dubia lethalia, ac proinde quoad numerum, & circumstantias confiteri.

Ex dictis facile colliges graviter peccare fœminas, quæ, ut invectum a diabolo morem sequantur, prodeunt nudatis mammis, aut linteo coopertis tam exili, ut hac arte efficaciores castitati insidias struant. Et vero fieri nequit ut nudata mulier pluribus ruinam non afferat; cum etiam cooperta decenter, graves quandoque libidines excitet. Hinc innumeræ Synodi mulieres scandalose nudas absolutione, & Eucharistia donari vetuerunt. Hinc primævi Patres contra mulierum nuditatem, tunc sane minorem, quam nunc sit, constanter insurrexerunt. Tertullianus Lib. de velandis virginib. cap 15. *Judicabunt vos*, inquit, *Arabiæ fœminæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ sint dimidiam frui lucem*, & Clemens Alexandrinus Lib. 2. Pedagogi cap. 2. *Nullò modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur: hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant.* Unde licet Sylvius 2. 2. q. 169. art. 2. excuset a mortali eas, quæ juxta receptam loci consuetudinem (quam negat sine gravi peccato introduci posse, ubi non viget) pectus sine prava intentione denudant modice; eas tamen a gravi lascivia excusare non audet, *quæ ita denudant pectora, ut etiam ostentent ubera nuda*. Et vero S. Antoninus prudens moralium arbiter; hæc habet 2. part. tit. 4. cap. 5. §. 3. *Si de usu patriæ est, ut mulieres deferant vestes versus collum scissas, & opertas usque ad ostentationem pectoris, & mamillarum... valde turpis, & impudicus est talis usus, & ideo non servandus:* porro usus valde turpis, & impudicus a gravi peccato immunis esse nequit. Quapropter mulieres quoto tempore in eo statu vixerunt, vixerunt in habitu lethalis peccati; unde nulla earum confessionibus præteritis habenda fides, quas idcirco iterare debent; cum, & deliquerint ipsæ ad minus ex vanitate intoleranda; & quod prævidere potuerant, innumeris hominibus, qui *oculos* habent *plenos adulterii, & incessabilis delicti*, spiritualem ruinam procreaverint. Quin & puellæ, quæ pietatem profitentur, habent sæpius, quod sibi hac in parte serio exprobent; cum etsi mulieribus mundanis cautiores, nonnihil tamen indulgeant consuetudini, & amori proprio, ne, inquiunt, ridiculæ videantur. Emendandæ etiam sunt, quæ brachia nimis aperta gerunt. Sane hi defectus aliquando tandem desinerent, si Confessarii facto agmine in eos conjurarent. Sed heu, quam plures, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi! Quod si mulier in habitu vere immodesto ad sacram synaxim accedere ausit, erit hæc caute prætermittenda. *Mulieres qualibet, cujuscumque conditionis sint, aut status, ad communionem non accedant cum fuco, pigmentis, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut ne præter faciem quidquam cernatur;* ait S. Carolus Borrom. tit. de sacra Commun. quod si ex earum repulsa scandalum, & murmura suboriantur, ipsæ sibi imputent.

II. Petri 2. 14.

Colliges 2. graviter reos esse tot omnis ætatis homines, qui in via, plateis,

teis, ipsi etiam sacris ædibus sine attentione, ne dicam plerumque de industria, oculos quoquo versum intendunt.

Colliges 3. graviter quoque ab iis Deum offendi, qui picturas, imagines, statuasque obscœnas faciunt, exponunt, aut intuentur, præsertim cum iis repræsentantur personæ grandiores. Ratio toties decantata est imminens venereæ delectationis periculum. Causantur quidem alii se hæc doctis oculis contemplari; alii se ea solius antiquitatis studio servare. Sed, quam pridem eruditorum oculis eo facilioribus captu, quo de se magis præsumunt, licitum erit, id quod cœteris omnibus prohibitum est? Ad quid amor profanæ antiquitatis, quæ ut olim Auctores suos damnavit, sic & nunc amatores suos in æternum perdere potest? Bene Chrysostomus in Psal. 113. *Dæmon nudæ figuræ assidet*, ut throno suo. *Et nunc quidem statuæ sunt imagines fornicationis, nunc insani in masculos amoris. Quid enim sibi vult Aquila? quid vero Ganymedes? quid Apollo, qui virginem persequitur? quid aliæ execrandæ figuræ? Ubique libido, ubique lascivia nefariorum concubituum, & insanientium amorum statuæ, ubique cernuntur. Statuæ enim ... turpissimarum rerum indicia sunt, & monimenta, ac documenta.*

Hinc prorsus neganda est absolutio iis omnibus, qui prædictas imagines, vel statuas fingunt, vendunt, aut retinent, nisi vel eas ad honestatem reconcinnaverint tam profunde, ut ad pristinum statum reduci non possint, vel eas penitus deleverint; prout expresse jubet S. Carolus Borromæus L. 1. Constit. & Decret. Synodal. tit. *De imaginibus sacris, & profanis, deque pictoribus, & sculptoribus*, n. 26. atque id teste Merbesio 2. p. q. 84. p. 451. pari ad pietatem constantia fecere *Parisiis lectissima quæpiam non infimæ conditionis fœmina, & unus ex ejus liberis materno perpulsus exemplo*, qui *libidinosas imagines, & tabellas ingenti pretio redemptas, & crematas in cinerem redegere*. Et vero, qua ratione impendi possit absolutio iis, qui non unius tantum peccati, sed tot delictorum reos se faciunt, quot peccatis antiquitatum suarum spectatores exponunt.

Colliges 4. Episcopis, & Pastoribus enitendum esse, ut statuas, turpesve imagines non tantum a locis publicis, sed etiam ab hortis, a recessibus, domibusque auferri curent, vel saltem emendari; & multo plus ab Ecclesiis: cum, ut ibid. loquitur S. Carolus n. 27. *Christianæ pietatis rationi alienum sit ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modo religionem non excitant, sed intuentium mentes facile illiciunt in fœdas turpesque cogitationes*. Porro Pastoribus opem ferre debent Magistratus, quia agitur de re, quæ mores corrumpit, juventutem depravat, stragem infert cordibus, ideoque communi bono graviter adversatur.

Colliges 5. arcendos a Sacramentis pictores, qui ut artem suam ediscant, mulierem oculis suis nude objectam sua quisque ex parte depingunt. Ii enim, etsi ne verbum quidem mutire audent, corde pessima meditari possunt, &, quæ summa est hominis fragilitas, quasi necessario meditantur.

Ne tamen hactenus dicta, præsertim, quæ ad mulieris aspectum pertinent scrupulum pariant, addendum credo cum Ethica amor. n. 65. non illicitum esse personam sexus alterius intueri, nec teneri sæcularem quemque demissis oculis incedere per plateas, aut mulieres alloqui: *Imo tanta præcautio posset aliquando plus obesse, quam prodesse: quia timor excessivus facit cogitare de objecto timoris, facilesque tentationes causantur, ad quas evitandas omittitur aspectus. Non est ergo per se illicitum personas alterius sexus intueri; sed*

ex complacentia, vel curiositate intueri, vel etiam oculos figere in earum aspectu Unde *Augustinus Epist.* 211. *alias* 109. *dicit*: Oculi vestri etsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem.

SECTIO TERTIA.

De Ornatu muliebri.

PAucas hic proponam, & solvam quæstiones.

Quæres 1. an, & quo in gradu peccent mulieres, quæ fuco utuntur.

R. Cum S. Thoma 2. 2. q. 169. art. 2. ad 2. *Quod mulierum fucatio ... est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato. Unde Augustinus dicit in Epistola ad Possidium*: Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est ... *Non semper talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum, in quibus casibus loquitur Cyprianus*, cum in L. de habitu mulierum, ait: *Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt*. Pergit S. Thomas: *Sciendum tamen, quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi*, ut vulnere, vel incendio: *Sicut enim*, ait hic Sylvius, *certis in casibus licet occultare veritatem, etsi nunquam liceat mentiri; ita non est peccatum adhibito artificio turpitudinem tegere, quamvis peccatum sit pulchritudinem simulare.*

Sed potestne mulier fuco uti, ut placeat marito, aut puella nobilis, ut placeat amasio? *Affirmant aliqui*, ait Henno, sed *negat S. Thomas, nisi certe mulier id crederet necessarium ad retrahendum ab adulterio maritum*. At nescio unde hanc S. Thomæ doctrinam eruerit prædictus Theologus: nam in responsione ad 2. dicit quidem Angelicus Præceptor non esse illicitum *mulieribus conjugatis ornari, ut placeant viris, ne detur eis occasio cum aliis peccandi*: at ibi ne verbum quidem habet de fuco; neque id exigit Articuli materia, quæ est generatim de ornatu mulierum; qui sane non omnis est in fuco.

Ex hac decisione sequi videtur fuci venditores, si eum obvio cuique distrahant, peccare lethaliter; cum eo indubie plures *ad lasciviam* utantur; venialiter, si vendant iis, quos constet eodem usuros non esse in finem mortaliter malum, ac demum nullatenus in principiis Sylvii, & ut videtur S. Thomæ, si iis solum vendant, qui eo usuri sint solum ad tegendam turpitudinem. Non desunt tamen, qui cum Pontasio v. *Fard*, cas. 2. quem alibi secuti sumus, pronuntiare non ausint prædictos venditores mortaliter peccare: sane, quia, ut & ego, excludunt primam hypothesim, circa quam si interrogentur mercatores, nescio, an quis inveniatur, qui categorice respondeat; cum pauci admodum sint, qui lucri occasionem, quæcumqne ea sit, permittant.

Tom. 2. p. 538.

Quæres 2. an peccet, quæ seclusis scandalo, & prava intentione, capillis appositis utitur ad ornatum.

Respondet Sylvius ib. his verbis: *Uti alienis capillis, vel nullum est peccatum, ut si quis utatur eis simpliciter ad ornatum, sicut utimur lana, lino, & pellibus animalium; vel solum est veniale, ut si quis fingat esse proprios, nullamque aliam pravam apponat circumstantiam*. Quia tamen, ut docet ibid. S. Thomas ad 1. non solum *inverecundus, & impudicus*, sed etiam *superfluus* cultus fœminis interdicitur ab Apostolo 1. ad Timoth. 2.

ubi

ubi dicitur: *Mulieres ... cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa*, rarum est, ut quæ his nugis se dedunt, ab omni culpa immunes sint.

Quæres 3. an mulieri licitum sit vestem induere virilem, & e converso.

R. Cum S. Thoma ibid. ad 3. *De se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili aut converso; & præcipue, quia hoc potest esse causa lasciviæ, & specialiter prohibetur in lege; quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi*.

Pergit Sylvius: *Si autem absque simili causa fiat, solum ex levitate, & absit tam scandalum, quam intentio, periculumque libidinis, peccatum erit veniale; mortale vero, si sit intentio, vel periculum lasciviæ, aut alioqui notabile scandalum*. Unde, quod Deut. 22. *Abominabilis apud Deum* esse dicitur, qui alieni sexus habitum induit, partim naturale est, & ut sic omnes obligat, sed diversimode secundum periculi, & malæ intentionis diversitatem, partim cæremoniale est, & sic gravius obligabat Judæos, qui habitum immutando, vel idololatriam profitebantur utcumque, vel suam in Gentilium ritus propensionem, utique non sine gravi scandalo, testificabantur. Hæc Duacensis Theologi decisio satis æqua videtur; verum haud scio, num in multis casibus inservire possit: cum ex iis, qui vestem immutant extra necessitatis casum, plerique, nisi omnes, ex alio, quam levitatis motivo agant, & si foras prodeant, ut consueverunt, scandalum exitiale præstent.

Multo gravior erit noxa, si vestium mutationi accedat larvæ assumptio, quæ communiter a gravi peccato excusari nequit, sicut nec ars eorum, qui hujusmodi larvas conficiunt; & quibus, nisi artificium hoc factitare desinant, absolutionis beneficium constanter denegandum est. Nec est, quod regerant, se, dempta sibi hac arte, quam solam didicerint, non habere unde vivant, & familiam sustentent. Ea enim excusatione tueri se posset idolorum artifex in Sinensi regno, & tamen idola fabricare non licet, secundum id Tertulliani Lib. de Idololatria c. 4. *Quidquid idololatra committit, in artificem quemcumque, & cujuscumque idoli deputetur necesse est*. Vide Pontas v. *Masque*, ubi prænotat larvarum usum multis Regni Constitutionibus, præsertim autem ab Henrico III. an. 1579. tam severe prohibitum fuisse, ut, qui personarum quempiam occidisset, nullis *remissionis*, *ac gratiæ* litteris indigeret.

Circa fœminarum vestimenta notandum eas, quæ inordinate vestiuntur, seu contra morem patriæ, seu supra conditionem status, seu propter mollitiem, & delicias, plus, vel minus peccare, prout plus, vel minus ab ordine recedunt. Et quidem indubium est, quod peccent in hoc triplici casu. In primo, quia singularitas vitium est; & ut ait Augustinus L. 3. Confess. c. 8. *Turpis est omnis pars, universo suo non congruens*. In secundo casu, quia, quæ supra conditionem suam vestiri amant, vanitatis, & superbiæ convincuntur. In tertio, quia insulsum est, ut vestes, quæ peccati pœna sunt, ejusque memoriam revocare debent, non ad tegendum corpus, sed ad delicias ordinentur.

Neque hic semper deest culpa lethalis, ut 1. cum vestium forma, idonea est, quæ libidinem accendat. 2. & a fortiori cum mulier ornat se hac intentione, ut viros alliciat in concupiscentiam sui. 3. cum, ut loquitur

Sylvius, tanta est vestimentornm sumptuositas, propter eam vel non solvantur debita, vel non restituantur ea, quæ debent restitui.

Sed, quid si mulier ab ornatu superfluo abstinere nolit?

Respondet Sylvius eod. art. 2. si clare constet de peccato mortali, negandam esse absolutionem: si vero clare constet de non mortali, esse concedendam. Quod si, ait, Confessarii *non possunt clare percipere, utrum ibi sit mortale, an solum veniale, persuadeant, quoad possunt, ut pœnitens abstineat: si tamen nolit, non ei faciant conscientiam de mortali, ne deinceps mortaliter peccet, ubi alioqui non peccaret, neque absolutionem negent, quia ... melius est reddere Deo rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate.*

Ego quidem gravis me peccati reum crederem, si hanc Doctoris de cœtero vere docti decisionem sequerer. Absit ut liquido mortale dicerem, id quod forsitan veniale fuerit; at pro dubio mortali haberem & darem, id, quod post examen serium mihi tam mortale, quam veniale appareret. In hoc autem dubii casu malim mori, quam absolutionem vere dubiam impendere.

Quod de superfluis fœminarum, id de paribus virorum indumentis dictum censeatur: *Sunt* equidem *nonnulli*, ait S. Gregorius Homil. 40. in Evang. *qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum; quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso, & purpura indutus fuisset.* Illi tamen, *qui in dignitatibus constituuntur, vel etiam Ministri altaris, pretiosioribus vestibus, quam cœteri induuntur, non propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii, vel cultus divini*, ait S. Thomas ead. q. 169. art. 1. ad 2. quamquam Ecclesiasticis præsertim, etiam Præsulibus, caute vitanda est omnis superfluitas.

Quæres 4. quid sentiendum sit de calathis mulieribus, gallice *paniers*, non ita pridem adinventis?

R. Usum hunc non a Deo, sed a diabolo solo inventum esse, eique proin fortiter resistendum a Confessariis, donec vel totus e medio tollatur, vel, quod servata rei substantia difficillimum erit, ad limites adeo angustos revocetur, ut nihil inde timendum sit pudori. Certe, quæ cum tartareo hoc apparatu incedunt, in loco paulisper sublimi sedent, genu unum alteri superponunt, &c. eæ verecundiam minus delicatam consternant. Quin etsi minus reæ sunt, quæ angustiorem calathum gestant, cum crocota subtus posita, eo tamen redargui merentur, quod & pareant mori, cui crimen ortum fecit; & eas confirment, quæ immensi voluminis cophinos deferunt. Hoc igitur in puncto parentibus resistere deferent puellæ, & quod pensionarias suas, sanctimoniales, quæ, si quid, ut morem hunc extirpent, patiantur damni, a Deo in sponsas sibi fideles munifico, hac etiam in vita compensabuntur. Legatur ea de re decisio an. 1728. ab auctore precationis publicæ tradita.

Liceat articulum hunc hac Tertulliani obtestatione concludere, Lib. de veland. virginib. c. 15. *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo, vela caput*, tege, quæ tegi debent, rejice consuetudines, quas ipsa conquereris introductas fuisse; *si mater es, propter filios, si soror propter fratres, si filia propter patres, omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.*

SECTIO QUARTA.

De turpibus Verbis, Cantilenis, Scriptionibus &c.

AGendum 1. de his, qui turpia loquuntur, canunt, audiunt, aut legunt. 2. de iis, qui hæc componunt, & prælo mandant. Sit

CONCLUSIO I. Qui turpia loquuntur, audiunt, vel legunt sine justa necessitate, communiter rei sunt peccati mortalis.

Prob. ex Apostolo Ephes. 4. ubi sic: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei*, & cap. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia .·. nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*, & 1. Corint. 15. *Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Ex quibus constat turpiloquium, & his similia non vacare a peccato: atqui vix fieri potest ut peccatum illud, si de rebus vere obscœnis sermo sit, non sit lethale. Peccatum enim lethale est, ubicumque reperitur libidinosa voluptas, aut ejusdem periculum: atqui hæc vix deest aliquando, cum quis spontanee turpia, vel loquitur, vel legit, vel audit. Quare enim saltem ut plurimum turpia loquitur, auditve, vel legit, nisi quia hæc mentem jucunde titillant, rapiunt, & alliciunt.

Confirmatur, & tamen simul temperatur conclusio his S. Antonini verbis, quæ ex parte mitiori refert, & approbat Nat. Alexander ad 6. præceptum Reg. 5. sic S. Doctor part. 2. tit. 5. cap. 1. §. 8. fol. 206. *Quintus gradus luxuriæ est turpis confabulatio*, de qua *Cyprianus in Lib. de Virginitate ait*: Ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, idest turpium, quantum dedecoris, & criminis afferat, confitentur: *sed crimen importat mortale peccatum: ergo & confabulatio, idest locutio turpium est mortale .·. Et de hoc nulli dubium est, quod, qui dicit verba turpia, & lasciva, hac intentione* (adde & gravi periculo) *ut se, vel alium provocet ad luxuriam, vel se mente delectandi in locutione, & cogitatione turpium extra matrimonium, mortaliter peccat .·. Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium* seu jocum, *quamvis de se non videantur mortalia, quia peccata oris secundum Thomam permaxime judicantur, quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis, propter quod dicit Augustinus, quod ream linguam non facit nisi rea mens: tamen per accidens posset esse mortale ibi ratione scandali, seu ruinæ inde sequentis in mente alicujus, ut cum audientes sunt debiles*, seu infirmi *spiritu*, aut non probatæ virtutis, *& verba essent multum lasciva*, & tunc tot committentur peccata, quot erunt adstantes. Imo, (& hoc semel, & in perpetuum intelligatur in paribus materiis,) si adstantium alii sint conjugati, alii ligati voto castitatis, tenebitur turpium narrator circumstantiam hanc aperire; quia aliud est soluto, aliud conjugato, aliud Ministro in sacris ruinæ hujus periculum propinare: cum primum fornicationis, secundum adulterii, tertium sacrilegii inchoati fuliginem habeat.

Pergit S. Antoninus: *Idem dicendum videtur de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas lasciviis, & multo magis quando ibi immiscentur etiam nomina Dei, & Sanctorum, quod pertinet ad notabilem irreverentiam Dei, & Sanctorum. Sed audientes libenter talia, non tantum ex quadam levitate, & solatio vano; sed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes, non videntur posse excusari a mortali, sicut nec a delectatione*

morosa turpis cogitationis, cum ex auditu sequantur talia præcipue mentibus infirmorum, nisi forte hæc foret inter conjuges. Si ergo contingat præter intentionem talia audiri, vitare debent, vel saltem displicientiam mentis habere.

Dixi: *sine justa necessitate*, aut utilitate. Confessarii enim, Medici, Chirurgi, Theologi multa audire vel legere possunt, quæ non possent alii.

Hic quædam observanda. 1. allatam S. Antonini decisionem, quæ utcumque mitior videri queat, vix uni e sexcentis eorum, qui turpia loquuntur, aut sponte audiunt, favere posse: cum pauci admodum sint, qui turpibus verbis, vel dictis, vel lubenti animo auditis impure non moveantur, aut proxime moveri non possint.

2. Quod ubicumque ex verbis etiam non graviter turpibus, imo forte honestis imminet grave venerei consensus periculum, tunc ab illis illico recedendum est.

3. In misero esse statu, qui æquivocis dictionibus assuescunt, obvia quæque flectunt ad sensus impuros, cantilenis immunditiam spirantibus occupant, & occupantur. *Pravis assuescere sermonibus*, ait S. Basilius hom. 24. *via quædam est ad rem ipsam.* Et tamen, ait S. Cæsarius ser. 303. in App. Augustiniana, *quam multi rustici, & quam multæ mulieres rusticanæ,* sed heu quam plures urbium incolæ, *cantica diabolica, amatoria, & turpia memoriter retinent, & ore decantant! Ista possunt tenere, & parare, quæ diabolus docet; & non possunt tenere, quod Christus ostendit? Quanto celerius, & melius quicumque rusticus, vel quæcumque mulier rusticana, quanto utilius poterat, & symbolum discere, & orationem Dominicam, & aliquas Antiphonas, & Psal. 50. vel 90. & parare, & tenere, unde animam suam, & Deo conjungere, & a diabolo liberare possent? nam quomodo cantica turpia in tenebras diaboli mittant, sic cantica sancta Christi lumen ostendunt.*

4. Enitendum pro virili Pastoribus, Confessariis, Concionatoribus, patribusfamilias, iis demum omnibus, qui aliquid in alios potestatis habent, ut gravissimum turpiloquii horrorem incutiant; cum ex hoc pars hominum longe maxima triste subeat naufragium pudoris, & sensim, si non statim, in peccata, & habitus proruat, e quibus vix jam emergere possit. Unde, qui turpia coram se narrata non approbant interius, & tamen præbent aliis occasionem, vel ea incipiendi, vel cum incœpta sint, continuandi; & sic turpiloquiis auctoritatem præstant, mortaliter delinquunt; quia exterior rei mortalis approbatio, est peccatum mortale.

Conclusio II. Qui turpia componunt, puta comœdias, poeses, cantilenas, aut citra necessitatem vel utilitatem tractatus edunt de rebus obscœnis, peccant gravissime; etiamsi, quod vix supponi potest, mentem habeant a turpi cogitatione liberam.

Prob. quia ii omnes sciunt, aut scire possunt, & debent, se eorum plerisque a quibus perlegentur, peccati, & ruinæ spiritualis occasionem futuros esse. Unde habentur a probis quibuslibet, ut publici animarum venefici, qui tot afficiunt morte, quot habuere lectores. Et ideo Pius IV. Sixtus V. & Clemens VIII. in edito Librorum prohibitorum Indice, Libros de rebus obscœnis, & lascivis tractantes a fidelibus legi, & retineri prohibuerunt. Idem vetuerunt Synodi complures, e quibus sufficiat citasse Burdigalensem anni 1583. quæ tit. 7. jubet a Confessariis, & Pastoribus sæpissime moneri Christianos, *ut fugiant tanquam viri mortiferam lectionem Librorum quorumcumque, qui vel ad artes magicas pertinent, vel obscœnas, & impias narrationes continent; eosque ut olim tempore Apostolorum factum legi-*

legimus, *comburant*. Sensit hoc sero, sed tandem profunde sensit Fontanius, qui positus in extremis commenta sua * cum lachrymis detestatus est.

Sed quid de Romanensibus Libris?

R. eos nec scribi, nec legi posse ut plurimum, sine gravi culpa, si, ut moris est, profanos amores delineant, & amantium colloquia, litterulas, artes, milleque casus libidine, invidia, tremore, periculosa constantia, clandestinis doli consiliis intricatos referant. Docet enim frequens, & frequentior experientia, pares in teneris, & incautis adolescentum, & puellarum cordibus flammas excitari. Hinc deflet Aug. lib. 1. Confess. c. 13. se lachrymas impendisse Didoni, cum interim animæ suæ mortem, quæ fiebat non amando Deum, minime lugeret. Hinc Gerso Romantium *De Rosa* tam vivide exagitavit. Hinc S. Theresia tantam divini fervoris imminutionem ex equestrium fabularum lectione perpessam se confitetur cap. 4. vitæ suæ. Quid, quod *nisi, quis apud Hebræos ætatem Sacerdotalis ministerii, idest tricesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec* Ezechielis *exordium, & finem legere permittitur*, ait S. Hieronym. in Proœmio Comment. in Ezech. apud Merbesium 2. p. q. 84. Unde etiam, ut refert Natal. Alexand. ibid. Reg. 6. ex S. Leandro Hispalensi Episcopo Lib. de Instit. Virginum, c. 7. Veteres idem Canticum, Moysis, Josue, & Judicum Libros a carnalibus, & junioribus legi prohibebant; *ne * dum eos spiritaliter nesciunt, libidinis ac voluptatum incitamento solvantur*. Merito proinde proscripta Quenelli thesis, quæ Scripturæ sacræ lectionem omnibus indistincte necessariam facit. Qui plura circa Romanenses Libros volet, adeat specialem ea de re orationem Caroli Porèe S. J. ubi Christianus orator, quem mihi amicum fuisse diu gloriabor, pari ad pietatem facundia demonstrat *Libros Romanenses multum nocere litteris, & rei litterariæ*; sed *multo magis nocere moribus, & Reipublicæ*. * *S. Leand.*

Ex his colliges pro praxi, Sacramenti indignos esse, 1. Typographos, & Bibliopolas, qui hujusmodi Libros edunt, aut obvio cuique, ut solent, venales exponunt. Imo eorum quidam sunt, qui nemini vendi possint, sed flammis immisericorditer debeant aboleri. 2. patresfamilias, qui ut bene dicendi artem filios, filiasve suas edoceant, lectiones amatorias, & similia, iisdem, & una venenum propinant. 3. etsi viris gravibus, & pudicis; qui dictionis lepores, gravitatem sententiarum, elegantem sermonis texturam solum, & unice inquirunt, plura, quam aliis licita esse possint, paucos tamen esse, qui in hoc ordine censeantur, sed multo plures, qui sibi temere blandiantur. Ut ut est, cavere hi debent, ne vel juvenibus, aut etiam viris maturioribus ætate, quam animo Libros suos commodent; aut ne ii, post mortem suam incidant in manus eorum, quibus exitiales esse possint.

De litteris amatoriis, quæ sub reverentiæ, & urbanitatis larva, amorem teneramque propensionis flammam spirant, & acuunt, nihil est, quod dicam: quia quantum iis insit periculi, intelliget quisquis homo fuerit. His porro, qui tales receperint, injunget Confessarius ut statim comburant. Sunt enim idola quædam, quibus cor jam læsum facile denuo possit accendi. Idem de acceptis ab amasio vel amasia munusculis dicendum.

* M. de la Fontaine... prèr à recevoir le S. Viatique dètesta ses Contes, les larmes aux yeux; & fit amende honorable devant Messieurs de l'Accademie, qu'il avoit priès de se rendre chez lui par dèputes, pour être temoins de ses dispositions prèsentes *Histoire de l'Academie Francoise par M. l'Abbè d'Olivet*, pag. 311.

SECTIO QUINTA.

De Saltationibus, & Spectaculis.

MAteriam hanc non minus practicam, quam præcedentes, paucis conclusionibus expedire conabor. Sit igitur

CONCLUSIO I. Saltatio non est de se mala.

Prob. 1. ex Scriptura. Eccles. 3. v. 1. & 4. *Omnia tempus habent.·. tempus plangendi, & tempus saltandi.* 2. Reg. 6. *David saltabat totis viribus ante Dominum*, & saltando, Domino placebat, ut patet ex decursu capitis.

Prob. 2. ex S. Thoma in cap. 3. Isajæ, ubi sic: *Quia impossibile est semper agere in vita activa, & contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, & ut homo promptius vacet ad opera virtutum; & si tali fine fiat de ludis cum aliis circumstantiis, erit actus virtutis, & poterit esse meritorius, si gratia informetur. Istæ autem circumstantiæ videntur in ludo choreali observandæ; Ut non sit persona indecens, sicut Clericus, vel Religiosus; ut sit tempore lætitiæ, ut.·. in nuptiis, & hujusmodi; ut fiat cum honestis personis, & cum honesto cantu; & quod gestus non sint nimis lascivi*, item, ut absit periculum libidinis; ut choreæ, nec in loco sacro, nec tempore Officii divini, imo nec Festis diebus agantur; de quo infra.

CONCLUSIO II. Choreæ inter personas ejusdem sexus, absque turpi gestu, aut affectu permitti possunt.

Sequitur ex dictis. Unde puellæ, quæ absoluto diei penso se paululum iis saltationibus recreant, peccati cujuslibet expertes esse possunt. Idem est de adolescentibus a puellarum consortio remotis. Et vero pares choreæ a superioribus permittuntur in tragœdiis ad juvenum recreationem, & exercitium.

CONCLUSIO III. Choreæ inter personas diversi sexus, possunt vacare a peccato, vix tamen unquam permitti possunt a Confessariis; quia vix unquam habent conditiones, quæ ab omni peccato excusent. Ita Pontas V. *Danse*, nec dissentiunt, qui mitius sentire videntur; quia cum cuncti certas ad chorearum innocentiam requirant, & requirere debeant conditiones; & hæ pene semper desint, plus alii ab aliis verbo discrepant, quam sensu. Interim

Prob. 1. pars, quia cum choreæ de se sint absolute indifferentes, possunt bene vel male fieri, pro affectu personarum, quæ eisdem vacant: ergo, si vitiosus absit affectus, nec mala quædam intersit circumstantia; ut fieri potest inter eximiæ probitatis, & aliquando ejusdem familiæ personas, nihil hic suberit, quod mereatur redargui.

Prob. 2. pars, choreæ ut fieri consueverunt, sunt ludi quidam in frequenti virorum, fœminarumque concursu, quorum ne unus quidem eo ivit, ut Deo placeret, sed mulieres toto cultu, mundoque muliebri ornatæ, ut leporibus, venustate, formæ, & saltandi gratia omnibus placerent; viri vero ut mulierum decore, elegantia, colloquiis, saltatione, omnibusque illecebris, oculos, aures, animosque pascerent. Illic præludentibus instrumentis, quæ lenibus numeris jam animos emolliunt, puellæ ex ipsa pectoris protensione solito immodestiores per intervalla saltitant, manu apprehenduntur, oscula recipiunt, gratulatoriis plausibus, amatoriis verbis afficiuntur &c. atqui fieri nequit, posita, quanta est, hominis ad malum proclivitate, ut tales ludi non importent multiplex multiplicis peccati periculum. Major propositio, si cuipiam hodie incerta videatur, nemini non, ut credo, videbitur in die judicii cla-

clarior meridiana luce. Et vero, quantum ibi periculum aspectus impudici, amplexus libidinosi, verbi, quo profundum vulnus infligetur? Quis de se præsumere possit se in circulo, * *cujus centrum est diabolus, & cujus circumferentia sunt Angeli ejus circumstantes*, immotum iri? Quæ puella etiam vitium, & libidinem exosa, confidat se nulli futuram esse gravis peccati occasionem? quæ sperare possit cor, quod hactenus amatoriæ voci gessit impervium, non cessurum tandem in loco, qui per se vigilantiam, orationis, pœnitentiæ, ac compunctionis spiritum excludit. Merito igitur Trullana Synodus vetuit *publicas mulierum saltationes*, ut *multam noxam, exitiumque afferentes*. Merito S. Carolus Borromæus, nonsolum in Tractatu singulari ex Patrum, & Conciliorum testimoniis contexto saltationes innocentiæ Christianæ periculosas esse docet, sed & eas in *Memoriali* part. 2. cap. 6. his verbis impetit: *Valeant execrandæ illæ publicæque saltationes, Christianorum castitati adeo exitiosæ, rixarum, jurgiorum, inimicitiarum, impudentiarum, pugnarum, cædiumque radices, & occasiones, imo cujuscumque lasciviæ seminaria. Quid plura? ex ejusmodi saltantium consortiis oriuntur corporum famæ, rerum, & Christianæ denique postbac disciplinę detrimenta. Eliminentur ergo choreę, & cum his tot alię morum corruptelæ, quibus hoc maxime tempore solet satanas hominum mentes suo imperio vindicare, prorsus abrogentur.*

Suffragatur belle S. Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 6. ubi postquam præmisit, quod & nos prædocuimus, choreas posse *aliquando bene fieri*, sin nempe, cum debitis fiant conditionibus, satis indicat in tripudiis, prout solent fieri, eas conditiones vix unquam adesse. Sic ille §. 3. *Amicus mundi est, qui amat pompas, lascivias, superbiam, vanam gloriam, & qui vult placere hominibus in peccatis, quæ omnia reperiuntur in choreis, & ideo per eas efficitur quis inimicus Dei.. Per choreas, & saltus tripudiorum, quæ fiunt in conviviis aufertur caput Joanni.. Augustinus dicit, quod* Melius est diebus Dominicis arare, vel fodere, quam choreas ducere: *sed certum est, quod arare vel fodere in diebus Festivis, ex hoc amitteretur gratia Dei... Mulier, ut dicit Origenes, est* Arma diaboli, caput peccati, expulsio paradisi. *Aliquando diabolus bellat cum homine per aspectum mulierum; aliquando per auditum vocis mulierum: aliquando per tactum;* sed *in choreis per omnes istos modos simul bellat cum hominibus. Nam ibi videntur totaliter cum suis ornatibus, ibi audiuntur in suis cantibus, & cacchinnis & locutionibus, & manu tanguntur, & ibi diabolus fortiter pugnat, & vincit. Non mirum si chorizeantes sunt inimici Dei, cum faciant contra omnia mandata Dei & Sacramenta, quæ sunt medicinæ Dei. Nam contra Baptismum militant, quia cum in Baptismo per Patrinum.. promisarint renuntiare diabolo, & pompis ejus, per choreas promissionem frangunt, sequentes diabolum, & pompam ejus, & opera. Contra Sacramentum Confirmationis, quia cum in ipso susceperunt signum crucis, in signoque sunt redempti sanguine Christi.. ipsi sibi imponunt in capite signum diaboli, ornamentum scilicet varium diabolica instigatione.. Contra Sacramentum Matrimonii, quia multa desideria concipiuntur contra fidem datam ibidem*, &c. Legantur cœtera apud S. Doctorem, & conferantur, cum experientia eorum, qui choreis delectantur; nullusque dubito, quin defecisse potius judicetur, quam excessisse.

Dices: S. Franciscus Salesius Lib. 3. Introductionis ad vitam devotam, cap. 33. permittit Philoteæ suæ, ut raro quidem, sed aliquando nihilominus,

* Hanc chorearum descriptionem a Conrado Clingio Ordinis S. Francisci Theologo traditam approbat. Carolus Borrom. in suo adversus Choreas Tractatu.

nus, choreis intersit, si nimirum *bene* se ab iis excusare nequeat: ergo.

R. dist. ant. Permittit, & simul efficaciter probat, hac licentia vix, ac ne vix quidem unquam utendum esse, C. permittit, ut rem undequaque licitam, imo & prorsus indifferentem, N. Itaque consultus de choreis piissimus Præsul, respondet æquivalenter id, quod respondemus, tripudia scilicet non esse rem de se adeo malam, uti ei nunquam cedi possit sine crimine, etiam recreationis causa, & cum personis honestis. Verum attente totum caput legenti constabit, exercitium hoc Genevensi Episcopo visum fuisse plenum periculi, & stultitiæ, ac christiana anima prorsus indignum. Hinc de choreis dicit, quod de fungis Medici, horum optimos quosque esse insalubres. Hinc choreas exhibet, ut theatrum, in quo certatur de vanitate, a qua, inquit, ad pravos affectus, & periculosos amores facilis est transitus. Hinc a choreis, sicut & a fungis, venena quæcumque circum diffusa attrahi docet. Hinc, ne quid ex iis remaneat impressionis malæ; vult, ut quæ saltaverunt, statim sibi revocent, ea ipsa hora, qua saltarunt, plures in inferis cruciari animas ob peccata in tripudiis commissa; &c. Quæro autem, an ii sint actionis prorsus inculpatæ caracteres; & an, qui choreis interesse amant, ea observent, quæ a sanctissimo Præsule observari jubentur; Ratum sit igitur, & fixum, choreas peccandi periculum præbere 1. antequam adeantur, ratione vanitatis, & ornatuum, quibus ad eam actionem præluditur. 2. dum fiunt, ob liberioris intuitus oscula, blanditias. 3. postquam desierunt ob profunde animo inserta passionum omnium zelotypiæ præsertim, & amoris vestigia.

Conclusio IV. *Spectaculorum, & Comœdiarum frequentatio periculosa est castitati, & multimodis animæ noxia. Unde vix absque peccato interesse spectaculis, & comœdiis Christianus potest.* Ita Natalis Alexander, cujus resolutio pro secunda parte pene laxior videtur.

Antequam probetur conclusio, pauca quædam prænotari decet; & quidem 1. comœdiam esse vulgo Poeticum drama, quo civilis, & privata actio, cum læto, & ut plurimum nuptiali exitu repræsentatus. 2. repræsentationem comicam innocenter fieri posse, & de facto fieri pluribus in Collegiis, ubi comœdiæ mores juvenum castigant ridendo, eosque instruunt ad publice dicendum, sine periculo, cum nulla scenam alioqui honestam conscendat persona muliebris, aut muliebriter vestita. 3. ut sane judicetur de comœdia spectari eam debere non abstracte, sed secundum omnes loci, temporis, poematis ipsius, actorum scenicorum, auditorumque circumstantias. His præmissis

Prob. Conclusio. Christianus, qui spectaculis interest, vel habet mores jam corruptos, vel in corruptionem propendet, vel demum, quod rarum est, mentem hactenus a passionibus fœdis liberam servavit, & incolumem: atqui nullus ex his spectacula adire potest sine peccato; Probatur minor de tertio: sic enim probabitur efficaciter de duobus primis; præterquam satis ex se patet, eum, qui jam mente depravatus sit, nihil inquirere in theatro quam nova libidinum irritamenta: eum vero qui jam propendet in libidinem, haud firmiter constitutum in via lubrica, & ancipiti, in qua vix sine prolapsione consistere possint, qui pede sunt firmiores. Itaque

Prob. min. Nemo citra grave periculum potest iis interesse ludis, qui sive ex parte argumenti, sive ex parte circumstantiarum funestos effectus parere nati sunt: atqui tales sunt ludi scenici. 1. quidem ex parte argumenti, seu materiæ, vix eorum ullus est, qui ad vitia potenter non inclinet. Theatralis enim fabulæ argumenta sunt, ut plurimum amores, conjugia mille generum omnium artibus quæsita, rivalitates, odia ad furorem usque protensa, alia-

que

que id genus, quæ in plerisque scenicorum Scriptorum Libris uno quoque passu deprehenduntur: quæro autem, an fieri queat, ut per hæc lepide dicta, vivide insinuata, vocis, ac gestus adminiculo fulcita, animum non flectant, quo voluerint auctores? Et vero, an menti hactenus puræ *cornea fibra est*, ut non moveatur? An ei, in loco, qui diaboli est, * uberem hanc gratiam porriget Deus, quæ sola præservat a lapsu? an sursum corda diriget, ne inducatur in tentationem, qui tentationis occasionem sponte, & volens inquisit? an ac antea profanum amorem exhorrescet, qui eum laudibus extolli, ac tandem feliciter coronari vidit? an accedente, ut ocius vel serius accidere potest, libidinum flamma, non iis utetur artibus, quas e theatro didicerit? Certe ait Cyprianus Lib. de spect. *Discit facere, cum consuescit videre*.

2. Scenici ludi de se periculosi, ratione circumstantiarum fiunt periculosiores. *Quis* enim, ait Cassiodorus Lib. 1. Epist. 27. *mores graves in spectaculis requirat? Ad circum* seu theatrum *nesciunt convenire Catones*, sed eo passim confluunt adolescentes moribus perditi; fœminæ molles, & molliter vestitæ, quæ id unum ambiunt, ut videant, & videantur; Actrices non raro pudicitiæ venalis, diabolico ornatuum apparatu lasciviam spirantes, professione sua infames, forsitan infamiores moribus; &, quæ dum mortiferos heroidum fabulæ amores declamant, declamant proprios: Ergo, ajebat Lactantius, Lib. 6. Institut. cap. 20. *Spectacula publica, quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentissime valent, tollenda sunt nobis, quia non modo ad beatam vitam non conducunt, sed etiam nocent plurimum*. Merito igitur S. Carolus Boromæus Instruct. ad Prædicatores verbi Dei, hæc Oratori sacro præcipit: *Spectacula, ludos, ludricasque res, id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuo detestabitur, execrabitur; demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas inde in populum Christianum dimanare ... in quam sententiam valde populum confirmabit per ea, quæ gravissimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chrysostomus afferunt*.

Nec est, quod regerant putidi spectaculorum defensores, ea a SS. Patribus prohibita fuisse, quia, & ad idololatriam trahebant, & erant verbis obscœnissimis referta; utrumque autem nunc exulare a comœdiis, hodie multo defœcatioribus, quam ante fuerint; & in quibus multa reperire est; quæ mores vere emendent. Hæc enim responsio ipsa debilitate debilior est.

Falsum est enim, Patres antiquos non prohibuisse spectacula, nisi rationibus, quæ hodiernæ scenæ ludos non attingant. Hæc enim redarguit Tertullianus in Lib. de spectac. cap. 24. eo quod reprobentur in iis Scripturæ locis, ubi *concupiscentiæ sæculi damnantur*; eo quod, qui *spectaculis modeste, & probe* frui velit, *non tamen immobilis animi fit*, ac proinde quasi invitus corrumpi possit præsertim, quia *nemo ad voluptatem venit sine affectu, nemo affectu sine suis casibus patitur*; eo quod demum scenici ludi sint res adeo malæ, ut *auctores* eorum, seu actores, *cum acceptissimi sint, non* sint *sine nota* infamiæ.

Neque minus hodierno theatro, quam Veteri conveniunt hæc S. Chrysostomi verba Homil. 42. in Act. Apost. *In theatro risus, turpitudo, pompa diabolica; effusio, insumptio temporis, concupiscentiæ absurdæ præparatio, adulterii meditatio, scortationis Gymnasium*; & Homil. 3. de Saule, &c. *Si mulier*, inquit, *sponte*,

---

* Refert Tertullianus Lib. de spectaculis, mulierem, quæ theatrum adierat, inde cum dœmonio reversam esse. Cumque in exorcismo increparetur dœmon, quod ausus esset fidelem eggredi, *Constanter, & justissime quidem feci*, inquit, *in meo eam inveni*.

te, ac forte in foro obvia, & neglectius culta, sæpe numero curiosius intuentem cœpit, ipso vultus aspectu, (imo & inspectu pedum, nam *sandalia* Judith *rapuerunt oculos* Holofernis;) *isti, qui non simpliciter, neque fortuito, sed studio, & tanto studio, ut Ecclesiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem*, vel, quod periculosius est, magnam noctis partem, *in facies abjectarum mulierum illarum defixos habent oculos, qua fronte dicere poterunt, quod eas non videant ad concupiscendum? Ubi verba quoque accedunt facta, lascivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitant.*

Inst. juxta S. Thomam 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3. *Officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec* histriones *sunt in statu peccati*: ergo.

R. S. Doctorem loqui de histrionibus late sumptis, qui, ut puras semper fabulas agere possent, sic & ab omni peccato possent esse immunes: verum, nec ea est, nec ea erit unquam, spectatis temporibus, quæ in dies deteriora fiunt, theatrorum conditio, ubi luxus, ornatus indecori, æquivocæ voces, passiones ad summum protensæ vigent: unde ii lusus sequentibus S. Thomæ verbis reprobantur: Histriones *non sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis*; gestibusve, aut ornatibus *ad ludum*. Magistri sui doctrinam, & mentem paucis expressit S. Antoninus 3. part. tit. 8 cap. 4. §. 12. ubi postquam dixit: *Histrionatus ars, quia deservit humanæ recreationi, quæ necessaria est vitæ hominis secundum Thomam*, ubi statim, *de se non est illicita*, sic paulo infra pergit: *Sed cum histriones utuntur indifferenter tali exercitio ad repræsentandum etiam turpia, vel vituperandum, & irridendum etiam personas spirituales... vel* ibi est *periculum vitæ, ut tendere arcum super funem, & hujusmodi, illicita est ars, & eam oportet dimittere... & peccatum est talia aspicere, & talibus pro illo opere aliquid dari, ut dicit Augustinus.*

Hic obiter addam S. Ludovicum, qui B. Thomæ consiliis lubentissime utebatur, histriones e regno suo expulisse; quod argumento est Angelicum Doctorem non locutum esse de comœdia, ut fieri consuevit, sed ut absolute fieri posset.

Sed an non poterit vir eruditus, ut fabula judicet, assistere primæ ejus repræsentationi, ex qua certus sit se male affectum non iri? an nefas fuerit honestæ mulieri tragœdiam aliquando sanctam adire?

Affirmant aliqui, iisque assentiri videtur Nat. Alexander, cum Christianum non simpliciter, sed vix sine peccato spectaculis interesse posse dicit. In idem utcumque propendet S. Franciscus Salesius in Opere jam citato Lib. 1. cap. 23. qui tamen ad comœdiam eas requireret conditiones, quas ad choreas ab eo requiri vidimus, id est conditiones, de quibus nemo cogitat in praxi: re sapientiorum judicio permissa haud credo a noxa immunes esse, qui vel semel comœdiæ volentes interfuerint. 1. quia eorum nemo, quidquid dicant, aut cogitent, *immobilis est animi*, ut supra ajebat Tertullianus; moveri ergo, & satis proxime possunt, idque in loco ubi gratiam Dei præstolari fidenter non possunt; 2. quia comœdorum actioni, quæ grave est peccatum, indubie cooperantur: tolle enim spectatores, sustuleris, & actores; 3. quia qui comœdiam frequentant, proborum, quos eidem interesse vident exemplo se se confirmant; & illud objicere solent; sive iis, a quibus monentur, ut ab exercitio desistant; sive iis, quos ad illud trahere volunt pene invitos.

Quapropter censeo negandam absolutionem 1. actoribus, qui scenicos ludos exhi-

exhibent; 2. Auctoribus, qui fabulas componunt in theatro recitandas; 3. artificibus, qui ad theatrum proxime spectantia concinnant; nisi hi omnes sufficienter moniti resipiscere velint, & prædictis nuntium remittere perpetuum. Idem, & a fortiori de scenis musicis, gallice *Opera* dicendum. Ita anno 1694. resolverunt Doctores Sorbonici numero sex, quorum decisionem habes in Dictionario Lameti, v. *Comedie*. Legantur ea de re e multis tractatus duo, quorum alter Contiaci Principis, prodiit an. 1666. alter est Jacobi Benigni Bossuet Meldensium Episcopi. Indicem Operum, quæ adversus spectacula prælo mandata sunt labente sæculo XVII. habes p. 83. & seq. Libri cui titulus: *Extrait des Ouvrages de plusieurs Peres de l'Eglise.... sur differens point de Morale*, Parisiis 1713.

ARTICULUS OCTAVUS.

An detur parvitas in materia impuritatis.

Non minus arduum est, quam obvium, & commune argumentum; quod hic tractandum aggredimur: hinc illud, qua licebit cura, & attentione investigabimus.

Suppono 1. id omne, quod castimoniam lædit, sexto Decalogi præcepto prohibitum esse.

Suppono 2. duo esse actionum genera, quæ castitatem lædant, aliæ mere sunt sensibiles, seu sensuales, ut alii dicunt, quales eæ sunt, quæ, ut supra diximus, fiunt ex curiositate, joco, levitate, aut delectatione mere organica, secluso delectationis venereæ consensu, aut etiam periculo. Aliæ sunt libidinosæ, seu venereæ, vel strictus luxuriosæ, quæ nimirum involvunt complacentiam, seu periculum grave complacendi in rebus venereis; iis scilicet, quæ ex se aut ex communi sapientum judicio tendunt ad generationem, prout utique ad eam tendunt coitus, mollities, commotio partium generationi inservientium. Tales sunt, ut supra dixi, amplexus turpes, tactus, turpiloquia, aliaque ejusdem generis.

Suppono 3. causas, quæ remote tantum tendunt ad mollitiem, v. gr. gravemve commotionem carnis, aut spirituum generationi inservientium, proxime aliquando, & per se concurrere ad commotionem levem. Ratio est, quia quæ nec ex se; nec ex ratione subjecti, carnem graviter commovere nata sunt, eamdem possunt leviter commovere. Sic aspectus mulieris, aut etiam amici, paulo diuturnior, aut utriusque manuum compressio, aliquid inordinati in venereis partibus ciere facile potest, nec tamen graves usquam motus ibidem excitabit, nisi accedat nova voluntatis consensio, & nova ad malum gravius tendentia.

Suppono 4. eum, qui certas levium motuum causas ponit, vel eosdem motus intendere, vel non intendere, sed pati invitum, & renitentem; idque vel ex legitima ratione, vel non. His positis, sit

CONCLUSIO I. Datur materiæ parvitas in sensualitate.

Prob. quia ex dictis supra conformiter ad communissimam Theologorum etiam minime suspectorum opinionem, dantur aspectus, imo & amplexus ex quadam curiositate, vel levitate facti, qui a gravi noxa immunes sunt. Dantur & inter amicos teneriora quædam verba, quæ quidpiam sensualitatis habet, & quibus tamen, qui justo suavius afficiuntur, mori malint, quam fœ-

fœdari, aut in levi, quæ inde aliquando suboritur, commotione complacere; hæc tamen, ut toties diximus, sedulo vitanda sunt, ne paulatim trahant ad majora; ne mentem inquietent, & angant; ne exponant periculo ea, quæ statum gratiæ requirunt, operandi in dubio, an non a gratiæ statu excideris.

Conclusio II. Non datur parvitas materiæ in re venerea in se volita. Ita communior opinio, a qua tamen, ut notat Boudartus Tom. 4. p. 434. dissentiunt *nonnulli boni Auctores*.

Prob. 1. quia, ut diximus supra, Præpositus Generalis S. J. jussit a suis omnibus rejici, ut *intolerabilem* doctrinam, quæ dicit *in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberate quæsitam propter levitatem materiæ excusari a peccato mortali*; neque in hoc puncto rigidior est Societas, quam Dominicanorum Ordo, ut testatur Vincentius Baron; 2. quia, ut etiam diximus, Clemens VIII. & Paulus V. osculum omne ob delectationem veneream datum, mortalem habere culpam eo usque crediderunt generatim, & indistincte, ut voluerint eos, qui secus sentirent, Inquisitoribus denunciari; 3. quia Sanchez opinionem contrariam, quam aliquando tenuerat, re considerata maturius, sapienter, & diserte retractavit, ut notat, & approbat Dominicus Viva in hanc propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem*, &c.

Prob. 2. quia, ut bene, & sapienter Henno, vel voluntas fertur in objectum venereum grave, ut est copula, mollities, vehemens, ac notabilis genitalium spirituum commotio, vel in objectum physice leve, ut est levis eorumdem spirituum motus: atqui in utrumlibet feratur directe, peccat mortaliter. Et quidem 1. si feratur in objectum grave, gravem hic committi culpam fatentur omnes; quia consensus in objectum graviter malum a lethali culpa excusari nequit; 2. & is est cardo totius difficultatis, graviter quoque peccabit voluntas, si directe feratur in objectum venereum etiam physice leve. Ut enim ibi sit peccatum mortale, sufficit, ut subsit proximum ulterius progrediendi periculum; sed, qui delectationem veneream, etiam physice levem deliberate quærit, proximum, & evidens incurrit periculum progrediendi ulterius. Neque enim in materia tam lubrica, tam congrua inclinationi naturæ per peccatum immaniter corruptæ, tam de se libidinis incentiva, sistit, qui statim, ac sistere proposuit; sed iis similes, qui glaciatum flumen decurrunt, vel fertur extra metas, vel eas prætereundi periculum subiit; ego falsum est, aut saltem nimis dubium id, quod docent boni Auctores a Boudarto citati, nimirum modicam delectationem veneream nonnisi remote ad aliquid graviter malum disponere, sicut v. gr. parvum litigium ad homicidium, vel modicus excessus in potu ad ebrietatem.

Confirm. 1. juxta plurimos, ait idem Theologus, qui puellæ manum tangit ob delectationem sensibilem, peccat mortaliter, quia facile a delectatione sensibili ad veneream descenditur: atqui infinite facilius, ut ita loquar, a parva delectatione venerea ad majorem ejusdem speciei declinat natura fragilis; tum quia pronum est, ut, qui ex proposito parvam carnis commotionem inquirit, amet majorem; tum quia vel ipse in modicam commotionem consensus, de se graviores motus generat: ergo.

Confirm. 2. ideo ex communi Doctorum mente, propositio, quæ osculo ob veneream delectationem dato, malitiam adscribebat solum venialem, modo deesset ulterioris consensus periculum, ideo, inquam, propositio hæc damnata est, quia falsum supponit; nempe dari posse delectationem vene-

ream

ream fine ulteriori periculo; ergo ex communi fapientum fenfu, ubicumque eft confenfus in modicam delectationem veneream, ibi neceffario eft periculum proximum confenfus ulterioris; ergo & grave peccatum.

Obj. 1. Gravitas peccati defumitur a gravitate objecti; atqui levis commotio non eft objectum grave: ergo.

R. dift. min. Levis commotio non eft objectum grave præcife ratione fui, efto: ratione periculi progrediendi ulterius, N. Porro complacentia in commotione levi, periculum hoc femper annexum habet.

Dixi *efto*. Sunt enim plures, qui cenfeant nullam delectationem veneream, ratione fui levem effe poffe, ficut nec ullum Dei odium, blafphemia item, vel fimonia, levitatem materiæ habere poffunt. Quoties enim, inquiunt, integra objecti malitia, tam in re parva, quam in re magna occurrit, tunc peccatum eam malitiam imbibens, non poteft effe veniale, ex parvitate materiæ, fed folum ex indeliberatione confenfus, aut ex inadvertentia: atqui, pergunt, in delectatione venerea reperitur tota malitia impudicitiæ, five ea delectatio fit parva, five magna; non fecus ac in delectatione morofa, five duret per inftans, five per horam: quia nimirum delectatio modica, eft inchoatio pollutionis modicæ, quæ totam pollutionis effentialiter fumptæ malitiam habet; ficut modicum Dei odium, modo deliberatum fit, totam odii hujus penes effentiam fumpti nequitiam habet: ergo. Sic Viva ibid. n. 21.

Huic probationi non immorabimur, ut quæ contra eos, a quibus profertur, militet, ut ftatim patebit.

Obj. 2. In aliis plerifque peccatis, ut furto, datur parvitas materiæ; ergo & in delectatione venerea.

R. Neg. confeq. difparitas eft, quod in aliis peccatis periculum ulterius, fi quod fit, ordinarie fit remotum, ut docet experientia. At in delectatione venerea proximum imminet, & grave confenfus ulterioris periculum ob lubricitatem materiæ, & infinitam prope corruptæ naturæ ad graviora propenfionem. Hæc igitur follicite femper cavenda funt, nedum fovenda. Certe ait Innocentius III. cap. 13. *De Judæis*, &c. *Mus in pera, ignis in finu, ferpens in gremio, fuis* malam *retributionem confueverunt hofpitibus exhibere.*

CONCLUSIO III. Si res venerea fit tantum volita in caufa, datur in ea parvitas materiæ; id eft; fi quis faciat actionem, ex qua odinarie non fequatur nifi levis fpirituum generationis fubfervientium commotio, abfque periculo confenfus, venialiter tantum peccabit. Imo ne quidem peccabit venialiter, fi juftam actionis hujus ponendæ caufam habeat. Ita fentiunt Sylvius, Habert, P. Antoine, & alii, quos citavimus in Tract. de Peccatis part. 1. c. 4. art. 2.

Prob. 1. pars. Ideo in re venerea in fe volita non datur parvitas materiæ, quia, qui in motus etiam leves actu confentit, exponit fe periculo ulteriori: fed, qui leves tantum motus vult in caufa, vel potius non tam vult, quam patitur occafione caufæ, non exponit fe tali periculo; cum fupponatur, quod facile in iis, qui Deum timent, fupponi poteft, abeffe periculum confentiendi in ipfos motus, qui infurgunt: ergo.

Confirm. Si motus leves in caufa permiffi, effent femper peccatum mortale, qui ex vanitate, & ut folertiam dexteritatemque fuam oftendat, equum afcendit, eaque, ut evenit pluribus, occafione leves quofdam motus patitur, jam effet reus mortalis peccati, fi vel id fufpicatus effet, vel non ftatim defiliret ex equo. Idem dicendum de eo, qui curiofam lectionem, nihil obfcœni

fcœni

ſcœni habentem, non ſtatim dimitteret; aut qui, ut placeret amico vini ſcyphum, unde leviter commovebitur, hauriret præter conſuetudinem: atqui hæc a nemine, quod ſciam, admittuntur; nec ſi a quopiam admitterentur, ideo eſſent admittenda. Qui enim hæc ad mollitiem diſponere dicerent, fateri deberent, diſpoſitionem hanc nimis eſſe remotam, ut inducat peccatum lethale. Unde prædicti motus ſe habent ad mollitiem, ſicut duo vel tria communis vini pocula ſe habent ad ebrietatem, aut ira levis ad homicidium: ergo.

Prob. 2. pars, quia ſi graves etiam motus ex honeſta cauſa permitti poſſint a Confeſſario, vel Chirurgis, leves a fortiori permitti poterunt.

Porro, quo gravior oritura prævidetur corporis commotio, eo gravior ad ad eam cohoneſtandam requiretur cauſa; & a contrario. Hinc ne venialis quidem culpæ inſimulare velim eum, qui ut animum recreet, laborique magis idoneum faciat, cum alicujus commotionis periculo aut ſenſu, equo vehitur ad iter, quod pede conficere poſſit: aut, qui ut afflictum amicum conſoletur, tenera quædam adhibet verba, quibus ipſe nonnihil commoveatur, prout meticuloſis quibuſdam contingit. Quin & negat Viva ubi ſupra n. 14. homini abſtinendum eſſe *ab equitatione, & cubatione ſupina, aut alia actione de ſe indifferenti, quamvis non raro cauſaverint in ipſo etiam pollutionem: quia eſſet grave onus abſtinere ab omnibus actionibus de ſe indifferentibus*. Verum id extra caſum neceſſitatis magnæ, & periculum conſenſus nunquam admiſero. Fatetur nihilominus idem Auctor, *actiones, quæ de ſe, & ex natura ſua, & non per accidens inducunt hos effectus, ut ſunt oſcula, tactus, verba amatoria*, ut corculum meum, lux mea, (non tamen ex ſola vanitate prolata ibid. n. 16.) *aſpectus, comœdiæ, picturæ, & alia hujuſmodi, in iis circumſtantiis, in quibus de ſe, atque adeo fere ſemper in omnibus graviter, & proxime carnales delectationes excitant, non* dici *actiones indifferentes, ſed intrinſece malas, niſi ex fine apto cohoneſtentur; eo modo, quo eſt intrinſece malum mederi verenda mulieris, niſi hujuſmodi actio in Chirurgo cohoneſtetur a neceſſitate talis curationis, & ſimul abſit periculum conſenſus*.

Obj. contra Concluſionem, Quilibet etiam leviſſimus carnis motus, eſt pollutionis inchoatio, cum ut notat Rebellus ex Hippocrate, Galeno, & Ariſtotele, ſemper e lumbis ad partes obſcœnas decicat aliquid ſeminis: ſed velle mollitiem etiam inchoatam lethale eſt peccatum; ergo & velle motus, quibus eadem annexa fuerit, grave erit peccatum.

R. Neg. maj. Etſi enim in quolibet carnis motu aliquid e lumbis decidere ſupponatur, id tamen non magis pro veræ pollutionis initio haberi poteſt, quam pro initio homicidii haberi poſſit rixa, aut pro ebrietate inchoata, in eo, qui nec ebrietatem amat, nec facile inebriatur, unus aut alter vini hauſtus præter conſuetudinem: quod ſi hæc a nemine pro gravi ebrietatis, vel homicidii inchoatione habeantur, quia nimis remote ad utrumque diſponunt: cur levis commotio habebitur pro mollitie inchoata, & adeo inchoata, ut ad mortale pertingat? Ea igitur dumtaxat ſpirituum commotio ſpectari poteſt, ut inchoata pollutio, quæ in homine ſano notabilis eſt, adeo, ut ejaculandi ſeminis periculum includat; quod in motu levi non in ſe, ſed in cauſa tantum permiſſo minime contingit.

Poſſet etiam negari minor ad ſenſum objectionis intellecta: alioqui enim ſimplex diſtillatio ſeminis, quam aliqui, & ſæpe timorati leviſſimis de cauſis patiuntur, etiam cum his de cauſis non abſolute neceſſariis naſcitur, eſſet grave peccatum; quod nemo dixerit, aut dicendo perſuadebit. Quia tamen tene-

rior

rior quædam in amicos propensio, aut jocationes, *quæ ad rem non pertinent*, hujusmodi miserias ciere solent, æquum est, ut earum causæ, cum sine incommodo, aut ridiculo fieri potest, omittantur. Sæpe enim his admonet Deus, ut sibi soli adhæreatur, nulli autem creaturæ, nisi in ipso, & propter ipsum. *Diligam* igitur *te Domine, fortitudo mea*, & diligendo castior fiam. Ut, quid in homine inanes solatii guttas inquiro, qui in ipso fonte plenos latices haurire possum. *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*.

ARTICULUS NONUS.

Quî gerere se debeat homo circa motus in inferiori parte exortos.

QUæstionem hanc omittere possem, cum secundum potissimam sui partem in Tractatu de Peccatis discussa fuerit: hic tamen paucis eamdem resumam, ut quæ ad hanc materiam spectant, uno quasi intuitu percipiantur. Itaque

Not. 1. non hic agi de motibus, quos quis in corpore suo sponte, & directe volens pareret: in his enim quantumlibet leves supponantur, graviter peccatum iri probavimus præcedenti Articulo; ubi ostensum est veneream commotionem directe intentam, saltem ob ulterioris consensus periculum, noxam habere semper lethalem. Tota igitur quæstio est de motibus, qui vel naturaliter suboriuntur, vel præter intentionem excitantur a causa indifferente, aut venialiter mala.

Not. 2. prædictos motus, vel esse leves, vel graves.

Not. 3. tripliciter potest quis se habere circa motus sic exortos: 1. in iisdem sibi complacendo; 2. eosdem reprobando; 3. habendo se negative, nec approbando, nec reprobando positive. Sit

CONCLUSIO I. Qui motus naturaliter, aut etiam invito se subortos approbat positive, peccat mortaliter.

Prob. quia approbatio hæc est formalis consensus in commotionem veneream: atqui ex dictis supra consensus hujusmodi, etsi versetur circa materiam physice levem, nunquam immunis est a gravi noxa: ergo.

CONCLUSIO II. Quoties ex perseverantia motus carnalis imminet periculum consensus, tenetur voluntas sub peccato lethali eidem positive, & efficaciter resistere, ac proinde peccat mortaliter, si se solum negative habeat. Ita *uno ore fatentur omnes*, ait post Azorium Sylvius 1.2.q.74.art.2. quæsit. 1. concl. 1.

Prob. Tenetur quilibet sub mortali, imminens mortalis peccati periculum avertere cum potest: atqui ubi imminens periculum consensus in motionem veneream, imminet consequenter peccati mortalis periculum. Imo statim, ac motus ipse, & annexum eidem periculum sufficienter animadvertuntur, aut animadverti possunt, jam peccat, qui non resistit quantum oportet: quia vult interpretative peccatum, cujus proximo se periculo exponit: ergo.

Hic duo annotanda, 1. non posse una quadam regula determinari, quando ex permissione motus inordinati immineat proximum consensus periculum. Quapropter, ait Theologus, quem pluries in hac materia citavi: *unusquisque se ipsum judicet, suamque complexionem, dispositionem, passionem, & experientiam serio, & sine præventione examinet, nec facile sibi aduletur*, imo contra se stateram sagaciter inclinet: *præsertim cum tanta sit voluntatis cum appetitu sensitivo sympathia*.

2. Ubi adest grave consensus periculum, non censeri efficaciter resistere, nisi qui formali actu subortos in corpore motus improbat, & rejicit. Unde non sufficeret alio mentem ad studium, v. g. aut laborem convertere: quia actiones hujusmodi disparatæ, haud satis communiter loquendo virium habent, ut a grassanti libidinis sensu retrahant animum, & jam quasi exurgentem voluntatis consensum potenter cohibeant: maxime cum venerei motus sensim, & velut proditorie a qualibet occupatione in sui delectationem illiciant. Displicentia quidem petulantes carnis motus non reprimet per se, sed tamen valebit, si sit sincera, ad arcendam procul voluntatis complacentiam; cum nihil placeat minus, quam, quod actu displicet. Ita ferme idem: quamquam eum, qui, ut tentationem vinceret, statim advolaret ad Libros suos, quibus mirifice rapitur, graviter redarguere non auderem; præsertim cum in hac agendi ratione vera occurrat displicentia, & improbatio carnis ebullientis: quare enim ad Libros confugit, nisi quia pati non vult motus, quos patitur. Hæc duo notata parum inservient iis, quibus placuerit sequens Conclusio.

CONCLUSIO III. Secluso etiam periculo consensus tenetur voluntas motibus, qui vel sua culpa, vel naturaliter exurgunt, positive refragari, quando eos satis advertit; unde peccat si se habeat negative, nisi justa excuset causa.

Hæc Conclusio, quoad motus, qui in se ipsis intenduntur, admitti debet, & admittitur ab omnibus; quia tales motus vera sunt peccata; tenetur autem quisque verum peccatum statim cohibere. Verum eadem Conclusio, quoad motus naturaliter exortos, plus habet difficultatis. Sunt enim, qui putent necessum non esse, saltem sub gravi, ut secluso ulterioris consensus periculo, iisdem motibus positive resistatur. Ita Angelus v. *Cogitatio* n. 2. Cajetanus v. *Delectatio morosa*, ubi sic loquitur: *Si ex complacentia illius delectationis provenit, quod prohibere negligas illius continuationem; voluntaria sit delectatio, & vere morosa. Si autem non ex complacentia, sed ex non æstimatione commotæ cogitationis, & delectationis, negligentia provenit, (puta, quia scit voluntatem suam constantem, & confidit, quod propter hujusmodi commotiones phantasiæ, & concupiscentiæ, non ruet in consensum malum) peccat quidem, non tamen mortaliter*. Opinionem hanc judicat Sylvius esse probabilem 1. 2. q. 74. quæsito 1. concl. 4. Haud tamen eam tenet, ut male dicit Henno, sed contrariam amplectitur, ut probabiliorem. Quamquam re plenius considerata satis incertum sit, an Theologi, qui adverso dimicant, alii aliorum mentem capiant. Ut ut est

Prob. Conclusio 1. quia ideo juxta Henno necesse est, ut prædicti motus positive reprimantur, quia utpote naturales nullo modo sunt in se peccata: atqui hæc ratio non valet. Ut enim ratio hæc non valeat, sufficit, ut iidem motus, ex quo post sufficientem advertentiam non reprimuntur, incipiant esse peccata: atqui ii motus incipiunt esse peccata, ex quo post sufficientem advertentiam non reprimuntur. Ut enim tunc incipiant esse peccata, duo solum requiruntur: 1. ut sint in se ipsis turpes, & inordinati; 2. ut, qui motus turpes, & inordinatos non reprimit, veri peccati conscium se faciat: atqui 1. constat prædictos motus in se turpes esse, & inordinatos; & id nemo negaverit; cum agatur de motibus, qui sunt a peccato, & ad peccatum inclinant, & quos nemo pro tunc sine gravi culpa approbare possit; 2. nec minus constat eum, qui cum potest, turpes, & inordinatos motus non reprimit, vere peccare: quia non reprimere cum possis, est consentire interpretative: atqui consentire etiam interpretative objecto de se graviter tur-

pi,

ri, est peccatum grave. Consensus enim formalis, & interpretativus in moralibus reducuntur ad speciem expressi; ut in præsenti materia docet Lessius L. 4. c. 3. n. 117. & expresse S. Thomas 1.2.q. 74. art. 7. ad 2. his verbis: *Ex hoc ipso, quod ratio superior non dirigit actus humanos secundum legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire*: ergo.

Prob. 2. ex S. Thoma ibid. art. 6. ubi sic: *Contingit peccatum esse in ratione dupliciter, uno modo, quando imperat illicitas passiones .. alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum; sicut cum aliquis postquam deliberavit*, seu sufficienter animadvertit, *quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit*: atqui in præsenti casu rario non reprimit inordinatum passionis motum: ergo peccat. Subsumo: atqui difficile est, ut peccet solum venialiter, cum agatur de motibus, qui licet physice leves sint, sunt tamen in genere moris graves, & ita graves, ut sine peccato mortali directe intendi non possint; prout probavimus Articulo præcedenti: ergo.

Confirm. Qui sine rationabili causa permitteret se ab alio, etiam non peccante, v. g. fatuo, impudice tangi, etiamsi non adverteret, sibi inde imminere periculum positive consentiendi in motum, vel delectationem inde exurgentem, sine dubio peccaret mortaliter: atqui non magis licet tranquillum, & inertem manere circa motus turpes, seu a dæmone, seu a natura suscitatos, quam circa motus ab alio quopiam prodeuntes: ergo tunc non sufficit sola negatio actus, sed requiritur vera, & formalis displicentia: imo non sufficit displicentia sola, sed agendum est, ut motus illi quamprimum expellantur; ne forte displicentia non sit satis sincera, sed potius fallacia concupiscentiæ sibi blandientis, & iisdem motibus frui volentis.

Duplici porro via turpes motus ejici possunt, 1. amovendo causam, ex qua oriuntur; si hanc amoveri oporteat, de quo statim; 2. orando eum, qui solus satanam conterit sub pedibus nostris, muniendo se signo Crucis, oculos ad Christi crucifixi imaginem convertendo, cogitando de ejus passione, de igne, quo in æternum cruciantur impudici; imo & de re indifferenti, ut quæ aliquando efficacius ab hisce objectis mentem avocat, quam alia quæcumque.

Dixi: *si causam hanc amoveri oporteat*. Non enim peccat secluso consensus periculo, qui non amovet causam honestam, ex qua sentitur delectatio, vel motus sensualitatis: veluti si sequatur ex auditione confessionum, ex lectione rerum turpium, disputandi, docendi, vel concionandi gratia, ex colloquio mulieris honesto, & utili ipsi, & nobis, ex equitatione, ex bene fundato timore, ne positiva residentia commotionem augeat, aut tandem animum quibuslibet impressionibus apertum faciat: unde in his occasionibus continuari potest actio, etsi cum ea continuentur turpes motus. Hi tamen improbandi erunt per formalem displicentiæ actum, si id sine magna difficultate fieri possit; præterquam in ultimo casu, in quo ex directa tentationis repulsa timetur ejus augmentum: & id, ait Sylvius ibid. concl. 2. præsertim verum est, cum qui his motibus afficitur, *timoratæ* est *conscientiæ, & non valde timet consensum in delectationem, vel in actum pravum animo repræsentatum*.

Dices, præceptum negativum, quo aliquis actus prohibetur, vetat ne idem actus permittatur, quoties potest impediri: atqui præceptum: *Non concupisces*, est negativum: ergo vetat, ne permittatur motus quilibet turpis, cum potest impediri.

R. conc. totum, & dico eum, qui quosdam motus permittit, ut gravius malum vitet, reipsa non posse impedire id, quod patitur; quia reipsa non potest, qui non potest sine graviori incommodo. Adde, quod qui in eo est statu, cum ad alia, ut debet, objecta se convertat, non permittit, sed potius quantum potest, prædictas turpitudines fugit.

Conclusio IV. Quando causa motuum vel delectationum turpium non est bona, & rationabilis; si tamen secundum se non sit mortalis, neque sit magna, & velut propinqua dispositio ad aliquid mortale; & positive displiceant motus, aut delectationes inde exurgentes; non est mortale talem causam non amovere: est tamen sine dubio aliquod peccatum. Ita syllabatim Sylvius ibid. concl. 3. unde, inquit, motus, qui proveniunt ex verbis jocosis, ex curioso, non tamen turpi, vel libidinoso aspectu, ex lectione similiter curiosa, sunt peccata non tamen mortalia.

Hæc Conclusio a senioribus Theologis admittitur, ut patet ex iis, quæ diximus in Tract. de Peccatis. Unde licet aliquid habeat difficultatis, non est ab ea recedendum; quia probabile non est id, quod passim etiam a rigidioribus in tota Dei Ecclesia docetur, male doceri. Itaque utraque pars paucis hac Sylvii ratiocinatione ostenditur.

Quod satis voluntarium est ad veniale peccatum, non autem ad mortale, illud veniale censeri debet, non letiferum: atqui motus ex causa venialiter mala prodeuntes, satis voluntarii sunt ad veniale; cum supponantur oriri ex causa, quæ potuit, & debuit omitti; non autem satis voluntarii sunt ad peccatum mortale, cum positive displicent, & improbantur; 1. quia motus leves, de quibus loquimur, præsertim mali sunt ratione periculi ulterioris consensus: atqui patet experientia consensum hunc impediri; & arceri per interiorem animi displicentiam; 2. quia cum prædicti motus sint homini valde naturales, & facile, imo sæpe facilius in justis, quam in aliis excitentur, plus habere debent voluntarii, quam sit in causa venialiter mala.

Ne tamen mentiatur iniquitas sibi, discedendum est quamprimum fieri moraliter potest, ab occasionibus plane otiosis, quæ hujusmodi motus ciere solent. Imo si inutilis lectio, vel confabulatio pariat motus vehementes, statim sub pœna noxæ mortalis abrumpenda erit; aliud esset de lectione necessaria, secluso tamen periculo consensus. Vide Tract. de Peccatis ubi supra.

ARTICULUS DECIMUS.

De Officio Confessariorum in materia Luxuriæ.

Tria in qualibet materia, sed potissimum in materia luxuriæ præstanda sunt a Confessariis: 1. enim agere debent, ut sufficientem peccati cujusvis notitiam habeant; 2. ut congrue moneant pœnitentes, iisve differant absolutionem; 3. ut idonea malo remedia præscribant. Remedia hæc exhibebimus Articulo ultimo.

Quod spectat ad examen pœnitentium, necessum est, ut illud pro personarum varietate varie instituatur. Hic porro triplex præcipue occurrit ordo pœnitentium: Alii sunt soluti, adhuc incerti, quem eligant statum, adeoque, ut plurimum juvenes; & hi vel soli, vel cum aliis peccant: alii vel cogitant de matrimonio, aut jam sunt desponsati; vel de amplectendo Clericali statu deliberant: alii demum jam sunt conjugati.

Ante

Ante omnia certum est, Confessarium nusquam majori indigere sapientia & Spiritus Sancti auxilio, quam cum agitur de discutienda circa impudicitiam Pœnitentium conscientia. Hic à duplici præsertim scopulo declinandum, nimirum ab imprudentia, quæ curiositatem, aut verborum intemperantiam sapit; & a conscientia quadam delicatiori, quæ ne plus dicat, non dicit satis. Si Confessarius plus æquo inquirat, verendum est, ne, ut pluries contigit, gravem ruinæ causam, & sibi, & pœnitenti suo præbeat. Certe non immerito dixit Angelus de Clavasio curiosiores id genus interrogatores, *potius contaminatores esse, quam Confessores, qui sæpissime peccant mortaliter delectando se de hujusmodi interrogationibus, & propter delectationem faciendo eas*. Si econtrario vocem præcludat pudor quidam intempestivus, timendum sane, ne fœdus coluber in intimo cordis recessu delitescens, foras prodire non ausit; aut ne id, quod reipsa grave est, pro levi malo habeatur: *Necesse* igitur *est*, ait Gersonius Tract. *De arte audiendi confessiones*, Considerat. 6. *ut Confessor habeat artem hanc obstetricandi spiritualem, ad educendum colubrum talem pestiferum tortuosum, & virulentum ab anima* pœnitentis; *aut ipsa sine dubio periclitabitur, & ut crebrius æterne morietur*. *Nec reputo*, inquit, *audiendos in hac re eos, qui nihil interrogandum, aut inquirendum esse dicunt a confessis ... alioqui non satis consulitur verecundiæ, ignorantiæ, & fragilitati peccantium*, & Considerat. 20. *Reprehendet forte aliquis audaciam hanc Confessoris, qui talia præsumit aperire*, & scitari ... *Sentiat alius, quod voluerit, ego coram Deo testor, me plures talibus remediis induxisse ad confessionem, qui fatebantur nunquam etiam in articulo mortis fuisse dicturos talia cuicumque. Laudabant tamen* postea *Deum totis visceribus gratias agentes, quod ita se aperuerant*, &c. Sit igitur, quoad solutos præsertim *Gerson. Tom. 2. p. 448. edit. Dupin.* *Ib. p. 451.*

Regula I. *Præcaveat summopere Confessor, ne sit austerus ab initio, tristis, & rigidus; mox enim per hujusmodi clauditur os obstinati*, imo & timidi *cujuscumque peccatoris ... Applaudat Confessor dicentibus veritatem super delictis suis, quanto magis enormissima, & abominanda videbuntur. Collaudentur de veritate de religione, de timore Dei, de zelo propriæ salutis, de confidentia ad Sacerdotem & similibus*. Quidquid horrendi audiat Sacerdos, dissimulet pœnam, nec os vultumque gerat hominis stupefacti in ipso confessionis decursu; sed, quoties opus erit, pœnitentis fiduciam adaugeat, *quasi non curans, aut fere audiens* res sibi notas, & præscitas, quin & culpam, quam præsentit dictu turpem præveniat, *dicendo sic: Ego bene video, tu fecisti sic & sic; consequenter dic ergo totum in nomine Domini; ego tibi indulgeo, si non alias feceris; & si diceres omnia mala mundi, non inde pejus haberes; dic ergo audacter. Imo & quæri poterit, si velit confitens, ut super omnibus diligenter interrogetur; & si sic* *Ibid. Consid. 9. 11.* *Consid. 16.*

Perget *Confessor a generalibus ad specialiora, a minus turpibus ad turpiora*. Et quidem 1. non ab exterioribus factis interrogationis exordium ducet, * sed a cogitationibus, an non pœnitens inhonestas quasdam volverit animo? an sponte, & advertenter? an non progressus sit ad desiderium usque? quale fuerit desiderii hujus objectum? ubi tunc haberet manum, an supra vel infra pectus? an diu se tetigerit? an nihil occasione tactus effluxerit? ** an solus decumbat, an cum socio? an non fuerint turpia locuti? an non socius eum tetigerit, & qua in parte? an non par pari retulerit? an non in utroque subsecuta sit effusio seminis, & quam in partem ceciderit? an non insuper ta- *Consid. 18.*

* Confer. d'Angers sur le Decaloque Tom. 3. p. 324. & 325.

** Et hoc peccatū bene committitur etiā ante pubertatis annos: *Gerson. ib. Consid. 15.*

talium peccatorum erga alios causa, vel ruinæ occasio fuerit, verbis, osculis, amplexibus, aut aliis signis, vel forte picturis, & figurationibus inhonestis? an cum alia persona in carnalem commixtionem inciderit, & cujus gradus vel conditionis foret persona, an uxorata, aut virgo, an genere propinqua, & in quo gradu? an Sanctimonialis, an in sacris Ordinibus constituta? hæc consenserit, an non *ei violentiam intulerit? an denique ejusdem sexus, aut alterius erat, & exprimatur modus.* * Interrogari etiam poterunt juvenes, an non in fluvio nataverint, cum sociis? an non natantes intuiti sint? an non inde deventum sit ad turpiloquia, ad tactus, &c. cavendum tamen erit, ne ultra justæ interrogationis limites excurratur.

Quod ad puellas attinet, curabit etiam Confessarius, ne has dedocendo peccatum, illud edoceat. Ubi tamen conjicere erit eas non omnino castas esse, interrogandæ erunt, an non ornaverint se, ut in sui amorem quosdam allicerent? an non hunc in finem usæ sint fusco? an non brachia, scapulas, & pectus denudaverint, & quo fine? an non tali hora talem frequentaverint Ecclesiam, aut in limine, vel fenestra comparuerint, aut cecinerint, ut conspicerentur? an non cum sociis, seu in eodem lecto, seu extra turpe quid dixerint? an non cuipiam adhæreant amore teneriori quid ei circa seipsas permiserint? quid ab eo optaverint? an, & quid hac occasione passæ sint? ubi denuo prudentiam, & circumspectionem commendare non piget.

Si forte ad extrema deventum est, interrogabitur puella, an non impedierit prolis conceptionem? an non fœtum extinxerit? an obsecuta sit Regiis Edictis, quæ fœtam puellam statum suum aperire volunt, &c.

Regula II. Qui de matrimonio proxime ineundo cogitant, aut jam desponsati sunt, monitis pluribus indigent, ne cedant libidini, quæ tunc eo insidiatur efficacius, quo faciem gerit minus honestam. Itaque

Monebuntur 1. in electione conjugalis status, sicut & alterius cujuscumque interrogandam esse Dei voluntatem in oratione, eleemosyna, & bonis operibus. Conjugem non ad dies aliquot, sed ad vitam totam duci. Frequentius nihil esse, quam exitus infelices nuptiarum, quæ ex amore insano, ambitione, aviditate terrestrium bonorum contracta sint. Matrimonii voluptates, quibus inhiant plerique juvenum, cito præterire; onera, & fastidia subsistere usque ad mortem.

2. Continentiam non haberi nisi ex Deo; eam proinde supplicibus votis ab eo postulandam esse, præsertim vero cum pudicitiæ gravius impendet discrimen; prout impendet cum crebro invisenda est, blandeque, & amice excipienda persona de cujus nuptiis deliberatur. Hic expendet Confessarius delectationem ex repræsentatione actus conjugalis, si tanquam præsentis, esse mortiferam; si tanquam futuri, vix a culpa vacare, potissimum, quia vix vacat periculo: *Vide Tract. de Peccat. & infra ad nonum Præceptum Concl. VII.*

3. Salutationes, seu visitationes, quæ tunc temporis in usu sunt, nec quotidianas esse debere, nec longiores; nusquam vero in tenebris, aut in solitudine, sed coram parentibus: si enim identidem labuntur, qui in ejusmodi occursibus parciores sunt, & magis circumspecti; quid non iis timendum, qui moram trahunt longiorem, & quorum multi ex pusillanimitate quadam, aut ingenii defectu, nesciunt sermones castitati infensos alio convertere? Quod si data matrimonii promissio frangatur, aut nonnisi post diuturnum tempus impleri queat, abrumpenda erit, aut raro, & breviter habenda conver-

* Gerson. in Opusculo tripartito part. 2. tom. 1. p. 444.

versatio inter amantes; ne alter alteri insidias, & peccandi occasionem nectat etiam invitus.

4. Matrimonia de parentum consensu, & ex sufficienti rerum examine proposita, quam cito fieri potest, ineunda esse; quia multiplex est periculum in mora.

5. Tempus sponsalia inter, & nuptias medium, consecrandum esse pietati, ut Sacramentum rite suscipiatur, & cum eo singulares gratiæ, quibus destituti tot conjuges, jam a præsenti vita infernos cruciatus præsentiunt.

6. Multopere cavendum esse puellæ, ne desponsatum aliis, quam antea oculis intueatur. Utrique post sponsalia prohibitum esse, quidquid ante prohibitum fuerit.

7. Deterrenda erit hæc a crimine, duplici præcipue motivo. 1. enim si cedat amasio, vix, antequam nubat, absolutionis sacramentalis beneficio donari poterit *; & sic obnoxia erit periculo profanandi Sacramentum, quod teste Apostolo *magnum est*. 2. fieri poterit, ut qui eam nunc deperit postquam senserit fragilem, detestetur, & exhorreat. Sic Amnon amore Thamar ad insaniam usque, & ægritudinem succensus, ubi eadem per vim etiam oppressa potius est, *exorsam eam habuit odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat*. II. Reg. 13. 15.

* Vide supra p. 54.

8. Attendet Confessarius gravius esse peccatum venereum desponsatæ, quam ejus, quæ plene libera sit; prout diximus supra.

Regula III. Qui de amplectendo Clericali statu deliberant, multo severius probandi sunt, quam quibus in sæculo remanere propositum est. Res per se patet. 1. quia qui in sæculo manere volunt, habent, aut habere possunt matrimonii ope, unde concupiscentiam aliquatenus temperent; cui quidem qualicumque remedio renuntiant, qui sacris initiari contendunt. 2. quia ex D. Thoma in 4. *Qui divinis ministeriis applicantur, perfecti in virtute esse debent*; perfectio autem cum includat firmum, & constantem statum, utique firmam probationem præsupponit.

Quoto autem tempore probari debeat, quis ante Subdiaconatum, varii varie sentiunt. Mihi res ex omnibus circumstantiis dimetienda videtur. Inspiciendum ergo quamdiu, quis adhæserit vitio; an incontinentiæ soli servierit; an non progressus sit ad fornicationem; aut aliquid pejus; an ex quo Ecclesiastici status ingressum meditari cœpit præteritas sordes eluere oratione, lachrymis, mundi, mundanorumque fuga; an non, ut moris est, ad ipsum Seminarii tempus tepide, segniter, ne dicam frigide, & forsan impudice vixerit.

Si vi extraordinariæ tentationis raptus sit, & pene instar S. Petri repente conversus fleverit amare; ac constanti passu pœnitentiæ, & sanctæ dilectionis stadium decurrerit, subsitque spes eum *ita charitate, & castis moribus* conspicuum fore, *ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eo possint expectari*, poterit, ut videtur, post primos sex Seminarii menses ab Ordinem sacrum evehi; nisi forte publicum admisisset scelus, quod ex hominum memoria longiori tempore oblitterandum esset.

Trid. Sess. 23. c. 14.

Sin autem diu solos, aut cum aliis peccaverit; si ex tunc vitam adeo languidam degerit, ut vix sceleris sui horrorem sentire videatur; si per aliquot menses emendatus, denuo reversus sit ad vomitum; non sufficit, quidquid plures agant in praxi, quinque, aut sex mensium probatio, ut is ad sacros Ordines evehatur, sed opus est experimento longiori: *Ne unquam*, ait S. Gregorius Papa L. 4. alias 3. Epistola 26. ad Januarium,

ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant, provideri debet quales ordinentur, ut prius aspiciatur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit: ergo ne anni quidem totius probatio sufficit juxta S. Doctorem, virum alioqui minime austerum, cum probatio, quæ fit in Seminariis, non sit valentissimum castitatis argumentum; sicut nec valide constantiam suam hinc probaret miles, quod permanserit in urbe munita, a qua procul aberant hostes. Scio equidem doctrinam hanc a pluribus rigidiorem judicatum iri: sed precor, & deprecor, ut interrogent Sacerdotes antiquos, qui nonnisi ex experientia sua respondeant. Sciscitentur ab eis, an e juvenibus quinquaginta, qui per Seminarium utcumque sibi vim fecere, duo vel tres, tepidi aliunde, & in negotio salutis segnes, ad sæculum reversi diu steterint in vita suæ qualiscumque justitiæ. Sciscitentur, an non eorum plures relapsi sint, quandoque minus, sed tamen graviter, ante Diaconatum. Sciscitentur, an non saltem pauco post Sacerdotium tempore, innumeris se sacrilegiis polluerint: adeo, ut si, quod raro faciunt, ad eumdem recurrant Confessarium a quo ad primos Ordines admissi sunt, is mollitiem suam detestari cogatur. Ergo etsi illud S. Gregorii *in annis plurimis*, leniri, & utcumque temperari posse dicatur ad 18. aut 20. menses, haud tamen ad spatium brevius restringendum erit.

Hactenus de iis verba feci, qui segniter, & parum intense Deo adhærent; quia in hoc ordine posita est pars major hominum. Cœteri, qui ad Deum revertuntur in charitate non ficta, parum dant molestiæ, & impedimenti; quia id unum verentur, ne non satis parati ad Ordines accedant; tantumque eorum susceptionem verentur, quantum alii ambiunt.

Dum hæc scribo, commodum incido in duos magni nominis Doct. Facultatis Parisiensis, quorum alter Nat. Alexander Regulam hanc circa præsentem luxuriæ materiam constituit, n. 60. *Clericis in sodomiam lapsis, vel, qui se diu ac frequenter ad pollutionem soli excitarunt; vel cum aliis longo usu; vel cum pluribus brevi licet tempore se contaminarunt, Confessarii in sacro Pœnitentiæ tribunali probibere debent, ne suorum Ordinum functiones exerceant, & ad altiores gradus ascendant: Laicis vero sacrorum Ordinum susceptio debet interdici; nec alia conditione concedenda est ipsis absolutio.* Alter nimirum Habertus paulo Jeniorem adeo sapienter expendit, ut contra morem meum, totam ejus decisionem referre juvet, præsertim cum non tam suo, quam Sorbonæ nomine verba faciat: hæc ille in Tract. de Ordine, part. 3. cap. 3. sub finem.

„ Sed occurrit difficultas, propter quam ex diversis Provinciis identi„ dem consilium quæritur in Sacra nostra Facultate, nimirum, quod tem„ poris spatium requiratur ad idoneam eorum probationem, qui post Ba„ ptismum in occulta præsertim carnis crimina prolapsi sunt, priusquam „ ad sacros Ordines legitime promoveantur.

„ Nostra, & Collegarum nostrorum fuit isthæc responsio, lapsis omni„ bus idem non posse prædefiniri tempus, propter varias, tum criminum, „ tum personarum, tum ipsiusmet pœnitentiæ circumstantias. Alii quippe „ lapsi sunt ante ordinationem, cum adhuc essent Laici; alii post aliquem Or„ dinem susceptum: rursusque omnes illi, vel semel, vel frequenter Baptis„ mum, aut Ordinem maculaverunt; alii denique, vel acri cordis dolore per„ culsi, laboriosis pœnitentiæ exercitationibus strenue incumbunt, carnem„ que, cum vitiis ejus, & concupiscentiis crucifigunt; vel segniter hisce offi„ ciis defunguntur: quid liceat, aut non liceat, nullatenus vero quid sibi „ expediat, scrupulose expendunt, arbitrati satis esse si ab illicitis abstineant.

„ Qui

„ Qui semel, aut raro admodum prolapsi sunt, & eos pœnitentiæ fru-
„ ctus, quos jam exposuimus, proferunt, magnam spem injicientes fu-
„ turos se Ecclesiæ utiles, non indigent probatione tam longa: pœnitentia
„ quippe minus ex temporis diuturnitate æstimanda est, quam ex cordis
„ dolore, & multiplici bonorum operum fructu.

„ Qui pravos mores imbuerunt, sive ex longa peccandi assuetudine sive
„ ex natura prona ad libidines, ita ut repagula a Confessario eorum cupi-
„ dinibus opposita interdum perfringant, ad urbes refugii, nempe conju-
„ gium, confugere suadebit Confessarius, auctore S. Bernardo Lib. de con-
„ versione ad Clericos cap. 29. *Utinam*, inquit, *magis turrim incboaturi*
„ *sedentes computarent, ne forte sumptus non haberent ad perficiendum:*
„ *utinam, qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut*
„ *cælibatui dare nomina vererentur. Sumptuosa siquidem turris est, & ver-*
„ *bum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio me-*
„ *lius nubere, quam uri; & salvari in bumili gradu fidelis populi, quam*
„ *in Clerici sublimitate, & deterius vivere, & districtius judicari... Fra-*
„ *tres, borrendum cavete periculum; ignem, qui paratus est, declinate.*

„ Idem esto judicium de his, qui non tam ex habitu peccant, quam ex
„ innata ingenii levitate, ad omnem auram mobiles, eorumque mores in-
„ duunt, sive bonos, sive malos, quorum consuetudine utuntur, in Semi-
„ nario, v. g. per annum se continuerunt, lucentes non suo, sed sodalium
„ lumine; & ad suos reversi prima occasione data in malum corruunt.
„ Qui enim ita a natura sunt instituti, nullum singularis doni continen-
„ tiæ, ac stabilis propositi specimen dare possunt, nec proinde ad Ordi-
„ nes admitti debent. Quod si malo fato jam inveniantur initiati sacri
„ Subdiaconatus, aut Diaconatus Ordine, ipsis auctor erit Confessarius,
„ ut in Monasterium, tanquam ad unicum salutis portum se recipiant:
„ hoc enim pœnitentiæ genus Concilium Toletanum IV. cap. 29. & alia
„ præscribunt Clericis, qui propter flagitia a sacris ministeriis repelleban-
„ tur: æquum quippe est, ut qui se ipsos regere nequeunt, disciplinæ
„ fræno coerceantur.

„ Dicent fortassis, illud vitæ genus non debere assumi sine Dei vocatio-
„ ne, quam sibi deesse index est aversus animus ab ejusmodi instituto.
„ At nonne divina vocatio æque, ne dicam magis necessaria est ad Sacer-
„ dotale Officium, ad quod tamen ipsos non vocari indubitata signa de-
„ monstrant? Præterea Deus vult omnes ad pœnitentiam converti, nolens
„ aliquos perire 2. Petri 3. v. 9. ad Sacerdotium vero non omnes vocat,
„ sed ex omnibus paucissimos eligit: atqui vera pœnitentia non agitur,
„ nisi crimen deseratur: non deserent autem propter innatam infirmita-
„ tem, nisi a sæculo recedant; ergo, quod firmis est liberum, & meri
„ consilii, ipsis utpote infirmis evasit remedium necessarium. Denique
„ non spiritus Dei, sed cupiditas, & duritia cordis animum a disciplina
„ regulari torquet ad dignitates Ecclesiasticas: si enim punguntur pœni-
„ tentiæ aculeis, ut oportet, indignos se sacris Ordinibus pronuntiabunt,
„ nec aquiescent se ad eos promoveri, sed secessum sponte petent recogi-
„ taturi annos suos in amaritudine animæ suæ.

„ Qui præclara naturæ munera in injustitia detinuerunt, ac insuper Ba-
„ ptismum forte etiam sacrum Ordinem sæpius contaminarunt, Deo exo-
„ si, prævaricationem prævaricationi addentes, magna, & longa indigent
„ Confessarii cura. Namque 1. placandus est Deus lachrymis, jejuniis, &

„ aliis

„ aliis pœnitentiæ exercitationibus. 2. evellendi vitiosi habitus. 3. inferen-„ dæ, ac fovendæ virtutes, donec altis defixæ radicibus, nulla vila befa-„ ctari queant, induanturque bonorum operum fructibus; 4. mundandum „ cor ab omni terreno affectu, ut pœnitens (si ad sacrum Ordinem pro-„ moveatur) non sua, sed, quæ Jesu Christi solummodo quærat.

„ His conditionibus Urb. II. facultatem concedit Episcopo dispensandi „ cum ejusmodi lapsis. Cum autem juxta hodiernam disciplinam ista fa-„ cultas ad Confessarios delata sit, nec recurratur ad Episcopum pro cri-„ minibus occultis, Confessarius, ut sit fidelis dispensator, præ oculis ha-„ beat verba hæc Summi Pontificis tanquam sibi dicta: *Tuæ providentiæ „ discretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ no-„ tis non fuerunt aspersi, necessitate Ecclesiæ urgente*, ET IPSORUM SAN-„ CTA CONVERSATIONE PROMERENTE, *in suis gradibus recuperari de-„ beant. Hoc autem secundum indulgentiam dico*. Porro ad accuratam hanc-„ ce probationem aliquot menses, qui forte sufficerent ad impertiendam ab-„ solutionem, satis non sunt, nec etiam unus annus ad sacri Ordinis pro-„ motionem: quia ex S. Thom. Suppl. q. 36. art. 1. Sacramentum Pœ-„ nitentiæ pro infirmis est institutum; Sacramentum vero Ordinis, utpo-„ te perfectionem conferens, illi tantum ministrari debet, *qui secundum „ omnem suum habitum factus sit Deiformissimus, & Deo similis*.

„ Confessarius igitur pœnitentem reum sæpius violati Baptismi, & quod „ pejus est Ordinis sacri, non eo ipso judicabit promereri altiorem Ordi-„ nem, quo ab aliquot mensibus ræfrenavit libidines, & ab omni peccato „ lethali se continuit, nisi insuper eum probaverit expurgatum a terrenis „ affectibus, ferventem spiritu, & exhibentem membra servire justitiæ in „ sanctificationem, ut loquitur Apostolus Rom. 6. Absit enim, ut in tem-„ plo Dei collocet idolum, quod nec bene nec male faciat; cum ex iis, „ qui pereunt in Clero, longe plures damnentur peccatis omissionis, quam „ peccatis commissionis. Ordo quippe... non est ad salutem propriam su-„ scipientis, sicut Sacramentum Pœnitentiæ; sed est institutus ad salutem „ aliorum procurandam; & figuratur per talentum, quod Dominus Matt. „ 25. servis suis distribuit, ut in illo negotientur, & cum usuris reddant; „ alioquin experturi judicium servi inutilis; qui ideo ejectus est in tene-„ bras exteriores, quod acceptum talentum, integrum quidem, sed sine „ lucro retulerit. Vide eumdem Theologum 1. p. c. 5. & 2. cap. 8. §. 2.

Regula IV. Graviter, & serio a Confessariis monebuntur conjuges; multo periculosiorem, quam putent, esse matrimonii statum; errare eos, qui omnia sibi in matrimonii usu permissa esse cogitent; & hinc non raro peccari lethaliter. Quamquam vero, ut monuimus, cavendum est Sacerdoti, ne dum exactam perfectionem inspirare satagit, graviores culpas procuret; sunt tamen multa, quæ si se det occasio, præterire nequit; imo circa quæ pœnitentem, si dubiæ sit pietatis, etiamsi ad hæc viam non aperiat, examinare tenebitur. Sic interrogabit, an comparti debitum exigenti denegaverit, & quare? an non, quid fecerit ne numerosiorem prolem haberet, aut ne ex conceptione uxor in aliquod vitæ periculum veniret? an non extra actum conjugalem, sponsam tetigerit impudice, aut pares ejusdem tactus admiserit? Sunt enim hæc peccata ad minus venialia, ut ajunt Resolutiones Pastorales Diœcesis Genedensis 2. p. tit. 6. n. 12. & juxta Comitolum peccata lethalia; unde in praxi saltem pro dubiis mortalibus haberi debent; & semper pro mortalibus ubi inest periculum pollutionis.

Addit

Addit Gersonius citato Opusc. tripart. par. 2. p. 445. interrogandos esse conjuges an *diebus festis minoribus*, *aut minus solemnibus* (1) *talia peccata* perpetraverint, *aut forsan in sacratis locis*. Tum uxoris examen his concludit verbis: *Si abortum procurasti, aut fœtum ex utero nasci impedisti* (2), *aut ob strictur am vestimentorum, aut per agitationem corporis immoderatam, vel choreis, vel aliis plurimis inusitatioribus modis. Si dissolutis, & inhonestis aspectibus, & choreis, aut gestibus incompositis, vel innata pulchritudine; aut fuco mendaciter colorata, vel denique vestimentis superfluis alios ad malum allicere voluisti, aut te concupisti ab eisdem affectari. Si tibi matrimonialiter conjunctæ personæ, carnalis copulæ debitum infirmitate aut alio legitimo impedimento cessante, denegasti*. Vide, quæ dixi supra ad calcem Articuli 1. & 3.

ARTICULUS UNDECIMUS.

De Filiabus luxuriæ.

Octo luxuriæ filias recenset S. Gregorius Lib. 31. Moral. cap. 31. & ex eo S. Thomas 2. 2. q. 153. art. 5. earum vero quatuor se tenent ex parte intellectus, cœcitas nempe, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia: quatuor ex parte voluntatis, scilicet amor sui, odium Dei, affectus sæculi præsentis, horror, & desperatio futuri sæculi.

Cœcitas est vitium, quo, quis eo usque ad malum intendit, ut in rebus agendis, vel rectum finem non apprehendat, vel ab eo cognito sciens, & volens deviet. Talis est conditio miseri juvenis, de quo loquitur Salomon Prov. 7. ille enim meretricis sermone irretitus, *statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur*. Flebile cœcitatis exemplum exhibet Salomon ipse, qui cum *jam esset senex*, tam ardenti *amore copulatus* est mulieribus, ut spreto Deo suo Deos earum sequeretur: exhibent; & impudici senes, qui *declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum*. Daniel. 13.

Præcipitatio est vitium, quo, quis insanæ libidinis impetu abreptus, temere in actum exteriorem prosilit, nec deliberando de agendis, nec prudentiorum consilia explorando: unde antequam agat, nec recordatur præterita, nec præsentia attendit, nec prospicit futura; secundum id Comici: Amor *neque consilium, neque modum habet ullum*.

Inconsideratio est vitium, quo quis mancipatus libidini, adeo non omni, qua par est diligentia, quid ad finem factu optimum sit, expendit, & dijudicat, ut medium, quodcumque prius obvenerit, præcipi animo arripiat.

Inconstantia vitium est, quo, quis ab incœpto, vel nulla, vel levi de causa resilit. Eo defectu laborant maxime libidinosi, quorum animus, quia voluptate frangitur, & emollitur, facile ab inchoata via recedit, si se vel aliqua

(1) Non video cur Gersonius velit interrogari an conjuges, aut alii diebus festis *minus solemnibus*, turpia quædam exercuerint, nisi, quod crediderit neminem esse tam procacem, ut eo sceleris deveniret diebus Dominicis, aut majoribus Festis; aut saltem, qui id tunc fecisset, circumstantiam hanc indubie aperturum esse.

(2) Conceptionem immoderato caffæi, ac chocolati usu impediri posse docet Auctor Collat. Paris. Tom. 1. pag. 372. & addit se cognovisse, quæ vim remedii hujus expertæ, illud amicas suas docuerint. Certe, quæ hac intentione, aut cognito horum liquorum periculo, iis aut similibus ultra modum utuntur, gravissime peccant; & pro se, & pro aliis, quas secretum hoc edocuerint, pœnitentiam agere tenentur.

aliqua offerat difficultas deterrens, vel aliqua voluptas alio invitans:

Amor sui est vitium, quo quis ita sese deperit, ut seipsum sibi Deum faciat, omni, quo potest affectu, propriam carnem diligendo, eidem novas voluptates procurando, in his conquiescendo tanquam in ultimo fine. Tetrum id scelus luxuriosi hominis medullas misere inficit, unde ei nihil sapit, nisi quod carnale est, secundum id Sap. 2. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt.... nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors*. Differt amor sui, de quo nunc, ab amore, quem proprium vocant; quia amor sui quatenus a luxuria dimanat, carnis voluptates unice inquirit; amor proprius, quia peccati omnis initium est, quælibet bona sibi utilia, honesta, & delectabilia inordinate appetit. Ita Merbesius ibid. q. 81.

Odium Dei, luxuriæ strictius, quam alii cuilibet peccato inhæret: cum enim peccata libidinosa præ cœteris maximam habeant delectationem, omnium maxime statum mentis, & judicium rationis evertunt: atque ita per hæc sæpius, & citius, quam per alia videtur homo illuc pervenire, ut velit nullam esse legem, & nullam pœnam, qua prædicta puniantur; utque ipsam Dei justitiam sua peccatoribus gaudia interdicentis, condemnet, & odio prosequatur. Ita Sylvius.

Affectus sæculi præsentis, seu nimius hujus vitæ amor, licet ex fonte non uno derivatur, potissimum tamen ex propensione in oblectationes venereas prodit. His enim voluptatibus, quæ animum vehementer titillant, ita plures, & tam tenaciter adhærescunt, ut hujus sæculi vitam, fruendæ voluptatis causa in æternum propagari ardentius expeterent. Et tamen, ait Navarrus Manual. c. 23. peccat mortaliter deliberate optans perpetuo vivere in hoc mundo, citra Dei visionem intuitivam.

Horror, vel ut alii vocant, desperatio futuri sæculi, est vitium, quo mors, ac divini judicii severitas, tanto terrore impudici diu in omni libidinum cœno voluptati animos percellit, ut ei *una salus* esse videatur *nullam sperare salutem*. Scilicet enim conscientiæ stimuli tanto acrius viros libidinum excruciant, quanto majori impetu sese in infandas libidines divina lege apprime vetitas immerserunt. Hac autem desperatione posita, ait Sylvius, veluti quodam circulo in omne genus obscœnitatum proruunt homines desperabundi; ex quibus obscœnitatibus iterum nova salutis desperatio nascitur, & rursum ex desperatione novæ libidines: unde Apostolus Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis*.

Extra has, quæ interiores sunt, luxuriæ filias, quædam recensentur a S. Thoma hic ad 4. quæ ad exteriora pertinent. Sunt autem istæ, *turpiloquium*, seu turpis, & obscœnus sermo; *scurrilitas*, quæ facetiis, & jocis lasciva immiscet ad excitandos risus; *ludicritas*, qua quis quasi ludit, & oblectatur verbis ludicris, ea in carnalem delectationem ordinando; & stultiloquium, quo quis ineptas fabulas ad obscœnitatem pertinentes loquitur. Ita idem S. Thomæ interpres.

Cœcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia, totidem sunt lethales noxæ, cum causa sunt, cur grave aliquod Dei præceptum violetur, ut sæpius contingit in materia luxuriæ. Amor sui, Dei odium, affectus præsentis sæculi, & futuri horror, ex natura sua gravem deformitatem habent: turpiloquium vero scurrilitas, & similia, vix unquam a gravi excusari possunt.

AR-

ARTICULUS DUODECIMUS.

De remediis contra Luxuriam.

CAstitatis adipiscendæ motiva, & media fœliciter exhibuere Catholici complures, & e Protestantium grege J. F. Ostervald in speciali ea de re * Tractatu. E multis, quæ hic congeri possent, pauca hæc seligimus, queis cor jam ad malum vergens sisti facilius possit.

Primum est intima convictio possibilem esse castitatis praxim, & custodiam; cum æquior, & benignior sit Deus, quam ut jubeat impossibilia; mirumque est, ait citatus mox Calvinista p. 346. quod continentiæ possibilitatem in dubium vocaverint aliqui Christiani. Et vero cur non posset vir hactenus incontinens, quod divina fretus ope potuit Augustinus? quod potuere tot summæ, & infimæ sortis virgines? quod tam egregie executus est Joseph, juvenis, & servus?

Secundum est oratio frequens, & vivida: *Miserere mei, Domine*, ajebat Rex Propheta, *quoniam infirmus sum*, &c. *Cor mundum crea in me, Deus. Mites fac, & castos*, &c. Et vero, quo pertinaciores sunt impuri hostis pugnæ, eo sollicitius apud Deum instare necesse est, ut *ad adjuvandum* nos festinet. Orationi accedat lectio piorum Librorum, quæ & mentem avocat a terrenis cogitationibus, & sancta in corde desideria parit. Utrique exercitio jungatur meditatio pia, tum Christi, qui pro impudicitiis nostris maledictum factus, easdem sævissimis doloribus expiavit; tum pœnarum, quæ libidinosis in æternum constitutæ sunt: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, Eccli. 7. *Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat*. Hic prodesse poterit, quod refert S. Gregorius Lib. 4. Dialog. c. 38. de quodam Chrisaorio carneis voluntatibus impense dedito: *Is ad extremum veniens, eadem hora, qua de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros, & nigerrimos spiritus coram assistere, & vehementer imminere, ut ad inferni claustra eum raperent*. Ille tum *cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere*, his verbis: *Inducias usque mane inducias usque mane; sed dum hæc clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis evulsus est*.

Tertium est custodia sensuum, maxime visus. *Virginem ne conspicias, ne forte scandaliseris in decore illius.. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*, Eccli. 9. Quale, & quantum veritatis hujus exemplum in Davide, in Salomone, & aliis arena numerosioribus. Merito igitur Augustinus Epist. 109. *Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem .. Nec solo tactu, sed affectu quoque, & aspectu appetitur, & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos*. Concinit Gregorius Magn. Lib. 21. Moral. cap. 2. *Intueri non licet, quod non licet concupiscere*. Hinc Job cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*.

Quartum est sobrietas, seu moderatus vini usus, quod non tantum modice, sed & aqua plurima dilutum bibi, præsertim a juvenibus omnino oportet. Est enim *luxuriosa* res vinum. Nec a potu solum, sed & ab im-

* Traitè contre l'impureté, par J. F. Ostervald, Pasteur de l'Eglise de Neufchatel. Amsterd. m 1712.

immoderato ciborum usu abstinendum: nimia enim sanguinis, & humorum congeries, carnis tentationes, ac pruritus excitat: *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus; & fecerunt abominationes* coram me, Ezech. 16.

Quintum fuga otii, quod, ut statim ajebat Ezechiel, perdidit Sodomam, & filias ejus; quodque *multam malitiam docuit*, Eccli. 33. Certe raro, aut inefficaciter tentatur, quem diabolus semper invenerit occupatum.

Sextum fuga sedula occasionum, unde castitas labefactari queat. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam*, ait Augustinus. Porro exitiosae castitati occasiones sunt juvenum depravatorum frequentatio, lectio Librorum amatoriorum, spectacula, choreae, comoediae, longa cum personis alieni sexus colloquia. *Mulier, & caro duplex, & cumulata infirmitas*, ait S. Gildebertus Cenomanensis. *Brevis, & rigidus sermo cum mulieribus* etiam devotis, *habendus est*, ait S. Ambrosius. Caeterum sua sunt ipsi sanguinis propinquitati pericula: unde monendi sunt, imo cogendi parentes, ne fratribus etiam, & sororibus communem lectum permittant, statim ut eorum alter rationis usum attigit; quin ubi jam puberes fieri incipiunt, & antea forte, sinendum non est, ut in eodem cubiculo noctu commorentur: haec enim primas esse multiplicis mali radices docet experientia.

Eccli. 10. Septimum vera, & profunda humilitas; *Initium* enim *omnis peccati*, praesertim autem impudicitiae *est superbia*, quae & exsiccat fontem gratiarum, quibus solis vinci possit leo rugiens; & a Deo graviorum lapsuum permissione punitur, secundum id Augustini Lib. 14. de Civit. Dei cap. 3. *Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.*

Octavum est frequens confessio, & communio ad arbitrium prudentis Confessarii. Proderit utique confessio iis etiam, qui necdum sentiunt se a vinculis liberos. Certe si amicus sagax insipientem amicum quandoque retrahit a praecipitio; quid non aget Deo juvante, director pius, qui habet verba vitae aeternae, & monita salutis.

Nonum est mortificatio carnis, quae ut cruciat semper, semper cruciari debet. *Mortificate* igitur *membra vestra, quae sunt super terram*. Offerte corpora vestra in hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Ejicite per orationem, & jejunium, daemonem pessimum, qui nisi in utroque ejici non potest. Etsi vero ad id inservire potest usus cilicii, flagellationis, catenae ferreae, & similium, aequum tamen est, ut de his consulatur director, tum quia Deus specialiter benedicit iis, qui nonnisi ex praevio sapientum consilio agunt; tum quia, quae in quibusdam passiones imminuunt, haec easdem nonnumquam in aliis inflammant.

Decimum est amor effusus in pauperes, eleemosyna, aliique actus misericordiae, quibus & praeteritae labes redimuntur, & ad praecavendos lapsus impetrantur uberes Dei gratiae.

Undecimum est pia ad Dei praesentiam attentio. Provideat igitur homo *Dominum in conspectu* suo *semper*; recordetur praesto adesse Angelum corporis sui custodem. Quis id coram Deo facere ausit, quod me praesente non auderet. Ita alicubi S. Bernardus.

Duodecimum est gravis, & vivax repulsa tentationis, statim ac ea sese obtulerit. Allidendi sunt ad petram parvuli Babylonis, ne cum vires sumpserint, sumunt autem facile, jam expugnari non possint. *Diabolus*, verba sunt Hie-

Hieronymi in c.9. Eccles. *serpens, & lubricus, cujus si capiti, hoc est primæ suggestioni non resistitur, totus interna cordis... illabitur*. Cœterum resistere quis potest ad alia objecta animum convertendo: si tamen perduret tentatio, recurrendum erit ad orationem; cogitandum de morte; aut manu ad ignem admota, dicendum cum Solitario quodam: Qui umbratilem æstum ferre non potes, quomodo habitare poteris *cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis*, qui indubia sunt luxuriæ remuneratio? Numquid potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem, nec mortem tantum, sed fletus, & stridorem dentium? Vide Loartem in Enchiridio Confessariorum c. 21. Job 6.

CAPUT QUARTUM.

De septimo Decalogi præcepto. Remissive.

SUmmum Dei erga homines amorem exhibet, & demonstrat tota Decalogi series, ut bene ponderat, & a Parochis ponderari vult Catechismus Romanus hic n. 4. scilicet enim supremum numen nihil creaturarum indigens, non modo vitæ, corporisque nostri, famæ, & existimationis patrocinium suscipit, cum homicidium, & mœchiam severe prohibet, sed & bona etiam nostra suam recipit in fidem, eaque contra invasores tuetur septima hac Decalogi lege: *Non furtum facies*; quæ cum generalis sit, ad omnes prorsus dirigitur; ita ut nec divitibus, quia potentes sint, liceat opprimere viduam, & orphanum, quibus Deus adjutor est; nec pauperibus, quia egeant, fas sit divitum bona deprædari, vel imminuere.

Hujus præcepti, sicut & cœterorum major est extensio, quam prima fronte videatur. Duas siquidem in partes dividitur, *quarum altera, quæ furtum vetat, aperte est enuntiata: alterius sententia, & vis, qua jubemur benigni, & liberales esse in proximos, in priore occulta est, & involuta*. Catechismus idem ibid. n. 6.

Utramque partem fidelibus crebro inculcandam esse convincit praxis Apostolorum, tum vero præcipue S. Pauli, qui jam ab initio Epistol. ad Rom. furtum, faresque his increpat verbis: *Qui alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris*. Multo magis commendavit sanctus Gentium Doctor liberalitatem in pauperes, eos præsertim, qui ob susceptam Christi fidem penuria conficiebantur: huc nempe collineant pleræque ejusdem Epistolæ. Non deerunt sane e Pastoribus, qui quoad primum caput Apostolum facile imitentur; cum pauci admodum sint indolis adeo perversæ, ut alienum rapiant: at deerunt, desuntque nunc multi, qui eumdem in sanctæ erga pauperes profusionis exemplo efficaciter æmulentur. Nempe vero Sacerdotalis progenies sæpius tenax est, & avara, lucro inhians, avide quærens, & requirens, quæ sua sunt, de obolo pene disceptare parata, lites minitans, nisi etiam inferat; adeoque inefficaciter exhortans ad misericordiam, quam ipsa non præstat.

Utraque delicti species, furti scilicet, & durioris erga pauperes animi, præsentis hujus Capitis materia esset, nisi de his alibi dissertum foret: sed, quia de furto, & restitutione, de mutuo item gratis dando, ample diximus in primo Operis hujus Volumine; de eleemosyna autem, & Ecclesiasticorum bonorum usu in hoc tertio, & præsenti, eo Lectorem remittimus, quo satis de hac materia discussum fuit, ne actum agere videamur.

C A-

CAPUT QUINTUM.

De octavo Decalogi praecepto.

OCtavum praeceptum his exprimitur verbis : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Hic autem nomine proximi, intelligitur omnis, qui testimonio nostro eget, & opera, sive ille propinquus sit, sive alienus, sive civis, sive advena, sive amicus, sive inimicus. Neque enim adversus inimicos falsum loqui licet, cum eos Christus diligi, & sincere diligi praecipiat. Quin & proximi nomine unusquisque nostrum respectu sui intelligitur; unde sicut contra alios inique loqui nefas est; sic nec nobis contra nos mendacibus esse licet.

Praecepti hujus, sicut & praecedentium duae sunt partes : altera prohibet ne falsum dicamus testimonium, sive extra judicium, sive intra, imo ne sinistre de proximo cogitemus : praecipit altera, ut simulatione, fallaciisque sublatis, dicta, & facta nostra simplici veritate metiamur; secundum id Apostoli Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra*. Itaque, ut octavum praeceptum explicetur quantum est, agendum 1. de mendacio; 2. de diffamatione proximi apud nos interius facta, & consectariis ejus detractione scilicet, contumelia, & similibus; 3. de falso apud Judices testimonio. De detractione, & praecipuis ejusdem speciebus jam dictum est Tomo 1. coetera hic prosequemur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Mendacio.

MEndacium definiri potest, Locutio, aut significatio contra mentem, cum intentione fallendi.

Dicitur 1. *locutio, aut significatio*; quia potest quis mentiri non solum verbis, sed etiam scripto, nutu, gestu, & similibus signis : unde Augustinus Lib. de mendacio cap. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat*. Tom. 6. p. 420.

Dicitur 2. *contra mentem*; mentiri enim est contra mentem ire : atque ideo ad mendacium necesse esse, ut homo id falsum esse putet, quod dicit. *Ex quo fit*, ait ibid. Augustinus, *ut possit quis falsum dicere non mentiens, si putat ita esse ut dicit, quamvis non ita sit; & ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero enuntiat, quamvis revera sit, ut enuntiat. Ex animi enim sui sententia, non ex ipsa rerum veritate, & falsitate, mentiens, aut non mentiens judicandus est*. Hinc liquet mendacium non tam opponi veritati, quam veracitati, quae est virtus mentem inclinans ad efficiendum, ut signa, quibus animi cogitationes exprimimus, iisdem cogitationibus semper congruant.

Dicitur 3. *cum intentione fallendi*; quae additio licet Polmano, & pluribus videtur superflua, ab aliis tamen admittitur, ut consona his S. Augustini verbis, Enchir. c. 22. *Omnis, qui mentitur, contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi*; quod & repetit S. Doctor Lib. contra men-

dac.

dac. c. 12. n. 26. certe, qui diceret: *Hodie huc reversus sum e Constantinopoli*, nugari censeretur, non mentiri, quia non intenderet fallere. Unde Augustinus q. 145. in Genes. *Cum, quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacio*; quia nimirum ait idem L. de mendacio c. 2. *habent evidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis*.

Obj. cum Sylvio 2. 2. q. 110. art. 1. qui patri alioquin ex tristitia morituro nuntiat filium ejus licet mortuum recte valere, mentitur ex Augustino Lib. contra mendac. c. 18. atqui tamen non intendit fallere, sed solum non gravare patrem: ergo.

R. neg. min. Etsi enim is non intendat fallere patrem perniciose, sed econtra; intendit tamen, ut is verum putet, quod falsum est; & id non vacat a fallacia. Quamquam, si quis veram hic fraudem deesse putat, poterit is demere additionem nostram.

Mendacium triplex distinguitur, *perniciosum*, quod alteri nocet, ut cum quis falsum alio crimen impingit, eumve fallit in commercio; *jocosum*, quod fit animo oblectandi eos, quibus falsum quid narratur, perinde ut verum; & *officiosum*, quo bonum alicujus intenditur sine alterius injuria. Sic mentitæ sunt Hebræarum obstetrices, ut infantulos earum conservarent; sic & mentita est Rahab, cum exploratores liberatura dixit: *Cum porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, persequimini cito, & comprehendetis eos*. Josue 2. v. 5. Jam quæritur, an mendacium omne sit peccatum, & quale. Sit

Conclusio I. Mendacium omne est peccatum. Est 1. contra Platonem, Origenem, Cassianum, & alios quosdam, qui mendacium saltem jocosum ab omni culpa liberum esse crediderunt; 2. contra Priscillianistas, qui mendacio, necnon & perjurio hæresim suam occultabant; 3. contra Catholicos quosdam, qui Augustini tempore simulabant se esse Priscillianistas, ut nefariæ sectæ virus totum detegerent, detectumque patefacerent omnibus; quod diebus pene nostris renovavit Duacenæ fraudis artifex, actione mala, bona effectione.

Prob. 1. ex Script. Levit. 23. *Mendacium fugies*, utique, quia malum Levit. 19. *Non mentiemini, nec decipet unusquisque proximum suum*. Prov. 19. *Qui loquitur mendacia non effugiet* pœnam. *Qui loquitur mendacia peribit*. Ephes. 4. *Deponentes mendacium*, &c. ut supra, Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem*. 1. Jo. 2. *Omne mendacium ex veritate non est*: sed, quod non est ex veritate, malum est essentialiter, quia essentialiter repugnat Deo, qui est summa veritas, quique cum de omnibus necessario judicet, necessario pronuntiat falsum esse id, quod mendax affirmat esse verum. Hinc generaliter mendacium omne reprobatur his verbis Eccli. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium*, idest ne velis ullum mendacium mentiri; sicut id Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi*, idem est, ac nulli nationi taliter fecit.

Prob. 2. ex SS. Patribus, quorum alii, ut Justinus Martyr Apolog. 2. scribunt Christianos mori malle, quam mentiri; alii ut Eusebius L. 6. Præparat. Evang. derident Gentilium numina, eo quod mentirentur: cum econtra *homo licet mortalis, modo virtutis studio aliquid tribuat, nulla vi ad mentiendum adduci* possit: *quod semel veritatem omni conditione potiorem habere statuerit*, & infra: *Ignem licet corpori, ferrumve admoveris, stabit ille contra, & libera constantique voce exclamabit: Occurrat ignis, gladius occurrat, seca, exure* cor-

corpus; sanguine ardentem sitim restingue nostro. Sidera in terram prius labentur .. ore, quam tibi nostro excidat vox ulla mendax; alii cum Hieronymo c. 4. Apologiæ contra Rufinum, Origenistas reprehenderunt, quod mendacio interdum veluti medicamine utendum docerent; alii cum Cypriano lib. 3. ad Quirin. c. 104. mendaces condemnant, eo quod abominatio sint Domino labia dolosa; alii cum Lactantio l. 6. c. 18. asserunt ut rem inconcussam hominem verum, & justum ne inimicum quidem, aut ignotum, mendacio decepturum esse; *nec aliquando* commissurum, *ut lingua interpres animi, a sensu, & cogitatione discordet*.

Verum cœteris Patribus in mendacii censura palmam præripuit Augustinus. Is enim ut Catholicos, (qui se Priscillianistas esse mentiebantur, quo nefariæ sectæ penetrarent latebras,) revinceret, Libro, quem jam *de mendacio* scripserat anno circiter 395. Librum alium anno circiter 420. addidit *contra mendacium*; & in utroque omne prorsus etiam officiosum mendacium condemnat, & eo usque condemnat, ut velit sine baptismo relinqui infantem, qui nonnisi
T. 6. p. 471. post deceptos mendacio custodes baptizari possit. *Si ergo*, inquit c. 20. n. 40. Libri contra mendacium: *si veritas doceat, nec propter hominem baptizandum facere, quod contrarium est castitati, quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem, quod ipsi est contrarium veritati?* Augustinum porro secuta est tota Theologorum Schola: ipseque Pontifex Alexander III. cap. *Super eo* 4. *De usuris*, statuit, quod *Scriptura sacra prohibet pro alterius vita mentiri*.

Prob. 3. ratione: Quod multam includit deformitatem licitum esse non potest: atqui mendacium .. 1. enim nocet mentienti; cum, qui in levibus mendax deprehenditur, amittat fidem in majoribus; seque ipsum ad officia, tum Christiana, tum civilia inhabilem reddat. *Melior est pauper*, ait Scriptura Prov. 19. *quam vir mendax*; 2. nocet proximo, cujus animum imbuit falsitate: est enim falsitas malum mentis, sicut mentis bonum est veritas; 3. nocet & Reipublicæ: hujus enim bonum in mutuo hominum commercio situm est, & hoc utique tollitur, si frater fratrem mendaciter circumveniat.

Quin etsi mendacium ab iis defectibus immune foret, saltem eo semper mereretur redargui, quod læderet veritatem divinam; quod Deo dicente, *Est*, diceret, *Non est*; quod demum verbis uteretur ad id, ad quod non sunt instituta. *Utique* enim *verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est*; ait S. Augustinus Enchir. c. 22.

Conclusio II. Mendacium perniciosum est peccatum ex natura sua mortale; jocosum autem, & officiosum sunt tantum venialia. Ita communiter Theologi.

Prob. 1. pars: Illud est mortale peccatum, quod non modo veritati, sed charitati etiam, & justitiæ adversatur: atqui tale est mendacium perniciosum, ut ex ipsius definitione liquet: ergo habendum est pro gravi peccato. Unde Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*; & Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Idem tamen peccatum ratione indeliberationis, aut propter illati nocumenti levitatem, potest esse solum veniale.

Prob. 2. pars ex S. Augustino in mox citatum Psalmi 5. versum 7. ubi sic habet: *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est,*
T. 4. p. 18. *sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut ut prosimus* proximo, *mentimur*, & q. 68. in Levit. de Ægyptiarum obstetricum mendacio dicit, quod *propter misericordiam illud peccatum veniale sit factum, non tamen existimetur*

non

non fuisse peccatum. Rursus Enchir. c. 22. *Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo: Possumus enim, & furando, si pauper cui palam detur, sentit commodum; & dives, cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus, & adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura & si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideo peccatum negabitur tale adulterium*. Consonat id S. Gregorii lib. 18. Moral. c. 2. *Summopere cavendum omne mendacium, quamvis nonnunquam sit aliquod mendacium culpæ levioris*.

Confirmatur ratione: Quod veritati adversatur, sed ita ut nonnisi leviter adversetur charitati, necessario est peccatum, sed leve: atqui mendacia, jocosum, & officiosum veritati quidem repugnant, sed nonnisi leviter adversantur charitati: 1. veritati repugnant: *Nullum* enim *est mendacium, quod non sit contrarium veritati*, ait Aug. L. contra mendac. c. 3. 2. leviter tamen adversantur charitati; tum quia opinio, quam generant, nulli graviter est nociva, cum sit circa res de quibus parvi tua refert, an sic, vel aliter sentias; tum quia finis intentus, est solum levis aliqua delectatio, vel unius commodum sine alterius præjudicio saltem gravi: ergo.

Objiciuntur multa contra primam Conclusionem, 1. quod mentitæ sint obstetrices Ægyptiæ, & Deus ædificavit illis domos, Exod. 1. 2. mentita est Raab pro exploratoribus, & ideo liberata est; 3. David 1. Reg. c. 20. rogat Jonathan, ut patri dicat se profectum in Bethleem, quod falsum erat. Idem c. 21. narrat Abimelech Sacerdoti, se ad eum a Rege missum fuisse; 4. Elisæus Reg. 4. c. 6. militibus missis, ut eum comprehenderent, ait: *Non est hæc via, neque ista est civitas: sequimini me*, &c. 5. Angelus, qui Tobiæ se objicit, dicit, se Azariam esse Ananiæ magni filium; 6. Judith quidquid pene loquitur Holopherni, mendaciter loquitur; & hac via de ipso triumphat; 7. negat Amos esse se Prophetam, & tamen Propheta erat; 8. ait Michæas c. 2. v. 11. *Utinam ... mendacium loquerer*. An autem vir sanctus optasset loqui mendacium, nisi hoc culpæ expers foret; 9. Paulus Act. 23. ait, se nescisse illum cui maledicebat, summum esse Pontificem, quem tamen, vel ex ipsis vestibus cognoscebat indubie; 10. huic sententiæ favent S. Chrysostomus L. 1. de Sacerdotio sub finem; & Hieronymus in c. 2. Epist. ad Galat. 11. suffragatur ratio ipsa. Numquid enim melius non est puellam, cui imminet stuprator, mentiri, fingendo v. g. se nuptam esse; quam incurrere dispendium vitæ, & forsan æternæ salutis? Sed hæc non nocent. Unde

R. 1. generaliter cum Aug. L. contra mendac. c. 9. n. 21. *Hæc quando in Scripturis sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus, etiam facienda* credere debemus; *ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla*, & n. 22. *Constat, quod non omnia, quæ a sanctis, vel justis viris legimus facta, transferre debeamus in mores. Habent enim*, ait S. Doctor c. 14. n. 29. Libri divini *conscripta, & mala hominum, & bona; illa vitanda, ista sectanda*, Quoniam vero solutio hæc omnibus, quæ objecta sunt exemplis accommodari nec debet, nec potest, singula singulatim perstringenda sunt. Unde

Ad 1. & 2. nec obstetrices Ægyptiæ, nec Raab excusari a mendacio possunt: *Quod* ergo *scriptum est bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Raab .. non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed, quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis*, ait Augustinus ibid. c. 15. n. 32. Adde, quod & Raab, & obstetrices a peccato propter bonam fidem

forte immunes fuerint, quia *utrum sit aliquando, vel pro cujusquam salute mentiendum, cum quæstio sit, in qua dissolvenda etiam doctissimi fatigantur, valde illarum muliercularum in illis populis constitutarum, & illis moribus assuefactarum excedebat modum*. Ibid. n. 33.

Ad 3. erat David, sicut & *omnis* alius *homo mendax* : unde absit, ut quidquid ab eo factum est, *in mores*, & exemplum *transferre debeamus*. Si tamen in Bethleem proficisci, ibique per aliquod tempus in agro latitare jam cogitaverat, nec mentitus est, nec Jonathæ auctor fuit mentiendi, cum ab eo poposcit, ut se in Bethleem profectum diceret. Cœterum, ne Abimelech quidem ipsi perniciose mentitus fuit, etsi mendacium ejus secuta sit horrenda Sacerdotum strages: quia eventum hunc haud poterat suspicari: quamquam nonnihil forte peccaverat contra prudentiam, postulando coram Doeg, quæ sibi necessaria erant.

Ad 4. Sudant, ait hic Calmetus, Interpretes, ut Elisæum absolvant a mendacio: absolvetur sane, si supponatur cum patriæ hostibus stratagemate quodam bellico usus esse, juxta tritum id: *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat*. Adde, quod Elisæi verba ironiam manifeste sapiunt. Siquidem loquebatur ad milites ea perculsos specie cœcitatis, quam Græci vocant: *non visionem*, & ex qua fiebat, non ut nihil viderent, sed ut objecta aliter perciperent, quam essent in se ipsis. Unde id: *Non est hæc via*, idem est, ac istud: Numquid hic agnoscitis viam, quæ ducit in civitatem? numquid agnoscitis Dothan in civitate oculis vestris præsenti? itaque: *sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis*, &c.

Ad 5. Non defuere, qui Raphaelem Angelum insimulaverint mendacii: sed absit solutio hæc procul ab ore Christiano. Multo satius fuerit humiliter confiteri, sublimia hæc, & insolita, supra intellectus nostri vires posita esse, neque ex iis quidquam colligi posse pro *vulgaribus gestis*, seu pro communi hominum usu, prout an. 1700. docuit Clerus Gallicanus, cum hanc damnavit propositionem: *Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi, & sancti, æquivocationibus, sive amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt*. Interim conjici potest Raphaelem induisse personam Azariæ; quemadmodum censent multi unitum fuisse Dei Verbum Angelo, qui ad Moysen loquebatur. Paulo aliter extricant se alii ab ista difficultate. Adi, si vacat, Nat. Alexandrum ad 8. Decalogi præceptum, art. 2.

Ad 6. *Laudatur Judith*, ait S. Thomas 2.2.q. 110. art. 3. ad 3. *non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit. Quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum*. Ut ut est de mystico hoc intellectu, quem non referat S. Doctor, satis convenit inter eruditos Judith nonnisi venialiter peccasse mentiendo. Ait quidem, se a Domino missam esse: sed quidni præmissis oratione ferventi, & jejunio, senserit se divinitus inspiratam ad opus, quod mulier sine speciali Dei ope aggredi non potuit, multo minus perficere? Ait rursus cogitasse Judæos *impendere sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, & oleo, quæ nec manibus deberent contingere*. Verum, ut monet hic Sylvius: *bene credibile est, quod deliberationem* præmaturam *de comedendis illis, quæ alias erant illicita, vere instituerant Bethulienses, saltem aliqui*, & plurimi forte, *qui nimirum, aut majori necessitate premebantur, aut non tam patientes erant, quam cœteri*.

Ad 7. Sensus Amos est, eum nec prophetasse usquam, nec a parentibus effor-

efformatum esse, & quasi præparatum ad Prophetici spiritus receptionem, cum eum ex improviso tulit Deus e grege, & dixit ei: *Vade, Propheta, ad populum meum Israel.* Ibi autem quid, vel specietenus adversum veritati?

Ad 8. Loquitur Michæas humano more, & patrem imitatur, qui imminentia filio corrupto mala prospiciens, & prædicens, paterno amore commotus exclamat: *Utinam mendacium loquerer!* utinam non eveniant, quæ prædixi tibi!

Ad 9. Duplex est apud Catholicos, sicut & apud Protestantes expositio verborum Apostoli. Alii censent eum ironice locutum, ut sensus sit: Nesciebam Pontificem esse, sed potius pro tyranno habebam hominem, qui nedum jus mihi faciat, contra fas omne jubet me ignominiose cædi. Ita inter alios Calvinus hic, ubi pro se citat Augustinum; ita, & nauseosus declamator * Petrus Rival. Addunt aliqui Paulum ita loqui potuisse, quia jam extincto legali Sacerdotio, debuerant & Sacerdotes extingui.

Verum communior Interpretum opinio censet reipsa ignotum fuisse Paulo summum Sacerdotem; tum quia tunc temporis ob exiles admodum causas mutabantur Summi Sacerdotes; ita ut Ananiam, de quo agitur nonnisi tres menses Sacerdotium gessisse scribat Josephus L. 20. Antiquitat. cap. 8. tum quia Paulus a septem solum, aut octo diebus redierat Jerosolymam, ibique tot distentus erat negotiis, seu cum Apostolis conferendo, seu suæ, aliorumque quatuor Nazaræorum purificationi vacando, ut facile potuerit non videre summum Pontificem, cujus aliunde conspectum non ambiebat ardenter, sed potius reformidabat.

Quod autem objicitur fieri vix posse, ut eum non cognoverit, seu ex vestitu, seu ex loco, quem tenebat in concessu; nihil habet solidæ difficultatis; tum quia, ut post Cajetanum notat Fromondus, non gerebat Pontifex extra templum vestes ab aliorum vestibus distinctas; tum quia cum ageretur conventus non in Curia ordinaria, quo Sanhedrin convenire solebat, sed vel in domo castris vicina, vel forte in ædibus Tribuni, qui de Judæorum gradu, & ordine parum laborabat, probabilissimum est unumquemque primam, quæ sibi obtigit, sedem occupasse. Adde, quod, vel ex ipsa flagitiosa Ananiæ agendi ratione, quæ Principem Senatus enormiter dedecet, potuerit Paulus concludere, eum neutiquam esse supremum Sacerdotem. Atque id, & vix aliud indicat, tum responsio Pauli, tum seria, qua eam confirmat, probatio: *Nesciebam, Fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim* Exod. 22. *Principem populi tui non maledices.*

Alias objectiones, quæ in æquivocationum mendaciis affinium gratiam ex Scriptura erui solent, excussimus T. 1. ubi de Juramento.

Ad 10. Chrysostomus, & Hieronymus circa eam quæstionis partem, *in qua doctissimi fatigantur*, errare potuerunt; neque eorum auctoritas auctoritati Patrum cœterorum, tot præsertim divinæ legis textibus munitæ præponi potest. Benigne tamen Hieronymum explicat S. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. ad 2. quem sequere, si potes.

Ad 11. una sufficiet nobis Apostoli responsio: *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Durum quidem est vitam amittere, sed durius offendere Deum. Interim, quæ pudicitiam mendacio redimere non vult, mirum, si dum ex tam puro Dei amore stuprum patitur invita, adeo defeeratur, ut intus delectetur actione nefaria.

* Dissertations Historiques, & Critiques sur divers sujets par Pierre Rival, Chapelain de Sa Majesté Britannique, &c. A Amsterdam, & à Londres 1726. *Præfat p.* 24.

Obj. contra secundam Conclusionem: 1. illud Psalm. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; quod August. Lib. de mendacio n. 6. negat *exceptis aliquibus mentientibus posse intelligi*, & quod proinde ad omnes prorsus, qui mentiuntur, extendi vult; 2. id quod idem S. Aug. docet Lib. contra mendac. cap. 5. num. 8. nimirum mortaliter delinquere, qui mentitur, *ut ab errore, ac furore* hæreseos *liberet homines*: si enim in hoc casu lethaliter peccatur, a fortiori in cœteris.

R. ad 1. Prophetam Regem de iis solum loqui, qui perniciose mentiuntur, alioqui juxta eum perderetur omnis homo, quia juxta eum *omnis homo mendax*, idest, vel a veritate, vel in aliquo pari genere deficiens. Quod autem perditionem hanc a Psalte prædictam extendit Augustinus ad quoslibet mentiens, nihil nobis officit: quia juxta S. Doctorem incurritur perditio hæc ab iis, qui seu grave, seu leve animæ suæ nocumentum inferunt: profecto autem quisquis mentitur, animæ suæ nocet: imo si assuescat mentiri, parat sibi perditionem omnimodam, quia levia peccata disponunt ad graviora, & sic ad æternam damnationem; juxta id Eccl. 7. *Noli velle mentiri omne*, idest ullum *mendacium: assiduitas enim illius non est bona*.

R. ad 2. neg. ant. Non enim simpliciter docet Augustinus mortaliter peccari ab iis, qui mentiuntur, ut hæreticos liberent ab errore; sed, qui mentiuntur fingendo se pæriter esse hæreticos: quisquis autem sic agit, Augustino graviter reus videtur, nec immerito: quia *latens videt vera, & volens loquitur falsa* in materia fidei. *Semper* ergo, *frater* Consenti, ait S. Doctor ibid. n. 10. *in talibus causis cum timore recolendum est* istud Matt. 10. Quicumque me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est. *An vero Christum coram hominibus non negat, qui coram Priscillianistis negat, ut eos latentes blasphemo mendacio nudet, & capiat? Quis dubitat*.·. *negari Christum, cum sicuti est verus, ita non esse dicitur; & sicut eum Priscillianista credit, ita esse dicitur*.

An, ut quibusdam placet, existimaverit Magister sententiarum, mendacium quodcumque in viris perfectis esse mortiferum, pœnes lectorem judicium esto: en verba ejus lib. 3. dist. 38. *Hæc duo genera mendaciorum*, jocosum scilicet, & officiosum, *non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis vero non convenit mentiri, nec etiam pro temporali vita alicujus, ne pro corpore alterius animam suam occidant*. Hæc utique non minus ad sensum verum flecti possunt, quam, quæ ex Augustino paulo ante objiciebantur.

Corollaria:

Ex his colliges 1. nullam esse occasionem, in qua liceat mentiri; unde peccat, qui mendacium confingit, ut detegat hæreticos; ut reparet detractionem veri criminis detectione commissam; ut castitatem, aut vitam suam servet; ut servet vitam, vel infantis sine baptismo morituri, vel innocentis ad mortem quæsiti. Dicat igitur in postremo hoc casu: *Nec prodam*, quem quæritis, *nec mentiar*. Ita Augustinus ibid. cap. 13. Vide pluribus de his differentem Nat. Alexandrum hic Reg. 6. 7. 8. 9. & 10.

Colliges 2. mendacium eo esse gravius, quo gravius non veritati solum, sed & charitati, aut justitiæ adversatur. Hinc graviter peccant. 1. Theologi, Casuistæ, Jurisperiti, Medici, & similes, qui seu in fide, seu in materia morum, seu in interpretandis legibus aliquid docent, unde grave immi-

immineat proximo nocumentum temporale, aut spirituale: nec ulla in fide, aut moribus excusare potest levitas materiæ.

2. Qui in Concionibus sacris, vel potius sacrilegis, annuntiant falsa miracula, fictas indulgentias, aut reliquias. Item, qui Sanctis, quorum præcones sunt, imaginarias dotes attribuunt: tum quia sic religionem, religionisque heroes exponunt ludibrio; tum quia graviter indecens est, ut qui funguntur legatione pro Christo, ejusque vices, & personam gerunt, non loquantur *quæcumque vera, quæcumque sancta*. Unde August. Lib. de mendacio c. 21. n. 42. *Non est mentiendum in doctrina pietatis: magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacii*. Vide, quæ dixi ubi de Fide pag. 187. & seq.

3. Qui in confessione, vel falsum sibi crimen imponunt, quod rarum est, vel res sic imminuunt, ut ex lethali peccato faciant veniale. Aliud esset, si ex quadam simplicitate dicant, se quid pluries fecisse, quam fecerint, quia verentur, ne non dicant satis. Item, ait Henno, si decipiant circa circumstantiam solum levem, & aliunde habeatur sufficiens materia confessionis. Sed de hoc alibi.

Colliges 3. simulationem, hypocrisim, adulationem, & jactantiam, totidem esse peccata; quia vel mendacia sunt, vel includunt mendacium. Haud tamen æqualis sunt deformitatis: cum non æqualiter offendant Deum; aut æqualiter proximo noceant, vel Reipublicæ. Quod, ut pateat magis, juvat hic paulisper immorari. Itaque

Simulatio est mendacium facti, seu fictio, qua quis per aliqua signa rerum, aut factorum exprimit, & significat contrarium ejus, quod habet in mente; ut dum, qui intus ardet odio, exterius amicitiam exhibet. Simulatio sic proprie sumpta semper est peccatum, & mortale, quoties proximus inique decipitur in re gravi. Sic lethaliter peccavit Absalon, cum patris sui ruinam, populique rebellionem meditans, finxit ire se in Hebron, ut offerret sacrificium Domino. 2. Reg. 15.

Nec nocet, quod Josue habitatores urbis Hai deceperit inculpate, metum, & fugam simulando: quodque Christus ipse Luc. ult. *finxit se longius ire*. Josue enim nihil aliud fecit, quam, quod Ducibus licitum est in bello: Christus vero *finxit se longius ire*, idest composuit se, quasi ulterius perrecturus esset, partim ut provocaret alios ad exercendam erga se hospitalitatem, partim ut revera pergeret, si eum non retineret. Utrumque autem sine mendacio fieri potest. Ita Jansenius.

Hypocrisis est alienæ personæ assumptio, seu species simulationis, qua quis factis, verbisve, aut utrisque simul, exterius fingit sanctitatem, quam reipsa non habet. Grave est peccatum hypocrisis, cum quis sanctitatem contemnit, aut eam simulat: *ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit*. Ita S. Thomas ibid. art. 4. Atque id indicat repetitum illud Christi: *Væ vobis hypocritæ*; & Isajæ 9. *Omnis hypocrita est, & nequam*. Unde Eccl. 1. v. 37. dicitur: *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum*.

Non omnis tamen, ait Sylvius 2. 2. q. 111. art. 2. qui sanctitate caret, etiamsi alium de peccatis reprehendat, nec omnis, qui sua peccata occultat, ne alios scandalizet, hypocrita est dicendus; sed is demum, qui eo fine sanctitatem simulat, ut quam non habet, habere videatur. *Vide, quæ dixi in Tract. de Peccatis, part. 2. cap. 4. art. 1.*

Adulatio, qua quis erga proximum excedit in laude, vel complacentia semper est peccatum; quia ut ait Hieronymus Epist. ad Celantiam, quam adscribunt aliqui S. Paulino Nolano Episcopo, *nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum; nihil, quod tam dulci, & molli vulnere animum feriat: unde & quidam Sapiens ait*: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris: *& Dominus loquitur per Prophetam*: Popule meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum. *In multis isto maxime tempore regnat hoc vitium, quodque est gravissimum, humilitatis, ac benevolentiæ loco ducitur. Eo fit, ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur.* Concinit Augustinus Enarrat. in Psal. 69. ubi sic: *Duo sunt genera persecutorum, vituperantium, & adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris.* Unde palam ajebat Job c. 27. *Absit a me, ut justos vos esse judicem: donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* Siquidem, ait S. Greg. Lib. 18. Moral. cap. 4. *Ad innocentia recederet, si bona de malis æstimaret.*

Haud tamen omnis adulatio peccatum est mortale, sed tunc solum ait S. Thomas 2. 2. q. 115. art. 2. cum *charitati* graviter *contrariatur*. Id autem fieri potest *tripliciter: Uno modo ratione ipsius materiæ; puta cum aliquis laudat alicujus peccatum* mortale*. *Alio modo ratione intentionis, puta, cum alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat, vel corporaliter, vel spiritualiter; & hoc etiam est peccatum mortale; & de hoc habetur Prov. 27.* Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. *Tertio modo per occasionem; sicut cum laus adulatoris fit alteri occasio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem. Et in hoc considerare oportet, utrum sit occasio data, vel accepta, & qualis ruina subsequatur*, aut subsecutura prævideri potuerit.

* Sylvius hic.

Quod *si aliquis ex sola aviditate delectandi alios, vel etiam ad evitandum aliquod malum, vel consequendum aliquid in necessitate, alicui adulatus fuerit, non est contra charitatem*, prout *contra*, dicit destruere charitatem. *Unde non est peccatum mortale, sed veniale.* Imo *si aliquis aliquem velit delectare laudando, ut ex hoc eum consoletur, ne in tribulationibus deficiat, vel etiam, ut in bono proficere studeat, aliis debilis circumstantiis observatis, pertinebit hoc ad virtutem amicitiæ.* Ita idem S. Thomas ibid. art. 1. Ea de re utiliter legeris Librum, cui titulus: *Deux traités l'un de la flaterie, & des louanges, l'autre de la médisance*, Paris. apud Robustel 1701. Vide & Nat. Alexandrum hic Reg. 17.

Jactantia est species mendacii, quo quis exterius se effert supra id, quod in ipso est. Hæc utique peccatum est, non tamen semper lethale, prout jam dixi in Tractatu de Peccatis, ubi supra.

Ad simulationem reducitur ironia, quæ non sumitur hic pro figurata locutione, qua aliquid irrisorie exprimitur per contrarium; sed pro ea mendacii specie, qua quis vel de se affirmat aliquid mali, cujus sibi conscius non est, vel de se magni quid negat, quod in se recognoscit. *Ironia, & jactantia circa idem mentiuntur, vel verbis, vel quibuscumque exterioribus signis, scilicet circa conditionem personæ: unde quantum ad hoc æqualia sunt. Sed ut plurimum jactantia ex turpiori motivo procedit ..... & secundum hoc . . . . . . jactantia est gravius peccatum, quam ironia. Contingit tamen quandoque, quod aliquis minora de se fingit ex aliquo alio motivo, puta ad dolose decipiendum*, (secundum id Eccli. 19. v. 23. *Est, qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo:*) *& tunc ironia est gravior.* Ita S. Thomas ibid. q. 113. art. 2.

Dices ex S. Gregorio in Epist. ad Augustinum Angliæ Apostolum, interrog-

rog. 10. *Bonarum mentium est suas ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est:* ergo ironia non est peccatum.

R. neg. conseq. Ut enim ait S. Thomas ibid. art. 1. ad 2. equidem *ad bonitatem mentis pertinet, ut homo ad justitiæ perfectionem tendat; & ideo in culpam reputat non solum si deficiat a communi justitia, quod vere culpa est; sed etiam si deficiat a justitiæ perfectione, quod culpa non est: non autem culpam dicit, quod pro culpa non recognoscit, quod ad ironiæ mendacium pertineret*, secundum id S. Augustini Serm. 182. alias 19. de verb. Domini: *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris .·. nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?*

Quæres, an veritatis amor exigat, ut homo homini patefaciat, quidquid habet in animo, vel quidquid cognoscit veri. Videtur, quod sic, quia veritas, seu veracitas, ex S. Thoma 2. 2. q. 109. art. 3. ad 3. est Habitus *quo aliquis in vita, & sermone talem se demonstrat, qualis est.* Nihilominus

R. negat. *Aliud* enim *est mentiri*, ait S. Aug. in Psalm. 5. *aliud verum occultare: siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere.* Quin, & duo hæc eo usque differunt, ut vituperio dignus sit, qui falsum loquitur, ne amicum prodat; contra vero dignus sit laude, qui ut amicum servet, veri quid supprimit. Hinc ait Scriptura Prov. 29. v. 11. *Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, & reservat imposterum.* Quapropter, ut actus veracitatis ad virtutem pertineant, oportet, ut & tunc, & sic manifestetur veritas, quando, & quomodo rectæ rationi est consentaneum: & eo sensu definitionem S. Thomæ intelligit Sylvius ibid. art. 1. Et vero præceptum veri dicendi affirmativum est; & proinde non obligat *semper, & pro semper*, sed tunc solum cum exigit ordo virtutis. Quoniam vero materia hæc non nullius est momenti, idcirco quibusdam regulis explicanda est. Sit ergo

Regula I. Homo veritatem sibi notam occultare debet, quoties ex ejus manifestatione gravior, quam ex ejusdem reticentia sequetur Dei, suive, aut proximi injuria. Ratio est, quia exigit naturalis æquitas, ut homo nec Deo, nec sibi, aut proximo gratis noceat; aut saltem, ut malum, quod prævidet per accidens ex actione sua secuturum, majori bono compensetur. Unde S. Gregorius Mag. Pastor part. 3. c. XI. *Laudandi sunt*, inquit, *simplices, quod studeant nunquam falsa dicere; sed admonendi sunt, ut noverint nonnunquam vera reticere: sicut enim semper dicentem falsitas læsit, ita nonnunquam quibusdam audita vera nocuerunt.*

Hinc 1. occultanda est veritas cœlestis, seu cum prævidetur ab auditoribus deridenda, secundum id Christi apud Matth. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*; seu cum auditorum captum excedit; qua de causa ajebat Salvator Joan. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*; seu demum cum ex aperta veritatis prædicatione prævidentur tumultus, divino honori, & saluti populorum perinde exitiosi. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 3. art. 2. ad 3. *Si*, inquit, *turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, absque aliqua utilitate fidei, vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri .·. Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium debet homo publice fidem confiteri. Unde Matth. 15. dicitur, quod cum discipuli dixissent Domino, quod Pharisæi audito ejus verbo scandalizati sunt, Dominus respondit: Sinite illos, scilicet turbari: cæci sunt, duces cæcorum:* Unde satis sequitur, Deum multo plus invenire boni in aliquot hominum con-

conversione, quam inveniat mali in permissione iniqui aliorum scandali; imo permissionem hanc pro tunc nihil habere mali.

Hinc 2. occultare veritatem debet, qui eam detegendo, sibi gratis noceret: sic dicere potuit, & debuit Samuel senioribus Bethlem, se venisse ad immolandum Domino, & reticere se, & magis venisse ad ungendum David in Regem; quia secundæ hujus veritatis evulgatio boni nihil peperisset, mali plurimum. Pari de causa, qui initas contra hostem molitiones compertas habet, proditor est, &, ut talis graviter delinquit, si easdem revelet.

Quod si non agitur de injuria proprie dicta, sed de damno, quod quis pati potest sine cujuspiam præjudicio, tunc potest is veritatem detegere, sed non tenetur. Sic mercator, qui novit brevi futuram mercium copiam, aut penuriam, potest suum sibi secretum servare; ut diximus Tom. 1. Sic medicus, aliusve quilibet, qui arcanam morbi propellendi, aut rei alterius efficiendæ rationem callet, haud tenetur illud spargere in vulgus, nisi id exigat bonum universale.

Hinc 3. veritatem supprimere debet, qui eamdem sine iniqua tertii denigratione pandere non potest, juxta id Prov. 4. *Remove a te os pravum, & detrahentia labia sint procul a te.* Idem est de eo, qui loquendo proderet secretum, quod sine cujusquam præjudicio servare potest; contra id Prov. 25. *Secretum extraneo ne reveles*, & cap. 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.*

Regula II. Manifestanda est veritas, quoties id exigit rectus ordo. Exigit autem 1. cum ex veritatis manifestatione virtus crescit, & roboratur, aut ex ejusdem suppressione imminutionem patitur; 2. cum eam pandi præcipiunt politici, aut Ecclesiastici Superiores absque ullo suæ potestatis abusu; 3. cum est e bono Ecclesiæ, aut Reipublicæ veritatem palam efferri; ut si alioqui immineat periculum hæresis, occulta contra Principem machinatio, nec contra Principem solum, sed & contra innocentes, quos a nefariorum artibus servari exigit commune bonum: unde si nova Susanna honoris, aut vitæ dispendium incurrit, novum ei Danielem præsto esse oportebit; 4. cum quis juridice interrogatur, seu intra, seu extra forum conscientiæ, de quo paulo post. In his porro casibus remoto procul æquivocationum, aut restrictionum mentalium usu, quisque ita sincerum se, & candidum exhibere debet, ut nec unguem recedat a veritate, secundum id Zachariæ 8. v. 19. *Veritatem tantum, & pacem diligite.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De interna proximi diffamatione.

CONstat apud omnes octavo præcepto non prohiberi solum externam contra proximum locutionem, sed & internam, quæ fit inique, & sinistre de eodem cogitando. Potest autem alius de alio sinistre cogitare per dubium, suspicionem, opinionem, & temerarium judicium. Quæ omnia, quoniam materia frequens est, & gravis, accurate evolvere conabimur.

Dubitatio est suspensio animi assensum inter, & dissensum; seu hæsitatio intellectus, non magis declinantis in unam partem, quam in aliam.

Suspicio est propensio, seu inclinatio mentis ad assentiendum uni parti potius, quam alteri, ita ut tamen mens nondum plene, & absolute assentiatur; quia licet videat, aut videre credat aliquam veri speciem, in

una

una parte sublucentem, non in altera, nihil tamen percipit, quo ad plenum, & absolutum judicium conducatur.

Opinio est verus assensus, sed non ita firmus, ut excludat formidinem errandi; seu est determinatum judicium de veritate unius partis, cum formidine de contrario.

Judicium est assensus fixus, & firmus, adeoque omnem errandi formidinem excludens. Omnia hæc uno eodemque patefient exemplo. Videt Titius Petrum, nescio quid insusurrare auribus Joannis, non magis judicat eos de se fausta, quam infausta loqui; en dubitatio. Paulo post propendet, ut credat eos contra se mali quid effutire, necdum tamen id judicat; en suspicio. Judicat subinde eos de se male loqui, quamquam, & sentit se posse falli; en opinio. Demum certo pronuntiat intus, se totam colloquii materiam esse; en judicium. Hæc autem omnia respective temeraria erunt, si nitantur indiciis, quæ non sufficiant ad fundandum dubium, suspicionem, &c. unde temerarie dubitat, qui voluntarie suspendit assensum de bona proximi actione; cum argumenta bonitatis hujus satis gravia habet, ut positive consentiat. Pari de causa temerarie suspicatur, aut judicat, qui progreditur ultra, quam permittat gravitas motivorum, quibus ad suspicandum, vel judicandum determinatur.

Si quæras, quæ indicia levia, quæ gravia censeri debeant: Respondet Sylvius 2. 2. q. 60. art. 3. quæsit. 3. levia esse indicia, quæ habita ratione facti, personæ, loci, temporis, cœterarumque circumstantiarum, non sufficiunt, ut vir prudens moveatur ad sic dubitandum, suspicandum, opinandumve, aut judicandum de proximo. Unde econtra gravia reputari debent, quæ virum prudentem moverent ad sic, vel sic judicandum. Sic, si videas hominem, qui nocte, & clanculum alienas ædes perforat, aut per fenestras ascendit, habes sufficienter, unde judices eum furtum; aut mali quidpiam animo meditari: secus si hæc ab eo plena luce, & coram omnibus fieri videas. Pariter si videris juvenem, & adolescentulam, vel nocte, vel in obscuro loco petulanter se amplexantes, quos tamen nosti non esse sponsos; grave habes argumentum mali: secus, si eos videris secreto quidem, sed honeste, & in loco patenti colloquentes. Sic demum minora sufficiunt indicia, ut malum imputas, v. g. ebrietatem ei, qui ebrietatis consuetudinem habet, quam, ut alteri: similiter si persona, quæ alterius actionem refert, sit proba, nec assueta detrahere de aliis, aut incerta pro certis spargere, aliunde vero nihil sit inter utramque odii, & simultatis; grave indicium est, commissum fuisse id, quod refertur, si referatur de vulgari quopiam, qui simile quid operari idoneus sit. Si vero alter ille, de quo delictum narratur, sit etiam persona probitate, & integris moribus commendata; jam viri etiam honesti testimonium non sufficit, ut judices, imo nec, ut opineris; sed sufficere poterit, ut dubites, & intus dicas: Forte fecit, quia alioquin talis non assereret; forte non fecit, quia vir est bonæ frugis, & potest alter decipi. Ratio est, quia motiva, quæ ad judicium non sufficiunt, satis esse possunt ad opinionem, sicut, quæ ad opinionem, aut suspicionem satis non sunt, sufficere possunt ad dubitationem. Eadem verbis paulo mutatis tradit Nat. Alexander hic Reg. 18.

Hinc colliges cum eodem Sylvio, famam de peccato alterius quandoque excusare a temeritate suspicionis, aut judicii, quandoque non. Excusabit, si fama hæc auctorem habeat certum, dignum fide, & qui nihil nisi undecumque probabile retulerit: secus, si nullo certo nitatur auctore, aut certo quidem, sed levi, & qui fidem non mereatur.

Cœ-

Cœterum caute in hac materia notandum est, aliud esse judicium de opere, aliud de persona. Audit, quis v. g. alios scurrilia loquentes, & ex inscitia credens actum hunc esse secundum se peccatum mortale, judicat eos, qui hæc locuti sunt, peccasse mortaliter. *Non incurrit is*, ait Cajetanus, *peccatum judicii temerarii, de quo est communis sermo; quoniam non judicat personam, sed opus, nec errat in judicio personali, sed in judicio rerum. Tunc autem temerarie judicaret, quando esset judicium personale, ita, quod ex parte intentionis, seu animi* loquentium *judicaret eos peccare mortaliter; audens definire in actibus dubiis, aut venialibus intentionem mortalem*, id est hujusmodi collocutores pessime esse affectos, nihil salutem suam curare, &c. & tunc gravius adhuc peccatum erit, & detractionis malitia cumulatum, si judicium ipse suum, aut pravam, quam animo concepit, suspicionem aliis aperiat. Itaque, ait Cajetanus v. *Judicium temerarium*, Tu director *memento discernere inter judicium operis, & judicium personæ*. Hanc Cajetani doctrinam, ut sapientem laudat, & probat Comitolus Lib. 4. q. 46. n. 9. eique suffragatur Nat. Alexander ibid. His præmissis, ut a notioribus progrediamur ad minus nota, fit

SECTIO PRIMA.

De Judicio temerario.

CONCLUSIO I. Judicium temerarium est peccatum mortale, idque contra justitiam, quoties est notabiliter temerarium, vere voluntarium, & in materia gravi.

Prob. 1. ex Scriptura. Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini*; ergo, qui grave contra proximos judicium tulerint, graviter condemnabuntur. *In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Rom. 14. *Tu, quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* I. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Jacobi 4. *Qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem*, seu damnat legem quasi injustam, & quæ inique spoliet hominem jure, quod sibi inesse credit, de fratre suo judicandi. Unde sic: Posita gravi materia grave est peccatum, quo usurpatur jus judicandi servum alterius; quo prævenitur dies, seu judicium Domini; quo denique lex Dei quasi iniqua redarguitur: atqui per judicium temerarium usurpatur jus, &c. ergo.

Prob. 2. Peccatum, quod gravem proximo injuriam infert, justitiam mortaliter lædit: atqui tale est judicium temerarium: tum, quia lædit jus, quod quisque habet, ne reputetur malus, quamdiu non probatur sufficienter talis; tum quia sicut graviter noces ei, quem apud alium infamas, sic ei graviter noces, cum eumdem infamas apud te ipsum.

Idem docent SS. Patres, quorum de more longam adducit seriem Nat. Alexander ubi supra. Sufficiet nobis S. Cæsarius Arelatensis Serm. 26. in Augustiniana Appendice 66. hæc ille: *In his rebus periculose alios judicamus, quæ dubium est utrum bono, an malo animo fiant, idest jejunare, vigilare, eleemosynas facere, a vino, & a carnibus abstinere, vel non abstinere, & reliqua his similia, quæ pro Deo, & pro humana gloria fieri possunt. Et quia ignoramus, quo animo fiant, judicare penitus non debemus* in malum. *Propterea dixit Dominus*

No-

Nolite judicare, &c. *Hæc si observare volumus, non de parvo peccato cum Dei adjutorio liberamur: maxima enim pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta, & parata esse probatur; cum tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare*; ergo judicium temerarium pro *parvo peccato* haberi non potest. Merito igitur S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3. *Cum aliquis*, inquit, *pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis .. hoc si fit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi.*

Dixi 1. *quoties est notabiliter temerarium*, id est quoties motiva, quibus innititur, notabiliter distant ab iis, quæ necessaria forent viro prudenti, ut is idem, quod tu fers, judicium ferret. Quod si motiva, ex quibus hoc, vel illud judicium tulisti, parum distent a sufficientibus, veniale erit peccatum, prout levis fuerit temeritas: imo poteris falsum judicare, nec tamen judicare temerarie, secundum id S. Thomæ quodlib. 12. art. 34. *Judicium de personis licet quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando est omnino temerarium*. Sic judicare potes hominem ebriosum, sua hodie, ut semper culpa ebrium esse; tametsi fieri absolute potest, ut alterius dolo inebriatus fuerit.

Dixi 2. *quoties est vere voluntarium*, seu, ut loquitur Nat. Alexander, omnino deliberatum, & perfectum. Unde si judices ex sola mentis promptitudine absque ullo deliberato voluntatis consensu, nullum erit peccatum: tunc enim non tam erit judicium, quam repentina cogitatio in mentem insiliens, quæ statim, ut propius considerari incipit, rejici solet; & circa quam interrogatus, quis, an certo credat de proximo, id quod statim de eodem cogitavit, sæpius responderet se, nec credere certo, nec credere velle. Unde Confessarius non statim mortalis peccati reos existimabit tot homines, qui verentur, ne temere judicaverint de proximo; verum, ut monent Sylvius Decoq, & alii passim, considerabit statum, & dispositionem pœnitentis. *Decor.*
Si pœnitens curam habet propriæ salutis, si timoratæ sit conscientiæ, & credit se non fuisse consensurum malæ cogitationi, si cum hæc irruit, advertisset ipsam esse temerariam, regulariter non erit metuendum de mortali, tametsi diu perduraverit cogitatio: & hæc regula habet etiam locum in timoratis, qui variis circa fidem, & castitatem cogitationibus, & tentationibus affliguntur. Si vero pœnitens non ita sit de salute sua sollicitus, sed aliorum vitam carpere solet, & in eam inquirere, ut faciunt devotæ quædam *speciem babentes pietatis*, tunc in dubio, an pravæ cogitationi consenserit, semper debet scrupulum de mortali, ideoque rem totam confiteri ad minus, ut dubium mortale. Quod si cuipiam suum de alio sensum maligne patefecerit, jam duplici peccavit nomine, 1. quia sic utcumque consensum suum firmavit: 2. quia plerumque imprudenti hac agendi ratione pejorem de proximo ideam insevit in aliorum animo, quam haberet ipse. *pag. 459.*

Dixi 3. *& in materia gravi*. Gravis porro censetur materia, 1. peccatum mortale, quia quisquis hujus reus esse judicatur, judicatur esse apud Deum infamis, utpote Dei inimicus. Excusant tamen Sylvius, aliique non ignobiles Theologi, a gravi peccato eos, qui ex parvis indiciis judicant hominem ebriosum, esse ebrium; juvenem lascivum, & perditum, qui cum puella loquitur procaci modo, eamdem sollicitare ad malum, militem ad duellum provocasse, aut illud acceptasse. Hæc tamen limitatio (quam, & prætermisit Nat. Alexander, etsi reliquam Sylvii decisionem, tacito nihilominus ejusdem nomine, adoptavit) mihi non uno ex capite difficilis videtur, ob rationes allatas in Tract. de Justitia, part. 3. alias 3. cap. 3. art. 1.

2. Pec-

2. Peccatum etiam veniale; cum per judicium mentis affingitur alicui, de cujus æstimatione multum detrahit, attentis personæ statu, & qualitate; ut si judices Sacerdotem, vel Religiosum ex consuetudine mentiri, sacros ritus, aut Regulares observantias negligere, Horarum penso fungi perfunctorie, & leviter, ludo magis, quam studiis indulgere; Sanctimonialem munditiam vestium ad inanem gloriam affectare, vanos in locutorio, cum sæcularibus miscere sermones, Libros nugis, & vanitate refertos piis objectis perlegere, &c.

3. Quin, & gravis materia esse potest, id quod licet non sit in se peccatum, graviter tamen lædit honorem proximi, ejusque, si pervulgatum esset, famam deterreret notabiliter: ut si temere judices virum honestis, ac catholicis parentibus natum, spurium esse, vel a Judæis progenitum; & ob id ipsum contemnas, aut officiis, vel honoribus indignum existimes. Item si fatuum censeas illum, qui nulla dedit amentiæ signa, aut certe tam levia, ut sufficiens hujus judicii motivum esse non possint. Et ratio est, tum quia dementes facile despicimus; tum quia cum actus exterior mortale est peccatum, actus interior a quo ille procedit, est etiam peccatum mortale: atqui vocare aliquem fatuum, injuriose scilicet, & contemptibiliter, mortale est peccatum, juxta id Matth. 5. *Qui dixerit* fratri suo, *fatue, reus erit gebennæ ignis*; ergo judicium, a quo talis contumelia profluit, etiam est mortale. Ita Sylvius ibid. art. 3. quæsit. 4. & ex parte Nat. Alexander.

Addit idem Sylvius mortaliter peccare eum, qui sciens grave aliquod crimen commissum fuisse, judicaret illud commissum esse ab aliquo hujus Monasterii, vel Communitatis, non determinando personam, sed corpus dumtaxat, cujus eam membrum esse judicet: *Ita, ut ejusmodi judicium redundet in contemptum, vel perversam æstimationem Monasterii hujus*, vel Communitatis.

Cum peccatum quodcumque justitiæ oppositum inducat obligationem restituendi, certum est, & eam ex judicio temerario nasci debere: hanc autem adimplebit temerarie judicans, 1. quæ inique tulit judicia interius retractando; 2. quæ sibi deinceps circa personam suborientur dubia, meliorem in partem interpretando; de quo infra.

Conclusio II. Qui temerarie de proximo opinatur in malum, licet minus peccet, quam qui temerarie judicat; mortaliter delinquit.

Prob. quia opinio licet minus firmum, verum tamen mentis judicium includit; ergo cum quisquis de proximo temerarie judicat in materia gravi, lethaliter peccet; lethaliter peccare debet, qui male, & sine sufficienti causa de proximo opinatur.

Confirm. quia supra citati Scripturæ textus non modo firmum, & constans de proximo judicium, sed & malum quodcumque judicium generaliter, & indistincte proscripserunt; ergo, & illud proscripserunt genus judicii, quod opinioni necessario inhæret. Neque enim ad grave peccatum requiritur certitudo judicii, ut hinc patet, quod dubius in fide, mortaliter peccet, nisi excuset indeliberatio. Unde S. Thomas eadem qu. 60. art. 3. ad 2. *Ex hoc ipso*, inquit, *quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum; & ideo injuriatur ei*; sicque committit *peccatum mortale*, prout docet idem S. Thomas in corp. artic.

Eo autem gravius est opinionis temerariæ, sicut & temerarii judicii peccatum, quo utrumque ex nequiori fonte procedit. Porro, ait ibid. S. Doctor, *ex tribus contigit*, quod male quis de proximo judicet, aut opinetur, *Uno quidem modo ex hoc, quod aliquis in se malus est: & ex hoc ipso quasi* con-

conscius suæ malitiæ faciliter de aliis malum opinatur, secundum id Eccles. 10. In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. *Alio modo provenit ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum: cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur malum de ipso; quia unusquisque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo procedit ex longa experientia: unde ... senes sunt maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primæ autem duæ suspicionis causæ manifeste pertinent ad perversitatem affectus: tertia vero causa diminuit rationem*, & vitium *suspicionis*.

SECTIO SECUNDA.

De Suspicione, &c.

DUplex hic excutienda superest difficultas: prima, an criminosum sit ex levibus conjecturis de aliorum actionibus temere suspicari; secunda, an dubia proximi dicta, vel facta, quæ nimirum pro secreta ejus intentione proba esse possunt, vel improba, ita meliorem in partem interpretari necesse sit, ut qui secus fecerit, graviter delinquat.

Circa primam difficultatem varias in partes scinduntur Theologi. Alii, iique juxta Comitolum * præcipui Auctores, & omnes ferme, *qui in hoc argumento versati sunt*, culpam hic agnoscunt solum venialem. Ita apud eumdem Theologum sentiunt SS. Augustinus, Thomas, Antoninus, Alex. Halensis, Astensis, Joannes Tabiensis, Viguerius, Navarrus, & præcipue Cajetanus tum in 2. 2. q. 60. art. 3. tum in Summa v. *Judicium temerarium*. Hæc ille in S. Thomam: *Video juvenem cum inhonesta muliere euntem, & credo in mente mea illos velle peccare: atque hoc tanquam verum existimans pertranseo, vel admiror: sumque in mente mea ita dispositus, ut si egomet interrogarem me ipsum, an æstimatio mea sit apud me adeo vera, & certa, quin etiam credam, quod forte falsa est æstimatio ista: Responderem, quod forte falsa est: verumtamen mihi sic videtur; tunc credulitas est firma, non simpliciter, sed hæsitationi admixta. Si autem essem sic dispositus, ut responderem, quod mea æstimatio est vera, & certa, ut nullus dubitationi locus sit, tunc est assertiva determinatio*; & in hoc solum casu non in primo peccatum est mortale. Idem his verbis tradit Halensis 2. part. Sum. q. 117. n. 4. *Suspicio*, inquit, *cum non progreditur in sententiam firmam, & definitivam, veniale potest esse peccatum: cum autem progreditur, est mortale. Cum enim homo movetur ex conjectura ad opinandum, & non plus extenditur, quam conjectura exigat, tunc dicitur humana tentatio: cum autem nimis amat sententiam suam, & plus format sibi ex malitia libidinosæ voluntatis, diabolica videtur tentatio*. Ubicumque igitur deest judicium firmum, & cui mens obstinate adhæreat, ibi deest & noxa mortalis; unde hæc nec in opinione, nec in suspicione unquam reperietur. Idem tenet R. P. Bosembes Tom. 3. p. 451.

* Lib. 4. q. 46.

Alii ex adverso sentiunt in suspicione, non solum prout importat opinionem, sed etiam prout includit dubitationem mali de proximo, semper reperiri mortale peccatum, quoties est materia gravis, & deliberatio sufficiens. Ita Sylvius eod. art. 3. concl. 2. & apud eum Bannes, Sayrus, Medina, Sotus, aliique plures, quos etiam sequitur Henricus a S. Ignatio T. 2. part. 8. c. 20. assert. 2. his verbis: *Etiam opinio, suspicio, & dubitatio temeraria, peccata sunt ex genere suo mortalia (si notabili cum temeritate concipiantur)*

tur) tametsi plerumque non sint nisi peccata venialia. Quæ postrema limitatio pro solis timoratis apposita videtur.

Alii demum duplicem distinguunt suspicionem. Prima oritur ex errore intellectus, quo quis quædam in actione deprehendens mali signa, male de actione judicat, quia signa hæc eidem videntur sufficientia ad ingerendam mali hujus suspicionem; tametsi paratus sit suspicionem suam deponere, ubi rem melius per se, vel per alium consideraverit. Secunda non tam procedit ex errore intellectus, quam ex pravo affectu, & malevolentia erga eum, de quo quis suspicatur; ex quibus fit, ut etiamsi advertat, vel advertere possit signa hæc non esse sufficientia, velit nihilominus pergere in sua suspicione. Prima, inquiunt, suspicionis species, est peccatum veniale. Secunda vero mortiferum. Ita fere Lessius Lib. 2. cap. 29. dub. 3.

In hac opinionum, & rerum caligine, indulgebit Deus, si quid proferatur a nobis veritati minus consonum. Sit igitur

Conclusio I. Suspicari de proximo mali quidpiam, quando sunt causæ ad hoc sufficientes, nullum est peccatum. Ita Sylvius hic concl. 4.

Prob. quod licet in genere judicii, hoc utique in genere suspicionis licitum esse debet: atqui unicuique licet judicare malam esse proximi actionem, cum sufficientes id existimandi causas habet. Est enim judicium istud consentaneum prudentiæ, quæ permittit; si non imperat, ut malum judicetur quidquid sufficienter constat esse malum: ergo.

Conclusio II. Qui ex malo erga proximum affectu grave de eo malum deliberate suspicatur ex levibus causis, peccat mortaliter.

Prob. 1. peccat mortaliter, qui sciens, & volens immoratur cogitationi proximo graviter injuriosæ: sed, qui ex malo erga proximum affectu grave de eo malum deliberate suspicatur, is sciens, & volens immoratur cogitationi graviter injuriosæ proximo. Idem enim de cæteris suspicionibus esto judicium, ac de ea, qua virum Religiosum, qui bonum ubique nomen habet, suspicaris impudicum esse, quia jocosi quidpiam dixerit, & male in eum es affectus; atqui dum grave hoc peccatum de ipso suspicaris deliberate sciens, & volens immoraris cogitationi, quæ eidem graviter est injuriosa: 1. quia agis contra jus, quod habet, ne probitas sua ob causam tam levem in dubium vocetur; & a fortiori, ne, ut in suspicione contingit, magis propendeas in condemnationem, quam in absolutionem ejus; 2. quia, si is cognosceret, quid de se cogites, haberet se graviter offensum: tuque in pari casu similia de te sentiri ferres ægerrime, & palam diceres, malle te non mediocri pecuniæ summa spoliari, quam tales adversum te cogitationes nutriri, ac foveri: ergo.

Prob. 2. ex supra dictis: talis est interior animi actus, qualis exterior, qui ab eo profluit: atqui actus exterior a prædicta suspicione procedens indubie mortalis esset. Si quis enim, ait Sylvius, rogaretur, an Episcopus, aut Parochus, quibus semper publica fama mores dedit integerrimos, catholicus sit aut pudicus; & propter levia quædam indicia responderet, se de eo dubitare, quin, & in id propendere, ut credat contrarium; is sane peccaret graviter, etiamsi rem quasi certam non traderet; ergo etiam mortaliter peccat, cum sciens, & volens talem in se suspicionem servat, aut tale dubium non ejicit.

Prob. 3. Nat. Alexander ex variis SS. Augustini, & Thomæ textibus. Prior quidem sic habet Serm. 306. alias de diversis 112. c. 9. *Pleraque mala generis humani non aliunde oriuntur, nisi de suspicionibus falsis, credis de homine, quod oderit te, qui forte amat te; & per pravam suspicionem fis inimicus amicissimo.*

Quid

Quid faciat, cui non credis; & cor suum tibi demonstrare non valet? Loquitur tibi dicens: Amo te. Sed quia posset tibi hoc dicere, & mentiens (ea sunt enim verba mentientis, quæ vera dicentis,) non credendo adhuc odisti: ideo securum te facere voluit ab eo peccato, quo tibi dixit: Diligite inimicos vestros. Et tamen, ait idem Epist. 153. alias 54. *omnes, aut pene omnes homines amamus suspiciones, vel vocare, vel existimare cognitiones, quando credibilibus rerum signis movemur; cum credibilia nonnulla sint falsa, sicut incredibilia nonnulla sunt vera*.

Posterior vero, seu S. Thomas ibid. art. 3. ad 3. *Tunc*, inquit, *judicium suspiciosum directe ad injustitiam pertinet, quando ad actum exteriorem procedit; & tunc est peccatum mortale. Judicium autem interius pertinet ad injustitiam, secundum quod comparatur ad exterius judicium, ut actus interior ad exteriorem, sicut concupiscentia ad fornicationem, & ira ad homicidium*: atqui actus directe oppositus justitiæ in materia gravi, cum plene deliberatus sit, lethale est peccatum ex omnium confesso: ergo.

Hæc tamen, & alia id genus, quæ nullo labore congeri possent, testimonia prætermitto: veritus, ne in iis suspicio latius sumatur, & prout etiam opinionem, aut ipsum judicium complectitur.

Conclusio III. Qui ex errore intellectus grave quid ex levi causa de proximo sciens, & volens suspicatur, aut dubitat; reus videtur mortalis ad minus dubii.

Prob. 1. quia locum hic habent probationes mox adductæ. Etsi enim qui non movetur speciali adversus aliquem malevolentia, minus peccat, quam qui ex malo affectu malum proximi suspicatur, aut de probitate ejus dubitat sciens, & volens; certum tamen est, eum in corde fovere cogitationes proximo graviter injuriosas; quas postquam advertit, aut advertere potuit sufficienter, expellere tenebatur: atqui hæc ratio gravem videtur deformitatem importare: ergo multo tutius est, ut pœnitens id confiteatur ad minus tanquam dubium mortale.

Prob. 2. suspicio, quam Lessius docet esse tantum venialem, reperitur in eo, qui *advertit se male suspicari de proximo, & etiam aliquo modo dubitat an causa sit sufficiens ad sic suspicandum, & tamen neglecto ejus examine non excludit suspicionem*, sed solum *paratus* est *excludere, si adverteret causam non esse sufficientem*: atqui hæc suspicionis species mihi quidem videtur plena gravis periculi: 1. quia quisquis deliberate hoc facit erga fratrem, indubie facit id, quod erga se fieri ægre, & ægerrime pateretur. 2. quia negligere examen, quod quis potest, & debet facere, ne videat, ut trabem, quod mera est festuca, gravis est in re gravi somnolentia. 3. quia gratis supponitur vere dispositum esse ad abigendam suspicionem, qui non vult examinare, an suspicionis hujus causæ sufficiant, an non. Itane vero indifferens est, quod peigat, quis suspicari hominem probum, hæreticum esse, aut veneri deditum, ut in hac suspicione tranquillus maneat, quamdiu nolet examinare, quam levia sint nefariæ hujus suspicionis fundamenta. 4. quia si res coram Deo appendatur, facile apparebit, hujusmodi suspiciones, quoties in personam cadunt, non oriri quidem ex speciali malevolentia erga hominem forte ignotum, sed ex generali ea malignitate, qua omnes pene nativo quodam impetu aliorum mores inquirimus, & carpimus; ut si mali sumus, eos nobis esse pares gratulemur; si boni, pharisaice lætemur, quod non simus *sicut cæteri*, aut plerique *hominum*.

Objiciuntur plurima: 1. Augustinus, qui sic loquitur Tract. 90. in Joan. *Cum de ipsis rebus, quod appetendum est appetimus, quod devitandum est devitamus, ignoscatur nobis, quod de occultis hominum aliquando, imo assidue non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita ... Quid enim tam humanum, quam non posse inspicere cor humanum, & ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud, quam quod ibi agitur, suspicari. Quamquam, & in his rerum tenebris humanarum, hoc est cogitationum alienarum, etsi suspiciones intelligere * non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est definitas. firmasque sententias continere debemus, nec ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, &c. quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit improbatio vitiorum, virtutumque probatio; profecto si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio.* Ergo, qui in ipsa suspicione sistit, nec progreditur ad definitum, firmumque judicium, nonnisi venialiter peccat ex Augustino.

* Alii legunt *vitare.*

2. Idipsum docet S. Thomas ibid. art. 3. his verbis: *Est autem triplex gradus suspicionis. Primus gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat; & hoc est veniale, & leve peccatum; pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis: & hoc si fit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi:* ergo quoties quis *pro certo* seu definitive actionem proximi non dijudicat, expers est peccati mortalis; alioqui S. Thomas nihil pronuntiasset de suspicione vera, & in genere suspicionis completa, quod dici non potest.

3. Idem evidenter adstruit ratio, quam S. Doctor his proponit verbis Quodlib. 12. q. 22. art. 2. *In illis, quæ sunt mortalia ex genere, motus imperfecti non sunt peccata mortalia, sed venialia:* atqui *suspicio est quid imperfectum in genere judicii, & ideo est imperfectus motus:* ergo *non est* quid *mortale ex genere, quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale.*

4. Si dubitatio, suspicio, & opinio essent peccata lethalia, socialis hominum conversatio plena esset scrupulis, ac periculis: quandoquidem, ut proxime aiebat S. Augustinus, *in his rerum tenebris humanarum, suspiciones vitare non possumus:* atqui consequens falsum est, & indignum bonitate Dei, qui novit figmentum nostrum, & quam nativo pondere feramur in suspiciones; quas ut aliis erga nos indulgemus, sic alii nobis erga se indulgere debent. Verum momenta hæc haud videntur satis gravia, ut nos ab opinione longe tutiori ad minus tutam inclinent. Itaque

R. Ad 1. Augustinum, quando pravas suspiciones ad tentationem venialem pertinere vult, intelligi debere de suspicionibus indeliberatis, quæ nobis vix attendentibus irrepunt, & mentem nostram præoccupant: quod innuunt hæc verba: *etsi suspiciones intelligere non possumus*, id est matura consideratione perpendere; quia aliæ aliis tam subito succedunt, mentemque invadunt adeo subtiliter, ut aliquando diu volvantur sine pleno voluntatis consensu, sicut & impuræ imaginationes. At nec dixit, nec dicere potuit Augustinus suspiciones, quæ deliberate foventur, & quibus mens volens adhæret, tentationes esse humanas, & leves: sunt enim vere diaboli fœtus, quem viri sancti e corde suo, statim ut sufficienter advertunt, abigere solent.

Nec dicas humanam, ac proinde venialem esse ex Augustino tentationem omnem, quæ non includit definitam, firmamque sententiam; hanc autem non inclu-

includi in suspicione pura. Etsi enim suspicio pura non includit omnem judicii completi firmitatem; haud tamen excludit judicium in genere suo perfectum, & graviter injuriosum. Dum enim sciens, & advertens dubitas, & dubitare pergis de probitate hominis, qui apud omnes bene audit; an non judicas fieri optime posse, ut is bonum, quod habet nomen, minime mereatur, sed contrarium? quæro autem, an non indignareris tale de te judicium ab alio fieri? Et vero si pressius urgeantur verba Augustini, ne ipsa quidem mala opinio, etsi leviusculis innixa rationibus, grave erit peccatum; quandoquidem opinioni, ut sic deest definitæ, ac firmæ sententiæ certitudo: id autem rejiciunt plurimi eorum, qui suspiciones, & dubia excusant a mortali.

Ad 2. non ait S. Thomas homini a gravi peccato liberum esse, cum dubitat, sed cum *dubitare incipit*; ut significet eam solum dubii speciem esse suo judicio venialem, quæ imperfecta est, indeliberata, & repentina. Eum enim, qui deliberate dubitat, nemo dixerit *incipere* dubitare, cum postquam advertit temerariam in mente sua suspicionem de alio exortam, illam approbat, ea delectatur, illi pertinaciter adhæret, vultque de proximi probitate sponte dubitare, vel prave opinari: quod certæ non humanæ, sed diabolicæ tentationis est; non fragilitatis, sed malitiæ. Unde ibid. ad 2. ait: *Ex hoc ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei*; ac proinde, ut ex præmissis a S. Doctore colligere est, peccat moraliter. Ita, & pene syllabatim Nat. Alexander.

Ad 3. Fateor repentinam, nec vere deliberatam suspicionem esse, quid imperfectum in genere judicii, imo, nec quamdiu manet in genere suspicionis, pertingere ad rationem judicii pleni, & firmi: sed nego eamdem non includere judicium satis completum, ut gravis peccati materia esse possit. Quod autem dicunt eum, qui sic dubitat aut suspicatur, facile paratum esse ad deponendam suspicionem, si adverteret causas ejus non esse sufficientes; id inquam falsum est in praxi; si enim ita dispositus sit, debita uteretur diligentia ad comperiendam veritatem; nec proinde in suspicione temere concepta sciens, & volens perseveraret.

Ad 4. neg. maj. Etsi enim perarduum est suspiciones repentinas, quibus frequenter lacessimur impedire; deliberatas tamen, ac præsertim graves excludere haud difficile est iis, qui proximum diligunt sincere, & aliis facere nolunt, quod sibi fieri indignarentur.

Hæc tamen nostra opinio scrupulum injicere non debet iis, qui timoratæ sunt conscientiæ, & de salute sua sollicitii, unde cum ii non meminerunt se hujusmodi cogitationibus consensisse, regulariter non est metuendum de mortali, quamvis eæ cogitationes diu duraverint. Quia prudenter existimare possunt se, vel non dedisse consensum saltem perfectum, & sufficienter deliberatum; vel sufficientia dubii, aut suspicionis habuisse indicia; maxime si postquam dubium, aut suspicionem satis adverterunt, ea repellere nequiverint. Aliud est de iis, qui parum salutis suæ studiosi, aliorum mores, ut carpant scilicet, assidue explorant: hi enim, & de mortali scrupulum habere, & se, ut de dubio gravi accusare debent, ut jam supra dixi: quia cum in dubio sumantur conjecturæ ex communiter contingentibus, probabile est ipsos consensisse. Ita Henricus a S. Ignat. cap. 20. in fine.

SECTIO TERTIA.

De Dubio.

JAm superest examinandum, an sicut illicitum est de proximo dubitare in malum ob exiles causas, ita & illicitum sit causas vere dubias, ac proinde actiones, quæ inde profluunt, meliorem in sensum non interpretari. De quo antequam statuamus, quod nobis veri magis simile videbitur,

Not. 1. factum aliquod dupliciter bonam in partem explicari posse, negative scilicet, & positive. Tunc interpretatur quis factum *positive*, in meliorem partem, cum absolute judicat illud esse bonum: tunc vero idem factum interpretatur *negative*, cum nec judicat illud bonum esse, nec malum: sed judicium suspendit. Utcumque enim benefacit proximo, qui non judicat malam eam ejus actionem, quæ tantam mali speciem habet, quantam boni.

Not. 2. dubium quodlibet, vel esse de re, vel de persona; quod autem de persona est, vel esse de nobis, vel de proximo; denique quod de proximo est, vel ejus tantum honorem respicere, vel curam eorum, quæ ad nos pertinet. His breviter præmissis sequentes statuimus regulas.

Regula I. Dubia, quæ ad bona a nobis possessa pertinent, nec in meliorem, nec in deteriorem sensum sunt interpretanda, sed dividenda lance pene æquali. Ratio est, quia si dubitem, an gemma hæc sit mea, an alterius, non possum totum ejus valorem servare, sed eum cum altero partiri teneor: Ita ut tamen quia possessor sum, melior sit conditio mea. Pariter si dubitem, an conjux hæc mea sit, an non, ratione impedimenti dirimentis; possum quidem, & teneor ei nihil dubitanti reddere debitum conjugale; sed simul abstinere teneor ab exigendo: *Vide, quæ dixi Tom. 1. ubi de Possessore dubiæ fidei.*

Regula II. Dubia, quæ cadunt in actus nostros relative ad conscientiam deteriorem in partem interpretari debemus, ubi vertitur animæ periculum. Ratio est, quia alioqui nulla esset necessitas confitendi dubium mortale; quod ne laxiores quidem Casuistæ admittere ausint. Cavendum tamen, ne ut certum aperiatur, quod vere dubium fuerit.

Regula III. Dubia de rebus ut in se sunt, in benigniorem partem flecti non debent, sed suis ponderibus, & momentis æstimanda. Ratio est, quia ut ait hic S. Thom. a. 4. ad 2. *In judicio, in quo de rebus judicamus*, v. g. an merx ista tanti valeat, an tres contractus sint usurarii; *non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei*, cui nihil nocere potest quidquid judicaverimus: *sed attenditur solum bonum judicantis, si vere judicet; vel malum si falso; quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius.*

Regula IV. Quoties de præcavendo nostri, aliorumve damno agitur, licitum est dubia pejorem in partem interpretari non judicando quidem, aut suspicando positive, sed, ut ait S. Thomas ib. ad 3. *per quamdam suppositionem*, id est exterius ita nos gerendo, quasi is quicum agimur, reipsa improbus esset, tametsi non credatur talis. Ratio est 1. quia talis est hæc agendi ratio, ut nec de ea conqueri possit proximus, qui nos in pari casu pari mensura metiretur; nec nobis ullam perniciem inferre possit; cum & omnibus prudentiæ regulis congrua sit, & a sanctioribus viris usurpari solita. Sic Job qui nec de quopiam, nec de filiis suis malum suspicabatur, offerebat tamen holo-

Job. 1. causta pro singulis dicens: *ne forte peccaverint filii mei*. 2. quia sic nos *omnem* erga proximum *decet implere justitiam*, ut non deficiamus a charitate, quam nobis,

nobis, nostrisque debemus: ab ea autem deficeret, qui ignotæ, aut dubiæ fidei viro, se, sua, suosque sine prævio examine committeret; unde manavit tritum illud: Diffidentia mater est securitatis.

Hinc, ait Sylvius art. 4. si videas hominem, cujus exterior compositio indicet eum esse furem, vel *faciat timere, ne tali sit*, imo si eum minime cognovisti, potes nec eum in domum recipere, nec ejus custodiæ committere pecuniam tuam. Hinc si conjugatus videt juvenem, qui cum uxore, vel filia sua sermones miscere quærit, haud equidem judicabit mores ejus esse corruptos, poterit tamen cavere, & impedire colloquium. Hinc patres, qui in filiis, domini, qui in servis, superiores, qui in inferioribus dubia nequitiæ signa detegunt, etsi intus nihil debent suspicari mali, cum iis tamen ex quadam suppositione mali agere possunt, & debent, non puniendo quidem, sed monendo; objiciendo verisimilitudinem mali, quædam etiam interdicendo. Hinc denique, qui suffragii jus habent, & de Novitii idoneitate dubitant, eumdem possunt, & debent excludere. Neque sic eum judicabunt incapacem, sed judicabunt tantummodo se non invenisse in eo sufficientia idoneitatis argumenta, ut ipsum positivo suffragio tanquam capacem admittant. Quod si necdum finitum sit tempus probationis, non illico dimittendus est Novitius, sed diutius eum probari oportet, ut videatur, an non tandem sufficientia idoneitatis indicia daturus sit. Ita Ethica amoris part. 8. n. 157. & 158.

Regula V. Ubi non agitur de præcavendo nostri, eorumve, qui ad nos quoquo modo pertinent, damno, dubia de proximis meliorem sunt in partem interpretanda. Ratio est 1. quia ita docuerunt Sancti, his verbis: Nolite judicare, ut non judicemini: *nihil aliud nobis præcipi existimo*, ait Augustinus L. 2. de Sermone Domini in monte, c. 18. *nisi ut facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*, & in Psalm. 147. *Quid agit pax in hujus adhuc regionis incertis, in ista peregrinatione mortalitatis nostræ; cum adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius? quid agit pax? de incertis non judicat, incognita non confirmat; proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad suspicandum. Non se multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo: perniciose autem, cum male sentit forte de bono. Nescio qualis sit: quid perdo, si credo, quia bonus est? si incertum est, licet, ut caveas ne forte verum sit: non tamen damnes tanquam verum sit. Hoc pax jubet.* Quibus verbis posteriores duæ nostræ regulæ evidenter continentur.

2. Quia idem docent sequentes Juris regulæ. *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda. In dubio nullus præsumitur nocens. Cum jura partium sunt obscura, reo favendum est potius, quam actori. In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis:* atqui si dubia in deteriorem sensum liceat interpretari, jam quis præsumetur nocens in dubio: jam non favebitur reo potius, quam actori, sed econtra actori potius, quam reo; dubia enim, quæ contra proximum *agunt* ut reum, benigne audientur, in ejusdem proximi præjudicium: jam demum non erit melior conditio possidentis; quandoquidem in dubio, & propter dubium proximus e boni, quod habet nominis possessione, deturbabitur; ergo merito dixit S. Bernardus Serm. 40. in Cant. *Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius Judex: etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo* recu-

recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?

3. Idem efficaciter probat hæc Christi, vel potius naturæ regula: *Omnia, quæ vultis* rationabiliter, *ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: atqui nemo unus est, qui malus haberi velit pro actione, quæ tam in bonam partem explicari potest, quam in malam: ergo.

Regula VI. Non semper necessum est dubia de proximo suborta meliorem in partem interpretari positive, id tamen necesse est ex hypothesi, quod suspensio judicii nostri sit proximo nocitura.

Ratio primæ partis, quam docent Cajetanus, Bannes, Valentia, Sylvius hic art. 4. Henricus a S. Ignatio ibid. n. 161. est 1. quod præceptum bene judicandi de proximo est affirmativum; porro præcepta affirmativa non obligant *pro semper*, sed suo loco, & tempore; sicut ergo non tenemur quocumque instanti honorem impendere proximo, sed quando nobis cum eodem agendum est, ita, nec semper tenemur de eodem positivum ferre judicium; ergo idem judicium suspendere possumus; & sic dubias ejus actiones negative interpretamur in bonum. Unde non dixit Christus: Semper judicate in bonum, sed: *Nolite judicare* in malum. Consonat Apostolus Rom. 14. ubi solum exigit, ut, *qui non manducat, manducantem non judicet*; 2. quia in casu veri, ac rationabilis dubii objectum est neutrum: ergo, si quis tunc habeat se neutro modo, habet se prout patitur natura objecti; quod cum rectæ rationi congruat, non potest esse peccatum; sicut nec potest esse peccatum, quod quis ex indiciis ad suspicandum vere sufficientibus, vere suspicetur; 3. quia plus non debemus ei, qui dubia mali dedit indicia, quam, qui nulla prorsus: atqui non tenemur semper actu positivo judicare, eum esse probum, qui nulla improbitatis argumenta dedit: ergo, ait Ethica amor. n. 163. *Non apparet, cur debeamus nobis caput frangere, ut prorumpamus in formalem actum opinionis, quo absolute judicemus talem hominem esse probum.*

Hic tamen duo notanda, 1. si quem gravis invadat tentatio male opinandi de actione dubia, teneri eum positive judicare in bonum, cum tentationem, qua fatigatur, aliter superare nequit; 2. etsi necesse non sit, ut explicite, & formaliter dubia semper interpretemur in meliorem sensum, curandum tamen esse nobis, ut saltem in præparatione animi inclinemus in partem proximo favorabiliorem: quia alioqui immineret periculum excidendi a charitate eidem debita.

Ratio secundæ partis est, quod suspensio judicii, quæ damnum inferret proximo, eidem necessario sit injuriosa, ut quæ ob causam insufficientem fiat. Hinc 1. quando ex suspensione judicii futurum est, ut bonam, quam hactenus de eo habuisti opinionem imminuas, teneris dubium meliorem in partem interpretari: quia alioqui noces proximo, qui jus habet, ut alii de ipso bene judicent, donec de ejus malitia constet; de qua utique nec constat, nec constare potest, quamdiu solum est dubium. Hinc 2. extra cautelæ casum, de quo supra Reg. 4. oportet proximum in dubio perinde tractare, ac si bonus esset: unde ei consueta charitatis, & honoris officia exhiberi debent. *Hoc pax jubet*, hoc postulat justitia, quæ non sinunt, ut propter rem incertam spolietur homo solitis benevolentiæ testimoniis.

Obj. 1. Male judicat, qui temere judicat: sed qui dubia meliorem in partem interpretatur, temere judicat. Qui enim actionem dubiam interpretatur, interpretatur actionem mali perinde, ac boni sensus capacem: sed quia actionem

mali

mali, ficut & boni fenfus capacem interpretatur in bonum, jam judicat temere; quia ex hypothefi plura non habet boni indicia, quam mali: ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. Qui enim fecundum charitatis, prudentiæ, & juris regulas judicat, temere judicare non poteft; neque enim charitas, prudentia, & Ecclefiæ leges temeritatem infpirant: atqui ex dictis, qui dubia benigne explicat, leges eas fequitur adamuffim.

Inft. Ille judicando in bonum non fequitur regulas prudentiæ, qui errandi periculo fefe exponit; fed, qui actionem boni, & mali fenfus capacem interpretatur benigne, exponit fe errandi periculo: ergo.

R. 1. eum, qui dubia interpretatur negative, nulli obnoxium effe erroris periculo; quia non tam judicat, quam judicium fufpendit.

R. 2. dift. maj. Ille non fequitur regulas prudentiæ, qui exponit fe periculo erroris practici, C. erroris pure fpeculativi, N. Sed qui actionem boni, & mali fenfus capacem benigne interpretatur, exponit fe periculo erroris, dift. min. periculo erroris fpeculativi, tranfeat, erroris practici, N. Efto itaque, quod homo favorabiliter de actione dubia judicans, exponat fe erroris fpeculativi periculo; quia fieri poteft, ut quod ex pura intentione factum effe judicat, ex peffima factum fit: at certe non exponit fe periculo erroris practici, quem fideles in appetitu, & moribus præfertim effugere debent. Eft enim practice certus fe in cafu dubio debere formare judicium, quod charitati, prudentiæ, & fanctioribus regulis conveniat; tale porro eft illud, quo intentionem dubiam interpretatur in bonum. Convenit enim omnibus charitatis, & prudentiæ regulis, ut frater fratri injuriam non faciat fine caufa urgenti: atqui alium habere pro non bono pro actione dubia, eft eidem inferre injuriam fine caufa urgenti, ut patet ex terminis: ergo.

Confirm. Ex duobus malis, quæ fimul vitari non poffunt, eligendum eft minus: atqui multo minus eft errare fpeculative, judicando bonum id, quod forte malum eft, quam errare practice, inhonorando ut malum, eum, qui forte nihil fecit mali. Sicut multo minus eft malum ftipem dare nebulonibus decem, qui extremam paupertatem fingunt, quam eamdem negare pauperi ad extremas anguftias vere redacto: ergo.

Dixi, *tranfeat*; quia & ipfum fpeculativi etiam erroris periculum vitari facile poteft, fi nempe dubium ita bonam in partem a nobis expliçetur, ut judicium fpeculativum de intrinfeca actionis dubiæ bonitate uni Deo relinquentes, folum illud practicum judicium efformemus, fratrem fcilicet noftrum tamdiu a nobis habendum effe pro bono, donec conftiterit eumdem effe malum. Quidni enim pie, & fancte dicat vir vere Chriftianus? Tu Domine nofti corda omnium; tu fcis, an hæc, vel illa proximi mei actio bono, vel malo intuitu peracta fit: interim quia mihi de mala ejus intentione non conftat, non judicabo eum, fed pergam iifdem, quibus antea, & forte majoribus benevolentiæ fignis cumulare; quia, & id mihi fieri velim in pari cafu, & tu jubes, ut qua menfura mihi remetiri volo, eadem metiar.

Obj. 2. In dubiis præfumendum eft id, quod accidit frequentius, fecundum hanc Juris regulam 45. in 6. *Infpicimus in obfcuris quod verifimilius eft, & quod ut plurimum fieri confuevit*: atqui multo frequentius contingit malam effe hominum intentionem, quam bonam; *ftultorum* enim feu malorum *infinitus eft numerus*, Eccleſ. 1. v. 15. ergo.

R. dift. maj. Præfumendum id, quod accidit frequentius, fi abfque injuria, & contemptu proximi præfumi poteft, C. fecus, N. Porro in hypothefi

 noftra

nostra malum præsumi nequit absque contemptu proximi : is enim a gradu, quem habebat apud nos excidit sine sufficienti causa. Merito igitur S. Thomas hìc art. 4. ad 1. *Potest contingere, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur : sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.*

Obj. 3. ex Reg. 8. Juris in 6. *Semel malus semper præsumitur malus*: ergo licebit saltem dubia eorum, qui mali deprehensi fuerint, interpretari in malum.

R. 1. regulam hanc multas pati exceptiones : sic enim contumax contra primam monitionem, non præsumitur semper futurus contumax, unde iterum, & tertio monetur.

R. 2. eamdem regulam procedere in ordine ad forum exterius, in quo v. g. a testimonio ferendo excluditur, qui semel perjurii convictus fuerit; in quo item uxor feroci marito non restituitur, quia, *qui semel fuit sæviens, semper nimium sævire præsumitur*, ex c. 3. *De restit. spoliat.* Potest & eadem regula assumi in ordine ad cautelam; neque enim æquum est, ut pater in domum suam admittat juvenem, quem semel viderit puellæ cujusvis castitati insidiari. At eadem regula in ordine ad judicium, quod de dubiis proximi actionibus fertur, adhiberi nequit, nisi sanctiores aliæ Juris regulæ convellantur, ut patet ex iis, quæ supra diximus. Servetur ergo practice doctrina Hugonis Victorini, qui L. 1. Miscæll. c. 19. sic scribit: *De proximo tuo hoc modo judicare debes: vide quidquid facit, an certum bonum, an dubium bonum. Si certum bonum est, parvum, magnum, & magnum majus æstima: si dubium bonum est, verum puta: si certum malum est, magnum, parvum, & parvum minus judica: si dubium malum est, bonum puta: hoc est judicium verum, judicium bonum, judicium Deo placitum.*

ARTICULUS TERTIUS.

De externa Diffamatione proximi.

Bifariam a nobis extra nos diffamari potest proximus, in judicio scilicet, & extra judicium. Diffamatur in judicio per eos omnes, qui malo judicio cooperantur; extra judicium per detractionem, calumniam, & similia, quæ cum alibi expenderimus, primam infamiæ speciem sufficiet hìc indagare. Id porro, ut plenius fiat, atque, ut hìc agitentur, quæ alibi minus commode pertractata fuissent, dicendum nobis est de iis omnibus, qui ad criminale judicium concurrunt, Judice nimirum, Accusatore, Denunciatore, Testibus, & Reo, qui singuli, suo quisque modo adversus octavum Dei præceptum delinquere possunt. Quoniam vero, quæ ad Judices spectant, satis colligi possunt ex iis, quæ diximus tum in 3. parte hujus voluminis, ubi de eorum obligationibus actum est; tum etiam supra cap. 2. art. 2. sect. 1. De cæteris hìc dixisse satis fuerit.

SECTIO PRIMA.

De Accusatore, & Denunciatore.

Differunt inter se accusatio, denunciatio, & testimonium.

Accusatio, ajunt Canonistæ, est patrati criminis apud Judicem delatio scripto facta ad punitionem publicam, cum onere probandi sub pœna talionis.

Denunciatio est delatio minus solemnis, criminis, vel criminosi, vel utriusque apud Superiorem tanquam Judicem, vel patrem. Unde denunciatio dividitur in Evangelicam, & judicialem. Denunciatio Evangelica est ea, quæ fit Superiori tanquam patri, non ad vindictam publicam delicti, sed ad emendationem sontis denunciati. Ut denunciatio hæc rite fiat, & secundum id Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. gradatim procedendum est, ita ut moneatur reus 1. privatim; 2. coram uno duobusve testibus; 3. si corrigi nolit, deferatur ad Superiorem ab eo corripiendus tanquam a patre. Denunciatio judicialis ea est, quæ fit Superiori tanquam Judici: & hæc subdividitur in canonicam, & civilem, privatam, & publicam.

Canonica, sic dicta, quia Canonicis legibus introducta, est delatio alicujus personæ, vel criminis ad Judicem Ecclesiasticum sine solemnitate, seu ut præcaveatur malum impendens, v. g. indigni alicujus electio, aut celebratio matrimonii cum impedimento dirimente; seu, ut compescatur malum jam factum, v. g. ut rescindatur matrimonium invalide contractum. Civilis, quam Canonistæ, & Legistæ plures cum judiciali confundunt, est minus solemnis delatio criminis ad Judicem laicum; eaque si fiat principaliter ad vindictam publicam, & satisfact onem Reipublicæ per crimen læsæ, aliorumque terrorem, vocatur *publica*; si vero fiat simpliciter ad proprium interesse, seu ad reparationem damni, quod quis passus est, *privata* nuncupatur. Ita passim Doctores in tit. *De accusationib.* qui primus est Libri 5. Decretal.

Ex his multa sunt, quæ Galliæ usibus parum, aut nihil congruunt. Sic 1. nemo privatus alium in hoc Regno insequi potest, nisi pro interesse civili; unde sollicitatio vindictæ publicæ nonnisi ad Procuratores, seu Reges, seu, ut ajunt, Fiscales pertinet. Unde 2. accusator non potest apud nos subire pœnam talionis; quandoquidem non ad hanc reum insequatur, sed solum ad reparationes, expensas, & id, quod interest. Imo talionis pœna gravior, ubique dudum obsolevit. 3. Denunciator, etsi non se gerit pro parte adversa, debet tamen nomen suum Regii Procuratoris registro inscribere; ut si denunciationem meram esse calumniam probet eventus, possit is, qui denunciatus erat tanquam reus, insequi denunciatorem, non modo ad repetenda damna, sed & ad pœnam afflictivam, si id exigat gravitas casus. Ita Ferriere v. *Denonciateur*. Vide & Gibert in c. 3. L. 3. Cabassutii.

Testimonium est assertio, qua quis testatur se rem talem vidisse, vel audisse; puta, se vidisse Titium districto gladio irruentem in Bertham.

His positis, multa hic inquirunt Theologi, quæ tametsi ad octavum Decalogi præceptum directe non pertinent, paucis tamen videntur expendenda, ne prætermittantur omnino. Quæritur itaque 1. an, & quis alium accusare possit aut teneatur de delicto; 2. an accusationem præcedere debeat monitio secreta, seu Evangelica; 3. an etiam ad accusandum teneatur, qui probare non potest; 4. an possit accusator ab accusatione inchoata desistere; 5. ad quid obligetur, qui injuste accusavit. Sit

CON-

CONCLUSIO I. Regulariter poteſt, & tenetur quilibet accuſare de delicto publico: ſecus de privato.

Prænotandum per publicum crimen illud hic intelligi, cujus punitio ad utilitatem publicam maxime pertinet. Tale eſt 1. ait Leſſius, omne illud, quod directe fit contra Deum, res divinas, vel religionem: id enim in omnium injuriam fieri cenſetur; in hoc ordine ſunt hæreſis, blaſphemia, templorum, & imaginum everſio, & ſimilia; 2. illud quod fit contra dignitatem Principis, aut Reipublicæ, ut omnia crimina læſæ majeſtatis; 3. quod licet contra privatam perſonam commiſſum ſit, ex diſpoſitione tamen juris habetur pro publico: hujuſmodi ſunt homicidium, parricidium, adulterium, peculatus, crimen falſi, vis publicæ, vel privatæ, ambitus *, repetundarum, annonæ, de quibus vide Leg. 1. ff. *De publicis Judiciis*.

Crimen privatum eſt illud, quod privatos ut tales ſpecialiter afficit. Tale eſt crimen injuriarum, furti citra vim, ſtellionatus. Leg. final. ibid. Ita idem Leſſius L. 2. c. 30. n. 19. paulo aliter loquitur Lugo diſp. 38. n. 2. quem conſule. Jam.

Prob. 1. pars Concluſionis. Pars tenetur etiam cum aliquo ſui detrimento proſpicere incolumitati *totius*: atqui niſi accuſaret de delicto publico, non proſpiceret bono totius, cum delictum publicum ſit illud, quod *toti* graviter nocet: ergo.

Imo ſi non aliter, quam accuſando, aut denunciando impediri poſſit grave malum privato cuipiam impendens, puta mors, aut devaſtatio, quam quis alteri parat, neceſſum erit, ut ſi id citra grave incommodum fieri poteſt, denuncietur, vel accuſetur, qui perniciem hanc moliri cogitat; tum quia exigit lex charitatis, ut avertat unuſquiſque cum haud difficile poteſt malum proximi ſui, ſecundum id Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*; & Eccli. 4. *Liberam eum, qui injuriam petitur de manu ſuperbi*; tum quia hic etiam concurrit ratio boni communis: cum poſtulet utilitas publica innocentes ſervari innoxios.

Cæterum obligatio denunciandi reum publici criminis, aliquando urget ex charitate ſola, aliquando etiam ex juſtitia; ut cum crimen ab iis reſcitur, quibus ex officio competit illud denunciare; prout competit Cuſtodibus ſylvarum, Gabellarum, & ſimilibus, qui proinde ſi taceant, tenentur ad reſtituendum, ut dixi T. 1. alii vero, licet, ut qui charitatem ſolam violaverint, immunes ſint a reſtituendo, gravis tamen culpæ conſcii erunt, ſi ſileant; quia ubi gravis eſt indigentia proximi, gravis eſt eidem ſuccurrendi obligatio.

Dixi *regulariter*, quia ab accuſando liberi ſunt ii, quorum accuſatio recipi prohibetur, quales ſunt infames ſaltem infamia juris, excommunicati, ſuſpecti calumniæ, ut Pagani, Hæretici, Judæi, inimici capitales, filii relative ad patres, & alii, quos latius expendit Reiffenſtuel in cit. tit. a num. 15. Hi tamen omnes ad accuſandum admittuntur, quando agitur de crimine læſæ ma-

* Ambitus eſt perſecutio honoris illicito modo, v. g. data pecunia. Crimen *repetundarum*, eſt crimen eorum, qui ut faciant id, ad quod ex officio tenentur, munera, donationes recipiunt. Crimen annonæ fraudatæ ſeu flagellatæ, ut ajunt, eſt cum aliquid fit, vel ſocietas coitur, quo carior fiat annona: eſt autem annona quidquid annus ſuppeditat ad homines alendos. Stellionatus, a ſtellione lacerti genere fraudulento dictus, definitur Dolus omnis, & impoſtura proprio nomine carens. Committitur ab iis, qui vendunt immobilia non ſua, aut qui quaſi libera dant in hypothecam, quæ libera non ſunt; item ab uſufructuariis, qui ſe pro proprietariis gerunt.

majestatis, aliisve atrocibus, vel exceptis, ut sunt simonia, magia, sacrilegium, falsa moneta, latrocinium, & paria. Porro, qui ab accusatione repelluntur, non prohibentur denunciare; neque etiam accusare, si suam, suorumque injuriam prosequantur. Imo ait post Azorium Sylvius 2. 2. q. 68. a. 1. a quocumque nunc porrigatur querela, Judices eam admittunt ex consuetudine: unde S.Thomas ibid. ad 2. *Licet*, inquit, *subditis ex charitate suos Prælatos accusare*. Judicis tamen est inspicere statum, motiva, & indolem accusatoris.

Prob. 2. pars; quia etsi unicuique licitum est recurrere ad Judicem pro obtinenda reparatione damni, quod in fama, membris, vel bonis fortunæ perpessus est; modo procul absint odium, aliique inordinati affectus, qui in similibus irrepunt facillime, potest tamen is & injuriam, & damnum inde proveniens condonare, ut efficacius dicat: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Haud tamen licita esset condonatio exterior, si ex ea grave sequeretur incommodum tertii, ut si pater prolem suam præ egestate nimia enutrire jam non possit, si Superioris infamia in grave Communitatis, cui præest, detrimentum vergat.

An, qui sub juramento promisit se nec accusaturum, nec denunciaturum, possit non obstante promissione, accusare reum, aut denunciare, colligetur ex iis, quæ dixi in Tract. de Contractib. part. 1. c. ult. art. 2.

CONCLUSIO II. Regulariter loquendo necesse non est, ut denunciationem judicialem præcedat monitio privata. Ita Lugo disp. 37. n. 79. Sylvius qu. 68. art. 1. & alii multo quamplures.

Prob. Denunciatio judicialis ea est, qua, quis ad Judicem defertur, ut ab eo puniatur in terrorem malorum, & Reipublicæ satisfaciat patiendo: atqui communiter ad hancce delationem non requiritur prævia monitio secreta. Monitio enim secreta tunc solum præmitti debet, cum agitur de sola delinquentis emendatione: atqui non agitur de sola delinquentis emendatione, quando agitur de bono communi, de terrendis malis, & de pendenda Reipublicæ satisfactione.

Confirm. Si requireretur ante denunciationem prævia monitio, non liceret denunciare hominem jam emendatum: atqui tamen licet. Potest enim denunciator id procurare, quod potest Judex exequi: atqui potest Judex hominem jam emendatum debita plectere pœna, ut exemplo ipsius homines a pari culpa deterreantur: ergo.

Confirm. 2. ideo præmittenda esset monitio, ut consuleretur famæ proximi: atqui quando Reipublicæ interest, ut nocens plectatur, postponenda est fama proximi nocentis, bono communi: ergo nec debet, nec aliquando potest præmitti secreta monitio.

Idem est, cum quis grande alteri damnum parat. In re enim tanti momenti eligi debet pars innocenti tutior, præsertim cum timere est, ne is, qui malum meditatur, privatim monitus pœnitentiam simulet, & certiori ictu deinceps exequatur id, quod statuerat.

Obj. 1. Debet quisque proximi bonum cum minori ejus dispendio procurare: atqui hoc non facit, qui etiam sperando correctionem fratris, eumdem denunciat Judici: ergo denunciando male facit.

R. 1. conc. totum: Reipsa enim male facit, qui denunciat fratrem, ad obtinendam solam ejus emendationem, quam sola secreta monitione obtinere potest. De hoc non agimus in præsenti; solum inquirimus, an præmittenda sit monitio; cum Republicæ interest, ut quis ad aliorum terrorem puniatur. Hoc negamus cum majori Doctorum numero; nec contrarium probat objectio.

R. 2.

R. 2. Debet quis bonum proximi, quod solum procurandum est, procurare cum minori ejus præjudicio, C. debet quis bonum proximi, quod procurandum est simul, cum bono publico, imo quod tunc minus intenditur, quam idem bonum publicum, cum minori proximi dispendio procurare, N.

Obj. 2. Christus Matth. 18. præcipit, ut peccator ante corripiatur privatim, quam deferatur ad Ecclesiam; & hunc ordinem sub gravi obligare nos ipsos, cum aliis docuimus agendo de Charitate.

R. neg. conseq. Loquitur enim Christus de denunciatione, quæ fit non ad commune, sed ad privatum proximi bonum, & qua, quis intendit lucrari fratrem, qui contra se peccavit; hic porro loquimur de denunciatione ad Reipublicæ bonum, & satisfactionem ordinata.

Haud tamen desunt casus, in quibus ante denunciationem tentanda sit secretæ monitionis via, cum utilis fore merito præsumitur. Et id locum habere debet non modo in injuriis personalibus, de quibus præcipue loquitur Salvator, sed & in pluribus, quas non admodum interest Reipublicæ judicialiter puniri. Idem dicendum, cum denunciatio plus pareret scandali, quam vindicta boni: ut si secreto grave admisisset crimen vir magni, & intemerati nominis, aut Religiosus quispiam magnæ famæ: tunc enim plus noceret multitudini infamatio utriusque, quæ viros probos adduceret in contemptum, dicteriisque, & iniquis suspicionibus objectaret, quam pœna forte mitior, qua afficeretur. Addit Lugo ibid. n. 80. in Jure Canonico non admitti denunciationem, nisi præcesserit monitio.

Conclusio III. Qui *sufficientem* criminis *probationem adhibere non* potest, *non tenetur ad intentandam accusationem*.

Prob. *quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere*. Conclusio, ejusque probatio sunt S. Thomæ ead. q. 68. art. 1. concinit, id Augustini relatum c. 27. 11. q. 7. *Plerumque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, quia deseruntur a publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt, Judicibus probare non possunt*.

Sed nonne, qui probationum defectu personam accusatoris gerere nequit, tenetur assumere viam denunciationis, quæ ad probandum non obligat?

Difficultatem hanc, quam fuse versat, & expendit Lugo disp. 37. a n. 17. breviter solvam, dicendo delicta, quæ vergunt in perniciem vel Reipublicæ totius, vel innocentis cujuspiam, non posse denunciari *stricte judicialiter*, sed *quasi judicialiter*, seu ad cautelam. Non possunt quidem denunciari stricte judicialiter, seu ad vindictam publicam, & cum obligatione incurrendi notam, & pœnas calumniatoris; quia ex hypotesi probari juridice non possunt. At vero possunt, & debent denunciari ad cautelam; quia ad id satis est moneri Judicem, ut vigilet, attendat, & quo meliori fieri poterit modo, præcaveat grande detrimentum, quod Communitati, vel privatis impendet. Et vero, quis nisi pessime affectus dicere ausit, mutum, & elinguem posse manere eum, qui solus scit quempiam civitatis proditionem, aut incendium meditari? Neque vero inutilis censeri debet ea denunciationis species; quia ejusdem ope sæpe fieri potest, ut reus detegatur, aut, ut animadvertens se solito attentius observari, a proposito suo discedat.

Atque hinc colliges præceptum, quo mandaverit Superior sub pœna censuræ, ut crimen etiam occultum denuncietur, non continere errorem intolerabilem. Unde ubi vigent Pontificiæ Constitutiones de denunciandis iis, qui ad turpia sollicitant, debent ii parere, tametsi res necessario sit occulta. Et vero

Supe-

Superior hodie ab una sollicitata monitus, postridie ab alia moneri poterit, & subinde a tertia: unde crimen tot ex locis manifestatum, sat certitudinis habebit, ut miser sollicitator interdici, carcere concludi, aut expelli possit.

Cæterum Superiores ab uno moniti ponderare debent cum S. Bernardo nec *omnibus credendum* esse, *nec decredendum*; unde ita ex una parte rei totius seriem, & circumstantias expendent, ut nec denunciatum habeant pro convicto, nec inquirendo rei veritatem, imprudenter odio, vel ictibus denunciantem exponant. Interim, si malum averti possit, absque eo quod nominetur reus, non est indicandum ipsius nomen: quia neminem infamare licet sine gravi necessitate. Potest autem averti malum vigilantia majori, duplicato custodiarum ordine, &c.

CONCLUSIO IV. Potest, & aliquando debet accusator, ab accusatione inchoata desistere.

Prob. quia violat, aut violare pergit justitiam, 1. cum omnibus rite ponderatis prosequitur, ut certam accusationem, quæ sibi jam apparet dubia; 2. cum attribuit Petro, quod tandem comperit factum a Joanne. Quod si a testibus desertus, aut deceptus ab Advocato, sentiat probari non posse id, quod primo crediderat indubie probandum, æquum est, ut desistat, quia ad actum inutilem, & multo magis ad actum sibi nocivum nemo tenetur.

Sed licetne accepto pretio desistere ab accusatione justa?

R. Non licere, seu pretio, seu etiam gratis desistere ab accusatione, quam qui intulit, seu ex officio, seu propter bonum publicum, seu denique propter bonum innocentis. An autem liceat exigere pretium ad desistendum ab accusatione extra hos casus intenta, controvertitur. Affirmat Lugo disp. 38. n. 9. negant alii, & melius; quia ob rem, quæ sine ullo labore fit, non videtur licitum dono quidpiam recipere.

CONCLUSIO V. Qui inique accusavit, damnum quodcumque injuste accusato refundere tenetur.

Prob. quia alioqui subsisteret inæqualitas, quam tamen auferri necesse est. Si quis tamen bona fide accusaverit, seu crimen inculpate credendo verum, seu ratus illud probari posse, non videtur in interiori foro ad restituendum obligatus; quia nec ditior factus est, nec actione formaliter injusta proximo nocuit.

SECTIO SECUNDA.

De Testibus.

OMissis testium qualitatibus, quæ pro locorum diversitate, & pro natura criminis testimonio confirmandi, variæ sunt; quatuor nobis hic veniunt discutienda; & quidem 1. an testis facti alicujus semper ad ferendum testimonium teneatur; 2. an qui testificari potest, restituere debeat, si testimonium non tulerit; 3. quando, quis falsum testimonium perhibere censeatur; 4. an graviter peccet, & ad quid teneatur testis falsus. Sit

CONCLUSIO I. Testis legitime citatus, aut interrogatus testimonium ferre tenetur; imo seipsum aliquando in testimonium offerre debet, etiam non vocatus.

Prob. 1. pars: quia tenetur unusquisque Superiori suo justa præcipienti obedire: atqui Judex legitime citans, & interrogans, & Superior est, & justa

justa præcipit: ergo merito dixit S. Thomas q. 70. art. 3. ad 3. quod *testificari est de necessitate salutis, supposita testis idoneitate, & ordine juris*.

Porro non interrogatur legitime, qui vel interrogatur a Judice non legitimo, vel a legitimo quidem, sed non secundum formam juris, ut si interrogetur contra eos, contra quos testimonium ferre non tenetur; vel de re sibi per confessionem sacramentalem nota, aut sub secreto naturali commissa: quamquam in rebus, *quæ pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi* .... nemo nisi Confessarius *contra hoc debitum obligari potest per secreti commissum*, ut docet ibid. S. Thomas art. 1. & jam docuimus ubi de Peccatis part. 2. cap. 4. art. 2.

Utrum autem juridice interrogatus censeatur, & proin veritatem aperire debeat testis unicus, gravis est quæstio, & admodum agitata: 1. enim censet Lessius ibid. n. 49. licere quidem unico testificari, ad id tamen non teneri hunc, nisi ubi ageretur de resarciendo gravi damno injuste illato, aut de avertendo malo impendenti, seu Reipublicæ, seu privato: quibus sane in casibus nemo non consentit, unicum testem teneri revelare, etiam non interrogatum, aut citatum.

2. Existimant alii plures, etiam extra casus mox assignatos, teneri unicum testem ad revelandum. Ratio est, inquiunt, quia revelare tenetur, si Judex etiam in testem unicum jus habeat: atqui habet; alioqui præcipiendo, ut testis unus revelet, auctoritate sua abuteretur, & faceret aliquid adversum divinæ legi, quod dici, aut saltem probari non potest. Adde, quod ut notant Soto, Azor, &c. testis unus semiplenam probationem suppeditet, ex qua poterit reus juridice interrogari, carcere concludi, torqueri etiam, unde plena tandem criminum confessio elici solet.

3. Demum docere videntur alii, quos sequebar in Tract. de Censuris, testem unicum nec debere, nec posse revelare. Quia, inquiunt, revelatio hæc criminis auctorem infamaret, idque prorsus inutiliter. Ita Collat. Andeg. Tom. 1. de Censuris p. 538. & Resol. Pastor. Diœcesis Genev. Tom. 2. p. 545. Fateor hic mihi hærere aquam; nec satis video, quos sequi, quos impugnare possim. Sane si mihi de Superioris voluntate constaret, censerem a peccato vacare, qui humiliter obsequeretur: stricte tamen in re, tam intricata ad revelandum adigere non auderem, extra casus a Lessio citatos; modo indubium foret rem, de qua agitur, prorsus occultam esse.

Prob. 2. pars. Quia fieri potest, ut nisi quis se sponte offerat in testem, periclitetur, vel bonum commune, vel vita, aut bonum innocentis; ergo, cum quisque mala hæc ex charitate avertere tenetur, ubi potest sine gravi incommodo; imo cum grave totius Communitatis malum quandoque teneatur homo propellere, etiam cum vitæ suæ periculo; consequens est, quod tunc se se, etiam non citatus, offerre teneatur. Et hæc obligatio in eos caderet, qui etiam de jure a testificando eximerentur, ut Episcopi, & similes, quia charitatis debitum omnes ligat, & afficit.

Sed tenerisque te offerre, si conservando uni vitam, alii nempe nocenti mortem allaturus sis.

Negat Lugo disp. 39. n. 1. quia, inquit, sicut posset nocens se occultare, sic & ego eumdem occultare possum permittendo malum alterius. Mihi quidem decisio hæc nescio, quid absoni habere videatur: quia exigit ordo charitatis, ut qui duobus subvenire nequit, ei opem præstet, qui ex ipsa sua innocen-

nocentia alteri præferri meretur. Et vero, quis credat silere potuisse Danielem in causa Susannæ, tametsi hanc nonnisi cum duorum Sacerdotum dispendio liberare posset? Certe, qui tunc veritatem supprimit, non implet illud Prov. 24. *Erues eos, qui ducuntur ad mortem.*.

Quod autem docet Lugo posse reum se occultare, ne pereat; si intelligatur de casu, in quo nullum hinc imminet periculum innocenti, verum est, & nihil concludit: si autem intelligatur de casu, in quo ex fuga, vel silentio nocentis, secutura sit mors innocentis, falsum videtur juxta probatiorem sententiam, in quam propendimus Tract. de Justitia.

Ex his contra eumdem Lugo ibid. n. 2. colligere est cum Lessio hic n. 56. Sylvio, & aliis plerisque, teneri testem ad ferendum testimonium, quoties id necesse fuerit ad liberandum accusatorem, qui propter bonum publicum accusare tenebatur, & deficientibus alioqui probationibus incurreret calumniatoris labem, & pœnas. Iniquum enim, aut saltem charitati contrarium est, improbis annumerari feram, eum, qui præcise accusavit, ne officio suo deesset. Quod *si immineat periculum accusatori*, qui accusandi minus absque necessitate ulla susceperit, *non est curandum*, ait S. Thomas eod. art. 1. *quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit*: cum ex suppositione, neque Judex, neque boni publici ratio id exigeret. Si quis tamen reum accusasset, falso quidem, sed tamen bona fide ratus se ad id teneri, nollem eum deseri ab eo, qui accusationem ejus confirmare potest. Quin si accusatus adversus accusatorem insolescens, cum eo tanquam fœtido calumniatore durius ageret, hortarer ad minus, ut qui rei veritatem compertam habet, oppressæ innocentiæ partes tueretur.

Conclusio II. Qui a Judice ad testimonium ferendum citatus, non comparet; vel comparet quidem, sed dolose efficit, ne interrogetur, tenetur ad resarciendum quidquid ex silentio suo evenit damni. Idem est de eo, qui vel aufugit, vel abscondit se, ne citaretur.

Antequam probetur Conclusio quædam sunt prænotanda, & quidem 1. apud omnes receptum videtur, ut a restitutione liber sit, qui non ultro sese offert ad testimonium; quia etsi sæpissime teneatur ex charitate ad sese offerendum, non tamen tenetur ex justitia. Et hæc quidem decisio, saltem in criminibus læsæ majestatis nonnihil difficultatis habere potest. Si enim, ut diximus Tom. 1. restituere tenentur famuli, qui dominorum bona dilapidari fuerunt; quia virtuali hac conditione conducti sunt, ut ea servarent; quidni simile pactum subditos inter, & Regem intercedere dicatur, in his saltem rebus, quæ Principem gravissime tangunt, qualia sunt læsæ majestatis crimina?

2. Et id etiam satis certum est, eum, qui etiam citatus non comparet, quia videt sibi, vel suis imminere grave periculum ex revelatione, nec teneri ad restitutionem, nec qualitercumque peccare: quia non ea fuit, aut esse potuit intentio Superioris, ut quis alienum bonum cum proprii boni dispendio promoveret; nisi, vel boni publici necessitas, vel longe gravius proximi nocumentum, aliud postulet. Damni enim, quod testis ex revelatione metuit pensanda est gravitas, per comparationem ad damnum, quod ex defectu revelationis impendet proximo, unde si proximus incurrat periculum vitæ, teneris ad testificandum, cum periculo etiam gravissimo bonorum temporalium, si est in periculo perdendi totam substantiam, testificari debes cum aliquali bonorum tuorum detrimento, non autem cum jactura vitæ, aut nobilis famæ. Ita Sylvius, cui alii suffragantur. His permissis

Prob.

Prob. 1. pars. In moralibus ea opinio præferenda est, quæ & tutior est, & æque probabilis, si non probabilior: atqui talis est opinio nostra. 1. quidem tutior est, quia magis ab omni peccandi periculo removet. 2. est etiam probabilior, tum ab extrinseco, cum communior sit, & a majori Doctorum numero propugnata: tum ab intrinseco; quia multo probabilius est testem citatum, ex officio sibi a Republica imposito, teneri ad revelandam veritatem; eumque silentium servando, dolose nocere parti, quæ legum adminiculo ejus auxilium implorat; prout jam docuimus Tom. 2. ubi de Monitoriis: ergo opinio hæc videtur tenenda in praxi.

Confirm. Justa Judicis sententia tribuit jus ad bona alterius: ergo justa Judicis lex tribuit actori vel reo jus ad testimonium alterius.

Prob. 2. pars. Ideo Malderus, Lugo, & alii passim a restituendo eximunt eum, qui de industria latitat, & fugit, ne compareat coram Judice, quia is ejusdem Judicis præcepto, utpote sibi haud intimato non ligatur: atqui hæc ratio nulla est. Quia lex censetur sufficienter intimata iis omnibus, qui dolose impediunt, ne eadem sibi intimetur; alioqui malis sua fraus, & dolus patrocinarentur, quod admitti non potest. Et vero sicut Canonicus in aliena Diœcesi remanens, excommunicari potest ob defectum residentiæ; quia scilicet fictionis juris censetur in propria Diœcesi præsens esse: sic & fictione juris censetur citatus fuisse is, qui culpabiliter impediit, ne citaretur.

Dico: *qui inculpabiliter, aut dolose impediit*. Sponte enim fatebor cum Sylvio, eum, qui bona fide, ac sine fraude ulla, e loco, ubi ferendum esset testimonium, alio proficiscitur ad negotia sua, nihil de ferendo testimonio cogitans, nec ad illud vocatus a Judice, ad nihil teneri propter omissam in iisce circumstantiis testificationem. Ubi tamen reversus fuerit, tenebitur offerre se ultro, si id exigat charitas, vel debita superioribus obedientia; unde & incurret excommunicationem monitorio decretam, si hæc necdum fulminata sit, prout dixi ubi de Censuris, ibid.

Objiciunt Molina disp. 83. & 700. Lugo disp. 39. n. 5. Sylvius ead. q. 70.a.1. non teneri ad restituendum, qui justitiam solum legalem violaverit; unde, inquiunt, immunis est a restituendo, qui post Judicis præceptum non mundat, aut ornat vias publicas; item qui tutoris munus non acceptat: atqui, pergunt, nonnisi legalem justitiam violat, qui etiam citatus ad testimonium non comparet. Is enim eo solum peccat, quod impositum sibi a Judice munus non acceptet: atqui in hoc sola læditur legalis justitia.

Confirm. quia durum est, ut Respublica unum civem subjiciat alteri quantum ad actiones personales, ita ut ille, nisi isti paruerit, eidem etiam restituendo satisfacere teneatur. Adde, quod etiamsi id absolute posset Respublica, non tamen id facere præsumeretur, nisi satis clare exprimeret suam voluntatem obligandi tali modo; nullibi autem reperitur clara hæc voluntatis Reipublicæ expressio.

Hæc momenta, si cui satis ad dubium gravia videbuntur, poterit is restitutionem moderari; quod ego non ausim, quia hæc sufficienter solvi posse opinor. Unde

R. Ad 1. neg. min. ad 2. 1. neg. maj. Non enim solum peccat testis, quod impositum a Judice munus non acceptat; (sunt enim officia, quia saltem sine injustitia repudiari possunt;) sed quod illud dolose repudiet; quatenus dolose impedit, ne innocens illati sibi damni compensationem obtineat; prout probavi ubi de Monitoriis sub finem.

2. Neg.

2. Neg. min. Non enim legalem solum justitiam violat, qui violat pactum virtuale: atqui testis comparere nolens, violat pactum virtuale, & cui tacite subscribunt, quicumque sunt membra Reipublicæ. Sicut ergo Judex ratione officii, quod sibi, etiam quandoque invito impositum est, tenetur ex justitia partes muneris sui adimplere; sic & ad idem ex justitia teneri videtur testis.

Nec nocet, quod Judex, licet invitus, officium suum acceptaverit, testis autem testandi officium recusasse supponatur: quia recusatio hæc est de facto, non autem de jure; unde æquivalet acceptationi. Sic qui dativam tutelam pupilli recusat, de omni damno, & interesse tenetur *, donec ab ea juridice exoneratus sit. Unde apparet tutelæ exemplum allatum a Lugo n. 8. contra eumdem militare.

Quod addit idem Theologus; eum, qui vias non mundat, nulli obnoxium esse restitutioni; verum est, & nihil concludit; tum quia hæc inobedientia reipsa nemini nocet, seu in vita, seu in bonis; tum quia hujusmodi inobedientes, tam gravibus identidem mulctis subjiciuntur, ut Magistratum abunde præstent indemnem.

Ad confirmat. dico 1. durius esse, ut in Republica bene constituta periclitentur salus, & opes innocentium, quam, ut iis sub restitutionis pœna succurrere teneantur, qui succurrere possunt. Dico 2. durum non esse, ut quis sub certa pœna id pro concivibus suis facere debeat, quod iidem in gratiam ejus vicissim facere tenebuntur.

Quod autem hanc Reipublicæ legem non satis clare videat Lugo, ei quidem, sed non nobis imputari debet; cum hæc adeo parum ambigua sit, ut eam facile detexerint *tot Doctores*, quorum ipse aliquos citat, nos citavimus recentiores multos, eosque magni nominis, cum de monitoriis disputavimus.

Conclusio III. Falsi testimonii graviter reus est non is tantum, qui falsum pro vero, sed & qui incertum pro certo asserit.

Prob. quia prior contra juramenti, & probitatis leges æternam veritatem offendit: posterior gravi ejusdem offendendæ periculo se se exponit. Hinc S. Thomas ibid. art. 4. ad 1. *In testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere; quasi sciens id, de quo certus non est, sed dubium debet sub dubio proferre, & id, de quo certus est, pro certo asserere. Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quod reputat se homo quandoque certum esse de eo, quod falsum est; si aliquis cum debita sollicitudine recogitans, æstimet se certum esse de eo, quod falsum est, non peccat mortaliter hoc asserens, quia non dicit falsum testimonium per se, & ex intentione, sed per accidens contra id, quod intendit.* Quid autem tunc facto opus sit, expendam paulo infra.

Quæres, an liceat quempiam inducere ad asserendum id, quod reipsa verum est, sed ab eodem nescitur.

R. id prorsus illicitum esse; nemo enim ab alio petere potest, quod ipse sine gravi culpa præstare nequit: porro non potest quis asserere ut verum id, cujus veritas sibi comperta non est. Qui tamen hac fraude causa esset, ut alter debitum suum recuperaret, non teneretur ad restitutionem summæ, quæ debita supponitur: posset tamen teneri ad restitutionem impensarum, quas iniquus debitor hac occasione sustinuisset; has quidem pati merebatur, sed servato, non violato juris ordine.

Quæres iterum, an induci possit quis ad asserendum, ut verum id, quod ipse verum credit, sed ex errore.

* Vide Diction. J. Ferriere. V. *Tutele*.

R. 1. non posse id fieri, ut quis hac arte obtineat id, quod suum non est, aut quod sine aliorum præjudicio obtinere non potest. Unde, quidquid dicat bonus Diana, Scholasticus, qui magna anni parte Academicas lectiones omisit, non potest condiscipulos suos, qui eum moraliter præsentem fuisse censent, inducere ad testandum eum, ut decebat, Scholas frequentasse; quia sic gradus, aliaque Universitatum jura contra fas, & non sine aliorum dispendio consequeretur. Atque id utinam ponderent tot Academici nebulones, qui nihil agunt, nisi quod agere non debent; & qui ad Beneficia gradibus suis uti nequeunt, nisi tempus otiose perditum reparaverint deinceps, posito tamen, quod Scholas accurate frequentaverint; prout nuper resolverunt Doctores Sorbonici complures.

R. 2. neque id licitum esse, ut quis rem suam obtineat: Quia est id inducere ad perjurium materiale, quod non magis licet, quam inducere liceat ad vescendum carnibus eum, qui invincibiliter oblitus est, aut ignorat prohibitionem Ecclesiæ; vel ad conculcandam Sancti alicujus imaginem, qui eam Pseudoapostoli esse existimat.

Conclusio IV. Peccat mortaliter, qui falsum quodcumque testimonium juramento confirmat; qui autem secluso juramento falsum deponit, reus est peccati ex genere suo lethalis, indeque obnoxius restitutioni.

Prob. 1. pars: quia ex dictis in Tract. de Religione, gravem Deo injuriam facit, quisquis eum adducit in testem mendacii: sed qui falsum confirmat juramento, Deum in mendacii testem adducit quantum in se est: ergo.

Prob. 2. pars, simul & confirmatur prima. Prov. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus .·. testem fallacem*. Ibid. c. 19. *Testis falsus non erit impunitus*, capit. 21. *Testis mendax peribit*. cap. 25. *Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum falsum testimonium*, & c. 28. *Testis iniquus deridet judicium, & os impiorum devorat iniquitatem*; quæ quidem omnia, totidem sunt gravis peccati caracteres.

Prob. 2. ex variis juris textibus. Cap. 1. *De crimine falsi*, hæc habet: *Falsidicus testis tribus personis est obnoxius; primum Deo, cujus præsentiam contemnit: deinde Judici, quem mentiendo fallit, postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. Porro uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.*

Cap. *Eos* 111. q. 10. desumptum ex Canone 25. Concilii Arelatensis II. *Nisi*, inquit, *digna satisfactione pœnituerint, qui falsa fratribus capitalia objecisse convicti fuerint*, *usque ad exitum* vitæ *non communicent*, *sicut magna Synodus ante constituit*. Plures id genus Canones videris apud Nat. Alexandrum hic Reg. 1.

Prob. 3. ex Patribus, quorum instar in re evidenti sit S. Augustinus; sic ille in Psalm. 79. *Omnia peccata duæ res faciunt in homine cupiditas, & timor. Corrumpere te vult aliquis, ut dicas, v. gr. falsum testimonium. Attendisti in Deum, & dixisti in animo tuo*; Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? *Non adducor præmio, ut perdam animam meam pro lucro pecuniæ. Convertit ille se ad incutiendum metum; qui præmio corrumpere non valuit, incipit minari damnum, expulsionem, cædes fortassis, & mortem. Ibi jam si cupiditas non valuit, forte timor valebit ut pecces .·. Quicumque te vult occidere, usque ad corpus ei licet, usque ad animam non licet. Anima tua non morietur, nisi eam volueris occidere. Perimat aliena iniquitas carnem tuam, dum servet veritas animam tuam. Si autem a veritate resilieris, quid tibi*

tibi amplius facturus est inimicus, quam tu tibi ipse facis. Inimicus sæviens carnem potest occidere: tu autem dicendo falsum testimonium, animam occidisti.

Idipsum docet Angelus Scholæ hic art. 4. *Falsum testimonium*, inquit, *habet triplicem deformitatem. Uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati; & ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo ex violatione justitiæ; & hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut & qualibet injustitia ∴. Tertio modo ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum; & ex hoc non habet falsum testimonium, quod semper sit peccatum mortale.* Quibus ex ultimis verbis colligit Sylvius, eum, qui falsum diceret testimonium, ut innocentem ab injusta sententia liberaret, non peccaturum mortaliter, nisi forte sic mentiretur, ut dum uni prodesse vult, noceat alteri, notabile crimen falsum ei objiciendo. Verum hæc viri docti annotatio satis inutilis videtur; *quia*, cum *testes non admittantur nisi jurati*, quisquis falsum in judicio testimonium perhibet, reus est perjurii: porro perjurium quacumque intentione fiat, semper, & in omni materia peccatum est lethale.

Hic obiter annotaverim cum Nat. Alexandro 1. falsos testes, qui apud Romanos Tarpeio e monte præcipites agebantur, apud Gallos capitali supplicio plecti secundum Constitutionem Francisci I. editam ann. 1531. mense Martio; 2. eadem affici pœna, ut ejusdem criminis reos, qui falsa instrumenta fabricantur, aut vera adulterant, iisve sic compositis utuntur ad obtinendam causam. Ejusdem criminis rei sunt, parique pœnæ obnoxii Procuratores, Advocati, aliique quilibet, qui celant, vel supprimunt instrumenta adversæ parti profutura. Et hi omnes ad restitutionem ejus, quod interest ratione omnium damnorum, & expensarum tenentur; ut qui totius hujus nocumenti causa sint.

Sed nonne licet saltem ei, qui verum amisit instrumentum, aliud simile fabricari, si futurum est alioqui, ut causa gravissimi momenti cadat? Sane non licet, quia etsi nulla eo in casu irrogatur injuria proximo, irrogatur magna veritati. Qua etiam de causa Clericus, qui testimoniales, vel dimissoriales Episcopi sui litteras, aut Parochi de baptismo fidem facientes perdidit, non potest alias supponere, ut ad Ordines promoveatur. Idem esto judicium de viro Regulari, qui amissis obedientialibus litteris, alias fabricat. Et vero hæc agendi ratio fallit publicam fidem, falsariis decipiendi viam aperit, & Notarios, qui publicis instrumentis subscribunt ad perjurium inducit. Quapropter Sacra Facultas Parisiensis ann. 1665. die Februarii 3. duas istas Guimenii propositiones reprobavit, ut falsas, scandalosas, & Reipublicæ perniciosas. I. *Falsare non est, nec peccatum mortale, amissæ scripturæ de hæreditate, aut nobilitate, aliam similem efficere: nulli enim fit injuria.* II. *Si quis privatam aliquam scripturam, aut syngrapham, aut apocham, qua constaret se certæ quantitati pecuniæ mutuo acceptæ satisfecisse, falsificaret, quia aliam legitimam a conditore confectam amisisset, nec alio modo probare posset solutionem, non damnarem peccati mortalis; quia falsificationes hæ, privatarum scilicet scripturarum, non sunt ita Reipublicæ perniciosæ.*

Quæres, an testis, qui bona, & inculpata fide falsum testificatus est, teneatur testimonium suum retractare.

Respondent Molina Tom. 5. Tract. 4. disp. 40. Lugo disp. 39. n. 24. Sylvius hic art. 4. & alii pene omnes, eum ad retractationem hanc teneri non solum ex charitate, sed & ex justitia, modo tamen, & retractatio profutura esse credatur, & sine gravi damno fieri possit. Ratio est 1. quia, qui alienum detinet invito domino, tenetur restituere cum primum advertit id, quod de-

Oo 2 tinet

tinet esse alienum: sed, qui alterum in judicio infamavit, quasi detinet ejus famam: ergo statim, ut animadvertit errorem suum, tenetur se retractare; 2. qui alienis ædibus ignem applicuit inadvertenter, eumdem, si sine gravi periculo possit, extinguere tenetur; quia nimirum quisque agere debet, ne alteri, ex actione sua damnum contingat: ergo a pari; 3. quia non retractare est virtualiter perseverare in prima sua depositione, ac proinde se virtualiter, & scienter constituere alieni damni auctorem: atqui quisque hoc evitare debet, cum utiliter, & sine gravi damno potest: ergo.

Dices: Hæc ultima ratio probat retractationem, de qua loquimur, ita necessariam esse, ut fieri debeat etiam cum vitæ periculo, prout reipsa docet aliquis apud Lugo ibid. n. 28.

R. neg. ant. Sicut enim, qui ex inadvertentia plane inculpata alienam domum incendit, non tenetur ignem, quo innocenter aliqui absorbendi sunt, extinguere cum certo vitæ periculo; sic nec cum eodem, imo nec cum gravi fortunæ periculo tenetur quis testimonium, quo quempiam aspersit, retractare. Ratio est, quia etsi obligatio non inferendi scienter proximo damni, sit absoluta; obligatio tamen damnum a nobis inculpate prorsus illatum reparandi ex communi hominum sensu est solum conditionalis; & tunc tantum urget, cum sine gravi incommodo adimpleri potest. Sic si me turpe Petri factum citra culpam narrante, crediderint adstantes me locutum esse de Paulo, tenebor quidem suum eis errorem avellere, si commode potero: at si graves idcirco sumptus faciendi essent, non tenerer ad eos præstandos, sed potius Paulus ipse, cujus res ageretur.

Cœterum nemo non sentit exempla hæc non ita convenire inter se, ut plenam paritatem constituant. Enim vero ex communi hominum sensu ad aliquid minus tenetur, qui cum loqueretur de Petro, intellectus est de Joanne, quam, qui pestilentem domum incendere ratus, incendit non infectam; minus debet, qui hanc incendit, quam, qui falsum materialiter testimonium tulit. Certe in hoc postremo casu, si periclitaretur innocentis vita, aut bona spectatissimi viri æstimatio, etsi exigere nolim, ut, qui contra eum inculpate deposuit, par incurrat periculum, censeo eumdem teneri ad impensas respective graves, ut impendentem ictum avertat.

Sed, quid si damnum avertere nequeas; puta quia, quem accusasti, sat aliunde contra se testium habet, ut condemnari debeat.

Respondent, aut respondere debent citati Theologi, te a retractationis onere immunem esse; quia hæc ad nihil profutura sit. Extendit id Cabass. L. 4. c. 5. n. 2. ad testem formaliter calumniosum. *Si contingat*, inquit, *ut anteriores testes admissi, neque a reo accusati, sufficienter eadem calumnia reum oneraverint, adeo ut iste additivus, & supernumerarius condemnationem ab aliis dudum efficaciter causatam non auxerit, non potest censeri condemnationis auctor, neque obligatus ad eam reparandam .:. Similis ratio, & decisio est in eo Judice, vel Consiliario, qui præcedentium injusto judicio suum addit suffragium, si nulla habita communi conspiratione suffragia præcedentia erant in sufficiente ad validum judicium numero, neque causam dedit anterioribus injusti suffragii; & si reliquis insequentibus Consiliariis existentibus una cum eo in non sufficienti numero ad elidenda anteriorum suffragia, non fuerit auctor injusti suffragii.*

Verum decisio hæc, etsi limitationibus stipata, non videtur tuta practice; cum, ut bene notat in eum Cabassutii locum Gibertus, per additivas, & supernumerarias depositiones robur accrescat anterioribus. Decem quippe testimo-

ftimonia magis movent, & determinant, quam duo, etsi duo absolute sufficiant. Ubi enim duo tantum testificantur, eos magis Judex liberat, & perpendit omnia, cavetque ne iniquum ferat Judicium: ubi vero adsunt decem, tanta apparet facti certitudo, ut quasi in judicium proruat absque ampliori examine, & errandi periculo. Idem de iis dicendum, qui in judicio suffragantur. Certe multo plus habet ponderis sententia unanimi omnium calculo comprobata, quam quæ nisi suffragiis absolute necessariis munita est: inde fit scilicet, ut pars læsa non ausit appellare, aut cassandum impugnare judicium, si sit supremum. Demum in materia famæ, qui inique damnatus fuerit, grande hinc solatium percipiet, quod duo tresve Consiliarii graves a partibus suis steterint, ejusque dedecori non consenserint cum aliis. Hæc igitur Giberti opinio alteri videtur anteponenda; eamque, ut saniorem secuti sumus jam dudum in Tract. de Justitia, ubi de consentiente; Palpone, &c.

Hinc annotari velim, 1. difficile admodum esse, ut quis inculpate prorsus falsum testimonium ferat. 2. eum, qui in hoc casu versatus esset, teneri, ubi errorem suum comperisset, eum admonere, qui ex errore suo lucrum percepisset, ut restituere rem male partam. 3. eum, qui ex veniali negligentia falsum testatus esset, non quidem teneri ad damni totius restitutionem, sed tamen ad tantam partem teneri posse, ut nisi restituat, peccet lethaliter; prout colligere est ex iis, quæ dixi in Tract. de Justitia, part. 2. alias 3. cap. 3. art. 4.

SECTIO TERTIA.

De Reo.

De reo septem inquiruntur. 1. an semper teneatur respondere. 2. an verum fateri. 3. an socios, seu consortes detegere. 4. an possit occultos, aut falsos testibus vel accusatori defectus opponere. 5. an appellare. 6. an fugere. 7. an in fuga juvari. Sit

Conclusio I. Reus respondere debet, cum interrogatur juridice; secus si contra ordinem juris interrogetur. Ita S. Thomas 2. 2. q. 69. a. 2. & omnes cum eo.

Prob. 1. pars: quia quilibet Superiori legitime præcipienti obedire tenetur: atqui legitime præcipit Judex, cum interrogat servato ordine juris: imo & tunc præcipit non solum id, quod potest, sed & id, quod præcipere tenetur ex officio: ergo.

Prob. 2. pars a contrario: siquidem Judex nihil potest, nisi secundum ordinem juris: ergo cum ordinem hunc non servat, non magis eidem obtemperare tenetur reus, quam alii cuicumque privato.

Porro tunc demum juxta S. Thomam ibid. reus interrogatur juridice *cum præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt, vel etiam, cum præcessit probatio semiplena.*

Infamia censetur interrogationem præcedere, cum quis in perpetrati criminis suspicionem vocatur a multis, qui viri probi habentur, & graves, non malevoli, neque maledici: aut cum is populi totius voce, aut rumore publico talis delicti reus conclamatur; quod quidem in jure *clamosa insinuatio* vocatur. Indicia sunt circumstantiæ, & signa, ex quibus prudenter de aliorum actionibus judicari solet. Semiplena probatio est assertio testis unius juratio omni exceptione majoris, qui rem vel viderit, vel ab ipso reo audiverit, ut docet

Cabassut. ibid. c. 4. n. 2. Unde debet Judex reo aperire statum causæ; probationes, indicia, & testes, ut sciat se juridice interrogari; & sic quid habeat contra, possit illud opponere. Ita saltem colligitur ex cap. 21. & 24. *De accusat.* censent tamen multi accusationem sufficere ad interrogandos testes ab accusatore productos.

Sed, qua via extricabit se reus juridice non interrogatus? si sileat, silentium ejus post unam, & alteram interrogationem continuatum pro confessione reputabitur; & in eum feretur sententia tanquam in mutum voluntarium; aut certe torturæ subjicietur. Si respondeat, haud licet eidem mentiri; quid ergo facto opus sit? Potest, ait Cabassut. ibid. c. 6. ambigue respondere; atque a Judice jurare imperatus, jurare quidem, sed non ad mentem Judicis injuste procedentis. Commoda quidem esset hæc agendi ratio, nisi amphibologias, & restrictiones mentales a nobis Tom. 1. damnatas inveheret: sed quia eæ sunt veri mendacii species, satius videtur, ut reus appellat a Judice, quasi qui ordinem legibus constitutum violet; aut Judici dicat se non teneri ad respondendum; aut saltem se negare proposita, sicut proponuntur: nempe vero proponuntur, ut publica, quæ publica nec sunt, nec esse possunt.

Sed, quid si dubitet reus, an interrogetur juridice, aut dubitet ipse Judex, an jus habeat interrogandi?

R. Ad 1. Non tenetur reus ad respondendum; quia in dubio rationabili, & ubi aguntur res tanti ponderis, & quæ dividi non possunt, æquum si unquam, ut melior sit conditio possidentis.

R. Ad 2. Si ex omissa rei interrogatione immineat publicæ rei malum, debet Judex dubium deponere, & meminisse se custodem esse publici boni, cui proinde plus consulere debeat, quam bono rei. Si vero res patitur moram, reo magis, quam alio cuilibet favendum est. Interim, ait Sylvius, in neutro casu tenebitur reus respondere ob rationem proxime allatam. Nec mirum est, quod ex ignorantia, aut dubio inculpato bellum utrinque justum moveatur.

Conclusio II. Mortaliter peccat reus, qui juridice interrogatus, diffitetur crimen suum, etiam ut mortem evadat. Ita S. Thomas ibid. aliique multo plures contra paucos, qui venialiter solum peccare putant eum, qui mentiendo evadere potest; nisi forte, inquiunt, agatur de pœna spirituali, excommunicatione, v. g. aliave censura.

Prob. quia, ut bene S. Thomas ibid. *quicumque facit contra debitum justitiæ* in re maximi momenti, *mortaliter peccat*: atqui reus qui crimen suum negat, aut veritatem reticet, seu tacendo, seu aliud a proposito respondendo, facit contra debitum justitiæ, in re gravissima. Ut enim faciat contra debitum justitiæ, sufficit, ut Judex jus habeat eumdem interrogandi; huic enim juri ex parte Judicis, correspondet ex parte rei obligatio stricta respondendi ad rem: atqui Judex legitimus, & juris ordinem servans, jus habet interrogandi, ut manifestum est gentium omnium consensu; & hinc etiam patet, quod illæsa justitia reum torturæ applicare possit, ut ab eo veritatem eliciat. Deinde materia præsens gravissimi est momenti: quia ex ea pendet civium salus, & commune bonum, quæ insigniter deperirent, si Reipublicæ perturbatores judicia eludere possent mendacio, aut fraudibus. 2. quia mendacium coram Judice legitimo capitaliter repugnat gloriæ Dei, sicut & ad eam insigniter contribuit veritatis confessio; unde Hebræi ad nudam hanc confessionem hortabuntur his verbis: *Da gloriam Domino Deo Israel, & confitere*; Josue 7. 3. quia negatio veri-

veritatis plerumque graviter noceret accusatori, *qui punitur si in probatione deficiat, unde Ly in Psalm.* 140. *dicitur:* Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. S. Thom. ib. ad 3. ergo si præstito, ut in Gallia non in Italia ob grave periculum perjurii, præstari solet, veritatis aperiendæ juramento, reus veritatem neget, peccat contra eamdem veritatem ratione mendacii; contra Justitiam ratione juris in Judice, & aliquando in accusatore, & contra religionem ratione juramenti.

Obj. Nemo hominum tenetur obsequi mandato injusto: atqui mandatum, quo Judex cuipiam præcipit, ut ore proprio suæ sit condemnationis artifex, est prorsus injustum. Repugnat enim, tum nativæ propensioni, tum juri, quod quis a natura accepit tuendi vitam suam; juri, inquam, tam invicto, ut ne occidaris, alium occidere possis; ne pereas fame, alienum invadere queas: ergo.

R. Ad 1. neg. min. ad 2. nego injustum esse præceptum, quod propensioni a natura inditæ repugnat: alioqui teneretur miles deserere stationem, in qua evidens vitæ discrimen incurrit; nego insuper reum jus habere tuendi vitam, seu mentiendo, seu conticescendo; quia a jure illo excidit partim ob crimen, cui leges capitis pœnam indixere; partim ob jussa Superioris, cui natura ipsa parere jubet, quoties is munus suum debite exequitur. Aliter se res habent in casibus objectis; nemo enim privatus jus habet privatum alium interficiendi; nemo impedire potest, ne in extrema positus necessitate utatur bono, quod ipsa necessitas facit commune.

Obj. 2. Non potest quis cogi ad testificandum contra consanguineos; ergo multo minus cogi potest ad testificandum contra se. Quis enim magis consanguineus, quam quisque sibi?

R. 1. antecedens falsum esse in plurimis casibus, ut cum agitur de proditione regni, de criminibus læsæ majestatis, de hæresi, &c.

R. 2. neg. conseq. Depositio enim contra consanguineos capitalia in familiis odia, jurgia, exprobrationes inveheret, & nutriret; hæc autem incommoda locum non habent in eo, qui contra seipsum testificatur. Et vero leges, quæ vetant, ne parentes contra se invicem in materiis communibus testimonium ferant, præcipiunt, ut Judex reum interroget, & is torqueatur, nisi respondeat: ergo longum stat inter hæc discrimen.

Ex his colliges reum, qui juridice interrogatur, non posse sacramentaliter absolvi, nisi serio veritatem confiteri proponat: quia alioqui est, & esse perseverat in statu mortalis peccati. Imo si videat Confessarius hominem satis convictum negare in sacro tribunali, se furti hujus, aut homicidii auctorem esse, aut si ex iis, quæ etiam extra juridicam interrogationem respondet, sentiat futurum, ut recta via coram Judicibus non procedat; impense cavebit ne absolutionem largiatur; alioqui enim Sacramentum manifestæ profanationi exponit.

Monet hic apposite Sylvius, Confessariis, antequam reorum confessiones excipere incipiant, sedulo curandum esse, ut inquirant, sintne omnia ita secundum ordinem juris, ut reus nonnisi juridice interrogetur. Alias enim eos inducent, vel in jacturam corporis, temere jubendo, ut confiteantur; vel in jacturam animæ, non jubendo, ut confiteantur, quando debent. Sed & id cavendum, ne audita confessione aliquid verbo, gestu, aut vultus compositione prodant, quod suspicionem criminis perpetrati ingerere, & sic sacramentale sigillum infringere possit.

Sed quid si Confessarius animadvertat violari juris ordinem? numquid

 non

non tenebitur reum admonere? Utique teneri videtur; quia postulat charitas, ut malum inique paratum avertatur, quantum potest. Imo etsi generaliter præsumendum est in favorem Superiorum *in dubio* vero, *magis reo favendum* esset, *quam* cuique contra eum *actori*.

Quæres, an prolata a Judicibus absolutionis, aut pœnæ sententia reus veritatem aperire teneatur.

R. Consentiunt Doctores, ei qui e Judicis manibus evaserit, satis esse ut peccatum sacramentaliter confiteatur, non autem requiri, ut deinceps contra se revelet; quia jam est extra Judicis potestatem; neque Judex ullam ejus confessionem exigit. Aliud esset, si necessarium foret aperiri crimen, ne innocens, cui imponi cœpit, grave hinc periculum subeat.

An autem post sententiam mortis teneatur reus revelare crimen suum, controvertitur; nec desunt graves pro utraque parte Theologi. Qui negant, his pugnant momentis. 1. quia a lata sententia jam finitum est & judicium, & Judicis officium; secundum id Leg. 55. ff. *De re judicata. Judex postquam semel dixit sententiam, Judex esse desinit*: atqui finito judicio, Judicisque officio, finitur tum interrogatio quælibet, quæ jam inutilis esset ad causam; tum consequenter quælibet rei obligatio ad respondendum: ergo cum desinente fine, desinat id omne, quod nonnisi ad finem est necessarium, desinit etiam quælibet rei obligatio. 2. quia hæc rei confessio reipsa non inservit ad securitatem conscientiæ Judicum. Si enim judicaverint secundum allegata, & probata, securi sunt absque illa confessione: si secus, hæc nihil iis prodest ad solatium; cum non modo damnare crimen, sed & juridice damnare teneantur. Neque hinc Judici, aut testibus sequitur infamia; cum omnibus notum sit reos solitos esse crimina negare; neque etiam hinc sequitur in reo suspicio legitima impœnitentiæ; cum supponi possit eum veritatem aperuisse confessario, postquam se morti destinatum vidit. 3. quia opinio contraria favet iniquæ Judicum quorumdam consuetudini, qua simulant se reum ad mortem damnare, ut in illo articulo constitutus suum fateatur crimen, quod si fateatur, plectitur morte; si neget, remittitur in carcerem: non ergo debet Confessarius reum adigere ad criminis sui confessionem cum tanto periculo. Et ita sentiunt Lugo disput. 40. n. 19. & apud eum Navarrus, Navarra, Sayr; iisque consentinut Sylvius, & P. Antoine T. 2. p. 434. cum hac limitatione, quod reus delictum fateri teneatur, si id exigat bonum commune, vel amotio scandali, vel si esset periculum, ne quis postea innocens eodem crimine accusaretur, & damnaretur, quia exigit charitas, ut grave proximi damnum impediamus, cum possumus sine nostro gravi damno. Addit Lugo hæreticum præsumi permanere, & mori talem, nisi crimen suum confitendo Ecclesiæ satisfaciat; quia non alia conditione a censuris absolvi potest.

Contrarium tenent Corduba, Medina, Ledesma, Cabass. L. 4. c. 6. n. 3. in fine: & id suaderi potest, 1. quia reus ad criminis confessionem tenetur, quamdiu sub juridica potestate detentus est: detinetur autem sub ea, donec sententia executioni mandetur. 2. quia qui falsam, & publicam depositionem non retractat, judicatur in ea perseverare, ac proinde ad mortem usque mentiri, vel iniquo judicio perire. 3. etsi sciant omnes reos crimina sua negare solitos esse, vix tamen quisquam suspicabitur hominem, qui crimen sibi imputatum constanter negavit, & tandem serio pœnitens videtur, idem commisisse scelus, si illud ante mortem non fateatur. 4. quia hæc est praxis constans Sorbornicorum Doctorum, qui Parisiis capitali damnatos

suppli-

supplicio audiunt in tribunali, & ad patibulum comitantur; 5. quia ex ea reorum confessione pluries, & non pridem evenit, ut indebitam mortem evaserint innocentes, qui venerant in suspicionem criminis ab alio commissi. Hæc opinio prorsus in praxi tenenda.

Quæres, quid de eo sentiendum, qui ut immanes torturæ cruciatus fugiat, falsum sibimet imponit crimen in judicio, unde morti addicitur.

R. Eum peccare mortaliter: tum quia reum se facit mendacii perniciosi, quo scilicet fallit fidem justitiamque publicam in re gravi; tum quia directe, & positive est causa moralis injusta mortis suæ; cum tetra hac sui infamatione non minus Judicem moveat ad injustam sui occisionem, quam moveret ad mortem alterius, contra quem falsi quid deponeret. Confirmat id utcumque, quod scribit Hieronymus in Epist. *De muliere secties icta*, nec tamen interempta; cum econtra adolescens, qui tormentis victus, sese cum eadem peccasse falso confessus erat, primo gladii ictu caput, & vitam amiserit.

Dices: Eatenus peccaret quis falsum crimen confitendo, quia esset directe sibi causa mortis: atqui non est sibi causa mortis, nisi indirecte. Neque enim onerat se, ut moriatur, sed ut tormentis morte gravioribus se subtrahat; ergo se habet, sicut qui virgini consulit, ut potius se a milite jugulari, quam stuprari permittat, qui porro id consulit, non intendit virginis mortem, sed omissionem stupri.

R. Ad 1. neg. min. & dico eum, qui falsum sibi crimen imponit, facere aliquid, unde secundum justitiæ regulas certo mori debeat; ergo reipsa vult directe mortem, ut malum gravius vitet. Qui vero virgini suadet, ut se jugulari potius, quam fœdari permittat, nihil eidem consulit, unde sibi mors juste inferenda sit.

Dices iterum: Non magis tenetur quis cum tantis doloribus servare sibi vitam, quam eamdem servare teneatur per acerbissimam tibiæ abscissionem: atqui &c.

R. Neg. maj. Aliud quippe est non conservare vitam, aliud positive moraliter destructionem ejus causare. Primum facit, qui acerbissimos sectæ tibiæ dolores pati recusat; secundi autem reus est, qui iniqua sui diffamatione moraliter movet Judices ad sibi, quasi reo, necem inferendam.

Sed teneturne, qui falsum confessus est crimen, confessionem retractare? Fatentur teneri omnes 1. si speret se hac ratione mortem evasurum, 2. si ex ejus non retractatione notabilis in alio redundet infamia; quæ per retractationem, vel auferretur, vel minuetur notabiliter. Secus, inquiunt, si de sola ejus infamia agatur; quia unusquisque propriæ famæ dominus est. Mihi certe homo in casu tanti momenti, in quo iniquæ Judicis sententiæ quandatenus cooperatur, non videtur admodum famæ suæ dominus.

Conclusio III. Reus, complices, seu sceleris socios quandoque patefacere tenetur, quandoque non.

Prob. quia ad id tenetur, quoties istud postulant charitas, & ordo juris. Postulat autem charitas, cum avertendum est malum communi bono, aut privato imminens; postulat autem juris ordo, quoties agitur de criminibus, ut ajunt, *exceptis*, qualia sunt hæresis, crimen læsæ majestatis, falsatio monetæ, proditio, veneficium, assassinatus, & sacrilegium, in quibus, & solis ex unius complicis depositione potest ejusdem criminis consors tortura probari: cum econtra in aliis delictis, nemo tortura probetur, seclusis indiciis, aut infamia, vel unius testimonio, nisi duo ad minus delecti

par-

participes eumdem accusaverint ; ut notat Ferrier v. *Complice* . Tunc ergo absolvi non potest reus a Confessario, si complices prodere renuat.

Limitat hoc raptim, & uno verbo P. Antoine, si reus sciat complices esse emendatos. Sed haud satis scio, an limitatio hæc sit accurata. An enim abutatur potestate sua Judex, qui exigit, ut reus complices quoscumque habuit, detegat ; an non eos etiamsi jam pœnitentes in aliorum terrorem punire valet ; an non igitur reum ad eosdem detegendos adigere potest ; an si potest, potest reus non respondere ; Ut ut est ; si crimen tale sit, ut ab uno committi potuerit, & desit infamia, vel semiprobatio, aut indicium sufficiens, jam Judex non interrogat judice de sociis extra casus exceptos, prout docet Lex 17. Cod. *De accusation.* ubi sic : *Nemo de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena* ; cui consonat cap. 1. *De Confessis*.

CONCLUSIO IV. Non licet reo falsum accusatori, aut testi crimen imponere, quo testimonium ejus infringat. Potest tamen occultos utriusque defectus propalare, si sic futurum est ut evadat ; alias non potest.

Prob. 1. pars 1. ex censura hujus propositionis, quæ inter proscriptas ab Innocentio XI. est n. 43. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Hujus item, quæ est ordine 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia*; de qua thesi sic an. 1700. censuit generalis Cleri Gallicani Conventus: *Hujus propositionis doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus, & impostoribus portam aperit; & clare detegit, quam nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.*

2. Graviter peccat, qui mentitur in materia gravi, sicut leviter, qui in levi: sed qui falsum crimen imponit testi (aut cuivis detractori) mentitur in materia gravi; cum grave crimen gravis sit materia, ut levis est materia delictum leve: ergo.

Confirm. 1. Ea culpa merito censetur gravis, quæ non veritati solum adversatur, sed & justitiæ, tum legali, tum etiam commutativæ: atqui talis est culpa, qua quis iniquo testi falsum crimen impingit: 1. quidem adversatur justitiæ legali; cum eo mendacio decipiatur Judex in judiciis, quæ ad rectam Reipublicæ administrationem pertinent, & quæ si semel falsorum criminum impositione labefactentur, *quid sunt regna, nisi magna latrocinia*, ait S. Augustinus de Civit. Dei lib. 4. c. eod. Adde, quod Judex hac arte exponatur periculo condemnandi testem, ut reum criminis ab eo non admissi; quod est malum grave; 2. adversatur justitiæ commutativæ, quia lædit jus strictum, quod quisque habet, ne ab aliis falso infametur: ergo.

Confirm. 2. non magis licitum est per calumniosam falsitatem tueri se in judicio, quam per falsos testes, falsave instrumenta: atqui ex dictis hæc graviter illicita sunt: ergo.

Prob. 2. pars. Non peccat, qui utitur jure suo: sed, qui ad labefactandam testis assertionem, occultum ejus crimen propalat, utitur jure suo. Quisque enim jus habet præferendi bonum suum majus, aut æquale bono proximi sui: atqui vita, cujus quis discrimen incurrit, bonum est proximi fama præstantius; ergo potest, ut sibi consulat, eamdem disperdere, seu potius non custodire; sicut potest non servare depositum sibi commissum, qui grave ex ipsius custodia periculum incurrit. Neque is cujus culpam detegis, conqueri potest, quod eum infames; quia culpam admittendo, exposuit se peri-

periculo videndi eam detectam, si quando id exigeret grave alterius commodum. Unde censent plures eum, qui crimen alterius sub fide secreti naturalis commissus est, aut qui illud dolo extorsit, aut per fraudem expiscatus est, posse adhuc idem declarare, ut se tueatur: quomodo, si quis equum furatus esset, posset tamen eo uti in urgente necessitate etiam cum equi interitu.

Dixi, *si futurum est, ut sic evadat*; non enim potest quis objicere testi crimen, quod ad sui defensionem impertinens sit; imo nec crimen, v. g. perjurium anterius, quod etsi sufficit labefactando ejus testimonio, reipsa tamen hic, & nunc sententiam Judicis avertere nequit, sive quia crimen satis probari non potest; sive quia non desunt alii testes idonei, quorum numero, & pondere obrui debeat: qua etiam de causa, qui a decem hominibus impugnatur, ex iis unum occidere nequit; quia est id inutile ad defensionem vitæ suæ, quæ sibi certo ab aliis novem auferenda sit. Quorum omnium hæc est primitiva ratio, quod id tantum nobis liceat, quod defensionis puræ rationem habet, non autem vindictæ: atqui infamare, vel occidere inutiliter, mera est vindicta, non defensio inculpata: cum ea solum defensio inculpata sit, in qua quis non excedit, ac proinde assumit medium efficax, perinde & necessarium: quod, ut patet ex terminis, in præsenti casu non eveniret.

Atque hinc, si reus aliam habeat rationem minus noxiam, qua testis depositionem elevet, hanc arripere tenebitur: cum infamare nequeat, nisi quatenus ad justam sui defensionem est necessarium.

Obj. 1. contra primam partem. Qui vitam suam aliter servare nequit, is, si injustum ejus aggressorem spoliat vita, injustus non est; ergo nec injustus est, qui iniquum vitæ, vel honoris aggressorem spoliat honore, & fama.

R. Neg. conseq. Posito, quod, ut in hypothesi nostra, iniquus aggressor per calumniam fama, & honore spolietur. Jura enim omnia, quæ iniquum vitæ invasorem occidi permittunt; nec permittunt, nec permittere potuerunt, ut quis falsam alii calumniam impingat, quo famam suam, & honorem tueatur.

Inst. Saltem calumnia hæc nonnisi veniale mendacium erit, nihilque includet justitiæ commutativæ adversum. Se enim habet, qui mendaciter famam suam tuetur, sicut qui ope mendacii rem suam recuperat a fure; aut qui pari mendacio efficit, ut in foveam, vel in fluvium cadat; is, a quo jam jam lethali ictu feriendus est: atqui in his casibus solum argui potest veniale peccatum: ergo a pari in primo.

R. Ad 1. neg. ant. & dico calumniam hanc semper esse mendacium grave in judicio, ut patet ex allatis probationibus; & extra judicium etiam graviter adversari justitiæ commutativæ. Unde

Ad 2. neg. min. Præcipua enim, si non tota, deformitas mendacii, quo quis vel rem suam recuperat, vel alienam mortem procurat, ne patiatur propriam, desumitur ex ejus oppositione cum veritate divina, non autem ex læsione juris alieni: alius enim non habet jus, aut retinendi rem meam, aut me spoliandi vita: neque rationabiliter conqueri potest, quod & bonis, & vitæ meæ consulam. Verum longe aliter se res habent in eo, qui, ut calumniam a se propulset, calumniatores falso crimine insimular. Is enim jus strictum habet, ne oneretur crimine, quod non commisit; & licet non servet jus omnimodum ad famam suam; quia infamari potest, qua parte est calumniator; jus tamen habet, ne v. g. traducatur, ut adulter, aut perjurus, cum nec adulterio indulsit, nec pejeravit unquam.

Et

Et vero, etiamsi in aliquo particulari casu liceret gravem, ac certam calumniam calumnia retundere, id tamen censeri deberet universim prohibitum, ob funestos, qui inde prodirent effectus: sicut universim prohibita est fornicatio in quocumque casu, quamvis in aliquo casu rarissimo cessare videatur hujus prohibitionis finis, qui est, ne proles male educetur. Esto enim finis ille in casu particulari cesset, numquam tamen cessat proximum malæ educationis periculum; quia ea in re homines sibi facile blandiuntur, idque se semper volituros putant, quod in æstu libidinis volunt: atqui pariter numquam cessat periculum, ne alius alium perperam calumnietur, si semel stet calumniam calumnia propelli posse. Quisquis enim passionis œstro percitus, sibi finget se gravem passum esse calumniam, cum levem, aut nullam tulerit; se ab hoc, vel illo læsum esse, cum ab alio, & fortassis a nemine læsus fuerit. Interim sycophantabitur quantum volet, rursusque ab aliis eadem via impetetur. *Quid* tunc igitur erunt *regna*, *nisi magna latrocinia*: ergo universim ars, calumniam calumnia retundendi a natura prohiberi debuit.

Obj. 2. contra secundam partem. Pars hæc secunda potissimum intelligitur de teste veridico: atqui non licet occultos testis veridici defectus aperire ad infrigendum ejus testimonium. Non enim licet plectere eum, qui id solum facit, ad quod tenetur: sed testis veridicus id unum facit testificando, ad quod tenetur: ergo.

R. Ad 1. dist. min. Non licet dolose, & gratis aperire occultos testis veridici defectus, C. non licet in casu rarissimo, in quo vitam ea defectuum revelatione servare possimus, N. Itaque non licet homini juste accusato mentiri se innocentem esse; quia esset id Judicem decipere in materia gravi. Rursus non licet occultos testis reserare defectus, quoties reseratio hæc ad nihil profutura sit; sed licitum videtur, cum quis hac via servare sibi vitam potest, ut in casu sequenti. Accusat me Petrus homicidii, quod coram eo solo perpetravi. Ex hac ejus accusatione impendet mihi tortura, & ex tortura dispendium capitis. Regero, quod verum est, & probare possum, Petrum coram me, & aliis duobus perjurii convictum esse; quid in hoc peccati; non lædo Judicem. Non lædo Petrum cujus famam vitæ meæ anteponere possum. Non dico eum mentiri me accusando. Hoc unum dico, eum ex anteriori perjurio excidisse a jure me accusandi. Quis id in pari casu constitutus improbet? si tamen improbandum sit, jam nunc pro revocato habeatur.

Conclusio V. Reo, vel inique, vel contra juris ordinem condemnato licitum est ab inferiori Judice ad superiorem appellare; secus non licet.

Prob. 1. pars: Licet uti remedio, quod jura omnia offerunt: atqui appellatio remedium est, quod omnia jura offerunt ei, qui vel innocens damnatus est, vel tametsi nocens, damnatus est ad pœnam justo graviorem, aut contra ordinem juris. Minor patet, tum ex tit. 28. lib. 2. Decretal. qui est *De appellationibus*, tum ex ipsa S. Pauli agendi ratione, qui Cæsarem appellavit; tum quia nihil juri naturali consentaneum est magis, quam ut quisque se, suaque tueatur, quoties inculpate poterit: ergo.

Prob. 2. pars 1. quia ex Concilio Lateranensi IV. quod refertur cap. 61. *De accusat. Appellationis remedium non* est *ad defensionem iniquitatis*, *sed ad præsidium innocentiæ institutum*; quia appellans a sententia, cujus justitiam prudenter impugnare non potest, facit injuriam tum Judici, tum adversario suo. Judici, quia hunc arguit imperitiæ, vel iniquitatis: adversario, quia rem ejus, & famam quantum est de se, perturbat. Unde,

de, ait Sylvius, damna ex appellatione prodeuntia utrique compensare tenetur. Hinc S. Bernardus L. 3. de Considerat. c. *Iniqua est*, ait, *omnis appellatio*, *ad quam justitiæ inopia non coegit*.

Sed quid, si Judex inferioris sententiam probabilem secutus sit, & speretur futurum, ut superior Judex sententiam sequatur oppositam, haud minus probabilem?

Respondet idem Sylvius appellationem tunc temporis esse licitam: profecto, quia sibi unusquisque in pari boni juris gradu consulere potest. Si tamen res vitis vere gravibus, & peritis omnino dubia videbitur, arbitrarer eam etiam post sententiam superioris Judicis dividendam esse, aut præstandam indemnitatem in id, quod interest. Est tamen veri admodum simile, meam hanc existimationem paucis probatum iri.

Conclusio VI. Potest reus ad mortem condemnatus, fugere, non tamen ad id tenetur.

Prob. 1. pars, quam tenent communiter Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. quia non præsumitur Judex potestatem hanc auferre velle reo; neque eum conjicere in carcerem, ut ibi sponte remaneat. Sic enim ob summam, quæ hominibus a natura inest propensionem ad removendam destructionem sui, exponeretur reus gravi, & inutili inobedientiæ periculo: gravi quidem, quia nemo unus est, qui in pari casu data evadendi facultate non utatur, aut eam dari vehementer non exoptet: inutili vero, quia reus facile aliter detineri potest.

An autem possit Judex reo, quem morti addicit, fugam interdicere, non convenit inter Doctores. Negant multi, & hujusmodi sententiam censent invalidam fore, utpote evidenter iniquam; iniquam autem, ut quæ privet hominem jure, quod, vel ex ipso naturæ instinctu recepit. Contrarium tenent alii cum Sylvio; quia, quem Judex vita privare potest, potest & privare aliquo actu, quo vita conservari possit. Ut ut est, fatentur universi eum, qui voto, juramento, aut speciali promissione sibimet fugiendi jus ademisset, fugere non posse sine peccato. Atque hinc colligit Suarez, Religiosum perpetuo carceri mancipatum, peccare fugiendo; quia, quam Superiori vovit obedientiam, præstare debet in omnibus, quæ sunt secundum regulam.

Dixi, *reus ad mortem condemnatus*; qui enim juste damnatus esset ad carcerem temporarium excommuniori sententia teneretur parere; sicut & is parere tenetur, qui mittitur in exilium, aut cui pecuniaria mulcta imponitur. Quod si carcer perpetuus esse deberet, simulque asper, docent plerique licitum esse sibi consulere fugiendo: idipsum communiter extenditur ad eos, qui triremibus addicti sunt; tum quia triremium labor, & habitatio res sunt durissimæ; tum quia non damnatur reus, ut ibi sponte maneat, sed ut detineatur. Si tamen ad preces rei justa mortis pœna in carcerem perpetuum mutaretur: *non videtur*, ait Sylvius, *quod liceret ei fugere: quia tacite videtur renuntiare juri, quod habere posset ad fugiendum, per hoc, quod peroptat pœnam carceris, loco supplicii mortis*.

Duo hic moventur dubia: primum, an fugere possit is, ex cujus fuga sequitur grave damnum custodi carceris; secundum, an ad fugam possit quis rumpere vincula, & carcerem effringere.

R. ad 1. affirmat. Nemo enim, ut damnum alterius evitet, tenetur renuntiare juri, ei præsertim, quo rem maximi momenti prosequitur: neque vero fugit reus, ut plectatur custos carceris, sed ne plectatur ipse. Hinc Angelus, qui

qui peccare non potuit, eduxit Petrum e carcere, tametsi probabiliter cognoverit, custodes Petri, ob fugam ejus capitali sententia multatum iri. Et certe si, ut nemo ambigit, liceat reo fugere ne capiatur, aut jam capto excutere se a justitiæ ministris, modo eis vim nullam inferat; quidni jam damnato licitum sit evadere si potest, modo nec percutiat, nec inebriet carceris custodem?

R. ad 2. cum Lugo disp. 40. n. 44. regulariter frangi posse vincula, & carcerem ab eo, cui fugere licitum est: quia cui licita est fuga, ei & licitum est removere obices ad fugam. Neque vero is Judici resistere dicendus est, sicut nec diceretur ei resistere, qui damnatus ad bestias, easdem occidere niteretur.

Dixi: *regulariter*; quia censet idem Lugo non licere reo evadere, si ex fuga ejus longe gravius Reipublicæ, aut custodi malum immineat, quam, quod reus vitare intendit. An enim fugere tibi licitum erit, si eadem, quam aperis via fugere debeat vir nequam, qui urbem totam strage, & luctu oppleturus sit? an ut aliquot mensium detentionem evites, fugere poteris, si inde custos subeat periculum capitis, vel totius fortunæ?

Objiciunt 1. graves legibus decerni pœnas contra eos, qui carcerem infringunt; 2. nefas esse justitiæ ministris obniti; 3. non magis licitum esse carceris muros, aut limina dirumpere, quam liceat reo, vel consulere, ut id faciat, vel præbere instrumenta, quibus id exequatur. At hæc solvi possunt.

Ad 1. itaque 1. fieri potuit, ut Magistratus opinionem opinioni nostræ contrariam crediderint probabiliorem; 2. ut hujusmodi pœnas decreverint non ut vindictam veri delicti, sed ut principium terroris, quo coercerentur rei, ne fugerent. Sic percutitur servus in bello captus, cum fugam tentavit, ut dimittat animum fugiendi, licet ex communiori opinione fugere possit; sic cæditur equus, qui cecidit, non ut vere puniatur, sed ne denuo equitem dejiciat. Adde & habitam fuisse rationem malæ intentionis reorum, qui plerumque sic affecti sunt, ut certo vim inferant custodibus, si sic evadere queant: hinc constitutum est tit. *De effractorib.* ff. ut, qui custodum negligentia usi fugerint, mitius puniantur.

Ad 2. Qui vincula, & carceris obices dirumpit, non infert vim justitiæ ministris, quorum personam ne tangit quidem. Hinc nulla usquam hoc in casu incurritur censura, etsi, qui vim infert Ecclesiastico Prælato excommunicationem incurrat. Et vero, quis hominem vivicomburio condemnatum, judicibus vim inferre credat, si ignem extinguere possit? Cœterum, ait Sylvius, sicut levitas materiæ in aliis peccatorum generibus excusat a mortali, sic & in proposito: unde si reus vim exiguam inferat custodi, ut si dormientis manus vinciat, si fugæ obsistentem in terram dejiciat citra læsionis periculum, si inserto ori linteo præcludat vocem, non peccat mortaliter. Aliud esset si oblata pecunia fidem ejus corrumperet, ut sibi per eum liceret fugere; quia esset id gravi custodis peccato cooperari.

Sed, an non, qui ut fugeret, mœnia diruit, de damno sic illato tenetur? Negant aliqui, quia tunc immunis est reus a quacumque culpa theologica. Affirmant alii, & melius cum Lugo ibid. n. 47. quia se habet reus carceris mœnia subvertens, sicut se habet, qui ut vitam a sicario tueatur, alienum equum rapit, quem insigniter fatigat: atqui is licet non peccaverit rapiendo equum alterius, tenetur tamen de damno equi, nisi forte sit absolute pauper; ergo a pari in proposito.

Cir-

Circa tertium, conveniunt Theologi, 1. justitiæ ministros, nec reo fugam consulere, nec eidem, cum fugit, opitulari posse: quia ex officio Judicem adjuvare tenentur, eique, quantum possunt, subservire: unde si secus fecerint, imo si solum dissimulaverint, jam habentur, ut Reipublicæ proditores; 2. nemini licitum esse una cum reo operam dare frangendis compedibus, murisve diruendis: tum quia si privatæ domus parietes effodere illicitum sit, quanto magis publicæ? tum quia quidquid potest reus in hoc casu, id solum potest ad conservationem vitæ: ergo non idem possunt ii, quibus id ad salutis suæ tutelam necessarium non fuerit; 3. & id etiam, ait Lugo n. 55. concedunt omnes, cæteris præter quam justitiæ ministris, licere reo consulere fugam, quoties is licite fugere possit; quia licitum est unicuique id consulere, quod ipse licite exequi potest. Pertinet autem ad consilium, ait idem Cardinalis, ostendere etiam, & instruere de modo, quo facile evadere possit. Hæc tamen difficilia sunt, ut proxime patebit.

An autem reo instrumenta dari possint ad fugam, ut lima, malleus, funes, magis controvertitur. Affirmant Cajetanus, Bannes, Ledesma, Medina, Sylvius, & alii plures, quos sequitur Lugo n. 56. Ratio præcipua eo reducitur: Licet præbere instrumentum ei, qui instrumento hoc uti potest: atqui reus, sive ante, sive post sententiam uti potest instrumento, quo sibi per fugam consulat: ergo. Et vero, si id illicitum esset, utique, quia esset id cooperari fugæ rei: sed, qui dat instrumenta reipsa fugæ rei non cooperatur, vel saltem non cooperatur modo illicito. Sicut, qui dat retia ei, qui solus in alieno stagno piscandi jus habet, etsi per seipsum piscari non potest, ejus tamen actioni, vel remote nimis cooperatur, vel non cooperatur modo illicito: ergo.

Hæc tamen decisio, sicut & præcedens, quæ consilium fugiendi spectat, mihi falsa admodum videtur. 1. quia tam is, qui fugæ consilium, quam qui instrumenta subministrat, facit contra disertam superiorum voluntatem, qui consilii perinde, & instrumentorum artificem pœna proprie dicta plecterent, si certo comperirent. 2. quia falsum est semper consuli posse id, quod quis sine peccato facere potest. Potest enim, quis licite semel tantum in anno confiteri; nec tamen licite potest quis consulere, ut semel tantum in anno confiteatur. Potest latro, & viarum grassator effugere, imo & ad id uti clave adulterina, quam repererit, nec tamen, fatente Lugo n. 58. licet, vel adulterinam ei, aut alii cuilibet clavem præbere, vel ei consulere fugam; quia sic consuleretur aliquid communi bono multopere nocivum: ergo ruente decisionis fundamento, & ipsam decisionem convelli necessum est.

Prob. jam 2. pars sextæ Conclusionis, nimirum, quod reus, etsi fugere possit, haud tamen ad id teneatur. 1. quia ex S. Thoma 2. 2. q. 64. art. 5. ad 2. licet reo se Judici offerre puniendum: ergo a fortiori licet ei non fugere. 2. quia, qui non fugit, non sese necat, sed solum vitam suam non tuetur: atqui potest, quis non tueri vitam, quoties causam habet ad id sufficientem, qualis in præsenti casu multiplex reperitur, ut studium satisfaciendi pro peccatis, aut ædificandi proximos. Atque id an. 1737. summa cum laude fecit Parisiis puella assasinatus particeps, quæ, & ultro crimen confessa est, cum posset inficiari; & hoc unum toto diuturni carceris tempore verita est, ne non suspendio plecteretur.

An reus parere debeat, aut possit Judici præcipienti, ut venam sibi abscindat ad mortem, aut venenum hauriat, expendi supra pag. 426.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De nono Decalogi præcepto.

NOnum, ac decimum præceptum his una serie verbis exprimuntur: *Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.* Atque hinc triplex jam a limine sese offert difficultas: prima, an reipsa duplex hic proponatur præceptum, an unicum dumtaxat; secunda, an non, quod hic prohibetur, satis jam prohibitum esset sexto, ac septimo præcepto, quibus mœchia, & furtum interdicuntur; tertia, an ut hæc verba: *Non mœchaberis*, turpem quemcumque actum vetant, sic & ista: *Non concupisces*, omnem prorsus concupiscentiam vetent.

Quod ad primum attinet, una est pene omnium vox cum Augustino q. 71. in Exod. aliud nono, aliud decimo præcepto prohiberi: 1. enim id indicat Hebraica versio, quæ præcepta hæc distinguit c. 20. Exodi, ubi sic habet: *Non concupisces uxorem proximi tui: & non desiderabis domum proximi tui, non agrum, non servum, &c.* eique mire concinit versio 70. interpretum his verbis: *Non concupisces uxorem proximi tui. Non concupisces domum proximi tui, neque agrum ejus, &c.* 2. quia potest quis alterius uxorem, vel libidinis intuitu desiderare, vel solo lucri, & quæstus studio; ut sieam quasi familiæ suæ regendæ idoneam concupiscat, quo pacto desideratur famulus industrius. Prima desiderii species, quæ libidinem, & voluptates intendit, nono præcepto; secunda autem, quæ lucro potius quam voluptati studet, decimo præcepto prohibetur: hæc, ut ad avaritiam pertinens, illa, ut pertinens ad impudicitiam.

Quod spectat ad secundam difficultatem, constat quidem, & solo naturæ lumine intelligitur, eum, qui pravum aliquod facinus prohibet, simul etiam malam ejus committendi voluntatem prohibere; adeoque *alienæ uxoris potiundæ cupiditatem prohiberi vetito adulterio*; quia, *si concupiscere liceret, fas item esset potiri*; quod a simili dicendum est de furto, & furti cupidine: conveniens nihilominus fuit postrema hæc duo præcepta explicite tradi, 1. quia *plerique ex Judæis peccato obcæcati, in eam opinionem adduci non poterant, ut crederent id a Deo prohibitum esse*, quod apud homines impunitum est. *Imo vero lata, & cognita hac Dei lege, multi, qui se Legis interpretes esse profitebantur, in eo errore versati sunt*, ut nullius peccati reos esse censerent, qui solum peccandi desiderium habuissent; idque animadvertere licet ex his apud Matth. 5. Christi verbis: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Catechis. Roman. *Ibidem n. 4.*

2. Quia nonum, & decimum præceptum quædam distincte, & explicate vetant, quæ sexto, & septimo præcepto explicite non prohibebantur: nam sexto quidem præcepto vetitum est, uxorem proximi concupiscere animo cum ea mœchandi; sed nono præcepto id prohibetur explicatius, & insuper desiderium alienæ uxoris etiam post mariti mortem, aut post divortium Mosaica Lege permissum potiundæ. Judæi enim repudiandarum uxorum facultate abutentes, alii aliorum uxores sollicitabant, ut morositate, aut alia quavis ratione, causam divortii marito præstarent, sicque

soluto matrimonio iisdem potirentur. Pariter quoque *septimum præceptum prohibuit, ne quis injuste concupiscat aliena, aut eripere conetur*; decimum *autem vetat, ne ullo modo quis concupiscat, etsi jure, legeque assequi id possit, ex cujus adeptione proximo damnum importari videat*: qui enim sic affectus est, proximum tanquam seipsum non diligit. Id. n. 5.

3. Quia postrema hæc præcepta summam Dei majestatem impense commendant. Prohibet homo exteriores actus: Dei est solius etiam internos prohibere: *Non concupisces, non desiderabis*: is ille est Dei sermo illius, qui scrutatur corda, & renes, cujusque oculis multo lucidioribus super solem, omnia nuda sunt, & aperta.

Ut explanetur tertia difficultas, præmittendum imprimis, quid, & quotuplex sit concupiscentia.

Concupiscentia generatim sumpta definitur a Catechismo Romano hic n. 10. commotio quædam, ac vis animi, qua impulsi homines, quas non habent, res jucundas appetunt.

Concupiscentia, alia est recta, alia inordinata. Concupiscentia recta, vel spiritualia appetit, vel sensibilia, spiritualia, ut cum *spiritus concupiscit adversus carnem*; sensibilia, ut cum intra rationis limites ea concupiscimus, quæ corpori necessaria sunt, cibum v. g. vel somnum, cum utroque indigemus. Concupiscentia inordinata ea est, quæ in appetitu modum rationis non servat, neque sistit intra fines a Deo constitutos. Gal. 5.

Certum est 1. non omnem sensibilium concupiscentiam postremis duobus Decalogi præceptis prohiberi. Hæc enim non prohibent, nisi quod malum est: non est autem malum, *si cibum, aut si potum appetimus, aut cum frigemus, si calescere, aut contra cum calemus, si frigescere cupimus*. Catech. Rom. n. 11.

Multo minus hic prohiberi dicenda est spiritualis illa rectæ mentis cupiditas, qua ferimur ad superna bona. Ad eam scilicet hortantur nos pluribus in locis Litteræ sacræ, ut Sap. 6. *Concupisce sermones meos*. Eccli. 34. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me*. Psalm. 83. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*.

Certum est 2. involuntarios concupiscentiæ motus, quibus *caro concupiscit adversus spiritum*, non prohiberi hic, ut peccata proprie dicta: alioqui enim noceret concupiscentia non consentientibus, quod & Tridentino Concilio, & rationi perinde adversatur, prout dixi in Tract. de Peccatis par. 1. c. 2. art. 1. sect. 2. Hinc merito proscripta est hæc Baii propositio n. 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto*: *Non concupisces*. Hæc item n. 51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia*. Ea ergo hic reprobatur concupiscentia, cui homo libere consentit, sed non sola; cum simul damnetur carnalis quilibet affectus vere liber. Quod ut intelligatur,

Notand. duplicem secerni carnalem affectum: efficacem alium, alium inefficacem. Affectus efficax, qui & desiderium dicitur, ille est, qui efficaciter quantum est de se, ordinatur ad operis executionem. Affectus inefficax, qui & morosa delectatio nuncupatur, est actus, quo quis sibi voluntarie complacet in malo, absque mali exequendi desiderio. Affectus iste inefficax differt a concupiscentia sumpta pro appetitu: sub ea tamen intelligi solet, ut causa sub effectu; quia morosi affectus desideria mala parere solent. Quoniam vero eorum, quæ ad hanc mate-

riam pertinent, multa jam pertractavimus agendo de Peccatis, hæc leviori calamo transcurremus in præsenti. Sit itaque

Conclusio I. Mortaliter peccat quisquis turpibus concupiscentiæ desideriis consentit.

Prob. Mortaliter peccat, qui Dei legem in materia gravi transgreditur: atqui Dei legem transgreditur in materia gravi, qui turpibus carnis desideriis consentit. Quod transgrediatur Dei legem patet, tum quia præcipit Apostolus Galat. 5. ut *abstineamus a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*; tum quia vetat idem Rom. 6. ne *regnet peccatum in* nostro *mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus*; tum quia ex c. 1. Epist. S. Jacobi: *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*, lethale scilicet, quod per antonomasiam, & proprie vocatur peccatum, ajunt hic Fromondus, & alii non pauci. Jam vero, quod transgressio hæc sit in materia gravi, patet tum ex iis, quæ diximus supra c. 2. art. 8. concl. 2. tum a fortiori ex iis, quæ paulo post dicemus de delectatione morosa.

Idipsum strenue docet, & probat S. Augustinus Lib. de continentia, ubi hæc Christi verba: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes .. hæc sunt, quæ coinquinant hominem*, sic interpretatur: *Nihil est istorum malorum, quæ perpetrari etiam membris corporis possunt, quod cogitatio non antecedat mala, & coinquinet hominem, etiamsi aliquid impediat, ne subsequantur opera flagitiosa, & facinorosa membrorum. Si enim, quia potestas non datur, vacat manus ab hominis interfectione, numquid ideo mundum est a scelere cor homicidæ .. aut si casta est, quam vult adulterare non castus, ideo eam non est in corde mœchatus? aut si meretrix non inveniatur in fornicatione, ideo qui eam quærit, non fornicatur in mente?*

Porro constat apud omnes desiderium speciem suam sumere ab actu exteriori, in quem tendit. Unde si desideres concubitum solutæ, actus tuus habet malitiam fornicationis; si conjugatæ, adulterii; si Deo sacræ, sacrilegii; si personæ sexus tui, sodomiæ; & sic de aliis. Si vero idem desiderium ordinetur ad species luxuriæ imperfectas, earum etiam iniquitatem imbibet, puta mollitiei, tactus, aspectus impudici, &c. si mollitiem, tactusve, aut impudicos amplexus desideres. Unde, qui in Pœnitentiæ tribunali turpia desideria confitetur, statim interrogandus est, quo hæc tenderent, an ad tactus inhonestos, an ad ipsum carnis opus, an ad solutam, consanguineam, Deo sacram, &c. quæ ut magis, & magis explicentur, sit

Conclusio II. Peccat lethaliter, tum is, qui concupiscit alterius uxorem, ut polluendam adulterio, tum & is, qui eam legitimo intercedente matrimonio fruendam exoptat.

Prob. 1. pars, tum ex modo dictis in Conclusione præcedenti; tum quia, qui concubitum uxoris alienæ desiderat, directe transgreditur præceptum istud: *Non concupisces uxorem proximi tui*.

Prob. 2. pars: quia si Judæis vetitum fuerit, ne concupiscerent uxores alienas, quas facilius interveniente divortio ducere poterant; *nunc gravius* erit id *peccatum, cum* in lege Evangelica: *mulierem, etiamsi a viro repudiata sit, alteri in matrimonium ducere non liceat, nisi marito mortuo. Itaque, qui alterius uxorem concupiscit, facile ex una in aliam incidet cupiditatem: aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet*. Ita Catechismus Romanus hic n. 30.

Quod, *si quis mulierem, quæ nupta est, cum eam innuptam esse opinetur, uxorem sibi dari concupiscit; neque si in matrimonium alii collocatam intelligeret,*

ret, eam nuptam sibi dari cuperet, (id quod Pharaoni, & Abimelech contigisse legimus, qui Saram in matrimonio habere concupierunt, cum eam minime nuptam, Abrahæque sororem, non uxorem arbitrarentur) ille certe, qui eo animo est, ejusmodi legem violare non videtur. Idem ibid. n. 32.

Quod de viro alienam uxorem concupiscente dictum est, plus adhuc veri habet in muliere virum mulieris alterius concupiscente. Hæc enim, & fidem matrimonii violaret, & insuper naturæ legem, quæ licet aliquando uni viro permiserit plures diligere, & habere uxores, nusquam tamen permisit mulieri plures habere maritos. Quod si vir alienam uxorem sibi ambiens, nonnumquam eo usque progrediatur, ut ejus marito mortem optet, vel procuret; quanto periculosior erit libido mulieris insano alieni mariti amore captæ? Nihil non molietur, ut voti compos fiat: *Notumque furens, quid fœmina possit.*

CONCLUSIO III. Et ii quoque mortaliter in nonum præceptum delinquunt, qui mulieres, aut aliis viris desponsatas, aut desponsatas virginum sponso, seu susceptione Religiosi veli, seu emissione simplicis voti continentiæ. in uxores expetunt.

Prob. 1. pars; quia qui viro alteri desponsatam concupiscit, vel ea, qua tali frui peroptat, vel saltem pactum ejus cum alio rescindere studet: atqui utrumque nefas est. Primum enim involvit cupidinem fornicationis simplicis cupidine graviorem: secundum vero rescindere studet *sanctissimum fidei fœdus*, ait Catechismus Trident. ibid. n. 31.

Prob. 2. pars; quia si viro alteri desponsatam concupiscere grave sit peccatum, gravius erit eam, quæ vel jam nupsit agno immortali, vel nuptiis ejus se præparat, a thalamo virgines germinanti retrahere velle.

Prob. 3. pars; quia, qui virginem simplici castitatis voto obstrictam, sibi in uxorem concupiscit, vel peroptat ea quatenus tali perfrui, quod sine gemino scelere fieri nequit; vel intendit eamdem sollicitare, ut remissionem voti a summo Pontifice, nulla existente causa legitima obtineat; & id quoque evidenter grave est peccatum.

Quod, si quis graves ob causas inducere aliquam velit, ut voti dispensationem inquirat, ejusque in hac hypothesi matrimonium exoptet; nullius ille peccati reus erit, nisi sperata voluptate tanquam præsenti animam & cor libidinose reficiat.

CONCLUSIO IV. Non modo desiderium rei lethaliter malæ, sed & voluntaria de eadem re delectatio est peccatum mortale.

Prob. tum ex S. Gregorio L. 21. Moral. cap. 2. ubi sic legere est: *Per Moysen luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ luxuria cogitata damnatur*: tum ex iis, quæ fusius diximus in Tract. de Peccatis par. 1. c. 4. art. 2.

CONCLUSIO V. Delectatio morosa speciem sumit, tum ab objecto proximo, circa quod versatur, tum ab ejusdem objecti conditionibus.

Prob. 1. pars. Per objectum proximum hic intelligitur illud genus criminis, quod quis libidinose in animo volvit, & revolvit: atqui delectatio morosa hinc speciem necessario sumit; alioqui non plus peccaret, qui de coitu cum abominabilibus circumstantiis delectatur, quam, qui in simplici coitus cogitatione sibi complacet; non plus, qui copulam sibi repræsentat, quam, qui simplex osculum: quæ profecto absurda sunt: ergo delectatio ex hujusmodi objectis speciem sumit: & ut ab amplexu specie differt coitus, sic & a complacentia in uno differt complacentia in altero.

Hinc male peccata deponunt, qui accusant se generatim, quod tot habuerint cogitationes impuras: sicut enim exprimere tenentur, an ad desiderium usque progressi sint, an autem in mera delectatione steterint; sic & debent exprimere, an delectatio hæc pro objecto habuerit tactum, an copulam, an hanc simpliciter, vel cum pessimis circumstantiis. Et vero, qui tactus, oscula, copulamve exercuit, non satisfaceret Confessionis legibus dicendo simpliciter, se ter, aut quater luxuriæ peccatum commisisse: ergo a pari.

Quapropter, quod dicit Henno: *ex praxi tam Confessariorum, quam pœnitentium auctorizatum esse modum aperiendi delectationes ordinarias in hac materia sine distinctione*; seque *ideo non* obligatum *ad repetendas confessiones pœnitentem, qui illas indiscriminatim fuisset confessus*, prorsus rejiciendum est. Neque enim praxis eorum, qui sanctioribus regulis desunt, efficere potest, ut iisdem regulis deesse licitum sit. Unde cum male instituta confessio, saltem, qua parte male instituta est, repeti debeat, tuto sibi, suisque pœnitentibus providebit Director, qui satager, ut quod incaute omissum est, caute suppleatur.

Prob. 2. pars: Si delectatio morosa non sumeret speciem a conditionibus objecti, cui libidinose immoratur, delectatio de copula soluti cum soluta non pertineret ad speciem fornicationis, de copula cum conjugato ad speciem adulterii, de copula cum Moniali, vel Religioso ad speciem sacrilegii, de copula cum jumento ad speciem bestialitatis; eæ enim sunt objecti conditiones, de quibus disputatur in præsenti: atqui falsum consequens. Prob. min. 1. ex S. Thoma q. 15. de verit. art. 4. ad 8. ubi sic: *Delectatio alicujus operationis, & ipsamet operatio ad idem genus pertinent, sicut & operatio virtutis, & delectatio de eadem ad eamdem virtutem pertinent*, & infra: *Delectatio, quæ consequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ .. secundum genus suum inordinata est inordinatione, qua est inordinata delectatio exterior*, & art. 6. *Delectatio alicujus operationis, & ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur*. Rursusque in 4. dist. 31. q. 2. art. 3. *Secundum Philosophum in 10. Ethic. idem judicium est de delectatione, & opere*. Idem docet S. Antoninus 2. par. tit. 5. c. 1. iisque suffragatur communissima Theologorum opinio, a qua in re tanti momenti, & in qua de valore Sacramenti agitur, sine periculo recedi non potest.

2. Ex eodem S. Thoma art. 8. supra: *Nullus delectatur in aliquo, nisi afficiatur ad illud*: ergo, qui volens delectatur de copula cum Sanctimoniali, afficitur ad illam; atqui hujusmodi affectus necessario habet malitiam sacrilegii. Affectus enim, qui suo modo tendit in objectum totum, totam habet malitiam, quam inducere potest idem objectum: atqui affectus prædictæ copulæ tendit suo modo in totum objectum; nempe in copulam cum tali: aliunde vero objectum inducere potest malitiam sacrilegii: ergo.

Confir. ideo juxta Azor, Henno, & alios, hujusmodi affectus non tenderet in objectum totum, quia, qui morosum hunc affectum habet, non delectatur de conditione personæ, quam econtra liberam esse vellet, non Deo sacram: atqui hæc ratio non valet: 1. quia, qui Monialem concupiscit, plerumque etiam de solo coitu cogitat, non autem de statu personæ, quam liberam esse ardenter expeteret: & is tamen ex Adversariorum confesso sacrilegii mentalis reus est; 2. quia, sicut sacrilegii reus est, qui concupiscendo præscindit a statu personæ, eo quod reipsa concupiscat eam, quæ Deo sacra est, licet non concupiscat, qua talem; ita & sacrilegii reus esse debet, qui suaviter sibi repræsentat, se cum ea misceri, licet abstrahat a statu ejusdem cogitationem.

Ratio

Ratio ulterior est, quod, qui directe amat unum cum alio necessario connexum, connexum istud interpretative, & indirecte amare censeatur.

Prob. 2. quod proximo sacrilegii periculo exponit, in ratione sacrilegii mortiferum esse debet; sicut, quod proximo simpliciter peccandi periculo exponit, mortiferum est in ratione peccati simplicis: atqui delectatio morosa de coitu cum Moniali, exponit proximo sacrilegii periculo. Exponit enim turpi ejusdem desiderio; cum uno tantum gradu desiderium, & cogitatio lubenter nutrita dividantur, ut quotidiana docet experientia: ergo ex hac saltem parte morosa cogitatio induet malitiam conditionis personæ.

Obj. 1. Quod non apprehenditur, ut objectum delectationis, non dat speciem delectationis: atqui conditio personæ non apprehenditur, ut objectum delectationis. Illud enim solummodo apprehenditur, ut objectum delectationis, quod delectationem excitat: atqui copula sola, non autem conditio personæ delectationem excitat: ergo.

R. ad 1. & 2. neg. maj. Actus enim speciem sumit ab eo omni, quod objecto intrinsece adhærere cognoscitur, sive illud ad delectationem excitandam concurrat, sive non. Et vero cogitatio morosa sese habet, ut aspectus interior mentis objectum malum blande contemplantis: ergo sicut, qui exterius turpiter contemplatur personam Deo sacram, sacrilegii reus est, etsi a statu ejus non moveatur, sed abhorreat sæpissime; ita a pari, qui interioribus animi oculis eamdem fœde intuetur, non potest a sacrilegio immunis esse. Sane adversariorum ratiocinatio probaret, eum, qui uxorem alienam concupiscit, abstrahendo, vel etiam dolendo de ejus statu, non esse reum mœchiæ spiritalis: quandoquidem plures sunt, qui fœminam, qua elegantem concupiscant, pauci, qui ament, qua conjugatam.

Obj. 2. Ideo, qui conjugatam concupiscit, reus est adulterii interioris, quia vult executionem peccati, quod nonnisi cum conjugata committi potest: sed, qui sistit in delectatione, non vult executionem operis: ergo.

R. 1. neg. maj. Etsi enim magis reus est, qui ad desiderium usque progreditur, quam qui in sola delectatione hæret, neuter tamen præcise reus est relative ad executionem, quam ambo plerumque sciunt impleri non posse; sed quia uterque suo modo tendit in objectum sibi prohibitum non in genere dumtaxat, sed & in specie; & proinde sub ea omni ratione, quæ eidem objecto inesse cognoscitur.

R. 2. dist. min. Qui sistit in delectatione, non vult in se executionem operis, C. non vult in causa proxima, & graviter periculosa, N. Qui enim morosis cogitationibus cor pascit, mirum est, si diu in iis sistat, nec ad desiderium usque progrediatur: sicut, qui desiderat ardenter id, quo frui facile possit, mirum est, si diu sistat in desideriis.

Hic tria observanda, quæ saltem iis inservire possint, quibus nostra hæc multo tutior conclusio non placuerit, nimirum insigniores ejusdem Adversarios fateri. 1. eum, qui de concubitu cum consanguinea, qua tali delectaretur, teneri necessario circumstantiam hanc confiteri: sicut, inquiunt, necessario declaranda foret circumstantia copulæ sodomiticæ, cum delectatio etiam simplex ab illa non abstrahat. 2. conjugatum, qui delectaretur de cogitatione coitus cum uxore non sua, reum fore adulterii interioris, quatenus violaret fidem in matrimonio datam, qua promisit se mentem, & corpus custoditurum illibata: sicut, inquiunt, Religiosus gaudens de cogitatione copulæ cum Moniali, sacrilegus esset non

ratione objecti, (quod juxta nos falsum est) sed ratione voti, quod ipse emisit; 3. consultum esse exprimere in confessione conditionem personæ, quæ delectationis objectum fuit. Hoc quidem & nos dicimus, verum id ita credimus *consultum* esse, ut arbitremur necessarium.

Conclusio VI. Peccat etiam mortaliter, tum in genere, tum in specie, qui delectatur de opere malo in se, sed inculpabiliter admisso. Unde, quæ delectaretur, quod per vim a Principe conjugato, aut a Ministro in sacris cognita esset, rea foret peccati mortalis. Idem de eo dicendum, qui aliam pro uxore sua inculpate a se cognitam esse gauderet ex post facto.

Prob. quia id solum delectationem excusare potest, quod ipsum opus excusat: ergo cum delectationi deest causa excusans, quæ adfuit actioni, delectatio non minus in genere suo peccaminosa est, quam fuisset actio sine eadem causa excusante: jam vero actio citra causam excusantem, vim scilicet, vel ignorantiam perpetrata, fuisset peccatum mortale: ergo, & delectatio de eadem, seclusis hujusmodi causis, quæ quantum ad consensum attinet, semper desunt, erit peccatum mortale. Et illud quidem peccatum ejusdem erit speciei, ac ipsum opus; quia ex dictis post S. Thomam, *Delectatio operationis, & ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur*.

Prob. 2. Si liceret de actione solum materialiter mala delectari, liceret filio lætari de parricidio a se in ebrietate perpetrato: atqui tamen id prorsus illicitum est. Damnata enim fuit ab Innocent. XI. hæc propositio n. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*.

Obj. Non magis delectatio de opere pravo cogitato est peccatum, quam delectatio de cogitatione operis pravi: atqui delectatio de cogitatione operis pravi non est peccatum; prout ipsi fatebamur in Tract. de Peccatis, part. 2. cap. 4. art. 2. ergo.

R. neg. maj. Delectatio enim de cogitatione fornicationis, *quandoque est venialis tantum, puta cum aliquis inutiliter*, non tamen libidinose *cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare*, prout docet S.Th. 1. 2. q. 74. art. 8. Verum longe aliter se res habet, cum delectatio est de ipso opere malo: tunc enim opus malum placet in se, & in se approbatur: gaudes quidem, quod inculpate feceris, sed tamen gaudes, quod feceris: ergo similis es filio, qui lætatur, quod inculpate patrem interfecerit; & is tamen lætando peccat, ut patet ex propositione modo relata.

Instab. Atqui reipsa non peccat filius, qui lætatur de morte patris in casu proposito: ergo nulla solutio.

Prob. subsumptum. Tam potest filius de morte patris non quidem simpliciter, sed ut inculpata, & sibi bona gaudere, quam possit quilibet alius velle malum alteri, non ut illi malum, sed ut bonum sibi, vel aliis: atqui potest quilibet velle malum alteri, non ut ipsi malum, sed ut bonum sibi. Prob. min. quia potest quilibet Deum precari cum Ecclesia: *Ut Gentes Paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ ejus potentia conterantur*. Potest & optare, ut Turcæ, Hæretici, & Reipublicæ hostes dispereant &c. Hinc S. Gregorius lib. 22. Moral. c. 11. *Evenire plerumque solet, ut non omissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus ejus gloria, sine invidiæ culpa contristet; cum & ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerosque injuste opprimi formidamus*: quæ verba refert, & approbat S. Thomas 2. 2. q. 57. art. 2.

R. ad

R. ad 1. neg. subs. ad 2. dist. min. Potest quis velle malum alteri, ut bonum sibi, vel aliis, ut bonum, inquam, ordinis superioris, & præponderans, quo sensu loquuntur textus objecti, C. secus, N. Itaque optari potest sub Dei beneplacito malum proximi, 1. propter ejus correctionem; 2. in quantum temporalis ejus prosperitas est in detrimentum alicujus multitudinis; 3. ad servandum ordinem divinæ justitiæ, juxta id Psalmi: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam*; ita S. Thomas, ex cujus principiis colligit Viva in Examine propositionis supra citatæ, licitum esse optare mortem Turcis, aliisque Reipublicæ, aut Ecclesiæ hostibus, ne Respublica, aut Ecclesia opprimatur, & Dei cultus, ac sanctiora quæque conculcentur. Sic etiam, ait idem, si filia delectaretur de morte patris, quia jam non vexabitur ab eo, ut sese prostituat, excusari posset ob bonum finem, qui patris vitæ longe præponderat; demum sic excusantur a pluribus, qui de nocturna illusione propter salutem spiritualem, aut temporalem gaudent: sed quidquid sit de iis, de quibus alibi passim diximus, constat pinguem, quam filius ex morte patris capit hæreditatem, non esse bonum vita paterna præstantius. Constat iterum, eum qui de opere turpi inculpabiliter patrato gaudet, ex nulla pari circumstantia excusari posse: ergo, & constare debet eos gravis culpæ conscios fieri.

Quæres, qua ratione discerni possit, an quis delectatus sit de re ipsa mala, an solum de cognitione ejus.

R. id discerni facile non posse, quia frequenter mentitur hic iniquitas sibi. Ut plurimum tamen spectari debet occasio, quæ delectationem peperit. Si quis enim ex occasione studii, vel confessionum, quas excepit, prava animo cogitet, & revolvat, in dubio præsumendum est delectationem ejus versatam esse circa cognitionem, non circa objectum cogitatum. Contra vero, si nata sit delectatio ex occasione prava, puta ex inanibus colloquiis, vanis lectionibus, liberiori aspectu objecti allicientis, timendum saltem iis, qui parum sibi invigilant, ne delectatio sit de objecto ipso.

Eadem methodus servari debet erga eos, qui non de rebus ipsis, sed de artificio, quo factæ sunt, aut compositæ, sese delectari contendunt. Etsi enim potest, quis furtum non approbando delectari de industria, qua fur solers, & expeditus crumenam abscidit, plerumque tamen in luxuriæ materia contingit, ut quem res ipsæ tangunt, solo se artificio moveri existimet. Et id multo magis erit probabile in iis, qui res pias, pios v. g. versus, etsi e felici vena prodeuntes, & poeticis salibus aspersos fastidiet, tantumque, aut saltem multo lubentius iis immorabitur, qui obscœna tractant.

Cœterum non raro evenit, ut delectatio de cogitatione, viam præparet delectationi de re ipsa: & id præcipue locum habet in rebus venereis, quæ cor, nisi *omni custodia* servetur, sensim inclinant, & alliciunt. Ubi primum ergo sentit quis se a delectatione licita ad illicitam quasi furtim avolare, necessum est, ut mentem erigat sursum; & eum supplex deprecetur, in quo solo ignea nequissimi tela extinguere datum est: quod opportune, & importune repetendum esse arbitramur.

Sed quid, si dubitet quis, an de objecto ipso, an de sola objecti cognitione delectatus sit.

R. si quid in ambiguis hujusmodi casibus discerni potest, expendendum 1. an reflexerit quis, se venerea ipsa delectatione titillari. Si enim erraticæ imaginationis impetu mens ab objecto in objectum rapta sit per modum distractionis, deficiente libero consensu in objectum turpe, deficiet, & pec-

catum; tametsi sæpe diu perduraverit cogitatio, nec de ea monitus quis fuerit, nisi per rebellionem carnis; 2. ubi animadversum est loco cogitationis utilis, aut necessariæ ingruere tentationem, videndum, an eam repellere nisus fuerit, & quo conatu. Si oraverit, piæ lectioni vacaverit, alio mentem converterit, seu cum aliis colloquendo, seu exterius, quid peragendo, ut cogitationem cogitatione propulsaret, haud præsumi debet consensisse. Sin autem segnius se gesserit, verendum, ne consenserit saltem imperfecte; eritque eo gravior suspicio peccati, quo diutius post reflexionem permanserit in hujusmodi cogitatione. Sibi utique provide consulunt, qui id S. Hieronymi in Epistola ad Demetriadem sequuntur: *Si in cogitationes tuas coluber ascenderit, omni custodia serva cor tuum.: incentiva vitiorum in mente jugules, & parvulos Babylonis allide ad petram, in qua serpentis vestigia non reperiuntur.*

Cœterum ex bono, vel inordinato statu eorum, qui pravis cogitationibus quatiuntur, dijudicari solet, an consenserint, necne, prout dixi agendo de Peccatis cit. art. ubi etiam probatum est consensum negative præstitum pravis concupiscentiæ motibus, ad gravem noxam sufficere.

Quæres, an omnibus omnino illicita sit delectatio de re venerea. Difficultas esse potest, tum de solutis, qui de amplectendo matrimonii statu cogitant, tum de desponsatis, qui propius ad idem sese disponunt, tum de conjugibus, sive præsente, seu absente comparte, tum de viduis. Pro responsione sit

CONCLUSIO VII. Peccant lethaliter soluti, qui de copula post matrimonium habenda libidinose delectantur. Idem de sponsis, & viduis dicendum.

Prob. 1. pars. Qui de objecto turpi simul, & prohibito delectantur, graviter peccant, prout toties diximus: sed, qui de copula post matrimonium habenda libidinose hic, & nunc delectantur, delectantur de objecto non solum turpi, sed, & hic, & nunc sibi prohibito. Delectantur enim de objecto, quod apprehendunt ut præsens, & actu delectabile: atqui objectum illud, quod est ipse coitus, iisdem actu severe prohibitum est: ergo cum de eodem delectantur, delectantur de re turpi simul, & graviter sibi, hic, & nunc prohibita.

Dices: Hujusmodi personæ solum delectantur, quod copulam habituri sint, cum hæc sibi per matrimonium licita erit: atqui nulla est in delectatione hac inordinatio: ergo.

R. data maj. neg. min. Hæc enim delectatio duo necessario importat, 1. repræsentationem coitus suo tempore futuri; 2. gaudium actu ex hujusmodi repræsentatione profluens: atqui neutrum vacat a peccato; est enim & hæc ræpresentatio turpissima, & maxime præsens, sicut & delectatio venerea, quæ ex eadem percipitur.

Si quis tamen futuram copulam apprehenderet sub ratione honesta, puta ut medium, quo, juvante Deo a variis tentationibus liberabitur, delectatio ejus utpote ab honesto motivo specificata, redargui non posset; verum, ut bene notat Henno, ad vitandum peccati periculum, delectatio hæc esse debet quodammodo spiritualis, seu a carne, & materia sensibili quadantenus avulsa; ad quod necessum est, ut matrimonii bonum confuso admodum, & generali intuitu percipiatur, non autem distincto, & distincte reflexo.

Prob. 2. pars; quia non plus licet sponsis in hac materia, quam aliis quibuslibet: ergo non magis, quam alii delectari possunt de re, quam sibi, hic, & nunc exercere nefas fuerit.

Prob.

Prob. 3. pars; quia se habent vidui ad actum matrimonii olim exercitum, sicut sponsi ad eumdem, ut aliquando exercendum: ergo sicut his, sic & illis prohibita est venerea quæcumque delectatio.

Possunt tamen gaudere vidui, quod ex matrimonio prolem susceperint bene institutam, & senectutis suæ solatium: sicut & qui de matrimonio cogitant, in spe hujusmodi prolis exultare possunt. Verum ideo utrique tunc a peccato immunes sunt, quia non apprehendunt copulam prout sensibus delectabilem, imo vix de ea cogitant.

CONCLUSIO VIII. Conjugatus, qui in compartis absentia veneree delectatur de copula habita, aut habenda, moraliter loquendo peccat mortaliter. Ita Sylvester, Navarrus, Azor, Vasquez, Layman, Henno, P. Antoine, aliique vulgo graviores.

Prob. 1. Delectatio utpote gravem spirituum genitalium commotionem inducens, toties est mortale peccatum, quoties deest causa ab eodem peccato excusans: atqui semper deest causa a gravi peccato excusans, cum conjux in absentia compartis delectationi venereæ indulget. Sola enim, quæ hic excuset causa, est ordo, quem habet delectatio ad copulam, & quo sublato jam ea ad mollitiem ordinatur: atqui delectatio, quam quis in se excitat in absentia compartis, nec habet, nec habere potest, hic, & nunc ordinem ad copulam, cum hæc, hic, & nunc sit impossibilis: ergo non potest a gravi peccato excusari.

Confirm. ideo juxta Casuistas etiam indulgentiores, quales sunt Diana, Gobat, aliique, qui contra Sanchem sentiunt, ideo, inquam, peccat mortaliter conjux, qui in absentia compartis veneream ex proprii corporis contactu delectationem percipit, quia hujusmodi contactus in homine, qui solus est, nonnisi ad mollitiem referri potest: atqui luce meridiana clarius est, delectationem, quæ in absentia compartis libidinose captatur, nonnisi ad mollitiem referri posse; cum neque referri valeat ad matrimonii finem, neque ad ejus usum: ergo.

Prob. 2. quia spectrum uxoris absentis, quod maritus animo gerit, non magis est uxor ejus, quam quodvis aliud ejusdem uxoris simulacrum ex marmore, aut ligno: ergo sicut in marmoreo simulacro turpem hanc voluptatem quærere non posset, sic nec eam quærere potest in idolo, seu spectro, quod in cogitationis suæ officina sibi fabricavit.

Prob. 3. quia funditus pervertere naturæ ordinem in iis rebus, quæ ad humanæ speciei propagationem institutæ sunt, gravis est deordinatio: sed qui veneream voluptatem extra ipsum matrimonii actum præsentem, aut proxime secuturum quærit; pervertit ordinem naturæ in rebus ad humanæ speciei propagationem institutis; cum natura veneream voluptatem constituerit pro actu quatenus ad generationem refertur, non autem quatenus præteritus est, aut diu post futurus: ergo. Ita fere Comitolus lib. 1. q. 134.

Dixi: *moraliter loquendo*, ob varias, quæ hic fingi possunt hypotheses, & quas post Sylvium paucis retuli in Tract. de Peccatis, part. 1. c. 4. art. 2.

Obj. 1. Delectatio de actu licito non potest esse peccatum: atqui prædicta conjugati delectatio est de actu licito; est enim de copula, vel habita, vel habenda, quæ quatenus talis, est licita: ergo.

R. 1. sic excusari posse veneream commotionem, quam percipiunt soluti ex futuro coitu, vidui autem ex præterito; utrique enim delectantur de re pro tempore licita: & tamen delectatio hæc grave est peccatum ex tutiori, & multo probabiliori sententia.

R. 2.

R. 2. transeat major: delectatio enim de actu etiam licito, est peccatum levius, aut gravius, prout plus, vel minus sistit intra debitos fines. Interim neg. min. delectatio enim conjugati absentis oritur ex actuali repraesentatione actus, quem etsi licite olim exercuit, aut exerciturus est, reipsa tamen hic, & nunc exercere nequit: atqui delectatio a tali repraesentatione orta, cum deliberata sit, & morosa, gravem importat culpam; quia gravem importat genitalium spirituum commotionem, quae de se ad mollitiem tendit in iis, in quibus ad matrimonii usum tendere non potest.

Inst. Commotio illa indifferens est ad pollutionem, & copulam: ergo potest a conjugato ad copulam referri, non ad pollutionem.

R. neg. ant. Non enim ad copulam indifferens est id, quod ad copulam determinari nequit: atqui praedicta commotio in absente non potest ad copulam determinari; sicut nec tactus, quos in se solo exerceret, cum distat a conjuge: ergo.

Obj. 2. Si res ita sit, graviter peccat maritus, qui uxore etiam praesente veneree delectatur, cum ea conjugaliter uti vel non vult, vel non potest, sive ob gravem ejus morbum, sive quia sororem ejus cognoverit: atqui falsum consequens ex communiori Theologorum sensu: ergo.

R. idem de venerea delectatione, quam in iis casibus percipiunt conjuges, dicendum esse, quod supra diximus de tactibus, & osculis ad usum matrimonii non ordinatis; quae, qui mortalia esse contendunt, dure quidem, sed non incongrue loquuntur. Quibus autem displicuerit haec opinio, ii delectationem in praesentia compartis extra matrimonii usum, & desiderium captatam, iisdem excusabunt rationibus, quibus praedictos tactus excusant. Supra p. 512.

Juvat hic annotare, quod alibi exciderat, damnatam esse a Guidone de Seve Episcopo Atrebatensi hanc Tabernae propositionem n. 9. *Si actus conjugalis sit conjugibus illicitus ob aliquam circumstantiam extrinsecam*, v.g. *ob morbum, periculum abortus, &c. non ideo erunt illis illiciti alii actus venerei secluso semper periculo pollutionis; idemque dicendum in casu impotentiae supervenientis matrimonio*. Quam ille thesim proscripsit, ut *falsam, piarum aurium offensivam, & impudicitiae faventem*.

CAPUT SEPTIMUM.

De ultimo Decalogi praecepto.

TRia hic expendemus, 1. quid vetet Deus his verbis: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, &c.* 2. quid iisdem verbis praecipiat; 3. an, qui rapide, & quasi momentanee peccat contra Decalogi praecepta, fiat illico damnationi aeternae obnoxius. Sit

Conclusio I. Vetat decimum praeceptum, ne alienum bonum appetatur, seu, ut injuste possidendum, seu, ut possidendum cum damno, & incommodo proximi.

Prob. quia cum non prohibeat Deus, ne alienam rem, cum necessaria sit, appetamus, ut possidendam justo emptionis, aut donationis titulo, superest ut vetet, ne eam appetamus, ut possidendam, vel injuste, vel si non injuste prorsus, saltem cum proximi detrimento. Hinc toties reprobata in Scripturis alieni boni cupiditas. *Nemo vestrum*, ait S. Petrus Ep. 1. c. 4. *patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor*.

Et

Et Apostolus I. Thessal. 4. *Nullius*, inquit, *aliquid desideretis*, rursusque Philipp. 2. *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum*. Quare vero, quia, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*.

Hinc rei sunt contra decimum præceptum, 1. qui sic dipositi sunt, ut in venditionibus, emptionibus, ac permutationibus, ætate, vel simplicitate proximi abuti velint; 2. qui debita sua ad rigorem juris exigunt, aut exigere differunt, donec eo creverint, ut jam solvi nequeant, nisi vendita domo, cui inhiabat creditor; 3. *qui læsionibus non honestis delectantur*, *aut qui ludis* etiam licitis *immoderate abutuntur* lucri gratia; 4. *qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt, atque id ægre ferunt, ut alii præter ipsos sint, qui vendant, aut emant, quo carius vendere, aut vilius emere ipsi possint*; 5. *qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo ipsi lucrentur*; 6. *qui bellum expetunt, ut furari ipsis liceat*; 7. *qui morbos desiderant*, ut medendo lucrentur, aut ægrorum mortem, ut ex eorum sepultura quæstum faciant; 8. *qui causarum, litiumque vim copiamque concupiscunt*; 9. *in hoc* etiam *genere graviter ii peccant, qui alienæ laudis, gloriæque avidi, atque appetentes sunt, non sine aliqua famæ alterius obtrectatione*; 10. qui servos, ancillas, mercenarios, aliosve, qui, vel mercede conducti, vel amore observantiaque impulsi, aliis operam præstant, verbis, spe, pollicitationibus, aut præmiis corrumpunt, ut eos deserant, quibus se addixerunt. Et tunc, ait Catechismus Trident. hic num. 25. *Si ante id tempus, qui se in illorum famulatu fore promiserant; ab illis recesserint, hujus præcepti auctoritate admonendi sunt, ut ad eos ipsos omnino revertantur*. Catechis. Tride. 37.

Hic quædam notanda, 1. eum, qui tantum alii subripere optat, quantum de facto oblatum sufficeret ad mortale, rem esse lethalis peccati. Idem de eo dicendum, qui alterius domum, aut vites demoliri vellet; 2. malæ hujus intentionis objectum, & motivum in confessione aperiendum esse; objectum quidem, quia qui bona Ecclesiæ inhiat, reus est sacrilegii: motivum vero, quia qui ex invidia, aut odio perniciem alterius appetit, peccatum peccato cumulat.

CONCLUSIO II. Præcipit eodem mandato Deus, ut esse velimus, non quales esse suadet concupiscentia, sed quales non esse vult Deus.

Prob. quia singula Decalogi præcepta id commune habent, ut unum vetando, aliud præcipiant oppositum: atqui nihil est alieni boni concupiscentiæ oppositum magis, quam plena voluntatis nostræ cum divina consensio, vi cujus eum præ cæteris statum diligamus, & lubenter amplectamur, in quo nos Deus esse voluerit, adeo ut lubenter erumpamus in hæc verba S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*; aut saltem exclamemus cum Sapiente Eccli. 23. *Domine Deus, & Pater vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium averte a me. Aufer a me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ, ne apprehendant me, & animæ irreverenti, & infrunitæ ne tradas me*.

His porro mediis pravam quamcumque concupiscentiam in cordibus fidelium sopire, & imminuere conabuntur Pastores. Ostendent 1. divitiarum cupidinem esse saluti admodum perniciosam, juxta citatum id supra Apostoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, &c.

Et

Et vero *Si amaveris illas* (divitias) ait Augustinus Serm. 123. *peribis cum illis*. Hinc Psaltes Psalm. 61. v. 12. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Unde id vero? quia divitiæ vanitatis sensum inspirant, & sic spiritum Dei vel arcent, vel extinguunt penitus. *Alii sunt*, ait Marci 4. Salvator, *qui in spinis seminantur, hi sunt, qui verbum audiunt, & ærumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur*. Hinc illud Scripturæ anathema adversus inexhaustam habendi sitim: *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?*

2. Eo lugendam magis esse hanc bonorum cupidinem, quo inutilior sit, secundum idem Apostoli, *Incidunt in*... *desideria multa inutilia*: quia, ut in spiritualibus, sic & in temporaneis indubium est illud ejusdem S. Pauli: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor. 3. Utique *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*, Ps. 126. Hanc hominis terrena sitientis inanitatem graphice descripsit Rex Propheta Ps. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*.

3. Hinc consequenter fieri, ut reipsa infelices sint, quos cruciat auri sacra fames; cum econtra beati sint, qui ex Apostolo didicerunt alimentis, & quibus tegantur contenti esse. Nempe vero dives est, qui plura habet bona, quam quibus indigeat; inops vero, qui minus habet, quam velit; abundantia enim divitem, defectus pauperem facit. Porro, qui suis contentus, non cupit aliena, habet illud omne, quod cupit; qui vero appetit aliena, ei deest quidquid habere vellet, & non habet.

4. Ex nimia terrestrium aviditate nasci sollicitudinem temporalium a Christo severe prohibitam his verbis Matth. 6. v. 25. *Dico vobis: Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini*, & infra: *Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua*; id est anxietas eidem annexa, quæque ei in procurandis rebus necessariis debetur; & quam anticipatis futuræ diei molestiis augere durum est æque, ac superfluum. Etsi enim, qui jussit hominem in sudore vultus sui vesci pane, quique inutilem servum in tenebras exteriores projici voluit, nec laborem, nec diligentiam reprobare intenderit; at eam indubie proscripsit anxiam sollicitudinem, qua animus varias in partes distractus, vexat se, & angit, semperque formidat, ne sibi desint necessaria; & ita suæ fidit industriæ, ut totum a se, nihil a Deo expectet. Hæc autem inquieta sollicitudo pravæ temporalium concupiscentiæ nexu indivulso cohæret. Huc referri possunt media, quæ contra avaritiam proposuimus in Tractatu de Peccatis.

Quod attinet ad tertiam quæstionem jam ab initio propositam, senserunt Elcesæi, seu Elchesaitæ, eos, qui solo mortis metu, & cum repugnantia fidem abnegabant, nec mortaliter peccare, nec damnationem mereri æternam. Ulterius progressi Calvinistæ negarunt habitualem gratiam deperdi a fidelibus; qui sanctissimas quasque Decalogi leges violarent per adulteria, homicidia, aliaque id genus. Utrumque errorem, sed ex parte solum renovavit ann. 1686. Bourdaillius Doctor Parisiensis in Libro cui titulus: *Theologie morale de S. Augustin*, ubi hæc scribit p. 582. I. *Pleraque peccata, de quibus ait Apostolus, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, & quæ expresse adversantur præceptis Decalogi, mortalia dici possunt.. quoniam.. horum*

faci

facinorum rei, aut amisere omnem charitatis sensum, aut exiguum retinent, ita ut ipsis omnino dominetur cupiditas. II. *Id tamen intelligi posset adhibito eo temperamento, ut qui plane repugnantes, ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita, ut ab istis angustiis liberati acri dolore tangerentur ob commissum peccatum, tam certo affirmari non potest, illos excidisse gratia, aut incurrisse pœnam damnationis; quamquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis, & transitoria potuit esse ejusmodi dominatio, qua voluntatis intima dispositio non mutatur .... hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina Sancti Augustini.* Hæc ille, qui, ut amici sui Jansenistæ, a quibus prædictus Liber non sine encomio approbatus est *, in Augustino deteriora quæque invenire noverat. Sit jam

CONCL. III. Quisquis etiam transitorie, modo deliberate, aliquod Decalogi præceptum in materia gravi transgreditur, vel eorum quidpiam agit, de quibus dictum est, quod, *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, peccat mortaliter.

Prob. 1. ex censura, quam ann. 1700. adversus præcitatas Bourdaillii propositiones tulit Clerus Gallicanus his verbis num. 28. *Hæ propositiones, quæ divinæ charitatis habitum docent, aut significant posse consistere cum peccatis adversus Decalogum, ac de quibus ait Apostolus, quod, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, falsæ sunt, perniciosæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ: Quæ enim* participatio justitiæ cum iniquitate ... aut, quæ conventio Christi ad Belial? *ad excusanda, & imminuenda cujusvis generis peccata viam aperiunt, & imponunt sancto Augustino.*

Prob. 2. ex Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, nisi scilicet sincere resipuerit; quæ propositio, cum sit indefinita, æquivalet universali, eamdemque habet extensionem, ac propositio versus præcedentis, sic generaliter expressa: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: atqui stante Bourdaillii systemate, non omnis, qui Christum negasset, ab eodem negari mereretur. Eos enim solum negat Christus, qui a justitiæ gratia exciderunt: atqui non omnes, qui negarent Christum, exciderent a gratia; quandoquidem eam servarent, qui raptim, & ex metu idolis litarent: ergo.

Confirm. Mortaliter peccavit S. Petrus, quando Christum negavit: atqui tamen eum nonnisi ex metu, & ad modicissimum tempus negavit; cum pene statim egressus foras, crimen suum amare defleverit: ergo.

Prob. 3. quia nemini mortalium licet ea, quæ in Scripturis generaliter, & indistincte prolata sunt, fictitiis interpretationibus, & glossis restringere: atqui tamen hujus se criminis reos faciunt, qui impium Bourdaillii systema sequuntur. Dicit enim simpliciter Scriptura: *Non habebis deos alienos coram me. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Non mœchaberis*: nullibi vero dicit: Non habebis deos alienos *habitualiter*, non pejerabis *habitualiter*, non mœchaberis *habitualiter*, ut quid ergo suam hanc *habitus* glossam alligat hic Bourdaillius? Hanc utique ignoravere S. Cyprianus, totque cum eo piæ memoriæ Antistites, qui Christianos, etsi obiter, & ex gravi persecutionis metu idololatras, gravis lapsus reos constanter judicarunt. Ita, & multo pluribus Arnaldus in gemina

ad

* Moralem S. Augustini Theologiam approbaverunt uterque Le Feron, Hideux SS. Innocentium Pastor, Blanpignon Parochus S. Mederici, & alii quidam quorum approbationes videris præfixas alteri ejusdem Bourdaillii Libro, cui titulus: *Théologie morale de l'Evangile.* Extat inter Arnaldi Epistolas T. 5. pag. 167. Epistola citati Hideux, in qua de Bourdeillio conqueritur, quasi qui contra datam fidem, prædictas propositiones non emendaverit. Erat D. Bourdaille Eleemosynarius Rupellensis, & Generalis Vicarius.

ad unum e Bourdaillii approbatoribus Epistola; quam tamen, mirum dictu, acer ille laxitatum moralium debellator, publici juris non fecit *.

Obj. Ea solum cupiditas charitatem perimit, quæ fundum cordis, ut ita loquar, immutat: atqui cupiditas mere momentanea, & cui homo cedit quasi invitus, fundum cordis non immutat. Tunc enim manet fundus cordis idem, qui ante, quando homo *in fundamento habet Christum*, eique omnia terrena dominanter postponit: atqui quando quis momentanee, & quasi invitus cedit cupiditati, non desinit Christum habere in fundamento, eique dominanter omnia terrena postponit. Major, & minor sunt S. Augustini Lib. 21. de Civ. Dei, cap. 26.

R. ad 1. & 2. neg. min. Ideo enim censet Bourdaillius, hominem, qui libidini violentæ, aut mortis metui cedit, dominanter omnia postponere Christo, quia cum paulo post criminis sui pœnitet: atqui pœnitentia hæc, quæ vix ipsi Judæ proditori defuit, non est efficax indicium justitiæ dominantis. Cum horror, ac detestatio quædam perpetrati criminis statim oriri possint, & plerumque, vel in ipsis gentibus oriantur ex causis mere naturalibus, aut quæ justitiæ dominantis præsentiam non indicant. Quoti enim grande aliquod a se admissum facinus detestantur, ob infamiam, quam inde timent? quoti solo æternæ pœnæ metu? quoti sic delectando affecti sunt, ut reccurrente eadem causa, idem, quod actu odisse videntur, certissime repetituri sint? ergo ex repentina detestatione criminis, quæ idem e vestigio sequitur, colligi non potest habitualis justitiæ perseverantia.

Quod additur, Augustinum in his, qui rapide cadunt agnovisse dominantem justitiæ statum, rideri meretur, non confutari. Contrarium enim ubique tradit S. Doctor: sic, ut olim ostendimus agendo de delectatione morosa, pro certo statuit Augustinus, quod, qui tenet, & volvit cogitationes, *quæ statim* (nota bene) *ut attigerunt animum, respui debuerant .. totus damnabitur, nisi hæc per Mediatoris gratiam remittatur*, Lib. 12. de Trin. c. 12. Sic & in eo ipso loco, quem citavit Bourdaillius, hæc ipsissimis verbis habentur: *Quisquis sic habet in corde Christum, ut ei terrena, & temporalia non præponat, fundamentum habet Christum. Si autem præponit, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus*; & iterum: *Si salutaria præcepta contemnendo, committat illicita, Christum postposuisse convincitur... dum contra imperata .. suam per flagitia delegit explere libidinem .. & ideo non per ignem salvus erit, sed salvus non erit: quia esse cum Salvatore non poterit, qui de hac re apertissime loquens, ait:* Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus, &c. Unde sic: Quisquis pro fundamento Christum non habet, *salvus non erit* ex S. Augustino: atqui ex eodem S. Doctore, quisquis salutaria præcepta contemnendo committit illicita, jam non habet Christum pro fundamento; idemque de eo est, qui contra imperata suam per flagitia libidinem explere mavult, quam Christum sequi: ergo quisquis illicita committit, & suam implet libidinem, salvus non erit. Jam vero, qui passione, vel tormentorum metu devictus, idolis immolat, aut fornicationi consentit, illicita committit, suamque per flagitia libidinem explet; vitamque plus amat, quam Christum; ergo impossibile est, ut in hoc statu salvus sit.

TRA-

* Obiit Antonius Arnaldus die Augusti 8. ann. 1694. Scriptæ sunt binæ ejus Litteræ ad Ph. Feron sub finem ann. 1687. prodierunt demum accurante Quenello ann. 1700. cum generalibus Cleri Comitiis denuntiatus est Bourdaillii Liber. Extant eæ Litteræ Tom. 5. Epistolarum Arnaldi p. 135.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.



ONSTAT ex iis, quæ passim, præcipue vero in Tractatu de Legibus disputata sunt, esse in Ecclesia potestatem condendi leges, quæ conscientiam ligent. Etsi porro potestatem hanc in multis exercuit eadem Ecclesia, quinque tamen aut sex ejusdem præcepta potissimum celebrantur, quia nimirum ad Fideles universos moraliter pertinent: ea porro versibus hisce comprehendi possunt.

Festa coles, præsens sacro; jejunia serves;
Annua sit saltem scelerum confessio; Paschæ
Tempore percipies Christi venerabile Corpus.
Pastori decimas fide persolvere cura.

De his seorsim dicendum; sic tamen, ut quæ, vel a Tournelyo, vel a nobis jam alibi discussa sunt, paucis revocare sufficiat.

CAPUT PRIMUM.

De primo Ecclesiæ præcepto.

CIrca Præceptum de colendis Festis, quatuor præsertim expendi solent, 1. an Ecclesia Festos dies instituere possit, etiam in honorem Sanctorum; 2. quæ præcipuæ sint in Ecclesia Catholica festivitates, & an ab antiquo institutæ; 3. an melius sit officia Ecclesiastica latino idiomate persolvi; 4. an positis rebus, ut misere se habent, satius sit numerum Festorum minui, quam augeri.

ARTICULUS PRIMUS.

An Ecclesia Festa instituere possit.

QUoniam ex potestate condendi leges, quam a Sponso suo recepit Ecclesia, non statim sequitur eidem esse licitum quascumque leges condere, merito inquirimus, an eidem Festos dies indicere concessum fuerit. Quæstioni huic aliam jungemus satis affinem, an scilicet possit Ecclesia quibusdam pie defunctis solemnem cultum decernere. Sit

CONCLUSIO I. Potest Ecclesia dies Festos instituere.

Prob. 1. Non minor est Ecclesiæ circa Festorum institutionem potestas; quam Synagogæ: atqui potuit Synagoga Festos dies instituere, & de facto instituit. Instituit enim, longo post promulgatam Moysis legem tempore, Festum sortium, Esther. 9. v. 19. Festum in memoriam debellati una cum Holoferne Assyriorum exercitus, Judith 16. v. 31. Festum dedicationis

tionis templi, I. Machab. 4. v. 59. quod Christus ipse celebravit, ut videre est Joann. 10. v. 22. ergo.

Prob. 2. Id hodiedum potest Ecclesia, quod a primis incunabulis fecit; atqui Ecclesia jam a prioribus sæculis Festa instituit. Nam præter Pascha, A Pentecosten, quæ, ut loquitur Augustinus Epist. 53. c. 17. *de Scripturis firmissime tenentur*, plura agebantur diu ante Augustinum Festa, uti docet idem sanctus Pater Epist. 54. his verbis: *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis, Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicut quod Domini Passio, Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, Adventus de Cœlo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrabitur: & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa quacumque, se diffundit Ecclesia.*

Et vero Apostoli, & Martyres non alia, quam Ecclesiæ auctoritate certis diebus honorari potuerunt: atqui tamen vel a primis Ecclesiæ temporibus honorati fuere, ut patet ex sermonibus, quos habuit S. Leo in Festivitate, tum SS. Petri, & Pauli, tum S. Laurentii: ergo Ecclesia jam a primis temporibus credidit se Festa instituere posse. Ostendant porro adversarii labentibus retro sæculis demptam fuisse Ecclesiæ auctoritatem, quæ eidem primum fuerat concessa.

Obj. 1. Ecclesia nihil potest contra expressum Dei verbum: atqui verbum Dei expresse prohibet Festa, saltem qualia in usu sunt apud Pontificios. Pontificia enim Festa opus quodcumque servile excludunt, in quamcumque diem inciderint: atqui id expresse prohibitum est his Dei ipsius verbis Exod. 20. v. 9. *Sex diebus operaberis ... septimo autem die, Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, &c.* ergo.

R. 1. cœremonialia Legis præcepta ex Christianorum omnium consensu abrogata esse, iisque neminem fidelium obligari.

R. 2. ad 1. & 2. neg. min. & dico citata verba semper intellecta esse cum hac restrictione: operabimini sex diebus, nisi aliud exigat solemnitas quædam interveniens. Atqui id patet, tum quia temporum lapsu institutæ sunt a populo Dei variæ Festivitates, in quarum decursu nemo erat qui serviliter operari posset; tum quia Moyses ipse in sequenti Levitici Libro, postquam eamdem sex diebus operandi licentiam renovavit, varias recenset solemnitates, in quibus a servili quocumque opere feriandum erat. Vide, & confer Levit. 23. & Deuter. 16.

C. 4 v. 10. Obj. 2. Apostolus Galatas severe redarguit, quod observarent *dies, & menses, & tempora, & annos*: atqui Festorum institutio observantiam hanc temporum necessario involvit; ergo, ait Calvinus, *cum talis impietas hodie regnet in Papatu, qualis illis Christus, & quale Evangelium restat?*

R. dist. redarguit Paulus Galatas, quod observarent dies, & menses, more Judaico, C. redarguit absolute, & simpliciter, N. Itaque increpat Apostolus Galatas, quod reversi *ad infirma, & egena* Mosaicæ legis *elementa*, Sabbata, Neomenias, mensem Nisan, & similia observarent, quasi hæc sanctitatis aliquid conferrent. Ostendat Calvinus simile quid regnare in Papatu; vel potius conticescat pessimus sycophanta, qui furoris œstro percitus, id hodiernæ Ecclesiæ vertit in culpam, quod puriorum sæculorum docuit, & tenuit Ecclesia. Certe putidam ejus objectionem jam a sæculis plusquam undecim confutaverunt Gregorius Nazianzenus, & Hieronymus: qua de re consule Thomassinum in Gallico de Festis Tractatu, cap. 1. & 2.

Inst.

Inst. Qui non permittit, ut Christiani discernant inter diem, & diem; quique vetat ne condemnetur quis *in parte diei Festis*, idest, qui Festam aliquam diem non servaverit, ille generatim, & indistincte quascumque Festivitates reprobat: atqui Apostolus 1. non permittit, ut Christiani discernant inter diem, & diem; ut patet ex his ejus verbis Rom. 14. v. 5. *Alius judicat diem inter diem; alius judicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet*; quæ ultima verba non approbationem, sed tolerantiam meram exprimunt, ut legenti manifestum est. 2. vetat idem Apostolus, ne condemnetur, qui dies Festos non observaverit: *Nemo*, inquit Coloss. 2. *vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei Festi*: ergo.

R. Ad 1. neg. min. pro utraque parte, quæ ex objectis Apostoli textibus neutiquam colligitur. In utroque enim agitur de Christianis, qui jejunia, aut Festa Judæorum observabant, & quos aliquando patienter tulit Apostolus, cum in fide adhuc novelli erant, quando severe increpavit: etsi porro nec jejunia Judæorum, nec eorumdem Festivitates observari jam possint; non ideo tamen vel prohibitum est Ecclesiæ jejunia, vel Festos dies indicere, vel licitum fidelibus hæc omittere quoties canonice indicta fuerint. Et vero, an non Apostolus ipse diem inter, & diem distinguebat, cum tanta sollicitudine celebrabat Pentecosten, ut dicitur Act. 20. De his adi Bellarminum fusius disserentem L. 3. de cultu Sanctorum cap. 10.

Obj. 3. Si obligent Festorum leges, erit jugum Christianorum longe intolerabilius jugo Judæorum; cum plura nos habeamus Festa, quam illi habuerint: atqui falsum consequens: ergo.

R. Neg. maj. 1. quia Legis Judaicæ onus non ex solis Festivitatibus desumebatur, sed ex innumerabilibus fere cæremoniis, quæ vix retineri memoria, multo minus exacte observari poterant; & quas tamen, qui omitterent, gravissime aliquando plectebantur. 2. quia Festa Judæorum gravia erant pluribus de causis, quæ apud nos desunt. Sic tenebantur Sabbato non accendere ignem, non coquere cibos, non plus quam minimam Galliæ Leucam * discedere e loco domicili; nonnisi azymis insipidis, & lactucis aggrestibus vesci toto Paschatis tempore; Hierosolymam ascendere statis diebus, etsi hinc distarent longissime; &c. 3. quia aspera quæque lenit spiritus amoris, quo aguntur Christiani; non timoris, qui in Judæorum cordibus dominabatur.

Conclusio II. Potest Ecclesia solemnem viris sanctitate eximia celebribus cultum decernere; neque unquam eamdem hoc in puncto errare permittet Deus. Ita passim Catholici contra Vviclefum, qui docebat Papam nihilo plus posse in canonizandis Sanctis, quam Turcam, aut Præsbyterum Joannem Regem Æthiopiæ.

Prob. 1. pars: quia ab actu ad posse valet consequentia, in his p[illegible]ssimum, quæ sinceræ pietati consentanea sunt: atqui Ecclesia jam ab initio pluribus Sanctis solemnem honorem indixit: neque id veteæ pietati repugnat, sed potius congruit. 1. quia æquum est, ut honore donentur; qui honorem meruerunt, secundum id Eccli. 44. *Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem*

* Rationem computationis hujus dabunt duo novi Testamenti textus Act. 1. v. 12. Mons Oliveti ad cujus radices sita erat * Bethania, distat a Hierosolyma itinere Sabbati: atqui ex Joan. c. 11. v. 18. distat Bethania ab urbe Jerusalem stadiis quindecim: ergo stadia quindecim sunt iter diei Sabbati. Jam vero stadia quindecim, duo conficiunt Italiæ milliaria; & hæc minimam dant Galliæ Leucam, quales sunt Leucæ in agro Parisiensi: ergo.

eorum nuntiet Ecclesia; 2. quia convenit, ut qui nobis virtutibus præluxere, eorum virtutes identidem volvamus animo ad exemplum, & imitationem, juxta id Hebr. 13. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem*: atqui ad hanc imitationem mire conducit quorumdam hominum canonizatio, vi cujus discit Ecclesia tota, quid ii fecerint pro Christo, qualem, & qua de causa persecutionem passi sint, &c. 3. quia in id naturaliter propendet fidelium omnium sensus, qui pio quodam mentis impetu semper optarunt, ut suus exhiberetur honos Martyribus, Confessoribus, &c. ergo.

Prob. 2. pars, 1. efficacissima ratione, quam proponit his paucis S. Thomas Quodlib. 9. art. 16. *In Ecclesia*, quam ut sponsam suam diligit, semperque diliget Christus, *non potest esse error damnabilis: sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit*, & mortuus est *peccator*: sicque supplicibus fidelium votis toto terrarum Orbe invocaretur, ut Dei amicus, qui tanquam ejusdem hostis sepultus esset in inferno: ergo.

2. Si liceret dubitare, an qui Sanctorum festis adscriptus est, vere sit sanctus, liceret etiam dubitare, an sit colendus: atqui falsum consequens: 1. quia ex S. Augustino Epist. 54. n. 6. alias Epist. 118. *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia . . . quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est*. Cui consonat id S. Bernardi Epist. 174. ad Canonicos Lugdun. *Ego quæ accepi ab Ecclesia, securus & teneo, & trado*. 2. quia veteres quicumque, Sanctos ab Ecclesia venerationi publicæ propositos, & coluerunt indubie, & indubie asseruerunt esse colendos. 3. quia Ecclesiæ Sancti alicujus Festum præcipienti morem gerere tenentur fideles omnes; nec tamen contra conscientiam agere tenentur: ergo firme tenent iidem fideles vere sanctos esse, qui ut Sancti proponuntur.

3. Quia vix, ac ne vix quidem credi potest, Deum in materia graviter ad religionem spectante deserere Ecclesiam suam, omni qua potest ope enitentem ne deseratur: aqtui si permitteret Deus, ut pro Sancto coleretur, qui, diaboli mancipium, torquetur in inferis, jam Ecclesiam suam desereret, & in materia, quæ graviter ad religionem spectat, & in casu, in quo, omni qua potest via, conatur non deseri. Neminem enim Sanctorum Alveo inscribit Pontifex Romanus nisi claruerit miraculis adeo insignibus, ut vel ipsi Ecclesiæ hostes quædam pro miraculis agnoverint, quæ Roma admissa non sunt. Aliunde vero indicit idem Pontifex jejunia, & preces publicas, ut Dei voluntatem habeat compertam. Demum res tota tam maturo subjicitur examini, tandemque secundum omnes sui partes discutitur, ut nihil amplius a Christiana sapientia exigi possit: ergo.

Objiciuntur quædam, 1. quod ex Augustino *multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna*. 2. quod si homo de statu animæ suæ certus esse non potest, multo minus certus erit Papa de salute alterius. 3. quod Ecclesia in Canonizatione Sanctorum innititur fallibili medio, nimirum testimonio hominum, qui & decipi possunt, & decipere. 4. quod Baronius e Martyrologio Romano plures demerit, qui habebantur pro Sanctis, nec tamen omnes demerit, qui auferri debuerant; ut post Bailletum animadvertit Joachim Colbert Episcopus Montispessull. Epist. 141.

R. ad 1. verba hæc, si sint Augustini, in cujus Operibus a Bellarmino reperiri non potuerunt, intelligi posse vel de impiis, quibus, ut olim Jovi, Marti, Cæsaribus, &c. honos sacrilegus impenditur, quorumve cineres superbis in mausolæis quiescunt, & honorantur, dum interim animæ eorum

cru-

cruciantur in inferis, ubi in æternum erunt ; vel de corporibus eorum, quos delusa plebs privato errore veneratur, ut contigit temporibus S. Martini ; vel de Pseudomartyribus, aut Confessoribus hæreticorum, qui, prout Donatistarum ævo frequens erat, a suis inter veros Christi Martyres recensentur.

Ad 2. neg. conseq. & dico cum S. Thoma ibid. ad 1. *Quod Pontifex, cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei.*

Ad 3. *Dicendum* cum eodem S. Doctore, *quod divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.* Et vero ait Bellarminus L. 3. de SS. Beatitudine c. 9. in aliis rebus, in quibus Pontifices errare possunt, aliquando reipsa reprehenduntur errores: at in præsenti puncto nullus usquam error deprehensus est.

Ad 4. Non inquirimus, an falsa condi possint Martyrologia, eaque ad tempus ab Ecclesia aliis intenta non redargui ; quemadmodum ad tempus non est animadversum in *corruptissimas eas Bibliorum editiones*, quæ ut loquitur Sixtus V. impietatem *sub pietatis figura, ac populis scoriam pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte saniem obtrudebant*: id unum quærimus, an Ecclesia hunc, vel illum expresso, ac formali judicio Sanctis annumerans, Christi hostem exemplo, & cultui fidelium proponere possit: & hoc negamus, ut quo *error damnabilis* invehatur. Cœterum, quæ jam Martyrologii emendationem incœpit Ecclesia, satis ostendit nolle se, ut hinc dubie judicetur, an is, vel ille pro sancto colendus sit.

Quæres cujus sit indicere Festa.

R. Cum Thomassino in Tract. de festis L. 1. c. 10. potestatem instituendi Festa pertinere ad Concilia, Papam, & Episcopos, sed non eodem prorsus modo ; Papa enim, ut notat idem Scriptor post Fagnan. c. *Conquestus, De Feriis*, in Ecclesia universali, quilibet vero Episcopus in sua tantum Diœcesi Festos dies indicere potest. Aliunde Papa præcipere potest, ut celebrentur viri pii, qui hactenus nullo in Ecclesia cultu donati erant: Episcopus vero iis dumtaxat, qui jam in Sanctorum Canonem a Papa relati sint, solemnem cultum assignare potest.

Cœterum duo hic notanda, 1. etsi fuse probat Fagnan. in cit. c. n. 53. & seq. Laicos non habere potestatem instituendi Festa, expedire tamen ad vitandas multitudinis oblocutiones, ut nihil hac in parte tentet Episcopus, quod grave futurum sit populis ; quod & suadent hæc Gregorii IX. verba eodem c. *De Feriis*: *Debet judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis... cœterisque solemnitatibus, quas singulis Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero, & populo duxerint solemniter celebrandas.* 2. in Gallia non posse novas institui Festivitates absque Regio diplomate in tabulis supremæ loci Curiæ inserto: quia Festa exercitium juris, & populi laborem impediunt; quæ materia, ut mere temporalis Principem respicit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De præcipuis Christianorum Festivitatibus.

Articulum hunc tres in Sectiones partiemur, quarum prima de Festis in honorem Dei, & Christi directe institutis ; secunda de iis, quæ in honorem Virginis Deiparæ ; tertia denique de aliorum inferioris ordinis Sanctorum solemnitatibus disputabit.

SECTIO PRIMA.

De Festis in honorem Dei directe institutis.

QUamquam universa sanctæ Ecclesiæ Festa, ideoque & ea etiam quibus coluntur Sancti, instituta sint in honorem Dei, qui electos suos ante mundum vocavit de mundo, justificavit in mundo, & post mundum glorificavit; habet tamen plebs Catholica Festivitates quasdam, ita uni Deo specialiter addictas, ut eæ Dei ipsius Festa peculiari ratione nuncupari possint. Harum solemnitatum præcipuas, quoniam omnes indagare non licet, breviter evolvemus; sunt autem eæ, dies Dominica; Natale Domini, cui præit Adventus; Pascha, præviaque ejus appendix Quadragesima; Pentecostes, Festum Trinitatis sacrosanctæ, & Corporis Christi. Quæ omnia, ut generali quodam intuitu percipiantur,

Quæres 1. quando instituta sit Dominica dies, quo fine, & qualiter celebranda.

R. Ad 1. Dominicam diem a primis Ecclesiæ temporibus servatam fuisse, ut fatentur vel ipsi Protestantes, & ex primæva traditione constat. Ita quippe docent Ignatius in Epist. ad Magnesianos, Justinus Apologia 2. Tertullianus L. de corona militis, aliique plures, quos citat Bellarminus L. 3. de cultu SS. c. 11. Extant hujus celebritatis indicia in Scripturis, sic Act. 20. dicitur: una *Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*, & 1. Cor. 16. *Per unam Sabbati unusquisque apud se reponat*, &c. Unde sic: Dies *una*, de qua loquitur Apostolus, jam tum celebris erat; quandoquidem frequentiores in ea conveniebant Christiani, ut patet ex utroque textu: atque dies illa erat ipsa Domini dies. Est enim dies una Sabbati, idem ac prima hebdomadæ dies; at hinc patet quod Christus, qui die Dominica resurrexit, dicitur Marc. 16. resurrexisse *una Sabbatorum*: atqui prima hebdomadæ dies, ex omnium confesso est dies Dominica: ergo.

Et vero adeo distincta erat dies Dominica a cœteris ipso Apostolorum tempore, ut hanc diei Dominicæ vocabulo designet S. Joannes Apocal. 1. his verbis: *Ego Joannes fui in spiritu in Dominica die*.

R. Ad 2. institutam fuisse Dominicam diem, quia, cum diem aliquam divino cultui deputari conveniat, nec conveniat, ut serventur abrogatæ Mosaicæ Legis Sabbata, aliam Sabbato diem substitui oportuit. Primo autem hebdomadæ dies cœteris fuit anteponenda, 1. quia hac ipsa die orsus est Deus creationem mundi. 2. quia eadem die roravit mannam in deserto, nobilissimam Eucharistiæ figuram, uti animadvertit Theodulphus Aurelianensis; 3. & præcipue, quia hac eadem die surrexit Christus; Apostolorum mentes inebriavit Spiritu Sancto, Ecclesiam suam efformare cœpit; &c. unde liquet Domini diem peculiari cultu a fidelibus celebranda esse, ut quæ iisdem tam multiplici titulo sacra esse debeat. Hinc

R. Ad 3. Cum Bellarmino ibid. Quadruplex sub initium Ecclesiæ erat in Dominica ritus. 1. enim vacabant Fideles ab opere servili. 2. conveniebant in Ecclesiam ad lectionem, concionem, sacrificium, & sacram synaxim. 3. non jejunabant. 4. stantes deprecabantur non flexis poplitibus, secundum id Tertulliani L. de corona militis: *Die Dominico jejunare nefas ducimus, & de geniculis adorare*. Posterior hic ritus sex circiter abhinc sæculis desiit, priores hactenus sunt in usu. Circa secundum, qui majoris est momenti audiendus

dus est Justinus Martyr in Apologia 2. ubi hæc habet: *Die Solis Urbanorum, ac Rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum, ac Prophetarum Litteræ quoad fieri potest, præleguntur; deinde cessante Lectore, Præpositus verba facit adhortatoria ad imitationem honestarum rerum invitans: posthæc consurgimus omnes, precesque offerimus, quibus finitis profertur panis, vinum, & aqua. Tunc Præpositus, quantum potest, preces offert, & gratiarum actiones, plebs vero Amen accinit: inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittuntur per Diaconos. Ditiores, si libeat, pro sua quisque voluntate conferunt; Collecta deponuntur apud Præpositum: is subvenit pupillis, vinctis, peregrinis.* &c.

His Dominicæ diei exercitiis adeo intenti erant, & assidui priorum temporum fideles, ut ab iis ne ipso quidem mortis metu ab Ethnicis Imperatoribus indictæ deterrerentur. Hinc interrogati a Magistratibus sodales S. Saturnini in Africa Sacerdotis, cur contra Principis jussum convenirent, id unum responderunt: *Intermitti Dominicum non potest: lex sic jubet, lexque sic docet. Collectam religiosissime celebravimus ad Scripturas Dominicas legendas: in Dominicum semper convenimus*: En norma, quam sequi debeant fideles, quibus nihil hodie pietas sua affert periculi.

Hic obiter annotandum in pluribus Orientalis Ecclesiæ locis, pari pene cultu celebratum esse Sabbatum, quo Dominica dies celebrabatur: ita ut Sabbatum haberetur pro solemni quadam Dominicæ diei vigilia. Vide Thomassinum ibid. L. 2. cap. 2.

Quæres 2. quid circa Adventum sciri oporteat.

R. 1. Annum Ecclesiasticum quatuor in partes dividi, quarum prima Adventum, & subsequentes Christi infantis solemnitates complectitur; secunda Quadragesimam; tertia tempus Paschale, quod ab ipso Paschatis Festo, usque ad Octavam Pentecostes elabitur; quarta denique tempus quod ab Octava Pentecostes usque ad Adventum succedit.

R. 2. Institutionem Adventus non esse novam in Ecclesia, cum de sancto hoc tempore mentionem faciant plura septimi sæculi Concilia; ex quibus insuper colligere est, Adventum habitum fuisse, ut Quadragesimam Dominicæ Nativitati præviam. Neque vero hæc multopere distabat a Quadragesima Paschali. Adventus enim pluribus saltem in locis incipiebat a postera S. Martini die, & perdurabat dies 40. quod etiamnum Mediolani viget. Hinc illud Amalarii L. 4. de Officio Eccles. c. 37. *Nos observamus tres Quadragesimas, ante Pascha Domini, ante Festivitatem S. Joannis, & ante Nativitatem Domini*; cui consonat istud Nicolai I. ad Bulgaros; Servamus *jejunia ante Natalis Domini solemnitatem*; *quæ jejunia sancta Romana Ecclesia suscepit antiquitus*. Atque hinc hodiedum Clerici Officio mancipati, easdem flexis genibus fundunt per Adventum preces, quæ esurialibus feriis addictæ sunt. Demum in adventu lugubribus, violaceis nimirum vestimentis passim utebatur Ecclesia, & etiamnum utitur. Unde & Hymnos lætitiæ indices *Gloria in excelsis* ac *Te Deum* supprimit, servato tamen *Alleluja*, ut hinc gemit de peccatis, quæ Dei iram succenderunt, inde exultet de futuro Reparatore. Nusquam tamen ubique locorum invaluit consuetudo jejunandi in Adventu.

R. 3. Ex dictis liquido patere enitendum esse fidelibus, ut Adventus stadium singulari pietate decurrant. Quod ut assequantur operæ prætium est, 1. ut Ecclesiæ spiritum induti, vulnus nobis primigenio peccatum inustum sincerissime defleant; 2. ut proprius plangant infirmitates; 3. ut Mediatorem repetitis suspiriis invocent, exclamando, cum Isaja, cujus per Adventum Pro-

pheiiam legit Ecclesia: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, & rursus: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion*; 4. ut venturi Messiæ gratiam sibi promereantur prece magis sedula, eleemosyna largiori, mundi, mundanorumque fuga. 5. ut primi, ultimique Adventus ideam consociando, meminerint in eadem Christi persona occurrere & infantem, qui vagiat in cunis, & Judicem, qui fulguret in cœlis. Nimirum duo hæc indesinenter præ oculis habet Ecclesia; unde jam a prima Adventus Dominica legit Evangelium, quo viva judicii generalis imago exhibetur, &c.

Quæres 3. an primævæ sit antiquitatis Festum Nativitatis Christi. 2. quid singulare habeat ejusdem ritus. 3. quo præcipue animi sensu debeat celebrari.

R. Ad 1. cum S. Chrysostomo Serm. 51. *Hic dies* Natalis Domini, *ab exordio iis, qui in Occidente babitant, cognitus* fuit, *nunc ad nos* Orientales *non ante multos annos transmissus* est, & *repente ita increvit, talemque tulit fructum, qualem nunc cernere licet*. Unde colligere est Christi Nativitatem jam ab initio in Ecclesia Occidentali, & multo serius apud Græcos celebratam esse. Neque tamen apud Græcos honoris cujuscumque expers erat beata hæc Nativitas; sed hæc simul cum Epiphania, & Baptismo Christi celebrabatur die 6. Januarii. Occidentalis tamen Ecclesiæ sententiam, quæ Natale Christi diei Decembris vigesimæ quintæ affixit, eo lubentius amplexus est S. Chrysostomus, quod existimavit præcisam Natalis hujus diem, a Fidelibus, qui Romam incolebant, facile potuisse cognosci ex publicis Commentariis, quibus recensio sub Augusto facta continebatur.

R. ad 2. Id speciale habet Natale Christi, 1. quod ejus solemnitas non a primis tantum Vesperis incipit, ut moris est, sed a Laudibus Vigiliæ, quæ duplici, aut semiduplici ritu persolvuntur; singulisque Antiphonis partam ex proximo nascituri Parvuli adventu exultationem præferunt. 2. quod Christiana plebs, partem noctis maximam divinis Officiis incumbat. 3. quod Ministri altaris Missarum solemnia ter celebrent, quod triplex indicetur Christi Nativitas, prima quidem ex utero Patris ante luciferum; secunda ex utero matris in ipsa temporum plenitudine; tertia per gratiam, & pacem in *hominibus bonæ voluntatis*.

Hic nota 1. Ecclesiæ præcepto satisfieri ab iis, qui Missam unam audiunt: tametsi optandum est, ut tres audiant, qui tres audire possunt. 2. esse qui velint, ut Sacerdos, qui Missas tres facere nequit, mediæ noctis Missam recitet etiam de die; quia hæc plus congruat mysterio Festi. Aliud præscribit Rubrica Parisiensis, sic illa: *Qui unicam* Missam *celebrat, Nocturnam dicit, cum ante auroram celebrat, tertiam vero cum post auroram; qui vero duplicem, duas priores cum ante auroram, duas posteriores cum post auroram*.

R. Ad 3 opus esse 1. vivida fide, cui solidatum est penetrare nubila quibus regitur Deus infans, & in præsepi, fœno, & fasciis eum revereri, *quem proni vident, tremunt, adorant Angeli*. 2. spe firma, quæ Dei misericordiam suscipiat *in medio templi* ejus. 3. ardenti charitate, quæ nihil non ausit in gratiam illius, qui *in charitate perpetua* dilexit nos, & pro nobis *cum inimici essemus*, ea fecit, & passus est, quæ nemo nostrum pro amicis suis facere velit aut pati. 4. singulari animi bene memoris sensu, quo facile perfundetur, qui serio perpenderit, quis veniat, ad quem veniat, quo fine veniat. 5. constanti voluptatum aspernatione. Invitatus a Davide

Urias

Urias ad lenocinia carnis, ea se responsione tuebatur: *Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & servi domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea: per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc*. Simili clypeo ignita hostis tela retundat Christianus: En, dicet, Deus quem adoro, jacet in præsepi nudus, austeri cœli inclementiam patitur, ei præsidium totum parens inops; egenique pecudum Pastores: & ego delicatior, deserviam corpori, membra moliter tegam, mihique id negabo unum, cujus penes me copia non fuerit: absit hoc a me: pudeat sub Capite spinis coronando, membrum esse delicatum; sub duce, qui *in laboribus* est *a juventute* sua, militem otio diffluere, &c.

De Circumcisione, Epiphania, quam & Theophaniam, seu Domini apparitionem nuncupant Græci, demum de Purificatione, cui ab iisdem Græcis inditum est nomen Hypapantæ, legi possunt Thomassinus, Lib. 2. de Festis, cap. 6. & 7. & Continuator Collationum Diœcesis Lucionensis Tom. 13: qui cum duodecimo venalis extat apud Viduam Mazieres; & ambo cognoscuntur a paucis.

Quæres 4. quid circa tempus Paschæ præambulum animadverti oporteat.

R. Tempus illud tres in partes dividi posse, quarum prima Quadragesimam præcedit; secunda eamdem Quadragesimam complectitur dempta majori hebdomada; tertia majori hac hebdomada continetur.

Prima pars temporis Paschæ prævii, quod Quadragesimam præcedit, constat Dominicis tribus, Septuagesimæ nimirum, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ. Quorsum autem eas Dominicas instituerit Ecclesia, non constat inter eruditos. Difficultatem hanc versarunt inter se Carolus magnus, pius æque, ac eruditus Princeps, & Alcuinus: crediderunt que ambo jam a Septuagesima inchoatum fuisse jejunium ab iis, qui feria quinta, & Sabbato non jejunabant, ut sic cum aliis dies 40. jejunii haberent completos; alios vero, qui singulis tantum hebdomadis unam omittebant jejunii diem, a Dominica sequentis jejunium inchoasse, unde præcedens Dominica Sexagesimæ nomen sortita sit.

Opinionem hanc improbabilem vocat Bellarminus cit. L. 3. c. 14. censetque cum Ruperto Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ nomina, non a numero dierum, ut etiam Alcuino placet, sed numero Dominicarum desumpta esse; quia *voluit Ecclesia ante Dominicam Passionis præmittere celebres septem Dominicas, quibus revocaret nobis in memoriam, spiritualem nostram captivitatem, sicut per Dominicam Passionis, & sequentem commemoratur redemptio a captivitate*. Cur autem septem potius, quam octo, vel sex Dominicas in hunc finem instituerit Ecclesia, non explicat Bellarminus.

Sunt, qui simpliciter velint Ecclesiam, ut bacchanalia, quæ grassari cœperant, compesceret, aut saltem publice detestaretur; tribus ante Quadragesimam septimanis pœnitentiæ ritum incœpisse. Jam tunc enim lugubres induit amictus, supprimit *Alleluja*, & in sacris Officiis fideles revocat ad memoriam eorum, quæ Deus contra Adamum, contra Terræ incolas temporibus Noe, ac demum contra Sodomitas gessit. Hæc autem Officiorum immutatio, cum extraordinariam celebritatem prædictis Dominicis tribuerit, potuit & iisdem tribuere nomina, quæ Quadragesimam prænuntiarent, & ab ea ordine retrogrado denominarentur.

Secunda pars temporis Paschæ prævii vocatur Quadragesima, eaque vel traditionis est Apostolicæ, ut docet Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam;

vel paucissimo post Apostolos tempore instituta. Instituendi ratio e veteri, potissimum autem e novo Testamento desumpta est. Moyses enim Exod. 34. 28. Elias 3. Reg. 19. 8. Christus vero Matth. 17. dies 40. jejunavere. Adde quod deceret, ut fideles temporaneis sæpe rebus immersi, decimam anni partem pœnitentiæ consecrarent: quo autem tempore posset id fieri congruentius, quam quo Ecclesia passionem, & mortem Sponsi sui recolere intendit.

Is porro Quadragesimam sancte transiget, 1. qui sanctam jejunii legem sedulo servabit, de quo vide, quæ T. 1. diximus ubi de jejunio; 2. qui, ut ait Joel c. 2. sanctificabit jejunium, oratione scilicet, eleemosyna, crebra divini verbi auditione; 3. qui adamussim exequetur id, quod canit Ecclesia: *Utamur ergo parcius, verbis, cibis, & potibus, somno, jocis, & arctius perstemus in custodia.* Qui stupenda jejunii exempla reperire volet, adeat historiam Quadragesimæ Auctore A. Baillet, n. 42. & seq.

Tertia demum pars ejusdem temporis Paschæ prævii, complectitur hebdomadam majorem, quæ etiam hebdomada sancta, hebdomada pœnosa nuncupatur, ut vel his nominibus moneantur fideles sibi nihil non eo tempore tentandum esse, ut *Christo passo, & ipsi eadem cogitatione* armentur.

Hebdomadam majorem pie, & salubriter agent, 1. qui jejunio, si fieri poterit, arctiori incumbent; 2. qui ab hominum consortio recedent accuratius, sibique intus, & in domicilio cogitationis ædificabunt solitudines; 3. qui plus solito vacabunt orationi; 4. qui Christi dolores meditabuntur profundius, 5. qui ad recipienda Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta se se majori studio disponent; 6. qui, quam frequenter licebit, aderunt solemnibus officiis; 7. qui satagent, ut mente assequantur, quidquid tunc mysterii celebrat Ecclesia.

Porro in Dominica, quæ Palmarum dicitur, celebratur mysterium ingressus triumphalis Jesu Christi in Jerusalem; cui Hebræa plebs cum palmis obvia, fausta quæcumque acclamabat his verbis: *Hosanna filio David*, sex postea diebus miserabiliter clamatura: *Tolle, tolle; crucifige eum*. Unde sanctam hanc diem ex mente Ecclesiæ aget, qui Christum de dæmonibus triumphantem adorabit, qui ejusdem triumpho, & imperio se suaque omnia submittet, qui mundi judicia, mobilesque ejusdem plausus detestabitur.

Feria quinta renovatur memoria eorum, quæ fecit Salvator pridie, quam pateretur: tunc autem lavit pedes Apostolorum, Eucharistiam instituit, traditus est a proditore in manus Judæorum, & ab his duriora quæque sustinuit.

Feria sexta exhibentur præludia mortis Christi, mors ipsa, & ejus appendices ex Evangelio satis notæ.

Hi sunt dies, ait S. Bernardus Serm. in Cœna Domini num. 1. *quos observare debemus, dies pleni pietate, & gratia, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem est vis Sacramentorum eorum, quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, & pectus omne licet ferreum emollire ... denique videmus usque hodie ad passionem Christi non modo cœlestia compati, sed terram moveri, & petras scindi, & in confessione peccatorum aperiri monumenta.* Legatur idem Doctor Serm. 4. de Pass. Dom.

Ut major his diebus percipiatur gratia, operæ pretium est, ut feria quinta animo revolvatur, tum singularis humilitas Christi ad Apostolorum, & Judæ ipsius pedes amanter prostrati; tum impensa ea charitas, qua se suis, in potum & cibum dedit; tum nox illa plena amaritudinis, qua sanguineo jam sudore exhau-

exhaustus, ac protervæ cohortis ludibrium factus, vere languores nostros tulit, & ea specie visus est, cui non erat decor; ita ut, vel non reputaretur, vel reputaretur novissimus virorum. His considerationibus pie inhærebit fidelis anima in variis stationibus, quæ eadem die decurri solent.

Quod ad feriam sextam attinet, id in eadem agendum. 1. meditatione sedula versanda animo historia passionis, & redemptionis Christi; 2. Christo compatiendum, & commoriendum, addendumque aliquid hac die, si fieri potest, ad rigorem jejunii; 3. orandum cum Ecclesia pro omnibus omnino hominibus, etiam pro Judæis, & infidelibus; 4. adoranda reverenter crux, in qua salus mundi pependit. Ita fere Catechismus Montispessulani.

Quæres 5. cur institutum Pascha Christianorum; cur idem tanta cum lætitia agatur, de qua die, & quo animi sensu celebrandum.

R. Ad 1. Quod sicut apud Judæos institutum est Pascha, (id est transitus) ut ea die ageretur memoria, tum transitus Angeli, qui Ægyptiorum primogenitos percussit, Hebræos autem pertransiit intactos; tum exitus Israel de Ægypto, ubi sub barbara Pharaonis servitute tot annos ingemuerat; sic & ad normam institutum sit apud Christianos Festum Paschatis, ut celebretur memoria Resurrectionis, per quam Salvator de morte transiit ad vitam; eoque transitu solvit nos a dura dæmonum servitute, & *vitæ æternæ nobis aditum de victa morte reseravit*.

R. Ad 2. Pascha ideo cum tanto lætitiæ sensu peragi, 1. quia tunc absolutum est opus nostræ cum Deo reconciliationis: *Traditus est* enim Christus *propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; 2. quia triumphante Christo post passionem suam, æquum est, ut qui eidem compassi sunt fideles, levent capita sua, suumque ei triumphum exultando gratulentur; 3. quia resurrectio Christi futuræ nostræ resurrectionis argumentum est: si enim Christus non resurrexit, inanis est spes nostra, si autem resurrexit Christus, *primitiæ dormientum*, & nos cum eo vivificabimur, *si tamen compatimur*. Porro surrexisse Christum invicte demonstrat brevis hæc ratiocinatio S. Augustini L. 22. de Civ. Dei, c. 5. *Tria sunt incredebilia, quæ tamen facta sunt. Incredibile est Christum resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne. Incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse. Incredibile est homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti*, Gentiles, *cum quibus agimus credere: secundum coguntur & cernere; quod non inveniunt, unde sit factum, si non credunt tertium.*

Merito igitur Christianis Pascha est *festivitas festivitatum, solemnitas solemnitatum*, dies, quam fecit Dominus, & in qua exultare debent, & lætari. Hinc olim totam per octavam a quocumque servili opere cessabant. Hinc dempta, ut notat Tertullianus, eo tempore jejunia, & preces flexo genu, quæ tristitiam spirant, hic toties repetitum lætitiæ canticum *Alleluja*, quod olim apud Latinos extra Paschale tempus non erat in usu, donec ad Dominicas omnes, ut quæ in honorem Resurrectionis celebrentur, extensum est a S. Gregorio.

R. Ad 3. veteribus quibusdam Christianis placuisse, ut celebraretur Pascha, qua die a Judæis celebrabatur, id est decima-quarta luna mensis Martii, sive hæc incideret in Dominicam, sive non. Verum hunc Quartodecimanorum errorem proscripsit Nicæna Synodus habita an. 325. statuitque Pascha deinceps ubique celebrandum Dominica proxima post decimamquartam lu-

nam

nam ab æquinoxio verno, quod eadem Synodus affixit diei vigesimæ-primæ mensis Martii. Et hæc quidem ratio est cur Festum Paschatis, cœteraque omnia, quæ ex eo pendent, dicantur mobilia, quia tunc ocius nunc serius celebrantur, prout decima-quarta luna mensis Martii, & quæ eam subsequitur Dominica, plus, vel minus distant ab æquinoxio verno. De aliis circa celebrationem Paschæ erroribus vide Bellarminum eodem L.3.c.12.

R. Ad 4. Pascha ab iis ex Ecclesiæ animo & sensu celebrari, 1. qui omnem impendunt operam, ut cum Christo, & ab normam Christi resurgant; & qui proinde sic moriuntur peccato, ut perpetuo in novitate vitæ incedant: *Christus* enim *resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Ita* ergo *& nos existimare debemus, nos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo*. Hi porro Deo vivunt, qui spretis mundi honoribus, divitiis, cœterisque, quæ cupiditatem incendunt, *quæ sursum sunt*, sapiunt indesinenter, *non quæ super terram*. Rom. 6. v. 9. & 11. & Coloss. 3. 2.

2. Id quoque agendum est in Resurrectione Christi, ut & Baptismum, vi cujus eidem Christo consepulti sumus, & contractas in eo obligationes revocemus ad memoriam. Hunc sane in scopum tanto fœdere, & Baptismum nostrum, & Christi Resurrectionem sociavit Ecclesia. Hinc olim remissum Catechumenorum Baptisma ad solemnitatem Resurrectionis; hinc in eadem solemnitate consecrati Fontes regenerationis; hinc Ministros suos singulis Octavæ diebus ad eosdem Fontes deducit Ecclesia: & exhibendo petram cujus salutaribus aquis abluti sunt, tacite ait cum Isaja c. 51. *Attendite ad petram, unde excisi estis*. Ita pie, & ut solet facunde, exhortatur Illust. Senonensium Archipræsul in sua, ut ajunt, hebdomada sancta.

Quæres 6. quid sibi velit nomen Pentecostes; 2. quæ ejus apud Judæos tam solemniter peragendæ ratio; 3. quæ ratio apud Christianos; 4. quo mentis, & cordis ritu celebranda sit ea festivitas.

R. Ad 1. & 2. Dies Pentecostes idem est, ac dies quinquagesima; hæc autem ideo tantæ apud Judæos erat solemnitatis, quia Lex die quinquagesima post egressionem ex Ægypto data est Hebræis ad radicem montis Sinai; *quo fumante, & fulgore, tonitruo, caligine, voce, tuba, mortalium corda terrentibus, Moyses loquebatur, & Dominus respondebat ei*, ait Hieronymus ad Fabiolam die 42. mansionib. mansione 12. Vide & c. 19. & 20. Exodi. Hac eadem die offerebant Judæi Domino panes ex primitiis novæ messis, Levit. 23.

R. Ad 3. Pentecosten Judaicam fuisse typum Christianæ Pentecostes, quæ idcirco multo plus a nobis exigit reverentiæ, 1. quia hac eadem die Spiritus Sanctus in Apostolos, cœterosque Discipulos descendit, ut Legem Dei non tabulis lapideis, sed in eorum cordibus scriberet, juxta id Jeremiæ 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*; 2. quia hac quoque die primitiæ frugum messis Apostolicæ Domino consecratæ sunt; cum ad primam Petri Christum redivivum annunciantis vocem, tria Judæorum millia Evangelio nomen dederint; 3. quia Apostoli hactenus vinci faciles invicto eo animi robore donati sunt, cui tandem cedere oportuit Orbem universum.

R. Ad 4. imprimis opus esse, ut fideles justam donorum Sancti Spiritus, quæ hac die plenius conferuntur, ideam sibi efforment; 2. ut ab eodem Spiritu in se impleri flagitent, quo ille olim in Apostolis operatus est; quodque his expressit verbis Ezech. c. 11. v. 19. *Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo*

eis

vis cor carneum; ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque ea; & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum; 3. ut maxime cogitent consummata esse hac ipsa die Christi mysteria, absolutumque opus, ad quod ille missus erat. Hinc agendæ Christo grates, tanquam capiti, quod membra sua diligit, fovet, & jugi tuetur auxilio.

Quæres 7. quid sentiendum de Festo sanctissimæ Trinitatis.

R. Festum illud recens esse, & vetus sub diverso respectu. Nempe vero Alexander III.* qui vixit post medium sæculi duodecimi, de eo sic scribit c. *Quoniam* 2. *De Feriis: Festivitas SS. Trinitatis secundum consuetudinem diversarum Regionum a quibusdam consuevit in Octavis Pentecostes; ab aliis in Dominica prima ante Adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem: cum singulis diebus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis*. Ex quibus colligere est speciale Festum sanctæ, & individuæ Trinitatis quoad Ecclesiam Romanam recens esse, nec forte in eam invectum ante tempora** Joannis XVII. ut ex Gersonio notat Thomassinus L. 2. de Festis c. 18. n. 13. 2. idem Festum in variis Regionibus ante celebratum esse, quam Romæ celebraretur; idque ab antiquo cum Alcuinus Officium composuerit in honorem Trinitatis; 3. haud tamen suum eidem Trinitati honorem unquam defuisse, cum ad eam terminetur omnis Ecclesiæ cultus; imo cum Dominicæ omnes in ejus gloriam institutæ sint: unde ut ex Micrologo observat Bellarminus c. 15. singulis Dominicis cantari solebat Præfatio de Trinitate, quæ una erat ex novem, quas tanquam antiquissimas servari voluit Pelagius II. Addit Auctor Continuationis Collat. Lucion. Festum adorandæ Trinitatis ab ipso mundi exordio celebratum esse; cum indubie Angeli statim ut Deum intuiti sunt, clamare cœperint id, quod temporum lapsu audiit Isaias c. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*.

Quæres 8. quæ Festum inter Trinitatis, & Corporis Christi sit affinitas; a quo item postremum istud fuerit institutum, & cur tam sero.

R. Ad 1. multam esse cognationem inter utrumque Festum. Quemadmodum enim Festa quæcumque ad Trinitatis cultum referuntur, sic Eucharistia juge est sacrificium, quo tanquam præstantiori medio colitur eadem sanctissima Trinitas. Sicut ergo in Festis omnibus honoratur Trinitas, quæ nobis Verbum incarnatum, ejusque mysteria, & Verbi matrem, sanctosque omnes largita fuit; sic Festa omnia Eucharistici sacrificii actione potissimum celebrantur.

R. Ad 2. Festum Corporis Christi, seu Eucharistiæ in Ecclesia Leodiensi jam ab an. 1246. celebratum, ad totam Ecclesiam extensum fuisse ab Urbano IV. an. 1264. Agnoscit porro in Bulla sua summus ille Pontifex, 1. Festum Eucharistiæ præcipua quadam ratione pertinere ad Feriam V. in Cœna Domini, qua quidem die institutum est Eucharistiæ Sacramentum; 2. idem Festum singulis diebus celebrari, quia singulis diebus immolatur, & colitur salutis nostræ victima; 3. merito tamen sanciri, ut *vivificum Sacramentum corporis, & sanguinis Jesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria, & corona, Festivitate, ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis Missarum officiis circa solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur; & fide-*

* Decretalem *Quoniam* Alexandro II. tribuit Thomasinus Lib. 2. de Festis c. 18 n. 11. eamdem Alexandro III. tribuunt P.t.œi fratres.

** Joannes XXII. electus est an. 1316.

& fideles Festivitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, id quod ipsis Missarum solemniis ex negligentia, vel fragilitate minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus, & animi puritate restaurent. His adde æquum fuisse, ut, quo tempore Eucharistia majori nisu a Berengario, & Albigensibus impetita jam fuerat, ei plus honoris a fidelibus impenderetur.

SECTIO SECUNDA.

De Festis in honorem Virginis Deiparæ.

SUppono in primis merito institui Festa in honorem B. Virginis, & Sanctorum: 1. quia ea fuit Ecclesiæ primitivæ praxis, ut liquet tum ex Smyrnensis Ecclesiæ Epistola sæculo secundo scripta, quam refert Eusebius Lib. 4. Histor. c. 15. tum ex his S. Cypriani verbis Lib. 4. Epist. 5. *Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus*; tum ex pluribus prioris ævi Conciliis, quæ laudat Bellarminus ibid. c. 16. 2. quia Festi dies recte instituantur ad recolenda Dei beneficia, ut patet de festo sortium apud Judæos, & docet Augustinus Lib. 10. de Civ. Dei, cap. 4. atqui quod Christiani quidam sancte consummentur, præsertim per martyrium, singulare est beneficium Dei. Inde enim novum sibi civem accedere gestit, & exultat Ecclesia triumphans. Inde novum sibi apud Deum adesse intercessorem gaudet Ecclesia militans. Inde utrobique novus de relata in diabolum victoria triumphus.

At, inquiunt Pseudoreformati, cultus Sanctorum 1. idololatriam sapit; 2. plerumque falso innititur fundamento, ut patet in Conceptione B. Virginis, quam Pontificii ab originali labe immunem fuisse fingunt; 3. multa sunt Festa a laicis instituta; cum certo constet Purificationem institutam esse ab Imperatore Justiniano &c.

R. Ad 1. tam immunem esse ab idololatria cultum, qui Sanctis exhibetur post mortem, quam qui iisdem exhibetur adhuc viventibus. Neque enim Sanctos colimus latriæ cultu ut deitates quasdam, sed ut amicos Dei, quos idem Deus, qua tales honorari jubet: unde nec vota, nec altaria dicamus Sanctis, sed ipsi Deo in honorem Sanctorum; id est, tum ut eidem gratias agamus ob beneficia, quibus Sanctos plenissime cumulavit; tum ut ab eo ad ipsorum preces, si non paria, saltem sufficientia consequamur.

R. Ad 2. 1. Non soli Catholici Doctores Mariam ab omni labe immunem fuisse sentiunt, sed Lutherus in ea ipsa fuit opinione. Idem etiam credidit Erasmus, qui licet e nostris fuerit, non male audit apud Protestantes; 2. non ideo prorsus Festum Conceptionis celebrant fideles, quia hæc immaculata fuerit; sed quia eadem conceptio qualiscumque fingatur, annuntiando Matrem Dei futuram, certum præbet futuræ Redemptionis pignus; unde & idem Festum celebrant ii etiam, qui Virginem in peccato conceptam esse credunt. Fatendum tamen quadantenus exigere principia S. Thomæ, ut Conceptio, quæ Festo solemni celebratur, sancta fuerit, & immaculata. *Vide quæ dixi in Tract. de Peccatis part. 2. cap. 1. sub finem.*

R. Ad 3. Imperatores non instituisse Festa, sed Legibus sui effecisse, ut quæ ab Ecclesia instituta erant, ea, qua par erat, veneratione celebrarentur. De his plura videris apud Bellarminum ibid. His obiter, utpote extra locum præmissis

Quæres,

Quæres, quæ præcipuæ sint Deiparæ Virginis Festivitates.

R. Sunt eæ, Conceptio, quæ die Decembris 8. Nativitas, quæ pari Septembris die; Præsentatio in Templo, quæ die 21. Novembris; Annuntiatio, quæ Martii die 25. Visitatio, quæ 2. Julii; Purificatio, quæ 2. Februarii; Compassio, quæ feria quinta post Dominicam Passionis; ac demum Assumptio, quæ decima-quinta Augusti celebratur.

Festum Conceptionis duodecimo sæculo in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali celebrari cœpit. Hujus solemnitatem Decreto confirmavit Capitulum Lugdunense an. 1145. Piam hanc novitatem celebri Epistola 174. impetiit S. Bernardus: at crescente in Deiparam fidelium affectu, invaluit tandem celebritatis hujus consuetudo, & a Synodo Basileensi an. 1439. confirmata est; eique indulgentias affixit Sixtus IV. an. 1476. De eadem solemnitate quasi jam ubique observata loquitur Henricus Gandavensis, qui an. 1293. diem clausit extremam: sed ambigit idem Doctor, quæ fuerit instituendi Festi hujus ratio, an Conceptio expers maculæ, an præmatura maculæ ablatio per gratiam.

Institutionem Festi Nativitatis consignat Baronius an. circiter 800. quæ epocha non omnibus probatur: certe Nativitatis Festivitatem quasi novæ pietatis fœtum exhibet B.Fulbertus Carnutensis, qui floruit circa an. 1000. eam tamen jam ab octavo sæculo inter magnas solemnitates recensebat S. Bonifacius Moguntinensis; forte quia prius alibi, quam in Gallia celebrata fuit. Ut ut est, quia Conceptionem celebrari nolebat S.Bernardus, Nativitatis Festo totus suffragabatur: *Nec fallitur*, ait citata Ep. 174. *sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsam Nativitatis ejus*, Virginis, *diem, & omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens*. Festo huic suam adscripsisse octavam fertur Innocentium IV. ut voto ante Prædecessoris sui electionem ea de re facto satisfaceret. Cum Nativitatis solemnitas in pluribus Galliæ locis vocetur vernacule *L'Angevine*, sunt qui eam in Andegavensi territorio natam esse putent. *Vide Thomassin. eod. Lib.* 2. *c.* 20. *n.* 5. Festum Præsentationis diu ante in Orientali Ecclesia celebratum est, quam in Latina celebraretur. Primus ipsum in Gallias invexit Carolus Rex hujus nominis V. qui a Cancellario Cyprio monitus a Græcis pie recoli memoriam diei, qua Maria tres tantum annos nata, se se Domino in ministerium templi obtulit, idem Festum in sancta sua Capella celebrari jussit, præsentibus multis Galliæ Præsulibus, & Papæ Nuntio, qui facundissimam ea de re orationem habuit.

Festum Annunciationis, quod idem est ac Festum Conceptionis Verbi, uno eodemque cultu cum Christi Nativitate celebratum est a SS. Patribus, ut liquet ex Homiliis, quas pro Natali Christi die habuerunt ad populum. Sensim tamen sua fuit Annunciationi celebritas specialis: cum de ea expresse meminerint Synodus Trullana an. 692. habita; & Toletana Synodus anni 656. in qua Annunciatio, *Festivitas gloriosæ Matris*, *Festum sanctæ Virginis*, *Festivitas Matris* nuncupatur; *nam quod Festum est Matris*, ajunt, & merito Toletani Patres, nisi *Incarnatio Verbi*. Alligata fuit passim Annunciationis solemnitas diei 25. Martii; quia, ut ait Augustinus Lib. 4. de Trin. cap. 1. *Sicut a Majoribus traditum, suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur* Christus, *quo & passus*. Sed quia constitutum erat a Laodicena Synodo an. 320. ut nullæ per Quadragesimam celebrarentur Festivitates; hinc Annuntiationis Festum ab eadem Toletana Synodo transla-

tum est ad octavam diem ante Natale Domini ; quod hiedum ex parte servat Ecclesia Mediolanensis , ubi Annunciatio *in Dominica ante Nativitatem Domini solemnissime agitur*, ait Radulphus Decanus Tungrensis.

Festum Visitationis , quo recolitur charitas Mariæ cognatam suam in montana Judææ invisentis, institutum est ab Urbano VI. confirmatum primo a Bonifacio IX. an. 1389. deinde a Concilio Basileensi Sess. 45. ann. 1441. Ita Baronius , & Bellarminus eod. cap. 16. ubi tamen animadvertit Festum Visitationis ante Urbani VI. tempora jam fuisse in Kalendario Græcorum.

Festum Purificationis , (Græcis hypapante , seu obviatio , quia Christo ad Templum delato occurrerunt Simeon , Anna , aliique , ut probabile est , complures justi) circa an. 542. promulgatum est a Justiniano. Quamquam censet Baronius solemnitatem hanc jam utcumque institutam fuisse a Gelasio , cum Romæ abolevit Lupercalia , in quibus aræ Saturni , quam Thomassinus credit esse Idolum Moloch , *non jam mactando viros* , ut antea , *sed accensis luminibus* excolebantur , ut refert Macrobius I. Saturn. cap. 7.

Festum Compassionis institutum est in memoriam profundi doloris , quo icta fuit sacra Virgo , dolorum pendentis e cruce Filii, conscia nempe vero , ut scite canit Habertus Vabrensis Antistes:

Caput cruentum Filii ,
Matris coronat verticem :
Clavis iisdem figitur
Christus cruci , Christo parens .

Festum hoc instituit , vel saltem præscripsit Synodus Tolonienfis ann. 1423. ut , qua meliori via poterat , facinora contra Virginem sanctissimam ab Hussitis commissa repararet.

Quod spectat ad Assumptionem B. Virginis , constat 1. rejiciendam esse ab omnibus opinionem Collyridianorum , qui Deiparam asserebant divinæ fuisse naturæ , prorsusque mortis expertem . Constat 2. aliquando dubitatum esse de ejusdem Virginis obitu : *Non dico* , ait S. Epiphanius hæresi 78. *quod immortalis mansit , sed neque affirmo , an mortua sit* . Utrumque hodie tota rejicit Ecclesia, quæ Mariam ex hoc sæculo , seu Jerosolymæ , seu potius Ephesi , *pro conditione carnis* migrasse profitetur ; sed neque iis assentit , qui eamdem martyrio vitam finiisse contendunt.

An autem Maria corpore simul , & anima in cœlum assumpta sit , ut pie sentiunt fideles , difficilis est controversia, quam hic expendere non vacat , quæque aliquando rationibus parum firmis , & defenditur , & oppugnatur . Sic male , quis assumptionem κατα corpus , ex ipso assumptionis vocabulo tueatur ; tum quia , quod hodie Assumptionis nomine exprimimur , hoc antiqua Adonis , & Usuardi Martyrologia *dormitionem* dicunt , alia vero *pausationem* , seu requiem Virginis ; tum quia beata Sanctorum mors , aliquando nominibus transitus , depositionis , somni , atque etiam assumptionis designata est. Sic etiam male , quis eamdem plenam assumptionem neget , ex eo , quod non pauci Patres dixerint Christum solum resurrexisse deinceps non moriturum: cum existiment Hilarius , & Epiphanius , quos secuti sunt Jansenius Iprensis, aliique plures, Sanctos quorum monumenta in Christi morte aperta sunt , ad immortalitatem resurrexisse.

Ut ut est, nemo fidelium refugiet modesta Petri Blesensis verba Serm. 28. *Hodie verisimile est , quod B. Virgo , & animæ beatitudinem , & corporis glorificationem adepta est : quod ne cui prorsus veniat in dubium, auctoritatibus adstruimus ,*

opi-

opinando tamen, non asserendo, &c. Interim, ait Claudius Joly Ecclesiæ Parisiensis Canonicus in Dissertatione de verbis Usuardi, &c. typis data an. 1669. *Sive sacratissima Virgo in corpore, sive extra corpus in cœlos assumpta fuerit, exaltata est super choros Angelorum, ab omnibus generationibus beata in æternum dicenda, omnimodis laudibus prædicanda, hymnis, ac canticis spiritualibus excolenda, &c.*

Quæres qua sanctiori ratione coli possint Marianæ festivitates.

R. Quædam esse pietatis exercitia singuli, cujusque Festi propria, quædam generalia.

Propria cujusque Festi, relationem habere debent ad mysterium, quod in eodem Festo colendum sibi proponit Ecclesia. Sic in Conceptione, & Nativitate, petendum est a Deo, ut præveniat nos in benedictionibus suis; ut amori ejus parem, & nos amoris vicem rependamus; ut si cogimur cum Augustino dicere: *Sero te amavi pulchritudo, tam antiqua, tam nova;* saltem dicere possimus: *Diligam te, Domine, fortitudo mea*, nec unquam ab amore tui cessabo. Sic in Præsentatione, una nos cum Maria Deo offerre debemus; diligere, ut & ipsa dubio procul dilexit, decorem domus Dei; & diem unam in atriis Domini transactam, meliorem æstimare super millia. Sic in Annunciatione precari decet, ut quæ Dei mater facta est, fiat & mater nostra, ut quæ virginitate placuit, & humilitate concepit, singularem nobis castimoniam, & tutricem castimoniæ humilitatem promereatur. Sic in Purificatione optandum, ut exemplo Virginis, (quæ tamen lege hac non tenebatur) singulas Dei, & Ecclesiæ leges servemus, & contra infractores tueamur pro virili, &c.

Quod spectat ad generalia pietatis exercitia, quæ Festivis Mariæ solemnitatibus adhiberi possunt; 1. æquum est, ut de collatis eidem a Deo beneficiis, singulares habeamus gratias bonorum omnium auctori; præsertim cum dona hæc non in solius Mariæ, sed & in nostri quoque gratiam concessa sint. 2. & hæc esse debet pars cultus nostri præcipua; omni studio enitendum est, ut Deiparæ virtutes, quantum licebit tenuitati nostræ, imitemur. Etsi porro juxta Damascenum Mariæ virtus *omnem encomiorum laudem excedit, nec si omnes in toto Orbe dispersæ linguæ in unum coeant, ejus laudes oratione consequi possent;* æquum est tamen, ut pro modulo intueamur puritatem ejus, fidem intensam, obedientiam alacrem, amorem Filii tenerrimum, solitudinis ac secessus studium, constantiam in adversis, silentium juge, & similia, quæ mentibus erga Deiparam pie affectis ultro se prodent. His, qui vocaverint, Mariam experientur matrem; cœteri nequaquam.

„ Sed Rosarium, inquies, defero: Scapulari induor, Cingulo Mariano „ præcingor. Bene est: an non homo pictus, verus homo censendus est, quia „ hominis simulacrum? Mariæ, fateor, externas tesseras defers, labiis eam „ honoras; sed cor tuum longe est ab illa. Tu ne Mariæ similis; qui quo„ tidie idolo impuritatis litas & adoles? Tu ne cum Maria marrisas, qui „ mollitie, & luxu diffluis, & in obscœna quæque effusus in immunditiis vo„ lutaris? ... Ne ergo te periculose decipias, arbitrans salutem tuam in tu„ to positam, si alicui Mariæ sodalitati nomen dederis, vel si aliquo exter„ næ pietatis officio fungaris, tametsi de vita serio mutanda non cogites, „ sed in iisdem flagitiis perseveres. Dic, sodes, Rosarium, Scapulare, Cin„ gulum, suntne aliquid Eucharistia sanctius, aut securius? Minime gen„ tium, inquies, & recte dices. Et heu quot, & quantis cibus ille vitalis mor„ tem affert! Sed instabis: De fratribus Rosarii dictum est: *Nemo Mariæ*

„ *cliens*

„ *cliens in æternum perit*: de gestantibus Scapulare revelatum est, *In quo* „ *quis morians æternum non patietur incendium*. Sed amabo, nonne de Eu- „ charistia, & quidem Christo contestante, & Auctore canonico scribente „ dictum est: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*? Et ... quot myria- „ des, quot chiliades Christianorum ... gravius pro certo damnandi, quod ci- „ bum illum immortalitatis sacrilego ore accipere attentarint. Hæc contenson L. 10. Theologiæ; quæ propriis viri Dominicani terminis exscribenda duxi.

SECTIO TERTIA.

De Festis Sanctorum.

CUM de Sanctis speciatim differere non possimus; generalia quædam circa eorumdem cultum proponere, & solvere sufficiet.

Quæres itaque 1. an recens sit Sanctorum cultus in Ecclesia, & qui ante alios cultu publico honorari cœperint.

R. Apostolos, & Martyres, eosque solos primis Ecclesiæ sæculis honoratos fuisse. Res patet quia antiquiora Ecclesiæ monumenta de istorum cultu aperte loquuntur, & de cœteris silent. Sic Constitutiones Apostolicæ, quæ sæculo quarto prodiisse censentur, *In diebus*, inquiunt Lib. 8. c. 35. *in diebus Apostolorum*, *vacent* ab operibus servilibus fideles... *In die Stephani Protomartyris iterum vacent, ac reliquis diebus sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ antepofuerunt*. Sic quoque referente Eusebio Lib. 4. de vita Constantini c. 23. *Missa est ab* eodem pio Imperatore *lex ad Præsides Provinciarum, ut diem Dominicam ipsi venerarentur. Iidem Festos Martyrum dies jussu Principis observabant, & Ecclesiasticarum festivitatum*, Paschæ v. g. & Pentecostes, *tempora debito honore prosequebantur*. Idem erat Ecclesiæ Latinæ usus, ut patet ex his S. Cypriani verbis: *Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus*. Cœterum juxta S. Doctorem pro Martyre habebatur, quisquis *in carcere, & vinculis* mortuus esset, ut patet ex Epist. 6. Lib. 3.

Quod ad Confessores attinet, ait Lucionensis Collator Tom. 13. p. 281. difficile probari posse addictum iis fuisse solemnem cultum ante quartum, & quintum sæculum: nec forte quis saltem in Occidente ante S. Martinum Turonensem eo cultu donatus est. Martini religiosam venerationem, si non comitata, proxime saltem subsecuta est par veneratio S. Hilarii Pictaviensis.

Quæres 2. qui fieri possit, ut prius in Martyrum, quam in Deiparæ honorem instituta sint Festa: hujus enim Festivitates non esse primævæ vetustatis, constat ex iis, quæ præcedenti Sectione disputata sunt.

R. Duplex afferri potest hujusce discriminis ratio: 1. quod Mater una cum Filio coli censeretur, licet dispari modo. Et vero in Homiliis, quas de Nativitate, Passione, præcipuisque Verbi mysteriis ediderunt Patres, prodit se totus eorum affectus in sanctam Dei Genitricem, quæ tantam in iisdem mysteriis partem habuit; 2. quia periculum erat ne Gentiles, deorum matrem colere assueti, in Christianis redarguerent, quod in Etnicis redarguebant Christiani; aut ne conversi ad fidem, filium, & matrem haberent pari in gradu, sicque idololatriam idololatria commutarent, prout fecisse dicuntur Collíridiani. Verum ubi tandem pene ubique rerrarum quievit Gentilitatis furor, ubi rursus Deiparæ titulum impugnarunt Nestoriani, jam ut impietas pietate convelleretur, sensim efflorescere cœpit Virginis honos, & reverentia.

Quæ-

Quæres 3. cur e tot veteris Testamenti Sanctis, soli publice in Ecclesia colantur Machabæi.

R. id factum, quia ii acerbam passi sunt mortem pro Lege, cujus finis est Christus: unde mors eorum, morti Martyrum nostrorum per omnia similis, speciali cultu digna judicata est jam a quarto Ecclesiæ sæculo. *Gloriosos eorum triumphos Gregorius Nazianzenus, aliique Patres eo potissimum nomine magnificentius efferunt, quod qui nondum proposito Christi exemplo tantam constantiam ostenderunt, multo fortiores fuissent, si post Passionem Christi illos in certamen descendere contigisset: quamvis omnibus Dei amatoribus semper fuisse persuasum testentur neminem eorum, qui ante adventum Christi martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse*. Ita Officium Parisiense sub die 1. Augusti.

Quæres 4. cur, & a quo instituta sit Festivitas Sanctorum omnium.

R. huic Festo datam fuisse occasionem a Bonifacio IV. qui an. 1607. electus est in Papam. Is Pantheon, delubrum nobile, forma rotunda, a Marco Agrippa consule, Jovi, diisque omnibus dedicatum, impetravit a Phoca Imperatore; ejectisque futilium numinum simulacris, viginti & octo plaustra sacrorum ossium, quæ e diversis Romæ Cœmeteriis effodi jusserat, illuc transvehi voluit; fanumque Deo in honorem Mariæ, & Martyrum omnium consecravit die 13. Maji; ut qui præ multitudine per annum coli non possunt, ii, una saltem die, generali cultu concelebrarentur. Sed *Gregorius item IV.* an. 827. electus, *postmodum decrevit eamdem Festivitatem, quæ variis modis jam in diversis Ecclesiis celebrabatur, in honorem omnium Sanctorum solemniter prima Novembris die ab universa Ecclesia perpetuo observari*; ita habet Martyrologium Romanum. Eidem Festivitati suam adjunxit Octavam Sextus IV. an. 1480. Festi scopus est. 1. ut honorentur Sancti, qui ignoti fidelibus, toto anni curriculo honorati non fuere. 2. ut quidquid in eorum cultu negligenter peccatum est, reparetur. 3. ut desideratam divinæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus consequantur Christiani.

Quæres 5. an pridem instituta sit Fidelium defunctorum commemoratio, quæ die Novembris secunda fieri solet.

R. 1. apud veterem Ecclesiam, imo & ante Ecclesiæ incunabula moris fuisse, ut pro mortuis Deo preces humiliter porrigentur. Patet id ex cap. 12. Lib. 2. Machabæorum, quem etsi Canonicum negant Protestantes, haud tamen negare possunt testem esse Judaicæ fidei luculentum. *Sed etsi*, ait Aug. Lib. de cura pro mortuis c. 1. *nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est Ecclesiæ universæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum*. Nempe vero, ait idem Serm. 172. alias 32. de verb. Apost. *hoc a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro iis, qui in Corporis, & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur, &c.*

R. 2. Commemorationem non hujus, vel illius, sed Fidelium omnium defunctorum videri institutam fuisse a S. Odilone Abbate Cluniacensi, qui eam in omnibus Ordinis sui Monasteriis peragi voluit an. 988. Pietatem ejus æmulati Romani Pontifices, eamdem solemnitatem ad totam Ecclesiam extenderunt.

Is pro mortuis universim orandi ritus, non Latinæ tantum Ecclesiæ proprius est, sed & Græcæ communis. Hæc enim, ut scribit Gennadius, C. P. Patriarcha, *per omne Sabbatum memoriam facere* solet *animarum; prætereaque bis in anno* pro iisdem orat magis solemniter, *nimirum Sabbato præcedente Dominicam carnisprivii*, seu Quinquagesimæ, *& Sabbato ante Pentecosten*.

De Festis tum Angelorum, tum Dedicationis Ecclesiæ adi Thomassinum, ad quem remittere cogimur; quia nostra hæc digressio, jam ultra fluxit, quam speraveramus; prout non semel contigit.

Qua ratione sanctificari debeant Festi dies, satis præmonuimus, ubi de tertio Decalogi præcepto. Sed quia Pseudoreformati, qui de industrio rixas cient, contendunt officia nostra vel ex eo redarguenda esse, quod lingua populis ignota peragantur; idcirco paulisper hic immorandum.

ARTICULUS TERTIUS.

An Officia Ecclesiæ peregrina lingua fieri possint.

SUam circa hoc disciplinæ punctum mentem his aperiunt verbis Tridentini Patres Sess. 22. c. 8. de Sacrificio Missæ: *Etsi Missam magnam contineat fidelis populi eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & a Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre, & magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis, mandat S. Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis, & Festis*. Pugnant ex adverso Protestantes, & usum celebrandi Officia, lingua minime vulgari *illusionem, superstitionem, & hypocrisim* esse contendunt: quod, ut pateat, quam male, sit

CONCLUSIO. Officiorum celebratio lingua minime vulgari, Ecclesiæ Romanæ in vitium verti non potest.

Prob. 1. quia etsi linguæ Hebraicæ usus jam a tempore Babylonicæ captivitatis desierit vulgaris esse apud Judæos, ita ut viri etiam eruditi linguam hanc non intelligerent, prout de Philone constat, ii tamen in sacris ritibus Hebraica lingua usi sunt semper, & hodiedum utuntur: atqui tamen hæc praxis, nec a Christo, nec ab Apostolis culpata est unquam: ergo pro certo tenendum est eam in se, & præcise nihil habere mali.

Prob. 2. quia redarguere id, quod *tota per Orbem frequentat Ecclesia* ∴ *insolentissimæ insaniæ* est, ut ait Aug. Ep. 54. atqui cum a communione nostra recesserunt Protestantes, ritus aliena utendi lingua in mysteriorum celebratione, tota frequentabatur in Ecclesia. Patet id 1. de Patriarchatu Occidentis, cui subsunt Italia, Germania, Gallia, Hispaniæ, Anglia, &c. nulla enim iis in Regionibus erat Ecclesia, ubi vulgaris esset latina lingua; nec ulla tamen erat præter Sclavoniam, ubi liturgia, cœteræque Officii partes, alia, quam latina lingua celebrarentur. Et id quidem, quod majoris est momenti a primis temporibus servatum erat. Cum enim Anglis, Hispanis, aliisque prædicata fuit Religio Christi, multi in variis earum Regionum partibus, latinæ linguæ expertes erant; neque tamen cogitatum est de vertenda

tenda

tenda pro iis in vulgarem linguam liturgia. Rursus, cum quæ aliquot sæculis in Gallia, & alibi viguerat latina lingua, tandem obsolere cœpit, & vulgo impervia esse; perrexit Ecclesia eadem, qua prius lingua uti. Idque adeo notorium erat sæculo nono, ut cum Methodius conversis Sclavis liturgiam Sclavonica lingua edidit, ægre id tulerit Joannes VIII.

Paret id 2. de quatuor Orientis Patriarchatibus: etsi enim in iis plurimæ sint Christianorum communiones, nulla tamen earum est, quæ mysteria celebret idiomate a populis intellecto. Utuntur quidem Armeni lingua Armena, Syrij Syriaca, Ethiopes Ethiopica, Cophtitæ Cophtica; sed prout ab initio erant, non autem prout nunc in usu sunt apud populum: unde hodierni Græci non magis litteralem seu primitivam Græcam linguam intelligunt, quam Romani Romanam, seu Latinam linguam intelligunt, cum eidem speciali studio non incubuere. Illudit ergo, & turpiter nugatur Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus, cum in præsenti controversiæ puncto Latinæ Ecclesiæ praxi, praxim Græcæ, aut Armenæ Ecclesiæ opponit. Ut enim Latina Ecclesia Latina utitur lingua, quam tamen soli eruditi callent; sic Græca Ecclesia Græco utitur idiomate; Syriaca Syriaco, quæ soli norunt, qui iisdem enixe studuerint.

Prob. 3. quia cum incommoda omnia vitari non possunt, ea indubie pars tenenda est, quæ multo plura, & graviora tollit: atqui Mysteriorum celebratio in lingua, quæ fixa sit, ideoque & expers mutationum, quibus obnoxiæ sunt linguæ vulgares, multo plura, & graviora tollit incommoda. Multa enim, & gravia sunt incommoda, quod deteratur majestas Religionis; quod fideles erroris periculo exponantur; quod demum Episcopi vix, ac ne vix quidem conciliariter convenire possint. Atqui incommoda hæc tollit, solusque tollere potest usus linguæ fixæ, ideoque non vulgaris. 1. enim multum deperit majestati Religionis ex eo, quod Officia ejus vulgari lingua peragantur. Hinc Psalmi Davidis gallicam in linguam translati a Theodoro Beza, & Clemente Marot, elegantissimis ævi sui Scriptoribus, una minus sæculo eo usque deridiculi evaserunt, ut risum moveant, nedum pietatis sensum instillent. Ecquis patienter ferat versionem hanc Psalmi 50. quo tamen vix alius commovendis animis aptior est in tota Scriptura.

Lave moy, Sire, & relave bien fort
De ma commise iniquité mauvaise,
Et du pèché, qui m' a rendu si ord,
Me nettoyer d' eau de grace te plaise
Car de regret mon cœur vit en èmoy,
Connoissant, las! una grande faute prèsente,
Et qui pis est mon pèché se prèsente
Incessament noir, & laid devant moy
D' hyssope donc par toi purgè serai;
Lors me verrai plus net que chose nulle;
Tu laveras ma trop noire macule.
Lors en blancheur la neige passerai.

Quis Psalmum quartum in hac agnoscat interpretatione.

Quand je t' invoque hèlas! ècoute
O Dieu de ma cause, & raison:
Mon cœur serré au large boute,
De ta pitiè ne me reboute.

 Quis

Quis tandem risum cohibeat, cum veterem Ministrum versum hunc audierit serio canentem:

Et moi je suis un gros butor.

Senserunt infideles ipsi, quam parum deceat Religionem vicissitudinibus linguarum obnoxiam esse. Sic referente Quintilliano Lib. 1. Instit. c. 6. *Carmina Saliorum*, quibus Etnicæ Romæ sacra fiebant, etsi *vix Sacerdotibus suis satis intellecta mutari* vetabat *Religio*. Sic hodie Turcæ, & Persæ Arabica lingua Grammaticali, quæ plebi peregrina est, publico in ministerio utuntur, &c.

2. Celebratio Officiorum lingua vulgari populos erroris periculo exponit. Certe enim, vel unius litteræ additio errorem invehere potest, ut patet in *omoiousio*, & *omousio*: unde multi refert, ut Scripturæ, sacrorumque rituum versiones ab Episcopis approbentur; porro qui fieri potest, ut ab Episcopis approbentur versiones editæ linguis, quas ne unus quidem forte Episcopus capit, ut est Vascorum lingua? Et licet identidem approbari possint, an approbari poterunt quoties novas proferri exiget mutatio linguæ? Scio equidem erroris periculum ex idiomatum diversitate ortum tolli omnino non posse; cum populus Catechismum saltem vernacula lingua scriptum habere debeat: at æquum est, ut si quævis incommoda auferri non possint, tollantur saltem, quantum possunt. Aliunde id ad minus solatii habent fideles, ut cum a Parocho suo fieri, & recitari vident, quidquid in aliis Catholicis Regionibus fieri, & dici conspiciunt, eumdem merito existiment idem cum cœteris sentire. Contra vero si sua quisque lingua sacra faciat, & Officia persolvat, non poterit discernere viator, sitne in Ecclesia Catholica, an in communione schismatica.

3. Si semel in Occidente exulet a sacris usus linguæ Latinæ, ibit hæc paulatim in desuetudinem; nec jam ab eruditis edisceretur, nisi ut nunc edisćuntur linguæ Orientales; quarum potissima, Hebraica nimirum, fortassis hodie a nemine intelligeretur; nisi perpetuo a Judæis in Synagogis conservata esset. Sublato autem Latinæ linguæ usu, quomodo jam in Synodis convenient Episcopi, alii aliis quoad linguam penitus extranei? Qui fieri poterit, ut adstruant fidem, aut errores abigant, qui se se invicem non audient? Haud difficile erat primis Ecclesiæ sæculis, post discussas in Occidente quæstiones, quæ Niceæ v. g. aut Ephesi agitandæ erant, aliquot in Orientem mittere Episcopos, Latinæ simul, & Græcæ linguæ gnaros, qui Occidentis fidem exhiberent: verum quo pacto constitisset de fide omnium Occidentis Episcoporum, nisi ratione Latini idiomatis unum quasi Populum constituissent? Hæc, & alia id genus multa videris in Libro cui titulus: *De l'usage de celebrer le Service divin dans l'Eglise en langue non vulgaire. Paris 1687.* Vide & Controversias P. Veron., ubi scite redarguit infidelitates in versionibus Lutherana, & Genevensi commissas.

Obj. 1. Praxis Deum ignota lingua publice laudandi expresse redarguitur ab Apostolo 1. Cor. 14. ubi sic: *Nunc autem, Fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia.. etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.*. *si ergo nescièro virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus &c.* Unde sic: Ille non patiatur, ut sacra fiant alia, quam vulgari lingua, qui hominem ignota lingua loquentem comparat tubæ incertam, ideoque & inutilem vocem danti; qui eumdem in aera lo-

loqui contendit; qui denique eum pro barbaro habet: atqui S. Paulus hæc docet in versibus citatis: ergo merito hæc habet Anglicana fidei confessio an. 1562. art. 24. *C'est une chose entierement repugnante à la parole de Dieu, & à l'usage de l'Eglise primitive, de faire des prieres publiques en l'Eglise, ou d'administrer les Sacremens, en une langue non entendue du peuple*. Confessio Anglic. ad calcem Liturgiæ, edit. Londin. 1661.

R. ad 1. neg. ant. 1. quia redarguere non potuit Apostolus id, quod ipse propria praxi comprobabat: atqui Apostolus quoties legalia observabat in templo, propria praxi confirmabat usum linguæ minime vulgaris; prout eum comprobaverat ipse Christus, ut diximus supra; 2. quia si praxis ignota lingua utendi Scripturæ adversatur, Scripturæ hostis fuit Lutherus, qui Missam suam Latina * aliquando, aliquando vernacula lingua celebrari volebat, ejusdem quoque hostes erunt Lutherani, qui Missam magna ex parte faciunt ** Latina lingua: ut quid ergo, & Lutherum Beati nomine dignantur Calvinistæ; & publico decreto Synodi Nationalis apud Carentonium habitæ an. 1631. sanxerunt, ut Lutherani ad Matrimonia, & Cœnam in Calvinianis templis admitterentur. ***

R. ad 2. neg. maj. aliud est enim improbare, ut privatus quis in publico fidelium cœtu peregrina lingua loquatur, aliud improbare, ut publica Officia lingua minime vulgari persolvantur. Primum, & merito redarguit Apostolus, prout redargueremus in Gallia Italum, aut Anglum, qui e suggesto Italice, vel Anglice concionaretur; at de secundo ne verbum quidem habet in citato textu. Totus enim in eo est Apostolus, ut emendet Corinthios, qui ex aliquo vanæ gloriæ sensu, donum linguarum his temporibus frequens, præferebant donis cœteris, iis etiam, quibus alii instrui potuissent, & ædificari. Certe, inquit v. 19. *in Ecclesia volo*, seu mallem *quinque verba sensu meo*, id est quorum sensum intelligam *loqui*, *ut & alios instruam*, *quam decem millia verborum in lingua*, cujus vim, & energiam non sic assequar, ut possim alios instruere. En Apostoli intentum, ad quod necesse non fuit, ut expenderet, an Ecclesiæ Officia vulgari idiomate fieri deberent, an non.

Confirm. 1. quia idem S. Gentium Doctor constituit v. 29. ut in his fidelium congregationibus *Prophetæ duo, aut tres dicant, & cœteri dijudicent*; & v. 34. *ut mulieres in Ecclesiis taceant*: atqui hæc, aliaque ejusdem generis multa, quæ ibid. tradit Apostolus, solum referri possunt ad exhortationes lingua vulgari faciendas, non autem ad publicam Scripturæ, & Officiorum lectionem. Ut enim scite annotat Bellarminus L. 2. de verbo Dei c. 16. lectio Scripturarum, & divina Officia non debent a fidelibus dijudicari; nec tunc inspirantur cum leguntur, sed jam olim inspirata recitantur; nec unquam mulieres in Ecclesia Dei sacra mysteria celebraverunt: ergo.

Confirm. 2. quia locum hunc Pauli non de publicis Officiis, sed de exhortationibus nota lingua faciendis intellexere Cyprianus, Augustinus, Basilius, Ambrosius, Theodoretus, aliique, quos citat idem Bellarminus.

* Vide P. Le Brun T. 4. Operis cui titulus: *Explication Litterale*, &c. p. 22

** Falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur, & usitatæ cœremoniæ fere omnes, præterquam, quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. *Confessio Augustana Carolo V. oblata an.* 1730. juxta edit. Viti Pichler S. J. distat hæc non parum ab eadem Confessione prout extat in syntagmate Confessionum: &c.

*** Vide Decretum hoc in Gallica Epitome Controversiarum, Auctore Francisco Veron, p 54. edit. 1649.

Inst. pergit Apostolus v. 14. *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est, orabo spiritu*, id est, ore *orabo, & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen super tuam benedictionem, quoniam, quid dicat, nescit?* Unde sic: S. Paulus eo loci manifeste loquitur de precibus, & psalmis: atqui vult idem S. Paulus, ut hæc lingua vulgari fiant aut spallantur. Vult enim, ut qui supplet locum idiotæ, seu, ut qui imperitus est, dicat, Amen super ea, quæ dicta sunt: atqui non potest dici illud, Amen, nisi ab iis, qui intelligant id, quod dictum est; & hoc utique non intelligent si lingua extranea expressum fuerit: ergo.

R. dist. maj. Loquitur de precibus, & Psalmis, quæ privati quidam fideles componebant, C. de precibus, & Psalmis, in quibus sita erat liturgia, aut quæ ex ipsius Ecclesiæ instituto fiebant, N. Itaque in fidelium conventibus fiebat sacra synaxis, legebantur Scripturæ, & canebantur Cantica a fidelibus composita, ut docent antiqui Scriptores, Tertullianus Apologet. c. 39. Eusebius L. 2. Histor. c. 17. & qui ad hæc Cantica hortatur Apostolus. ipse Ephes. 5. & Coloss. 3. hæc Cantica, aliasque privatorum orationes vult Apostolus fieri lingua, quæ saltem a quibusdam intelligatur, tum ut judicari possit, an a Deo procedant, tum ut ea exponi possint, si exponi merentur: at nihil sancit idem Apostolus, quoad preces publicas; nec erat, quidquam etiam juxta Protestantes, hac in parte sanciendum: certe enim Corinthi, & Scripturæ legebantur, & sacra fiebant Græca Corinthiorum lingua: ergo totus ille Pauli locus est omnino extra rem.

R. 2. neg. min. Non enim exigit Paulus, ut Cantica spiritualia vulgari lingua concinantur, sed ut non concinantur lingua prorsus ignota, & quæ proinde a nemine possit explicari. *Si lingua quis loquitur*, ait v. 27. *unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia*. Quæro autem; an in Ecclesia Romana celebretur Officium lingua prorsus ignota? quæro, an desint docti, & pii Interpretes eorum, quæ in Ecclesia canantur?

His addo Latinæ linguæ usum efficere, ut fideles facilius, & communius respondeant, Amen, aliaque, quæ a populo responderi solent. Iter faciant simul Catholicus, & Calvinista Polonus. Is in Suecia, Germanica, Batavia, Anglia, Scotia, &c. qualibuscumque horum locorum Liturgiis intersit, nullibi respondere poterit. Contra vero Catholicus ubique respondebit id, quod in patria respondebat: ergo communis linguæ usus Christianam communionem fovet, cui econtra adversatur usus linguæ vulgaris.

Inst. 2. Ideo voluit Apostolus, ut Cantica prædicta vulgari idiomate fierent, ut populus subjiceret, Amen: atqui eadem ratio probat Officia publica idiomate vulgari celebranda esse; alioqui enim populus subjicere non potest Amen: ergo.

R. 1. falsum esse, quod voluerit Apostolus, ut spiritualia fidelium Cantica fierent lingua vulgari; hoc enim præcepit unum, ut non fierent lingua omnibus omnino ignota; quia tunc nemo ea potuisset interpretari.

R. 2. neg. min. decebat enim, ut prædicta Cantica saltem a quibusdam intelligerentur, ut vernacule reddita intelligerentur a cæteris; quia præcipuus eorumdem Canticorum finis erat instructio, & consolatio fidelium; & aliunde dijudicandum erat, an non Cantica hæc prodirent ab eo, qui transfigurat se in Angelum lucis, ut vel seducat, vel saltem temporis melius impendendi jacturam procuret. Verum utraque hæc ratio locum non habet in divinis Officiis, quæ nec indigent fidelium approbatione, nec primario

mario instituta sunt in solatium, & instructionem populi, sed in cultum supremi numinis.

Inst. 3. Ex Matth. 15. & I. Cor. 14. sic debet Deus coli, ut non honoretur labiis solis, & ut colentis *mens* non sit *sine fructu*: sed, qui publicas preces lingua sibi ignota persolvit, nonnisi labiis Deum honorat; & *mens* ejus *sine fructu est*: ergo.

R. 1. hinc sequi pessime actum tum a Judæis, qui Christi tempore Psalmos Hebraica lingua recitabant, tum a Pseudoreformatis nationis cujuscumque, qui ante Mannetensis Edicti revocationem Carentonium templum una cum Gallis hæreticis frequentabant; hic enim, alii aliis, quoad linguam Barbari erant.

R. 2. necessum non esse, ut plebs sacris assistens id dicat Latina lingua, quod eadem persolvunt Clerici divino ministerio deputati. Sane, qui legere norunt, habent patria lingua id omne, quod canunt, aut recitant Sacerdotes: cœteris vero satis est, ut Deum, quo meliori possunt modo, deprecentur; suamque Ministrorum intentioni intentionem consocient. Et vero quomodo in multitudine vocum necessario confusa id intelligerent distincte, quod ab aliis etiam vernacula lingua concinitur? Quomodo Ecclesiam fructuose divini Officii temporibus ingrederentur surdi; quomodo constitutum a Deo, ut Sacerdote apud Judæos in interiori templo orante, plebs foris manens, & nec audiens, nec videns Sacerdotem, ejus tamen precum particeps esset, & esse deberet? Luc. 1. v. 10.

R. 3. neg. min. *Etsi* enim, ait Origenes Hom. 20. in Josue: *non intelligimus, quæ de ore proferimus, illæ tamen virtutes, quæ nobis adsunt, intelligunt; & velut carmine quodam invitatæ, adesse nobis, & ferre auxilium delectantur*. Quibus consonant hæc Augustini L. 6. de Bapt. c. 25. *Multi irruunt in preces, non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem non eas valentes discernere, utuntur eis, arbitrantes, quod bonæ sint; nec tamen, quod in eis perversum est, evacuat illa, quæ in eis bona sunt, sed ab eis potius evacuatur*. Ex quibus merito, & naturaliter colligit Bellarminus: *Deum non tam respicere, quod dicamus, quam quid dicere cupiamus. Si ergo preces non intellectæ, & male non sunt infructuosæ, quando dicuntur bona fide: quanto magis preces optimæ ab Ecclesia institutæ, etiamsi non intelligantur, proderunt?*

Confirm. 1. quia Judæi variis Deum cœremoniis, ac figuris colebant, quarum significationem multi eorum minus intelligebant, quam verba latina rustici nostri: atqui tamen neque sic Deum colebant inutiliter, ut docet S. Augustinus L. 3. de Doctr. Christ. c. 9. 2. quia ex duobus quorum alter Psalmos, & Prophetas multo perfectius intelligit, alter vix in iis quidpiam capit, plerumque acceptiori apud Deum modo orat iste, quam ille: ergo non tam intelligentiæ, quam affectus rationem habet Deus: ergo nihil mirum si exaudiat rusticum, qui *etsi non intelligit, quæ de ore profert*, id tamen postulat, quod scit ab Ecclesia postulari. Et vero si res aliter esset, haud satis consultum esset æternæ saluti tot puerorum, totque pinguis ingenii hominum, qui quacumque lingua recitent Ecclesiæ preces, vix earum quidpiam satis intelligunt.

Obj. 2. Innocentius III. seu potius Lateranense Concilium IV. constituit, ut Episcopi civitatum, in quibus *permixti sunt populi diversarum linguarum habentes sub una fide varios ritus, & mores*, iisdem *provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum, & linguarum, divina il-*

lis Officia celebrent: ergo credidit publica Officia, non alio, quam vulgari idiomate esse celebranda.

R. neg. conseq. Objecti Canonis sensus ex circumstantia temporis, quo is conditus fuit, eruendus est. Capta a Gallis, & Venetis Constantinopoli, quæsitum est a Concilio Lateranensi, cui una cum Latinis interfuere Græci, ut quibus in locis Græci Latinis permixti erant, hic duos ordinari Episcopos permitteret. Sensit Synodus quantas moverent turbas duo in eadem Diœcesi Antistites; unde ne quid tale fieret, prohibuit districte: at simul sanxit, ut Episcopus loci, seu Græcus foret, seu Latinus, provideret, ut Græci Græcos, Latini Latinos haberent Sacerdotes, qui Græce Græcis, & Latine Latinis sacra facerent: ergo non permisit sacra fieri vulgari lingua, sed lingua, quæ jam, seu in Latio, seu in Græcia desierat esse vulgaris. Certe si mens Innocentii fuisset, ut Officia lingua vulgari peragerentur, indubie egisset idem Pontifex, ut Italia, cui jura dabat, vernacula lingua uteretur in sacris: hoc autem ne tentatum quidem est, nedum observatum fuerit: unde sanctus Thomas, qui paulo post citatum Lateranensis Concilii Decretum floruit, Corporis Christi Officium composuit Latina lingua, quam tamen in c. 14. Epist. I. ad Corint. negat fuisse tunc Italorum vulgarem.

Obj. 3. Eadem hodie lingua liturgia celebrari debet, quæ ab Apostolis instituta est: atqui liturgia lingua vulgari instituta est ab Apostolis: ergo.

R. 1. pari ratione probari posse liturgiam fieri debere lingua non vulgari, quandoquidem eam instituerint Apostoli linguis scilicet, Græca, Syriaca, Latina, &c. quæ jam a pluribus sæculis nullibi sunt vulgares.

R. 2. neg. maj. Ut enim lingua vulgari celebrari debeat liturgia, non sufficit, ut eam lingua vulgari instituerint Ecclesiæ Principes, sed requiritur, ut immutabili Decreto constituerint eam, quidquid tandem incommodi evenire posset, nulla unquam nisi vulgari lingua celebrandam esse: atqui Protestantes, qui nonnisi ex Scriptura argumentari efficaciter possunt, nusquam ex ea, aut aliunde probabunt, Apostolos, vel irrevocabiliter, vel simpliciter decrevisse, ut liturgia nonnisi vulgari lingua fieret: ergo ruit argumentum istud, quod olim contra Cardinalem Perronium urgebat Jacobus Angliæ Rex.

R. 3. neg. min. non quod cum eodem Perronio existimem liturgiam Latina solum, & Græca lingua institutam esse; sed quia nec probatur, nec probari potest, tot ab initio conditas esse liturgias, quot erant vulgares linguæ. Etsi enim utraque lingua toto imperio celebris erat, haud tamen verisimile est eas ita in omnibus non urbibus solum, sed & pagis invaluisse, ut ab omnibus omnino usurparentur. Certe quamvis Augustini tempore jam a pluribus sæculis vigeret in Africa latinæ linguæ usus, non deerant tamen rustici, qui veteri solum Punica lingua uterentur; quemadmodum etsi Gallica
Aug. Ep. 209. lingua in Gallis vigeat, sunt tamen, seu in Armorica inferiori, seu in Provincia, aliisque locis pluribus rustici, quibus ferme barbarum sit, quidquid a populari suo idiotismo discrepat. Quæro autem, an qui ex iis locis ad fidem conversi sunt, debuerint a sacris abstinere, quia eorum sensum capiebant; aut quod in idem recidit, an probabile sit, suam unicuique pago affixam esse liturgiam. Res profecto fidem superat: quo posito se ipsis corruunt argumenta Protestantium, quæ nisi generaliter probent, nihil probant. De his, si plura voles, adi Bellarminum citato L. 2. de verbo Dei cap. 16. vividumque ejus vindicem Jacobum Gretserum in idem caput.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

An expediat Festorum numerum augeri.

QUatuor hic inquiri possunt, 1. an major olim fuerit, quam nunc sit, Festorum numerus; 2. an numerum Festorum, quæ hodie aguntur satius sit imminui, 3. quas Festivitates tolli conveniat; 4. cujus sit imminuere Festa. Hæc omnia paucis expendemus, Thomassinum secuti, qui de Festis, ut & de cœteris pari ad pietatem soliditate scripsit. Sit itaque

CONCLUSIO I. Major fuit olim, quam sit hodie, feriatorum dierum numerus.

Prob. ex Constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 33. ubi sic: *Servi quinque diebus opus faciant; Sabbato autem, & Dominico die vacent in Ecclesia propter doctrinam religionis. Diximus enim habere quidem Sabbatum rationem creationis mundi, Dominicum vero Resurrectionis*. En ergo juxta auctorem hunc, qui cum a S. Epiphanio citetur, ad minus est quarti sæculi, en unaquaque hebdomada festivitatem Sabbati, Dominicæ festivitati superadditam. Potuit quidem is Sabbato honos non ubique exhiberi; sed non ideo deerat duplex singulis hebdomadis festivitas; quia Constantinus *cunctis sub Imperio Romano degentibus præcepit, ut Dominico die feriarentur; utque diem, qui est pridie Sabbati, honorarent in memoriam* passionis Christi, prout refert Eusebius Lib. 4. de vita Constant. cap. 18.

Sanciunt quoque Constitutiones Apostolicæ, ut *tota magna hebdomada, & proxima sequenti vacent servi, quia illa passionis est, hæc resurrectionis*. (Et hanc praxim forte collapsam confirmarunt Theodosius, & Arcadius Lege, quæ extat Cod. Theodos. lib. 2. tit. 8.) Vacabant quoque servi diebus Assumptionis, seu Ascensionis, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphaniæ, Apostolorum, (qui omnes verisimiliter una eademque die colebantur) Stephani Protomartyris, *ac reliquis diebus sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ anteposuerunt*; quique juxta Thomassinum Lib. 1. de Festis cap. 4. iis solum in locis celebrantur, ubi martyrium perpessi fuerant.

CONCLUSIO II. Festorum numerus augeri non debet, sed forte potius imminui.

Prob. & utinam minus efficaciter, rationibus, quas in Remensi ann. 1408. Concilio proposuit Gersonius his verbis: *Quid insuper de multitudine præceptiva tot Festorum; quæ non observantur, & ita peccatur; vel egestati subditorum mechanicorum non sufficienter consulitur; vel pessimæ otiositati, qua nesciunt rurales bene uti, janua grandis aperitur. Subintroeunt consequenter magno agmine ebrietates, lites, lusus improbi, expensæ sumptuosissimæ, choreæ plenæ peccatis, & insaniis, & carminibus blasphemis, imo & per Inquisitorem damnandis, dissolutiones quoque luxuriosæ; & ad breve verbum subingreditur malum omne; ita ut, quod pro honore Dei, & pro salute animarum fuit sapienter institutum, vertatur in contumeliam ejus, & salutis detrimentum.*

Contra eosdem, nisi pejores, abusus acriter exarsit eodem tempore Nicolaus Clemangius Archidiaconus Bajocensis, in Oratione *De novis celebritatibus non instituendis*, in qua & laudatur *Sanctæ memoriæ Michael Antissiodorensis Episcopus*, qui *propter detestabiles insolentias, quas in diebus Festis fieri videbat... majorem longe partem dierum Festorum Synodalibus in illa Diœcesi* Edi-

Edictis coli consuetorum, a coarctatione observantiæ, pia motus considera-tione relaxavit, salutarius existimans, Deoque acceptius, vineam amputare aut propagines ducere, quam inerti torpendo otio, crapulæ, & ingurgita-tioni, cæterisque maleficiis insistere.

Aliud urget idem Theologus incommodum, quod patit Festorum multiplicitas. *Noluerunt*, inquit, Majores nostri, *ita Sanctos coli, ut Deus negligeretur; nec justum putaverunt tot Sanctorum in Ecclesia gesta recenseri, ut non possint in ea legi veteris, & novi Testamenti sacra volumina.* Equidem Beatorum cultus in cultum Dei cedit, constatque in Actis Sanctorum multa esse, quæ virtutem inspirent. Verum timendum est, ne plebs paulo rudior sic adhæreat mediis, ut negligat finem. Aliunde vero quidquid magni contineant Sanctorum gesta, quanto a sacris Scripturis distant intervallo? non est ergo, quod redarguantur, quibus, ut Patribus Concilii Trevirensis an. 1594. *operæ pretium visum est, Festorum numerum contrahere, quo, & effrænes coerceantur, & aliquid detur necessitati pauperum.* Et hoc non sine laude moliti sunt multi Galliarum Antistites, quorum tamen aliqui Festivitates in hebdomadis decursu occurrentes, satius in Dominicam transferendas esse rati sunt; alii dimidia quædam instituerunt Festa, ita ut plebs matutinum tempus Deo dare teneatur, postmeridianis vero horis sibi providere possit. Dolendum tamen, ait ibid. Thomassinus lib. 1. cap. 11. n. 12. quod dimidiæ eæ celebritates lapsu temporum vanescant, & negligantur; ut hinc patet, quod ultimi tres hebdomadæ sanctæ dies, quamquam plus amoris inspirare debent, vix jam pro Festis, aut Semifestis habeantur.

Cœterum, qui Festa auferunt, caverè debent, ne aut ea tangant, quæ a primis Ecclesiæ sæculis observata sunt; aut, quæ licet recentius instituta, auferri non possent, quin turbaretur Ecclesiæ harmonia, & concentus.

CONCLUSIO III. Possunt Episcopi Festa quædam per se solos tollere: non raro tamen, Apostolicam Sedem ea de causa consuluerunt.

Prob. 1. pars, 1. quia per quas causas res nascitur, per eas potest & dissolvi: porro possunt Episcopi Sanctis, qui jam tales ab Ecclesia agnoscuntur, solemnem cultum indicere: ergo & ejusdem cultus solemnitatem recidere possunt; 2. quia potestatem hanc in Episcopis agnoscunt Concilia Trevirense jam citatum, & Cameracense an. 1565. ubi sic c. 11. *Cum vulgus diebus Festis, ut plurimum ad laxiorem, & dissolutiorem vitam se ipsum effundat, quam aliis diebus; quo majori reverentia queant observari ab omnibus, videant Episcopi, sintne aliqui Festi dies, quos præstet esse profestos, idest operarios*; 3. quia plerumque sua hac potestate, nemine reclamante usi sunt piissimi quique Galliæ Antistites. Quin & illud eorum jus diserte confirmat Tridentinum Sess. 25. cap. 12. his verbis: *Dies autem Festi, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur.*

Prob. 2. pars, quia Henricus IV. utique ad preces Episcoporum Regni sui, pluries, & vivide apud Clementem VIII. egit, ut plura Festa recciderentur: atqui id egit an. 1642. Urbanus VIII. quia, ut ait Bulla, quæ incipit *Universa: Plurimorum .. Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione* didicerat, *Festorum multitudinem*, plus nocere, quam prodesse. Et vero Festivitates, quæ hactenus unanimi Ecclesiarum omnium concentu observatæ sunt, decentius a Capite cum membris, quam a membris solis auferuntur. Aliud est de solemnitatibus unicuique Diœcesi propriis: nihil quippe mirum est illas eadem tolli auctoritate, qua constitutæ sunt.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De secundo Ecclesiæ præcepto.

SEcundo Ecclesiæ præcepto jubentur fideles jejunare præscriptis ab Ecclesia diebus: priusquam vero præceptum illud exponamus, revocandum est in mentem 1. quadruplex distingui jejunium, metaphoricum scilicet, seu spirituale, naturale, morale, & Ecclesiasticum, quæ satis a nobis expensa sunt Tom. 1. secundæ, & tertiæ editionis ubi de Temperantia; 2. jejunium Ecclesiasticum, de quo solo agimus in præsenti, duo excludere, qualitatem scilicet, & quantitatem alimentorum, ita ut, qui jejunant, nec iisdem cibis, nec eadem alimentorum quantitate uti possint, quæ in usu sunt extra jejunii tempus. Jam ergo quatuor hic investiganda essent. 1. an Ecclesia possit jejunia instituere, prout nunc servantur; 2. quæ præcipue instituerit, & quando; 3. quæ requirantur conditiones, ut jejunii lex rite, & salubriter adimpleatur; 4. qui eadem lege teneantur. Sed, quia ex his nonnulla jam attigimus, ubi de Temperantia, cœtera hic delibare sufficiet.

ARTICULUS PRIMUS.

An Ecclesia possit Jejunia instituere.

NEgant ex æquo Pseudoreformati, & Protestantes Ecclesiam indicere posse jejunia, quæ conscientiam obligent. *Sciendum est*, ait Confessio Augustana * tit. de discrimine ciborum &c. *tales observationes*, jejunii, feriarum, & similes, *nec mereri remissionem peccatorum, nec justitiam, nec perfectionem esse: sed esse res adiaphoras, quæ extra scandali casum omitti possunt*. Concinit, si tamen vere concinit, Confessio Argentinensis Carolo V. in Comitiis Augustæ exhibita an. 1730. ubi sic c. 8. *Locum, tempus, modum, tum precandi, tum jejunandi, malumus sancto Spiritui .. arbitranda relinquere, quam certis præscribere legibus, maxime quas sine piaculo transgredi non liceat.*

Calvinus, etsi lib. 4. Instit. §. 14. observationem jejunii, & utilem esse, & ab ipsis Apostolis usque, necnon in Lege, & Prophetis usitatam agnoscit, graviter tamen invehitur contra jejunium quadragesimale; & carnium esum impiis legibus prohibitum esse contendit; nec, qui ab iis abstinent, vult quidquam habere meriti: unde ei ad jejunium satis est, ut parcius, ac levius, viliori busque cibis vescamur, §. 18. 20. & 21. Sit

CONCLUSIO. Potuit Ecclesia jejunia instituere, qualia servantur a fidelibus.

Prob. 1. Jejunium prout in usu est apud Catholicos, duo importat, nimirum abstinentiam a carnibus, & alimentorum mensuram solita parciorem: atqui utrumque instituere potuit Ecclesia: 1. quia non minor est potestas Ecclesiæ in Lege nova, quam in antiqua fuerit potestas, vel Synagogæ erga totam Judæorum gentem, vel Jonadab patris Rechabitarum erga universam domum suam: atqui potuit Synagoga constituere jejunia a Deo minime præcepta, ut patet, tum ex Esther 9. ubi indicitur jejunium in memoriam liberationis a persecutione Aman; tum ex c. 8. Zachariæ, ubi sermo est de jejuniis quarti, quinti, septimi, & decimi mensis, quæ a Rei-

* Vide Syntagma Confessionum part. 2. pag. 33.

Reipublicæ Præpositis, variis occasionibus, non autem a Moyse constituta erant. Potuit etiam Jonadab filius Rechab filiis, & nepotibus suis usum vini prohibere *usque in sempiternum*; & obedientiam legi tam severæ ab ipsis præstitam laudavit, & remuneravit Deus, ut patet ex Jerem. c. 35. v. 18. ubi *Domui Rechabitarum dixit Jeremias: Hæc dicit Dominus... Pro eo; quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa, quæ præcepit vobis ... non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus*.

2. Quia si licitum fuit Apostolis quorumdam ciborum, sanguinis scilicet, & suffocati usum prohibere ad bonum finem, nimirum ut facilius Gentiles in unum cum Judæis corpus coalescerent; quidni Apostolorum successoribus licitum sit certa prohibere alimenta, in finem perinde honestum, videlicet ut coerceatur lascivientis carnis petulantia, mens sursum elevetur, virtutemque, & virtutis præmia obtineat?

Nec est, quod dicat quis, sanguinis, & suffocati usum, rem fuisse, posita etiam Apostolorum constitutione, adiaphoram. Id enim, si generaliter intelligatur, falsum esse evincunt hæc verba Act. 15. *Perambulabat Paulus Syriam, & Ciliciam præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*. Non enim est indifferens id, quod sub præceptum cadit. Et vero ea lex tam severe per aliquod tempus servata fuit, ut mallent mori fideles, quam sanguinem degustare, prout docet Tertullianus Apologet. cap. 9.

Prob. 2. Quod Ecclesia prioribus, ideoque & purioribus sæculis exegit inculpate, id hodiedum exigere potest: atqui Ecclesia jejunium inculpate exegit.. Prob. min. 1. ex Can. 68. inter Apostolicos, ubi sic: *Si quis Episcopus vel Præsbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat.. præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur; si laicus sit, segregetur*; 2. ex Concilio Gangrensi* an. 324. ubi sic Can. 19. *Si quis eorum, qui continentiæ studen, absque necessitate corporea, tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita superbienda dissolvit .... anathema sit*; 3. ex Concilio Laodicensi an. 320. quod his refertur verbis dist. 3. de Consecr. c. 8. *Non oportet in Quadragesima quinta feria ultimæ hebdomadæ jejunium dissolvi, & totam Quadragesimam inhonorari: sed per totos hos dies jejunare, & escis abstinentiæ convenientibus, idest aridioribus uti*. Idem sanciunt Canones alii plures, quos videris apud Gratianum dist. 3. de Consecrat. Ex his patet jejunii legem jam a primis Ecclesiæ sæculis esse constitutam: atqui lex ea inculpate constituta est. Lex enim, quam summa cum veneratione susceperant innumeri paris ad pietatem doctrinæ Pontifices, innumeri Martyres, Confessores innumeri, non inculpate solum, sed & laudabiliter constituta fuit; neque enim tot hominibus, qui Deum quærebant in spiritu, & veritate, divinum lumen prorsus defuisse credemus, ut in Calvini, & Lutheri tempora reservaretur: atqui jejunii legem summa cum veneratione susceperunt innumeri Pontifices &c. eamque ita susceperunt, ut inter Ecclesiæ hostes Aerium jejunii contemptorem, cæterosque Pseudoreformatorum prædecessores recensuerint, ut patet ex S. Epiphanio hæresi 75. & Augustino de hæresib. cap. 53. ubi sic Lutherum sub-

no-

* Citatur a me hic Canon, prout eum habet *Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ*, impressus Moguntiæ an. 1525. & novis typis editus Lutetiæ an. 1609. ibi Gangrense Concilium consignatur an. 333. idem consignat Pithou an. 324. dist. 30. Can. 8. & seq. idem Pithœus Laodicense Concilium consignat an. 320. dist. 3. de Consecr. cap. 8. quod in *Codice* differtur ad an. 368.

nomine Aerii verberat : *Aerius in Arianam hæresim lapsus, propria dogmata affinxit nonnulla, non esse solemniter celebranda statuta Ecclesiæ jejunia; sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videamur sub lege*: ergo.

Prob. 3. ex Patribus, quorum instar in re clara sint Tertullianus, juxta quem in Lib. de Jejunio, *bene* est quod *Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent*. Hieronymus, qui in Epist. ad Marcellam adversus errores Montani: *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo, jejunamus .·. non quo, & per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat; sed quia aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre*; ubi S. Doctor jejunium Quadragesimæ necessarium vocat, & a voluntariis Novatorum jejuniis discernit. Chrysostomus Hom. 6. ad populum Antiochenum, *Adveniente jejunio*, inquit, *etsi millies quis exhortetur, & .·. cogat vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quam probibitum tangere nutrimentum*. Neque id gratis dictum est a S. Doctore; cum enim ob ingentem cibariorum penuriam jussisset Imperator Justinianus in secunda Quadragesimæ hebdomada carnes publice veno exponi in gratiam Constantinopolitanorum; nemo unus in tanta populi multitudine fuit, qui carnes emere, aut degustare voluerit. Certe, ait Bellarminus, iis, qui sic agebant, persuasum erat Quadragesimæ legem obligare in conscientia. Væ populo huic, quod suus ei tunc defuerit Calvinus. Vah! quam solerter sacrilegam superstitionem abegisset. De cœteris adi eumdem Bellarminum Lib. 2. de bonis operib. in particul. c. 7. & melius Thomassinum part. 1. de Jejuniis c. 5.

Prob. 4. ratione: Ut Ecclesia jejunium præcipere possit, sufficit, ut possit condere leges de rebus, quæ bonæ sint, & utiles ad salutem, & aliunde homini possibiles: atqui Ecclesia hæc omnia potest, ut alibi probavimus. Jam vero jejunium est, fatente Calvino, res bona, & utilis, & qua talis in utroque Testamento usitata: ergo illud præcipere potest Ecclesia. Atque hinc in Anglicana Ecclesia moris est jejunia identidem constituere: quia cum reformata est, vel potius insigniter depravata hujus Ecclesiæ Liturgia sub Eduardo VI. Henrici VIII. filio, & successore, vetitum est, ne quis feria sexta, & Sabbato carnibus vesceretur; sancitumque est a Curiis Londinensis Senatus an. 1548. ut exceptis ægris, debilibus, iisque, qui a Rege dispensationem obtinuissent, servarent omnes abstinentiam Quadragesima, Quatuor temporibus, aliisque diebus, quibus carnium comestio prohibita esset. Additum insuper redarguendos esse eos, qui præ sensualitate abstinentiam, & jejunia per Ecclesiam indicta vituperarent. Legem hanc confirmavit an. 1559. Regina Elisabeth, quæ insuper abstinentiam feria quarta servari voluit, in gratiam Piscatorum, qui multi sunt in Anglia. His legibus hucusque obsecuti sunt Episcopales; non autem Præsbyteriani, seu Puritani. Merito igitur Liturgia Suecanæ Ecclesiæ an. 1576. Stokolmiæ edita, & promulgata ab Archiepiscopo Upsalensi Lutherano hæc habet in Præfatione: *Constat Apostolos, eorumque discipulos consuetudinem certis diebus jejunandi, certisque horis precandi a Majoribus acceptam observasse, quam summe necessariam esse, & utilissimam, tum præcepto, tum exemplo Christi, propriaque edocti experientia testati sint. Qua ergo fronte ejusmodi Christianæ vitæ regulas ab Ecclesia nobis traditas, & commendatas repudiavimus?* Adi Opus R. P. Le Brun Tom. 4. pag. 70. & 150. & Gregorium Bertholet in Tractatu historico, & morali de abstinentia, pag. 71.

Obj.

Obj.° 1. Abstinentia, & jejunium Evangelicæ libertati adversantur, ut patet ex his verbis, tum Christi apud Luc. 10. *Manducate quæ apponuntur vobis*, tum Apostoli 1. Cor. 10. 25. *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*: ergo.

R. ad 1. neg. ant. ad textum Christi, dico hunc esse sensum ejus, ut cum hospitio recipiuntur divini verbi præcones, non quærant delicatiores cibos, sed his, qui apponentur, etiamsi forte vilioribus contenti sint. Et vero an præcipiebat Christus, ut Apostoli, vel toxicum comederent si appositum fuisset, vel carnes suillas, quamdiu vigebat lex Moysis.

Ad textum Pauli, dico Apostolum voluisse ut fideles non inquirerent curiosius, an carnes in macello propositæ, immolatæ essent; non autem ut emerent indiscriminatim quidquid expositum erat. Nec usquam contrarium probarunt Evangelici, ex Scriptura, ex qua tamen quidquid afferunt, probare tenetur. Et vero non potuit Apostolus id præcipere, quod sine scandalo fieri non poterat: atqui Protestantium confesso emere carnes prohibitis diebus esset saltem peccatum scandali, ut patet ex citato Confessionis Augustanæ textu: ergo non potuit id Apostolus præcipere; præsertim cum in ejus principiis, satius sit non manducare carnes in æternum, quam fratrem suum scandalizare.

Inst. 1. Ille præcipit, ut fideles sine discrimine quibuslibet cibis utantur, qui expresse vetat, ne iidem fideles redarguantur *in cibo, aut potu*, id est, quod hoc, vel illo cibo vescantur: atqui Apostolus Coloss. 2. *Nemo*, inquit, *vos judicet in cibo, aut potu, aut parte diei Festi, &c.* ergo.

R. dist. min. Vetat Apostolus, ne fideles judicentur in cibo, aut potu, id est ne damnentur, eo quod cibis a Moyse prohibitis utantur, C. vetat, ne damnentur, si utantur cibis ab Ecclesia prohibitis, N. Mirum sane, quod in hujusmodi textibus vim faciant Pseudoreformati; cum evidens sit Apostolum ea solum Christianis alimenta permittere, quæ, ut caro suilla, leporina & similes, Judæis Levitica lege interdicta erant. Hæc enim manifeste est S. Pauli ratiocinatio: hi dumtaxat tenentur ad abstinendum cibis per Moysem interdictis, qui suscepta circumcisione carnali, debitores sunt *universæ legis* faciendæ: atqui vos Colossenses *circumcisi estis circumcisione non* carnali, & *manufacta: sed in circumcisione Christi*, v. 11. ergo non tenemini Lege Mosaica; *nemo ergo vos judicet* quasi transgressores *in cibo, aut in potu, aut in parte diei Festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum*. Verum non ideo Apostolus; aut vetat ne certis temporibus cibi quidam ab Ecclesia prohibeantur, aut permittit, ut contra hanc Ecclesiæ prohibitionem iisdem cibis utantur fideles: cum ipse legem Jerosolymitanam, qua sanguis, & suffocata prohibebantur, si non Corinthi, ut aliqui volunt, saltem aliis pluribus in locis tanquam *præceptum* servari instanter mandaverit.

Inst. 2. atqui Apostoli definitio non solum in cibos legales, sed & in alios quoscumque cadit: ergo nulla solutio.

Prob. subs. Cibi, quos Apostolus prohibendos esse negat, ii erant, qui humano mandato prohibiti erant: atqui cibi legales, seu a Moyse prohibiti, non humano, sed divino præcepto prohibiti erant: ergo cibi, quos Apostolus prohibendos esse negat, non sunt cibi solum legales. Minor patet: prob. maj. ex v. 20. ibid. *Si ergo mortui estis cum Christo*, ideoque liberi *ab elementis hujus mundi, quid adhuc decernitis* dicentes: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis secundum præcepta, & doctrinas hominum*: ergo. Ita Kemnitius.

R. ad

R. ad 1. neg. subs. ad 2. neg. min. lex enim Mosaica, utpote jam a Christo abrogata, non obligabat amplius: ergo judaizantes, qui a carne porcina, aut similibus abstineri volebant, *præcepta & doctrinas hominum* tradebant, & nihil ultra: quemadmodum, qui hodie circumcisionem renovare conaretur, non exhiberet Dei legem, sed hominum, nec dicam diaboli. Cœterum nostra hæc solutio est Chrysostomi, quem Kemnitio, siquidem Kemnitius permiserit, diu præferemus: sic S. Doctor in Ep. ad Coloss. Hom. 7. *Etiamsi legem objicias, ea tamen ipsa jam deinceps humana doctrina est, elapso videlicet temporis sui præscripto.*

Adde cum Bellarmino ibid. c. 8. quod si Apostolus doctrinas hominum redarguat, prout fecit Christus Matth. 15. eas solum redarguit, quæ Scripturæ repugnant; alioqui enim increpandus esset Apostolus ipse, qui de præceptis suis ajebat 1. Thessal. 4. *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum*: atqui præcepta Ecclesiæ de jejuniis, & delectu ciborum, nedum repugnent, congruunt prorsus cum Scripturæ doctrina, & exemplis; cum Libri sacri passim hortentur ad jejunia; eosque plurimum commendent, qui ut David, Daniel, Mardochæus, Esther, Judith, Anna Prophetissa, Joannes Domini præcursor, ea se in palæstra pie exercuerunt: ergo.

Inst. 3. Apostolus 1. ad Timoth. 4. *In novissimis diebus*, inquit, *discedent quidam a fide, prohibentes nubere, & abstinere a cibis, quos Deus creavit*: atqui hæc belle quadrant in Pontificios, omnesque, qui cibi cujuscumque usu interdicunt: ergo.

R. neg. min. hæc enim Apostoli verba iis solum conveniunt, qui, ut Encratitæ, Marcionitæ, & Manichæi, cibos quosdam prohibent quasi natura sua immundos, ideoque & in injuriam Dei *visibilium omnium, & invisibilium* Creatoris: porro delirium hoc nescit Ecclesia Romana. Minor iis omnibus constat, qui oculis suis credere, quam impudentibus Kemnitii calumniis fidem habere malunt. Prob. itaque major. 1. quia contrarium ex Scriptura ostendi non potest, quod tamen Kemnitio, ejusque asseclis necessum foret. 2. quia textum hunc eo, quo nos modo interpretati sunt primævi Patres. Sic Tertullianus Lib. de Jejunio c. 15. prædamnat Apostolos *jam hæreticos, abstinentiam perpetuam præcepturos, ad destruenda, & despicienda opera Creatoris: quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, &c.* Sic Hieronymus Lib. 2. adversus Jovinianum: *Marcionem*, inquit, *designat, & Tatianum, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris.* Idem dicunt Augustinus, & Theodoretus, quos, si vacat, videris apud Bellarminum ibid. 3. quia si Apostolus quemcumque cibi delectum, & jejunia omnia prohibuisset, nusquam potuisset fieri, ut vel ipsa ejus ætate, vel ætate proxime admodum secuta, (qua, ut ita loquar, adhuc calebat Sanguis Christi, & quot Christianos, tot ferme numerabat heroes Ecclesia,) contraria jejunii consuetudo in toto terrarum Orbe dominata esset: dominata est tamen, dominatur etiamnum, & invitis iis, qui, sub libertatis prætextu, ventri suo student, *usque ad consummationem sæculi* dominabitur.

Neque obstat illud: *In novissimis diebus*. Ea enim vox in Scripturæ phrasi, res etiam parum tempore dissitas exprimit. Sic Jacob annuntians filiis, quæ iisdem eventura erant *novissimis diebus*, multa præsertim quoad Simeonem, & Levi, ac Zabulon annuntiat, quæ contigerunt quo tempore duodecim tribus terram Chanaam sortitione divisam possederunt, ut notat Pererius in c. 49. Genes. Sic Daniel his, quibus Regem Nabuchodonosor com-

compellat, verbis c. 2. v. 25. *Judicavit* Deus *tibi Rex, quæ ventura sunt in novissimis temporibus*, idem exprimit, quod ibidem v. 45. iis verbis: *Deus magnus ostendit Regi, quæ ventura sunt postea*. Et vero Danielis Prophetia post annos pauciores, quam sexaginta impleri cœpit. Quid quod prædictio Pauli jam adimplebatur, cum Epistolam suam scripsit B. Judas, ut patet ex v. 17. & 18. qui sic habent: *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis ∴ qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores*, &c. *hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes*.

Inst. 4. Apostolus citatis verbis eos omnes redarguit, qui sub prætextu pietatis, & cultus cibos quosdam prohibent: atqui Ecclesia Romana sub prætextu pietatis, & cultus carnes prohibet certis diebus: ergo. Ita rursum Kemnitius.

R. 1. neg. maj. etsi enim indubie non approbavit Apostolus jejunium, orationem, eleemosynam, aut alium quemlibet virtutis actum, qui sub ficta sanctitatis imagine, & in hypocrisi eliceretur; hic tamen ait Aug. L. contra Adimantum Manichæum c. 14. *Proprie designat Manichæos, qui non propterea temperant a cibis talibus, ut concupiscentiam suam refrenent ∴ sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant*.

R. 2. neg. min. Equidem prohibet Ecclesia ciborum qualitatem, sed melius, quam eorum quantitatem prohibeant Reformatores, nimirum non, ut sanctitatem simulet, sed ut eamdem acquirat, qua via ad ipsam pervenere tot in utroque Testamento homines, qui in memoria æterna erunt justi.

Ob. 2. juxta Christum Matth. 15. *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*: sed si obligaret jejunii lex, id, quod per os intrat, hominem coinquinaret: ergo.

R. dist. Quod intrat per os rite, & secundum ordinem legis, non coinquinat hominem, C. quod intrat per os contra legitimam prohibitionem, N. Refellit eo loci Christus Pharisaicam superstitionem, quæ somniabat cibos illotis manibus sumptos; nescio quid contrahere sordium unde anima ipsa inficeretur: at non ideo cujusvis cibi quovis tempore usum approbat quasi nihil habentem coinquinationis: alioqui nullam in crapula, & ebrietate, quæ per os intrant, maculam agnovisset; quod cogitare nefas est, blasphemia loqui. Quid quod pro esu pomi tanta Adæ ejusque posteris incubuit malorum nubes? Et vero si jejunia redarguisset Christus, ut quid jejunandi exemplum dedit? ut quid præscripsit modum his verbis: *Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava*?

Ob. 3. Jejunii non quidem exercitium, sed obligatio repugnat primævæ antiquitati. 1. enim S. Irenæus in Epist. ad Victorem scribit suam Ecclesiis circa Quadragesimale jejunium libertatem esse relinquendam, ut videre est apud Eusebium lib. 5. Histor. c. 24. 2. primus omnium Montanus legem jejunii indixit, ut ex Apollonio refert idem Eusebius ibid. c. 18. eique obstiterunt Catholici, ut testatur Tertullianus insignis Montani defensor. 3. Spiridion hospiti carnes in Quadragesima comedendas apposuit; non appositurus profecto, si jejunii lex obligasset in conscientia.

R. neg. ant. cujus falsitas ex probationibus nostris manifeste patet.

Ad 1. non magis volebat Irenæus observationem jejunii liberam esse quam celebrationem Paschatis; sed existimabat necessum non esse, ut utrumque eodem prorsus modo in omnibus Ecclesiis perageretur: quod quantum ad Pascha rejectum est a Nicæna Synodo, quæ, probata Victoris opinione, sanxit

Pascha

Pascha ubique simul celebrandum esse. Quoad jejunium autem, nescit nemo unicuique Ecclesiæ licitum esse morem apud se constitutum sequi.

R. ad 2. vocem illam, *primus*, ab hæreticis mendaciter additam esse; unde deest, tum in Græco Eusebii textu, tum in editionibus Latinis excepta Basileensi. Et vero Tertullianus, qui in Lib. de Jejunio Montanum ram acriter tuetur, eum hinc dumtaxat reprehensum esse dicit, quod Paschali jejunio nova jejunia addiderit; quam novitatem a privato homine inductam merito rejecerunt Catholici. Hinc Eusebius non dicit simpliciter Montanum jejunii, sed *jejuniorem leges* imposuisse.

Ad 3. Potuit Spiridion, cui, utpote multos *dies absque ullo cibo* traducenti, panis, & farina deerant, carnem, quam, ut ad Pascha servaretur, sale condierat, homini ex itinere *admodum fesso* ministrare; cum Ecclesiæ præcepta in hoc necessitatis casu non obligent, ut docet Innocentius III. c. 2. *De observat. jejuniorum*. Verum ipsa hæc Historia, prout refertur a Sozomeno L. 1. Histor. c. 11. egregie probat, quam stricta esset jejunii obligatio: 1. enim Spiridion orationem præmisit, & veniam petiit a Deo: quorsum autem hæc veniæ petitio in re absolute libera? 2. cum viatorem hortatus est, ut carnem comederet, detrectavit iste, causatus se Christianum esse. Itane vero fuisset reluctatus, si tunc temporis persuasum erat, observationem jejunii adiaphoram esse, & quæ pro uniuscujusque nutu impleri posset, vel omitti? *Edit. Vales.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De præcipuis Ecclesiæ Jejuniis.

PRæcipua, ut norunt omnes, Ecclesiæ jejunia sunt, Quadragesimale; Quatuor temporum, & quæ pridie majorum quarumdam festivitatum observari solent. Unde

Quæres 1. an Quadragesimale, seu Paschale jejunium magnæ sit antiquitatis; cur fuerit institutum, & an ubique pari forma servatum sit.

R. ad 1. nihil esse in Evangelio, aut traditione Apostolorum scripta, unde colligatur jejunium hoc, vel illud a Christo Domino fuisse institutum. Hunc & eo sensu ait Augustinus Epist. 36. *Quibus diebus non oporteat jejunare; & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum*. Prædixit tamen Salvator futurum post mortem suam, ut jejunio vacarent discipuli sui. *Veniet dies*, ait Matth. 9. *cum auferretur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt*. Atque hanc ejus prædictionem litteraliter impletam fuisse indicat Actuum Liber pluribus in locis. Sic cap. 13. *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus, &c.* & infra: *Tunc jejunantes, & orantes ... dimiserunt illos*. Act. 14. *Cum constituissent illis ... Presbyteros, & orassent cum jejunationibus*: at in his ne verbum quidem est, quod jejunium Paschale designet. Quod autem ibid. c. 27. v. 9. dicitur: *Cum jam non esset tuta navigatio, eo quod & jejunium iam præteriisset*, de jejunio Festi Expiationis, quod circa æquinoctium autumnale peragebatur, intelligi solet.

Recurrendum itaque ad Traditionem: ex ea porro indubie constat Quadragesimale jejunium institutionis esse Apostolicæ, licet nullibi in sacra Scriptura expressæ. Et quidem 1. docet id Tertullianus in Lib. de Jejunio, ubi contra Catholicos, qui nova duo Montani jejunia rejiciebant, ita invehitur, ut Quadragesimale jejunium jam ubique vim legis pridem habere signi- *Baron. ad an. 173.*

ficet. *Certe*, inquit, *in Evangelio dies illos jejuniis determinatos* esse *putant* Catholici, scilicet, Montani hostes, *in quibus ablatus*, seu crucifixus *est Sponsus*; *& hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum abolitis legalibus, & Propheticos vetustatibus. Itaque de cætero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ ... sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum*: ergo juxta Tertullianum Christianis omnibus persuasum erat jejunium *Paschale*, ut vocat, ab Apostolis observatum esse, ejusque legem *ex imperio* impositam fuisse; tametsi aliis temporibus posset quisquis pro *arbitrio*, & nutu jejunare.

Idem docet S. Hieronymus in Epistola 54. ad Marcellam superius adducta, & consonant, nullo reclamante, plerique Patres, ut S. Leo, qui Serm. 6. de Quadragesima admonet: *ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur*. Atque his favet nota hæc regula, quam tradit Augustinus Epist. 54. alias 218. ad Januar. & L. 4. de Baptismo, nimirum illa omnia sine dubio ex Apostolica traditione descendere, quæ in universa Ecclesia observantur, & in nullo Ecclesiæ Concilio instituta inveniuntur: tale enim esse Quadragesimæ jejunium hinc patet, quod ejus mentio fiat in Auctoribus, qui Concilia omnia præcessere. Quin & ex tot Conciliis, quæ Quadragesimam commendarunt, nullum est, quod de ea tanquam nuper instituta loquatur.

R. ad 2. multas fuisse instituendi jejunii rationes. Prima, ut Christiani omnes quasi communem, & publicam pro culpis reliquo anno commissis pœnitentiam agant, & Deum conjunctis precibus, & lachrymis placare nitantur. *Magna*, ait S. Leo Serm. 4. de Quadrag. *divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem 40. nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent*.

Secunda, ut impleatur id, quod ait Dominus Matth. 9. *Cum auferetur ab eis Sponsus, tunc jejunabunt*. Quæ verba de passione Domini semper intellexit Ecclesia contra Montanistas. Unde

Tertia, ut ad celebrandam Christi Passionem, ejusque Resurrectionem, ac susceptionem sacræ Communionis, quæ in Paschate a Christiano nullo prætermitti debet, præparemur. Rationes has exhibent Chrysostomus, Hieronymus, & Leo apud Bellarminum ibid. c. 16.

Quarta, ut sicut *Elias* 40. *dierum curriculo continuato jejunio, totius mundi longam, ac nimiam siccitatem meruit imbrium rore restinguere, & ardentem terrarum sitim cœlestis pluviæ largitate perfundere*; sic *nos quoque horum* 40. *circulo dierum jejunantes, spiritualem baptismatis pluviam* Catechumenis *mereamur*; *nostramque jamdiu aridam terram cœlestis desuper imber infundat, & longam Gentilium siccitatem lavacri inundatio salutaris irroret*. Ita S. Ambrosius Serm. 17.

Quinta, ut quasi decimas vitæ nostræ per Quadragesimalem abstinentiam Domino consecremus. Nam dierum totus anni pars decima sunt dies 36. totidem autem diebus constat jejunium Quadragesimale proprie dictum: cum Quadragesima proprie incipiat Dominica ejusdem nominis prima, ut ex Officio Ecclesiastico patet. Rationem hanc exhibent S. Gregorius Homil. 16. aliique nonnulli, quos appellat Bellarminus ibid.

Sexta, ut Christum, qui caput nostrum est, pro modulo imitemur. Imitemur porro tum jejunium ejus, tum præcipue passionem, quam nostri causa subire dignatus est. Equidem rationem hanc rident hæretici; sed simul rident

dent quidquid sacrum est in antiquitate. Scribit enim ad Philippenses S. Ignatius, *jejunandum esse a fidelibus per Quadragesimam, quia id imitationem continet conversationis Domini*. Eodem sensu locuti sunt alii Patres, quorum verba refert Bellarminus ibid.

R. ad 3. nulla aut pene nulla fuit varietas in numero dierum, quibus perdurabat jejunium Quadragesimale, sive apud Græcos, sive apud Latinos. Patet id 1. quia Concilia, & Patres quorum aliquot passim citavimus, Quadragesimæ nomine utuntur, quoties Paschale jejunium commendant: porro per Quadragesimam non potest intelligi nisi numerus aut quadragenarius, aut qui ad quadragenarium accedat, qualis est numerus dierum triginta sex; 2. quia multi Patres, ut Basilius, Hieronymus, & Augustinus, dicunt Quadragesima jejunari ad exemplum Moysis, Eliæ, & Christi: porro Christus, Moyses, & Elias dies 40. jejunavere.

Contra objiciuntur duo præsertim textus; prior qui est S. Irenæi his ab Eusebio refertur verbis L. 5. cap. 24. Histor. *Neque enim de die solum controversia est, sed de forma jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum: alii duobus; alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis, ac nocturnis computatis diem suum metiuntur, &c.* Posterior est Socratis Libro pariter 5. Historiæ c. 22. alias 21. ubi sic: *Jejunia illa, quæ ante Pascha fiunt, aliter apud alios observari reperias. Nam qui Romæ sunt, tres continuas hebdomadas ante Pascha, exceptis Sabbato, & Dominico die, jejunant. Qui vero in Illyrico, & per universam Achajam, & qui Alexandriæ degunt, sex ante Pascha septimanas jejunant, idque jejunium Quadragesimam vocant. Alii rursus diversum ab illis morem secuti, septima hebdomade ante Pascha jejunium ordiuntur, ac tres dumtaxat septimanas, quinque dierum singulas per intervalla jejunantes, nihilominus hoc tempus ipsi quoque Quadragesimam appellant*. Locum hunc Calvinus L. 4. Institut. c. 12. observari jubet: observemur ergo. Itaque

Dico Irenæum non loqui de varietate dierum Quadragesimæ, sed de varietate continuandi jejunium sine omni cibo in Quadragesima: ita ut sensus sit e fidelibus quosdam fuisse, qui ut hodie moris est, singulis diebus cœnarent; quosdam, qui biduo toto, aut etiam triduo crederent abstinendum esse a quibuslibet alimentis; alios qui arbitrarentur singulis diebus corpus refici posse; sed qui simul unamquamque diem horis 40. constare debere existimarent. Et vero quis, præter Calvinum, contra omnia temporis monumenta autumet, fideles jejunio, ac pœnitentiæ laboribus tam addictos, una tantum die Quadragesimale jejunium absolvisse?

Ab hac solutione, quam tradit Bellarminus L. 2. de bonis operib. in partic. c. 9. & 15. hoc uno discrepat solutio Thomassini ibid. cap. 8. n. 2. quod is Irenæum interpretatur de jejunio Paschali stricte sumpto, quod hodie diceremus jejunium hebdomadæ Sanctæ; quodque Quadragesimali jejunio, cui succedebat, multo erat austerius; ita ut licet Christianorum aliqui singulis diebus semel ad vesperam cœnarent, alii toto biduo, alii triduo, alii tota etiam hebdomade ab omni prorsus cibo abstinerent. Et id est, quod belle docet S. Epiphanius in Expositione Fidei n. 29. ubi obscuriorem Irenæi textum interpretari videtur. *Cæterum*, inquit, *ante septem Paschatis*, seu majoris hebdomadæ *dies Quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare consuevit Ecclesia; Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipsius Quadragesimæ jejunare solet. Præterea sex illos Paschatis dies xirophagiis, hoc est arido victu transire omnis populus solet; hoc est panem dumtaxat cum aqua sub vesperam*

peram adhibere. Imo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant; alii totam hebdomadem ad usque Dominicæ sequentis Gallicinium sine cibo transmittunt. Ad hæc quid Calvinus, *Jam*, ait L. 4. Inst. c. 12. §. 20. *Invaluerat superstitiosa Quadragesimæ observatio.* Sed faxit Deus, ut invalescat etiamnum superstitio, quæ tot Sanctos peperit, quamque nunquam pietas, sed una ventris ingluvies propulsavit.

Quod ad Socratem spectat, nihil is meretur fidei, ut qui Novatiana, & Aeriana lue infectus, cuperet Festa perinde, ac jejunia penes cujusque arbitrium fieri. Et vero mentitur imprudenter, aut crasse fallitur Socrates, cum scribit Romanos tribus tantum hebdomadibus, idque detractis Sabbatis, sicut & Dominicis, ante Pascha jejunare. Constat enim Romanos toto anno Sabbatum jejunasse, ut docet Augustinus Epist. 36. alias 86. ad Casulanum; quod & Romanis exprobrarunt Græci in Canone 55. eorum, qui tribuuntur sextæ Synodo. Jam quis concipiat Ecclesiam, quæ cunctis anni Sabbatis jejunium servabat, illud solvisse tempore Quadragesimali, quo vel ipsa ratio idem strictius servandum esse demonstrat?

Nec minus aberrat Socrates, cum Romanos tribus tantum hebdomadis jejunasse refert. Cassianus enim, & S. Leo Socrati suppares, & quibus plenior inerat Romanæ disciplinæ notitia, contrarium expresse testantur, hic Serm. 7. de Quadragesima, ille Collat. 21. c. 24. 25. 27.

Atque hinc obiter colliges clausulam hanc, quæ extat Serm. 4. S. Leonis de Quadragesima: *Igitur feria secunda, feria quarta, & feria sexta jejunemus: Sabbato autem apud S. Petrum vigilias celebremus*, assutam esse textui S. Leonis, ut hinc probat Quenellus, tum quod desit in quinque MSS. Codicibus optimæ notæ; tum quod non reperiatur in aliis undecim S. Leonis Sermonibus de Quadragesima, ubi tamen non secus, ac in Serm. 4. tollendi scrupuli causa inserenda fuisset; tum quod iisdem Sermonibus repugnet, cum in iis Quadragesima expressissime dicatur, & pluries, 40. *dierum continentia*, 40. *dierum jejunium*, 40. *dierum exercitatio*. Quamquam existimat Bellarminus S. Leonem loqui de jejunio quatuor dierum, qui adduntur ante primam Dominicam Quadragesimæ, ut numerus quadragenarius compleatur; & qui aliquando initium ducebant a feria secunda, omissa tertia, &c. aliquando, ut nunc est, a feria quarta, quæ idcirco dicitur *in capite* jejunii. *Vide Quenellum in S. Leonem dissert. 6. Thomassin. ibid. c. 7. Bellarmin. c. 16.*

Quod de jejuniis in Illyrico, Achaja, & alibi frequentatis, dicit Socrates, haud magis congruit vero: etsi enim privati quidam cœteris intemperantiores jejunium minus protraxerint, nusquam tamen approbata fuit, etsi forte tolerata, his in Regionibus tanta disciplinæ laxitas: atque id facile colligitur ex Sozomeno, qui Socrate scripsit paulo accuratius, eodemque sæculo; sic ille Lib. 7. cap. 19. edit. Vales. *Quadragesimam, quæ hoc* Paschatis *festum proxime antecedit .... Alii quidem sex dierum septimanis computant, ut Illyrii, & Occidentales, totaque Africa, & Ægyptus, & Palestina. Alii vero septem hebdomadas computant; ut Constantinopoli, & per cunctas in circuitu Provincias usque ad Phœnicem. Nonnulli e sex, aut septem hebdomadis illis, tres per intervalla jejunant. Alii tres simul hebdomadas Paschale festum proxime antecedentes continuant: quidam duas tantum, ut Montanistæ.* Ubi clare videris in tota Ecclesia nullam fuisse Provinciam, in qua non vigeret quadraginta jejunii dierum observatio, quam alii una ante alios hebdomada inchoabant,

quia

quia necesse id erat ad complendum n. 40. dierum, iis, qui ut Græci Sabbato non jejunabant: unde non Ecclesiæ ipsæ, sed *nonnulli* solum laxiores, & quandoque hæretici, ut Montanistæ, a trita via recedebant. His addit Bellarminus corruptum sibi videri textum Socratis, in eoque pro *tribus* septimanis, legendum esse *quinque*, ut numeri, quos ipse ponit gradatim se subsequantur, videlicet quinque, sex, septem, &c.

De varietate quoad gradum abstinentiæ, & naturam alimentorum dicam paulo post q. 4.

Quæres 2. quando, & quo fine institutum sit jejunium Quatuor temporum.

R. Ad 1. Jejunium Quatuor temporum ab Apostolis ipsis dimanare, juxta S. Leonem Serm. 2. de Pentecoste, & Serm. 8. de Jejunio septimi mensis, ubi jejunium Pentecostes ex *Apostolica traditione*, jejunium vero septimi mensis *ex Apostolicis, & legalibus* institutis profectum dicitur. Et vero, ait Bellarminus ubi supra cap. 19. cum jejunia hæc in nullo Oecumenico Concilio instituta reperiantur, ad Apostolicam traditionem congrue referri possunt, juxta solemnem S. Augustini regulam, quam paulo ante adduximus.

Res tamen non caret difficultate: 1. enim S. Leo nonnisi jejunium Pentecostes, & jejunium decimi mensis refert ad traditionem Apostolicam; 2. non videntur jejunia Quatuor temporum in Gallia vim habuisse legis ante tempus Caroli Magni, qui uno ante mortem suam anno, anno nimirum 813. praxim hanc a Concilio Moguntino decerni curavit: hanc autem quasi recentem exhibent Patres his verbis Can. 34. *Constituimus, ut Quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur ... sicut est in Romana Ecclesia traditum*. Quamquam dici forte potest, prædicti jejunii legem pro Galliis non tam conditam Moguntiæ, quam renovatam, quia collapsa erat. Unde eam jam ab an. 769. firmare conatus fuerat idem piissimus Princeps, ut patet ex Capitulari anni ejusdem, ubi statuit: *Ut jejunium Quatuor temporum, & ipsi Sacerdotes observent, & plebi denuntient observandum*. De his adi Thomassin. p. 2. c. 18. ubi & probat uniformem non fuisse Ecclesiæ disciplinam circa Quatuor tempora, nisi post Gregorium VII. & Urbanum II.

Cœterum tribus diebus per quatuor anni tempora jejunatum fuisse in Ecclesia Romana indicant hæc S. Leonis verba Serm. 88. qui est quintus de jejunio septimi mensis: *Quarta, & sexta feria jejunemus; Sabbato autem apud Beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus*. Ubi S. D. jejunium Sabbati expresse non meminit; quia singulis Sabbatis jejunabant Romani, ut diximus. *Edit. Quesnel.*

R. Ad 2. instituta fuisse quatuor temporum jejunia, 1. ut unaquæque anni tempestas, Deo per specialia pœnitentiæ exercitia consecretur; 2. ut a Deo postuletur fructuum terræ conservatio, aut pro iis jam collectis agantur gratiæ; 3. ut Deus sanctos Ecclesiæ suæ Pastores providere dignetur: etsi enim sacri Ordines primis temporibus mense solum Decembris conferrentur, crescente tamen Ministrorum necessitate, & numero, institutum est, ut quater in anno conferrentur Ordines. Addit Bellarminus Judæos, qui quatuor anni temporibus jejunabant, ut patet ex Zachariæ 8. non debuisse Christianis esse perfectiores; iisque proin, sicut & illis sua quatuor jejunii tempora assignari debuisse.

Rationem hanc ex Judæorum imitatione petitam duplici ex capite impugnat Kemnitius, 1. quod Judæi sua Quatuor temporum jejunia non ex instituto Dei, sed proprio ex capite instituerint; unde, inquit, a Domino reprehensa sunt Zachar. 8. 2. quod vetet Apostolus Galat. 4. ne Christiani Judaicos ritus æmulentur.

Verum hæc frivola sunt: 1. enim nedum Deus jejunia hæc redarguerit laudavit econtrario, cum ea utique si religiose observentur, dicat aliquando commutatum iri *in solemnitates* præclaras; est enim hæc mercedis, ac præmii promissio, quæ opera mala non subsequitur; 2. docet Augustinus in Epist. bonum esse jejunare bis Sabbato, prout faciebat Pharisæus Luc. 18. modo vitetur, quo is tumebat superbiæ spiritu. Addit insuper optandum esse, ut Judæorum exemplo Christiani omnes fructuum decimas tribuant. Ergo non sensit S. Doctor nihil eorum fieri posse, quæ a Judæis laudabiliter fiebant. Et vero, an statis diebus precari nefas fuerit, quia statis precabantur Judæi? Hic paucis cum Bellarmino mirari subit, quam apte Catholicorum cum antiquis Patribus; Protestantium item cum veteribus Hæreticis concordet dialectica. Hebræi fixa habuere jejunia: ergo fixa habere non possunt Christiani; en Aerianorum ratiocinationem apud Epiphanium, eamque totis ulnis amplectuntur Pseudoreformati. Hebræi sua Quatuor temporum jejunia habuerunt: ergo æquum est, ut, qui iis præstare debent Christiani, hac in parte iisdem non cedant; en ratiocinatio SS. Augustini, & Leonis; eamque, etsi naturæ duram tenent Catholici; fervet quisque logicam suam: ducet Lutherana ad finem Aerianorum; Catholica ad finem sanctorum Patrum.

Quæres 3. quæ insuper jejunia in Ecclesia observata fuerint.

R. Non pauca fuisse in usu: 1. enim sancitum est L. 6. Capitul. c. 184. *Ut legitima tria jejunia in anno agantur, id est 40. dies ante Nativitatem Domini, & 40. dies ante Pascha .... & post Pentecostem 40. dies. Quamquam enim nonnulla ex his canonica privantur auctoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis, & parentum nostrorum morem, hæc observare convenit.* Simile quid habet Amalar. L. 4. de div. Offic. c. 37. & L. 1. c. 36. *Nos*, inquit, *observamus tres Quadragesimas, id est ante Pascha Domini, circa Festivitatem S. Joannis, & ante Nativitatem Domini. Sic a piis mentibus frequentatur apud nos*: quæ postremæ voces, cæteras præter Paschalem Quadragesimas consilii solum, & devotionis fuisse subindicant. Atque hoc utcumque insinuat Innocentius III. qui a Bracharensi Archiepiscopo consultus, an in Adventu jejunandum esset, quod Hispani quidam contra plures asserebant, respondet simpliciter: *Jejunium apud nos in Adventu Domini agitur.* Ubi formam proponit potius quam legem indicat. Fuit & alia Romæ Quadragesima ante Assumpt. B. V. quam si non jubet, saltem suadet Nicolaus 1. in Epist. ad Bulgaros.

2. *Triduanum* etiam servatur *jejunium in vigilia Ascensionis*, ut notat Amalarius ib. L. 1. c. 37. & hoc quidem *jejunium post Ascensionem Domini ex veteri instituto in Mediolanensi Ecclesia*, renovavit S. Carolus Borromæus, ut liquet ex Actis Ecclesiæ Mediol. p. 12. An autem Rogationum jejunium ubique viguerit, & quandiu, non est facile, ut definiatur; Adi Thomassin. 1. part. c. 24. & 2. part. c. 21. ubi Litanias majores, Rogationes cum jejunio a S. Mamerto Viennensi Episcopo institutas fuisse probat ex Sidonio Apollinari, qui cum Mamerto vixit sæculo quinto.

3. Haud dubium est, quin pluribus in locis viguerint jejunia, non modo ante præcipuas anni Festivitates, sed & ante Apostolorum complurium Festa, de quo adi tit. 3. *De observ. jejun.* ubi c. 1. docet Innocentius III. quod si *Nativitatem Domini, vel Assumptionem B. Mariæ, vel Festivitatem alicujus Apostolorum*, etiam sancti Matthiæ, *in secunda feria contigerit evenire, die Sabbati præcedentis vigilia debeat jejunari*, c. 2. decernit, quod *omnium Apostolorum vigiliæ sint observatione jejunii celebrandæ, præter vigilias Apostolorum*

rum Philippi, & Jacobi; & Joannis Evangelistæ, quoniam istorum solemnitas intra solemnitatem Paschalem, istius autem intra Natalem Domini celebratur, c. 3. & ult. constituit Honorius III. ut *illi, qui nec voto, nec regulari observantiæ sunt adstricti, in sexta feria, si Festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter Festi excellentiam vesci possint, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis*. Quo ex textu communiter inferunt Doctores, quod Minoritæ, qui ex voto ac regulæ præcepto sub mortali tenentur unaquaque feria sexta jejunare, privilegio hoc frui non valeant, sed etiam in Natali Domini, cum in feriam sextam incidit, jejunio obstricti sint: secus, si in Sabbatum cadat eadem Domini Nativitas.

Cœterum non jejunio solo, sed vigilia etiam, & statione præveniebantur certæ quædam Festivitates: Jejunium, ait Bellarminus ib. c. 22. fieri poterat noctu, & interdiu, vigilia solum de nocte, statio solum de die. Unde statio proprie nihil aliud erat, quam vigilia diurna tempore solemnis jejunii. Eo nimirum tempore *stabant*, seu perseverabant fideles in orationibus a summo mane usque ad nonam, aut vesperas. Hodie sunt etiam stationes, sed a jejunio, ut plurimum divulsæ. Stationibus certa quædam loca Romæ attribuit S. Gregorius Magnus, quæ hinc dicuntur Stationales Ecclesiæ, sicut & Stationarii Ministri, qui iisdem Ecclesiis inserviunt; prout notat Jacobus Eveillon in Libro de Processionibus Ecclesiasticis c. 19.

Quæres 4. quæ fuerit veterum jejuniorum forma quoad abstinentiæ gradum, qualitatem, &c.

R. 1. extare magna jejunii, & abstinentiæ exempla, tum apud Hebræos, tum apud ipsos Gentiles, tum denique apud veteres Christianos.

1. quidem Hebræi jejunium aliquando ad multum tempus protrahebant. Sic Moyses, & Elias jejunavere diebus 40. Sic Daniel de se ipso ait c. 1. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus; panem desiderabilem non comedi; & caro, & vinum non introierunt in os meum*. Judæorum vulgo una quidem dumtaxat jejunii dies, in ipsa Expiationis celebritate a Deo constituta fuit, Levit. 16. v. 31. his verbis: *Affligetis animas vestras religione perpetua*. Verum non ideo alterius cujuscumque jejunii expertes erant. Alii enim jejunabant sponte sua, seu tempore afflictionis, seu pietatis motivo. Cœteri jejunia labentibus annis imposita adimplebant. Sic 1. Reg. 7. jejunavit populus una die in Masphat. Sic ibid. 31. *Habitatores Jabes Galaad* ablato, & sepulto corpore Saul *jejunaverunt septem diebus*. Sic Judith c. 8. v. 6. *Habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel*.

Creverunt apud Judæos quædam jejunia ante Christi ortum. Pharisæi jejunabant *bis in Sabbato*, Luc. 18. Essæi, seu Esseni juxta eruditos complures * ab omni carne abstinebant, leguminibus solis aut polenta contenti; ita ut, teste Hieronymo ubi infra, *quotidianum jejunium verterint in naturam*. Horum discipuli, (nisi tamen, ut multis ** visum est, Christiani fuerint)

* Vide Josephum de bello Judaico Lib. 2. c. 12. Continuationem Josephi T. 1. Lib. 6. p. 425. Berthelet. p. 33.

** Circa Christianismum Therapeutarum dissenserunt inter se Bernardus de Montfaucon, & N. Bouhier de Savigni in suprema Burgundici Senatus Curia Præses infulatus. Prodierunt utriusque Epistolæ an. 1712 Cœterum Therapeutas post Eusebium, Hieronymum, aliosque Patres non pauces Christianis annumeraverant pene cuncti Scriptores, donec contrarium tuiti sunt Scaliger, & Blondellus.

Therapeutæ, vitam profitebantur multo rigidiorem: *Nonnulli eorum*, ait post Philonem Eusebius L. 2. Histor. c. 17. *toto triduo cibum capere omittunt ... quidam vero ... duplo diutius famem perferunt*, ita ut *vix sexta die necessarium cibum degustent*. Omnes vero pane, sale, & aqua vescebantur, quibus hyssopum admiscebant quidam paulo delicatiores, ut habet Philo Lib. de vita contemplat. pag. 897. Cœterum non apparet Judæorum plebem de diebus jejunii a carnibus abstinuisse: unde quomodo nunc Turcæ per Ramadan suum, quod diebus 30. constat ab omni per totam diem alimento abstinent, sed ubi nox venit, iisdem, quibus semper alimentis utuntur, sic & Judæi fecisse videntur, & forte etiamnum faciunt in jejuniis viginti novem, quorum meminit eorumdem Calendarium.

2. Neque sua gentilibus pletisque defuerunt jejunia, eaque miræ austeritatis: *Chæræmon Stoicus*, ait Hieronymus Lib. 2. adversus Jovinianum, *narrat de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis curisque postpositis, semper in templo fuerint ... nunquam mulieribus se miscuerint; nunquam cognatos, & propinquos, ne liberos quidem viderint; ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire, carnibus, & vino se semper abstinuerint ... maxime propter appetitus libidinis, qui ex his cibis, & ex hac potione nascuntur. Pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum, & si quando comedebant, tusum pariter hyssopum sumebant in cibo, ut escam graviorem illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus noverant, verum, & ipsum parum, propter nauseam, & asperitatem gustus leniendam. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cum ovum quoque pro carnibus vitaverunt, & lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato*. De abstinentia plurium id genus Gentilium, quales erant apud Persas Magi, Mithræ Sacerdotes; apud Indos Bragmanæ; in Creta Prophetæ Jovis, plura, & mira videris ibid. Adi & Berthelet 1. part. cap. 2. & 3.

3. Habuit certe Christiana Religio *abstinentes* suos, qui cœteris facile palmam præripiant, seu numerum spectes, seu rectitudinem intentionis, seu austeritatis modum. Ut enim missos faciam Therapeutas, quorum non indubia est conditio, eo usque jejuniis addicti erant secundo Ecclesiæ sæculo Christiani, ut non pauci dies totos decem ab omni alimento temperarent, prout colligere est Dialogo *Philopatris*, quem alii contra alios Luciani fœtum esse volunt. Sæculo tertio frequens erat jejunii per dies multos continuatio, quæ *superpositio* vocabatur. Hæc biduo, triduove, aut etiam hebdomada tota præsertim antepaschali perdurabat. Frequens eo tempore erat numerus Ascetarum, qui nedum aperto desertorum itinere, abstinentiam hanc privatim servabant domi, ex qua nonnisi ad martyrium exire consueverant.

Conversis ad Christi fidem Imperatoribus, emicuit numerosa Sanctorum phalanx, qui tyrranorum martyrio, famis & inediæ martyrium substituere. Tales habuerunt Palestina, Arabia, Ægyptus, Thebais, Libya, & quod mirum magis, frigidæ Ponti, & Cappadociæ Regiones. Duxerat S. Antonius consuetudinem altero quoque die manducandi. Macarius Alexandrinus semel in hebdomade per Quadragesimam vescebatur, herbis solum, pane nusquam; & is tamen vixit annos 100. Narrat Gregorius Nazian. fuisse temporibus suis in Ponto; qui dies 20. noctesque totidem inediam sustinuerant. Simeon ille Stylites adhuc juvenis semel comedebat in hebdomada; roboratus deinde jejunio, & ad jejunium, Quadragesima tota abstinebat ab omni potu, & cibo; jamque Quadragesimas octo supra viginti transegerat hoc modo

modo, cum historiam suam scripsit Theodoretus, eidem æqualis, & vicinus. Eadem fuit SS. Gerasimi, & Sabæ cum aliis non paucis abstinentia per Quadragesimam; quibus alimenti cujuscumque vice erat Eucharistiæ susceptio.

Cœterum plerisque Solitariis familiare erat Quadragenarium tempus nonnisi Sabbato, & Dominicis diebus cibum sumere. Cibum dico palmæ poma, ut plurimum, quibus Paulus Eremitarum princeps; cruda legumina quibus Macarius, & Apollonius, ac plerique montis Sina, & Arabiæ Solitarii; ficus quibus numero quindecim unaquaque die Hilario per sex annos; hordeaceum panem, quo pene solo per annos 35. Genovefa Parisiensis, vita sustentavit. Eædem prope fuerunt dapes, tum S. Euphrasiæ Theodosii senioris consanguineæ, quæ licet junior, & obnoxiæ valetudinis, semel manducabat in hebdomada olera cum secundario pane; tum sanctarum Muranæ, & Cypricæ puellarum illustri prosapia, quæ tres tribus annis Quadragesimas sine omni prorsus cibo egerunt; & pedites sacram Jerosolymæ peregrinationem per dies 20. eodem prorsus modo obierunt. De abstinentia sanctæ Asellæ legi potest Hieronymus in Epist. ad Marcellum.

Eadem fuit plerorumque temperantia in potu, quæ in cibo. Persuasi scilicet veteres, & jejunium frangi liquido, & carnem siti macerari insigniter, sitim quandoque moderabantur, numquam restinguebant. Rem efficacius suadebunt exempla. Antonius, ut videre est in vitis Patrum Lib. 2. c. 31. *cibum in vesperam* Paulo cognomine Simplici *sumere præcepit, sed observare, ne unquam ad saturitatem usque perveniret, & præcipue in potu; confirmans non minus per aquæ abundantiam phantasias fieri animi, quam per vinum calorem corporis crescere*. Moyses Abbas ibid. c. 58. 66. 117. suis ad exemplum proponebat exercituum Duces, qui ut hostes suos debellent, iisdem *escam & aquam* auferunt. Habuit Eusebius Syrus discipulos, qui per annos triginta & octo ab omni prorsus potu abstinuerunt. S. Abraham Carrensis in Mesopotamia Episcopus, numquam bibebat, idque non habitu corporis, sed mortificationis animo. Palæmon Pacomii institutor, e duabus cibi, potusve necessitatibus unam si levabat, servabat alteram, abstinens ab aqua, quoties non abstineret ab esca, & vicissim. Quod autem quavis anni tempestate faciebant Monachi, aliive eximiæ virtutis hoc saltem diebus jejunii præstabant fideles.

Nec sua paris pœnitentiæ exempla posterioribus sæculis defuere, ut constat de S. Romualdo, S. Bernardo, S. Petro Cœlestino, S. Petro de Alcantara, S. Ignatio a Loyola, Carmelitis a Theresia Reformatis, quos inter ementito habitu emicuit Catharina Curdonensis, quæ eo devenit, ut gramen in campis, & sylvis depasceret cum pecoribus, & tamen tribus, quatuor, & sex aliquando diebus fatuum hoc, seu nullius saporis alimentum sibi subtraheret. De his adi Bailletum in Historia Quadragesimæ §. 8. quem, quia plus apud plures habebit fidei, libenter appello.

R. 2. per plura sæcula semel tantum in die comestum fuisse, idque hora nona, seu post meridiem tertiam in minoribus jejunii, & ad vesperam in Quadragesima. Patet id ex vita Caroli Magni, qui cum *hanc consuetudinem* haberet, *ut in Quadragesimæ diebus octava hora diei*, id est hora post meridiem secunda, *Missarum celebritate pariter cum vespertinis laudibus peracta*, adeoque hora circiter quarta *cibum sumeret*, quasi infractæ jejuniorum legis reprehensus est ab Episcopo quodam; nec suam agendi rationem aliter tuitus est, quam necessitate. Allegavit nimirum sibi cœnanti ministrare Reges, & Duces:

iis

iis postea ministrare Comites, quibus deinceps ex ordine inservirent alii, *ita ut ultimi ante noctis medium non manducarent.*

* Obiit an. 1153. Perseverabat disciplina hæc tempore * S. Bernardi, ut ex his verbis liquet Serm. 3. in Quadrag. *Hactenus usque ad Nonam jejunavimus, nunc usque ad Vesperam jejunabunt nobiscum universi Reges, & Principes, Clerus, & populus, nobiles, & ignobiles, simul in unum dives, & pauper.* Confonat

* Obiit an. 1200. id Petri Blesensis * Serm. 11. *Temporibus jejuniorum differtur Missæ officium post Sextam, ut usque post Nonam protrabatur abstinentia ciborum. In Quadragesima vero etiam, usque post Nonam differtur Missale officium, ut etiam usque post Vesperas refectio differatur.*

Quomodo autem e Monasteriis, ubi non in Quadragesima quidem, sed minoribus Regulæ jejuniis, quæ hora nona solvebantur, licitum fuit circa sæculum septimum, modicum vini aqua diluti haurire sub vesperam, quomodo, inquam, hinc sensim germinaverit consuetudo cœnulæ ejus, cui inditum nomen collationis, fusius expendit Auctor supra citatus §. 6. & 7. Vide & modestiorem Thomassinum par. 2. c. 10. & 11.

ARTICULUS TERTIUS.

De conditionibus, & utilitate Jejunii.

QUÆ fuerint antiqui jejunii conditiones paucis indicabimus, rati scilicet salubrius nihil fieri posse, quam ut primævam praxim sequantur fideles saltem a longe.

Et quidem solemne erat fidelibus per Quadragesimam 1. longum orationi, sanctisque Ecclesiæ Officiis tempus diebus singulis consecrare. *Illud præceptum est primum*, ait S. Ambrosius Serm. 27. *ut his 40. diebus jejuniis, orationibus, vigiliis operam commodemus.* & Serm. 33. *Surgentes primo diluculo ad Ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, peccatis veniam postulemus, rogantes præteritis delictis indulgentiam, cautelam futuris... tota die sit nobis oratio, vel lectio... nulli actus sæculi actus divinitatis impediant. Quidquid enim aliud præter mandatum Dei feceris, quamvis abstineas, non jejunas.*

2. Frequens erat Eucharistiæ susceptio. *Indictum est jejunium*, ait idem S. Doctor in Ps. 118. octon. 8. *cave ne negligas; & si te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium, tamen cælesti magis te fervato convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cælestibus sis vacuus Sacramentis*, & iterum: *Non potes oblivisci, cum lectum ascendes ejus Domini, cui in occasum diei precem fuderis, qui esurientem te sui corporis epulis expleverit.*

An æque frequens fuerit sacra Communio apud Orientales non constat.

Can. 49. Ii certe jam a temporibus saltem Concilii Laodicæni Missam non celebrant in Quadragesima, *nisi Sabbato, & solis Dominicis*, quibus non jejunant. Habent quidem quamdam Missæ speciem, quam vocant *de præsanctificatis*, quæque ad eam accedit, qua a tempore sacræ adversus Saracenos expeditionis, id est a fine undecimi sæculi utitur Ecclesia Latina die Parasceves; verum censet Thomassinus Missam hanc posteriorem esse ætate SS. Basilii, & Chrysostomi, qui ejus nullibi meminere. Ut ut est ex Missæ defectu non omnino probatur defectus Communionis; tum quia fidelibus apud se Eucharistiam servare, eaque refici diu licitum fuit; tum quia, etsi nulla ne imperfecta quidem Missa pluribus sæca-

sæculis facta fuerit apud Latinos in die Parasceves, moris tamen erat hac die Eucharistiæ Sacramentum suscipere, prout præscribunt hæc Theodulphi * Aurelianensis Episcopi verba: *Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, Sacramenta Corporis, & Sanguinis Christi sumenda sunt; & in Cœna Domini, & in Parasceve, & in vigilia Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum; & ipsi dies Paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.* Verum, an alibi tam generaliter præscriptum fuerit, quod hic præscribit Theodulphus, nobis incertum est, & multo minus ex Ecclesiæ Latinæ usu Orientalis Ecclesiæ usus colligi valet; præsertim cum S. Chrysostomus non obscure indicet laicorum omnium communionem ad Pascha dilatam fuisse. De his lege, & confer Thomassinum 1. par. c. 16. & 17. & 2. par. c. 23.

* Floruit VII. sec. Cap. 41.

3. Et illud principii loco erat per Quadragesimam utendum esse parcius, joco, lusibus, iisve, quæ animum a Deo distrahunt. *An putatis*, ait Ambrosius Serm. 33. *illum jejunare, qui prima diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum Martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus, silvasque perlustrat?... Qui ejusmodi es, quamvis declinante jam sole manduces, potes videri tardius te refecisse, non tamen Domino jejunasse*. Et id usque adeo servabat Ludovicus cognomento Pius, *ut in Quadragesima vix uno, aut duobus diebus propter exercitationem equitationis indulgeret*.

4. Exulabant lites, & vacabant tribunalia, ut patet, tum ex Theodulpho Aurelian. tum ex Concilio Meldensi an. 846. Can. 76.

5. Servabatur pro virili toto eo tempore conjugalis continentia; & hanc esse Ecclesiæ intentionem, ita persuasum erat Bulgaris ad fidem recenter conversis, ut Nicolaum I. consuluerint, *quid de eo, qui Quadragesimali tempore cum uxore sua coierit, sit judicandum*. Quod ille Pontifex, *Episcopi & Sacerdotis* ab eo constituti *arbitrio considerandum, ac definiendum* commisit, *libratis personis, ac temporibus*. Verum, etsi optabat Ecclesia, ut conjugati castitatem præsertim tempore jejunii assidue colerent, quod de uxoris suæ consensu fecit S. Ludovicus, id tamen nulla generali lege præcepit, nec forte ob periculum majoris lapsus præcipere debuit. Dixi, *nulla generali lege*: non enim desunt privatarum Ecclesiarum leges, quæ continentiam arcte præcipiant; idque magis certum est de Orientalibus. Vide Thomassin. 2. par. c. 24.

6. Præcipiebantur eo tempore eleemosinæ largiores; nec dubium est, quin multi circa hanc legem sibi nimium blandiantur. *Male jejunant*, ait Ratherius Veronensis Ser. 1. de Quadrag. *qui quod corpori suo subtrahunt, non pauperibus tribuunt, sed aut suo ventri, aut quod est nequius, mammonæ, id est cupiditatis dæmoni abstinendo reservant*; & iterum: *Fac eleemosynam, jejuna, & ora. His enim nisi duabus alis jejunia nostra vehantur, cœlum non valent conscendere; & orationum videlicet, & eleemosynarum juvamine*. Concilium Triburiense an. 895. Can. 35. *Diebus*, inquit, *Quadragesimæ jejuniorum summa devotione jejunandum; & omni intentione est orandum, atque unicuique pro facultatibus suis eleemosyna tribuendæ*. Perpetuam hanc Ecclesiæ traditionem innovavit S. Carolus in Concilio V. Mediolan. *Eleemosynas, cum per facultates potest, uberiores pauperibus egentibusque conferat; in aliaque pietatis officia, atque opera liberali charitate eroget*. Et vero, ait S. Cæsarius Arelat. Homil. 2. *Si possibilitas non fuerit jejunandi, eleemosyna sufficit sine jejuniis; jejunium sine eleemosyna omnino non sufficit*.

Ar-

Arctiori porro jure ad eleemosynam tenentur, qui præscriptam jejunii legem præ imbecilla valetudine exequi non possunt. Ratio est, quia dispensatio omnis a bono opere, boni alterius operis exercitio compensari debet; ergo cum Ecclesia per jejunii tempus, & jejunium ipsum, & orationem, & eleemosynam injungat, qui horum primum præstare non potest, tertium duplicare debet, juxta id ejusdem S. Cæsarii ibid. *Pro eo, quod non potest quis jejunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata, quæ non potest jejunando curare, possit eleemosynas dando redimere*. Scilicet enim, qui a jejunii lege eximitur, a pœnitentiæ debito eximi non potest: ergo cum hanc tali modo implere nequit, alio modo implere tenetur.

Atque hinc pie simul, & solide colligit Thomassinus, eos etiam, qui jejunant, plus tempore jejunii, quam alio quocumque debere pauperibus. Nimirum vero jejunium, ut hodie decrevit, multas importat dispensationum species, quia in multis relaxata est severitas primæva: olim quippe abstinebatur a vino, a piscibus, a lacticiniis, a butyro; quibus nunc non abstinetur. Olim una erat cœna, eaque brevis, & sub noctem, ita ut prandium, & jejunium se se invicem excluderent; nunc sumitur cibus meridie, & ante meridiem; nec desinit sub noctem levari fames cœnula, &c.

2. part. cap. 27.

Quod spectat ad jejunii fructus, quos paucis iis exprimit Ecclesia, *Qui corporali jujunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia*; ii quinque præcipue recensentur a Bellarmino eod. 2. L. c. ix. 1. enim jejunium domandæ carnis libidini plurimum inservit, & eo nomine placet Deo, cui gratum est, ut carnem vitiis, & ejus concupiscentiis crucifigamus, exemplo Apostoli de se dicentis 1. Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*; quod de jejunio interpretantur Chrysostomus, Theophilactus, & Ambrosius. Hanc jejunii utilitatem non negant Protestantes, nisi in praxi: est enim christiana eorum libertas in hoc præsertim posita, ut parum jejunent.

2. Jejunium animam ad orationem, rerumque cœlestium contemplationem erigit. *Jejunium*, ait Chrysostomus Hom. 1. in Genes. *animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat*. Hinc Moyses præparavit se ad colloquium Dei jejunio dierum 40. Hinc totidem jejunavit dies Elias, ut Deum sub specie auræ tenuis in monte Horeb conspiceret. Hinc Danieli post ternæ hebdomadæ jejunium apertæ sunt Dei revelationes. Hinc demum Pauli Eremitæ, Antonii, Simeon uterque Stylites, aliique, qui jejunii dono emicuere, ita divinis intenti, ac velut immersi erant, ut in iis dies noctibus pene continuarent.

Exod. 34. 3. Reg. 19.

3. Utile est jejunium ad cultum Dei, non quidem ex opere operato, ut Catholicos sentire calumniatur Kemnitius, sed ex opere operantis, si nimirum accedant debitæ conditiones. Cæterum per cultum Dei hic intelligimus actionem omnem, quæ Deo placet, & ab eo acceptatur: porro jejunium rite factum Deo probari patet, vel ex eo, quod tantis virtutum, maraculorumque donis veteres eremorum incolas perpetuo jejunio mancipatos cumulaverit, ut facti sint spectaculum mundo, Angelis, & hominibus. Et vero Anna vidua in Græco Lucæ textu Deum jejuniis, & orationibus coluisse perhibetur.

4. Jejunium divinam justitiam placat, eique Chisti meritis admixtum satisfacit. Hinc Tertullianus Lib. de jejunio: *Sicut*, ait, *primum usus cibi perdidit, ita jejunium Deo satisfaciat*. Hinc S. Basilius Orat. 1. de jejun. *In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine*

jejunio

jejunio otiosa, & infrugifera est, per jejunium satisfacito Deo. Hinc demum Ambrosius Lib. de jejunio & Elia c. 3. *Jejunium* est *culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis*; adeoque *reconciliationis sacrificium* ibid. c. 9. Idem luculente probant exempla Scripturæ: I. Reg. 7. jejunant filii Israel cum Samuele, & placant Deum, ac de hostibus suis triumphant, III. Reg. 21. Achab Principum nequissimus, & qui *venumdatus* erat, *ut faceret malum in conspectu Domini* cum audisset, & expavisset minas Eliæ, *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*, & his pietatis facinoribus cœlestem iram mitigavit ex parte. Ninivitæ indicto solemni jejunio Deum placare studuerunt, & reipsa placaverunt. Idem feliciter præstiterunt Judæi temporibus Esther, & Judith c. 4.

5. Prodest jejunium ad impetranda, & merenda beneficia Dei temporalia, & æterna. Sic 1. Anna Heleanæ conjux Samuelem jejuniis impetravit, & *inanem cibo ventrem filio meruit implere*; ut ait contra Jovinianum Hieronymus. Sic 2. Sara per jejunium a dœmonio liberatur Tob. 3. Sic Judæi ad inimicis suis liberantur c. 4. Judith & Esther.

Confirm. ex Matth. 6. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*. Quid porro reddet, nisi mercedem, ei scilicet oppositam, quam jam recepere, qui *exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes*. *Qui* ergo sunt, ajebat S. Ambrosius Epist. 82. *hi præceptores novi, qui meritum excludunt jejunii*? eant, & interrogent majores suos, sibi superiores pietate, nec dispares scientia. Respondebunt alii cum Augustino Ser. 142. in Append. alias 62. *Jejunium remedium* esse, *aut præmium*. *Hoc est indulgentiam peccatorum, aut præmium regni cœlestis* acquirere. Alii cum S. Leone Serm. 1. de Jejun. septimi mensis, jejunandum esse: *ut per humilitatem jejunii contra hostes nostros divinum mereamur auxilium*. Nemo idem cum Pseudoreformatis loquetur nisi Jovinianus, nemo cum Joviniano nisi Ecclesiæ hostes.

Objicit Kemnitius 1. id Epistolæ S. Ignatii ad Heronem: *Jejuniis, & orationibus vacato, sed non immodice, ne te ipsum destruas: a vino, & carnibus non penitus abstineto, neque enim abominabilia sunt*; 2. historiam Alcibiadis, qui cum in carcere *solo pane, & aqua* pro more suo vesci vellet, *Attalo*, qui in eodem carcere pro fide Christi detinebatur, *revelatum est non recte, neque ordine facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis scandali exemplum fieret*. *Paruit itaque Alcibiades, & cunctis deinde cibis uti cœpit*; prout refert Eusebius Lib. 5. Histor. c. 3. 3. argumenta, quibus contra Montanistas utebantur Catholici. Hi nempe urgebant 1. illud Isajæ 58. *Numquid tale est jejunium, quod elegi; per diem affligere hominem animam suam, &c. Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, &c.* 2. id Christi: *Quod intrat in os, non coinquinat hominem, &c.* ergo, ait Kemnitius, sententia Catholicorum de merito jejunii, congruit cum sententia Montanistarum, quæ ab Ecclesia proscripta est. Verum caduca sunt hæc desperatæ causæ fulcimenta.

Ad 1. dico 1. epistolam ad Heronem non esse S. Ignatii, ut passim fatentur eruditi; 2. eam cujuscumque sit, eos tantum ferire, qui ut Ebionitæ teste S. Epiphanio, a vino, & carnibus tanquam suapte natura immundis abstinebant; non eos, qui ut placerent Deo, & propter continentiæ virtutem ab iis temperabant. Et vero si res aliter esset, reprehendisset auctor Epist. hujus S. Jacobum Domini fratrem, qui, ut refert Hegesippus apud Euseb.

Lib. 2.

Lib. 2. c. 23. *Ab ipso matris utero sanctus fuit : Nec vinum unquam bibit, nec siceram; ab animantium carnibus penitus abstinuit, &c.*

Ad 2. Non caruit Alcibiadis agendi ratio vitio cujusdam inconsiderantiæ. Exigebat enim charitas, & prudentia, ut homines variis quotidie tormentis debilitati, vires suas paulo plus reficerent, & iis uterentur dapibus, quæ etiam solito delicatiores Martyribus præbebantur a Christianis, ut narrat Tertullianus : unde cum id facere nollet, afflixit socios suos; iique probabiliter suspicati sunt eum infici errore illorum, qui cibos quosdam habebant ut immundos; quam cogitationem ut ab eis averteret, cœlesti Attali revelatione monitus, cœpit iisdem vesci cibis, quibus cœteri vescebantur. Ex iis vero quid contra meritum jejunii.

Ad. 3. facit hic Tertullianus contra Catholicos scribens id, quod faciunt Protestantes, id est iisdem imponit. Non arguebant Catholici Montanistas, quod jejunium, & Deo gratum, & meritorium esse contenderent. Id enim sentiebant ipsi, cum non alio animo præscriptam Quadragesimæ legem servarent tam austere : verum ægre ferebant, quod iidem Montanistæ, non modo tres inducerent Quadragesimas, sed & in iis perpetuam xirophagiam servari vellent, idque non sine specie superstitionis, ut vel hæc Tertulliani verba indicant : *Nos xirophagias observamus, siccantes cibum ab omni carne, & omni virulentia, & vividioribus quibusque domis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus.* Hæc certe generaliter pro omnibus constituta superstitiosam diligentiam demonstrant; & merito, ut in his non esse religionis summam ostenderent Catholici, allebant hæc Scripturæ loca : *Non est hoc jejunium, quod elegi, &c.* at non ideo jejunii meritum expungebant Catholici; cum jejunium, ut actionem multopere meritoriam tota commendaverit, & exercuerit antiquitas.

Lib. de Jejun.

CAPUT TERTIUM.

De Præcepto Abstinentiæ a carnibus.

SUpponimus ex dictis potuisse Ecclesiam sancita, ut fideles aliquando abstinerent a carnibus : hic ergo solum inquirendum est 1. quo tempore urgeat abstinentiæ lex extra casum jejunii, 2. an pridem obliget; 3. cum quibus obliget; his potius, quam aliis diebus obliget. Et hæc quidem moræ parum injicient. Itaque

R. ad 1. abstinentiæ solius legem obligare singulis hebdomadis feria sexta, & Sabbato, in die D. Marco sacra, ac denique triduo Rogationum. Quamquam postrema hæc non ubique recepta est, unde non servatur in Diœcesi Nemausensi.

R. ad 2. abstinentiæ legem pro singulis hebdomadis admodum esse antiquam, ut statim patebit : verum hæc, nec eadem die ubique servata est, nec eodem gradu. Olim quippe abstinentia hæc jejunio conjuncta erat; alicubi non solum feria sexta, & Sabbato, sed & feria quarta jejunabatur; alibi jejunabatur feria quarta, & sexta, non autem Sabbato; quod præcipue locum habuit, & hodiedum habet apud Græcos.

R. ad 3. abstinentiam feriæ sextæ, & Sabbati institutam fuisse tum in honorem mortis, & sepulturæ Christi, tum ut præparationem ad diem Dominicam,

cam, quæ Christi resurrectionis memoriam renovat. Abstinentia vero, seu etiam feriæ quartæ jejunium in usu fuit, quia feria quarta cœperunt Judæi consilium occidendi Salvatoris, & hac ipsa die pactus est cum iis Judas Iscariates de eo tradendo. Docet id Augustinus Epist. 36. n. 30. *Cum autem*, inquit, *quarta*, *& sexta* feria *maxime jejunet Ecclesia*, *illa ratio reddi videtur*, *quod considerato Evangelio*, *ipsa quarta* feria *consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi* .. *passus est* autem *Dominus*, *quod nullus ambigit*, *sexta Sabbati*; *quapropter & ipsa sexta recte jejunio deputatur*. Quod ad jejunium Sabbati spectat, hoc in Ecclesia Romana jam pridem observari testatur tota eadem Augustini Epistola. Unde Isidorus Hispalensis L. 2. de Offic. Eccles. c. 42. *Sed &*, inquit, *Sabbati dies a plerisque* jejunio celebratur, *propter quod in eo Christus jacuit in sepulchro: præsertim cum Apostolica Sedes hanc regulam teneat*. Idem testatur Isidoro antiquior Innocentius I. hæc illa Epist. 1. c. 4. *Non ergo nos negamus feria sexta jejunandum*, *sed dicimus*, *& Sabbato hoc agendum*; *quia ambo dies tristitiam Apostolis*, *vel his*, *qui Christum secuti sunt*, *induxerunt*.

Quod spectat ad abstinentiam, quæ fit pluribus in locis in Festo S. Marci, & in diebus Rogationum, hæc decenter stipat Litanias, seu solemnes supplicationes, quæ his diebus fiunt, maxime, ut Deus fructus terræ, qui grave ea tempestate periculum subeunt, dare, & conservare dignetur. Confidit enim Ecclesia, se, accedente ad orationem abstinentia, facilius id, quod efflagitat, impetraturam esse. Ideo autem his diebus servatur abstinentia sine jejunio, quia ex veteri Ecclesiæ lege tempore Paschali non viget jejunium: unde & ipsa harum dierum abstinentia multis in Diœcesibus dehinc abrogata est, ut notat Auctor Catechismi Montispessul. Non desunt tamen Diœceses, in quibus, non obstante Paschalis temporis Festivitate, servatur jejunium; quod & pro Mediolanensi territorio, renovata antiqua loci consuetudine, sanxit S. Carolus Borromæus in prima sua Synodo Provinciali.

Quæres, cur Litaniæ, quæ fiunt die S. Marci vocentur *majores*; quæ vero triduo fiunt ante Ascensionem *minores* vocentur.

R. id factum, quia Litanias S. Marci instituit Romanus Pontifex S. Gregorius Magnus, easque primum observavit Urbs Roma: minores contra institutæ sunt a S. Mamerto Viennæ in Gallia Episcopo. Ita Burius in Onomastico v. *Litania*, & utcumque Auctor Collat. Lucionens. T. 13. p. 244.

CAPUT QUARTUM.

De Præcepto annuæ Confessionis.

PRæceptum illud continetur Canone 21. Concilii IV. Lateranensis sub Innocentio III. habiti an. 1215. en ejus verba: *Omnis utriusque sexus fidelis*, *postquam ad annos discretionis pervenerit*, *omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti*, *& injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere; suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis*, *ob aliquam rationabilem caussam*, *ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum*, *alioquin*, *& vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur*, *& moriens christiana careat sepultura*. *Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur*, *ne quisquam ignorantiæ cæci-*

cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ille ipsum non possit solvere, vel ligare. Decretum hoc laudat, & confirmat Tridentina Synodus Sess. 14. c. 5. *Unde*, inquit, *jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ, quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tanquam pium, & merito retinendum.* Variæ circa Constitutionem hanc agitantur quæstiones, quarum præcipuam, quia a doctissimo Tournelyo fuse ventilata est, uno verbo solvemus. Sequemur autem singulas Lateranensis Decreti voces. Itaque

Quæres 1. an hæretici, aliique infideles baptizati Lateranensi lege teneantur. Videtur, quod non; quia ea lex cadit tantum in fideles, e quorum gremio non sunt hæretici. Nihilominus

R. affirm. 1. quia alioqui quisquis grave contra fidem admisisset peccatum, ab ea lege immunis foret, quod nemo dixit hactenus; 2. quia hæretici cœteris Ecclesiæ legibus tenentur, nisi cum iis dispenset Ecclesia, (prout an. 1741. *statuit* Innocentius XIV. *matrimonia* in Batavia, Flandria, & arcibus conterminis, vulgo dictis di Barriera, *inter hæreticos usque modo contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino præscripta, non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit impedimentum canonicum pro validis habenda esse.*) Atqui nulla legitur dispensatio Lateranensis Decreti relaxativa quoad hæreticos: ergo non minus hujus Decreti lege tenentur, quam aliis Ecclesiæ legibus: imo magis, quia lex semel in anno confitendi, solum determinat legem ab ipso latam.

Nec nocet vox, *Fidelis*, qua utitur Decretum Lateranense: quia idem est sæpe fidelis, ac baptizatus; & plerumque infidelis dicitur, qui ne ratione quidem Baptismi ad Ecclesiam pertinet. Sic cum matrimonium fidelis cum infideli irritum esse dicitur, per infidelem, is solum intelligitur, qui baptizatus non fuerit.

Quæres 2. quis discretionis annos censeatur attigisse.

R. Omnis, & solus, qui capax est peccati saltem mortalis. Quando autem capax sit puer peccati mortalis, non est dijudicandum ex sola ætate, sed & multo plus ex ingenii gradu, educatione, discretione boni, & mali; quæ in aliis major est anno sexto, quam in quibusdam anno octavo. Unde refert S. Gregorius Lib. 4. Dialog. c. 18. puerum quinquennem mortuum, & damnatum esse propter blasphemias, in quibus diu vixerat. Plus forte stupendum, quod experientia se didicisse ait Gerso hujus scilicet ætatis pueros carnalibus peccatis inquinatos fuisse. Porro spiritus discretionis iis communiter inesse creditur, qui apprehendunt, v. g. quid sit mendacium, qui de impuris quibusdam hujus ætatulæ actionibus erubescunt, &c.

Dices: Citatus Canon non præcipit confessionem, nisi relative ad Communionem: ergo cum pueri ad hanc non teneantur, nec ad illam teneri possunt.

R. neg. ant. Confessio enim absolute præcipitur in Canone, Communio cum hac solum limitatione: *Nisi forte de proprio Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab* ea Communione *duxerit abstinendum*. Porro puerilis ætas, qua tanti Sacramenti dignitas haud satis cognosci potest, rationabilis est ab eo abstinendi causa. Adde, quod consuetudo legitima Canonum interpres Lateranense Decretum nostro sensu semper exposuerit.

Hic quædam notanda, & quidem 1. iis, qui puerorum confessiones excipiunt,

cipiunt, pensandum esse hanc S. Caroli regulam c. 9. Instruct. Confessar. *Consuetudo honesta, & puerulos, etiamsi quintum, aut sextum ætatis annum necdum excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atque usum hujus Sacramenti transferri. Caveant tamen accurate Sacerdotes, ne absolutionem iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur, ut citra controversiam judicare possint eos hujus Sacramenti capaces esse.* Unde explorandum est Confessario, an pueri actus fidei, spei, & charitatis noverint, an ea quæ necessitate medii necessaria sunt sciant non psittacorum more, sed cum aliqua specie judicii, an inter confitendum vagentur oculis: & præcipue, an dum differuntur, ut differri debent, quo plenius exploretur eorum intelligentia, an inquam salutaria Confessarii monita secum pro modulo revolverint, & observaverint saltem ex parte. Si sic, judicari potest eos non solo sensu moveri, sed & ratione, adeoque & obstrictos esse lege confessionis, ad cujus gratiam sensim præparandi sint; 2. iis, qui puerorum curam habentes, animadvertunt ipsos dubii saltem mortalis peccati conscios evasisse, satagendum esse, ut peccatum hoc intra annum deponant, idque vi Concilii Lateranensis; nisi jam mortaliter rei eodem anno confessi fuerint, de quo infra; 3. non omnes amentes ab hac confessionis lege eximi: stat enim quosdam in aliqua, imo in omnibus fere materiis rationis esse expertes, qui tamen in materia confessionis ratione utantur; de quo videris exemplum apud Lugo disp. 15. de Pœnitent. n. 153. an pueri subjaceant censuris, quas aliquando decernunt Diœcesanæ leges contra eos, qui annuæ confessionis officio minime defunguntur, definiri potest ex iis, quæ diximus in Tractatu de Censuris.

Quæres 3. quomodo computetur annus, intra quem semel obligat Præceptum Confessionis.

R. omissis variis ea de re opinionibus, quas refert Lugo, annum videri computandum, ut solet a prima die Januarii ad ultimam usque Decembris inclusive: ita ut quisquis intra hoc spatium sua deposuit peccata, is Lateranensi Edicto satisfecerit. Et vero Decretum Lateranense ita Paschale tempus pro annua Communione determinat, ut nullum pro annua Confessione tempus determinet. Equidem Tridentina Synodus morem Quadragesimæ tempore confitendi maxime probat, & amplectitur, sed *tanquam pium*, non tanquam stricte obligatorium. Si quis tamen jam confessus, denuo labatur in peccatum grave, is non quidem ob legem confessionis, propter annuæ Communionis præceptum denuo confiteri tenebitur. Quod sicubi speciali Diœceseon lege sancitum sit, ut annua Confessio fiat sub tempus Paschale, huic utique legi obsequendum erit. Porro in Gallia Rituales Libri assignant tempus Paschale a Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis inclusive; idemque tempus determinavit Clerus Gallicanus in Comitiis an. 1625. 1635. 1646. *Lugo n. 154. &c.*

Ergo, inquies, poterit quis bienno toto non accedere ad pœnitentiæ tribunal; eique si die prima an. 1745. confiteantur, sufficiet, ut ultima die an. 1746. deponat peccata.

Respondet Lugo n. 161. non esse id absurdum magis, quam absurdum sit, ut quis totum feriæ secundæ Officium recitet statim post mediam noctem, totum vero feriæ tertiæ Officium persolvat proxime ante mediam ejusdem diei noctem, sicque biduo fere toto nihil recitet. Hæc tamen ratio bene inspecta probat opinionem Lugo non esse in praxi sequendam sine rationabili

 causa:

causa: cum alioqui ab omni peccato immunis non sit, qui geminæ diei Officia quadraginta sex horarum spatio separat a se invicem. Et vero dum Ecclesia saltem semel in anno confiteri præcipit, prima fronte exigere videtur, ut priorem inter, & posteriorem confessionem non plus moraliter loquendo decurrat temporis, quam anni circulus.

Dixi: *moraliter loquendo*; quia qui solitum in Paschate confitendi morem sequuntur, bis aliquando intra menses decem, aliquando semel tantum intra menses plusquam tredecim confitentur, prout Pascha serius, vel ocius celebrari contingit.

Quæres 4. an qui venialia solum habet peccata, Confessionis annuæ præcepto teneatur.

R. partem affirmativam esse tutiorem, nec probabilem minus, adeoque sequendam in praxi: 1. quia eam docent non solum D. Bonaventura in 4. dist. 17. part. 2. art. 1. q. 2. sed & S. Thomas eadem dist. q. 3. art. 1. quæstiunc. 3. ad 3. ubi sic: *Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur*; 2. quia Canon Lateranensis omnes utriusque sexus generaliter, & indistincte afficit: ergo & eos etiam, qui solum habent venialia; cum ubi lex non distinguit, nec nos saltem sine gravi causa distinguere oporteat; 3. quia idem Canon excommunicationem, & Ecclesiasticæ sepulturæ privationem iis comminatur, qui Paschali defuerint Officio: atqui eæ pœnæ nonnisi contra notorios quosdam peccatores executioni mandari possent, nisi etiam venialiter rei peccata sua deponere tenerentur. Cæteri enim statim responderent se, propitio Deo, in nullum grave peccatum lapsos esse; neque id una tantum vice, sed annis singulis, imo ut notat Habert, in toto vitæ decursu respondere possent: ergo.

Obi. 1. Præceptum Ecclesiæ solum determinare potest præceptum confessionis a Christo impositum: atqui fatentur omnes præceptum confitendi peccata a Christo impositum, solum cadere in mortalia: ergo.

R. 1. hinc sequi nequidem posse Ecclesiam præcipere venialium confessionem; & hoc tamen negant Sylvius in Suppl. q. 6. art. 3. quæst. 2. Henno de Pœnitent. pag. 148. aliique ex adversariis: tum propter auctoritatem S. Thomæ, tum quia venialium confessio est actus non utilis minus, quam ieiunium, quod ab Ecclesia præcipi potest; tum quia Clemens V. cap. 1. *De statu Monach.* sic loquitur: *Sane singulis mensibus, tam in Monasteriis, quam sublata occasione quacumque, ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi*. Hi porro utique singulis mensibus haud erant lethalium noxarum rei. Quod autem volunt aliqui verba hæc non habere vim propriæ legis, sed Constitutionis Monasticæ, ad minus dubium videtur, cum verba hæc *sane*, & *sublata quacumque occasione* præceptum sonent. Adde quod Monasticæ leges afficiant indirecte conscientiam, quatenus obligant ad acceptationem pœnæ, quoties hæc contra transgressores decernitur.

R. 2. dist. maj. Præceptum Ecclesiæ solum determinare potest præceptum Christi quoad substantiam, C. solum determinare potest quoad modum, N. Itaque Ecclesia nihil potest circa substantiam præceptorum Christi: unde si non præcepisset Christus, ut homo homini peccata sua, vel mortalia confiteretur, vel venialia confiteri posset, non posset id Ecclesia præcipere. At vero potest Ecclesia determinare præceptum Christi quoad modum, efficiendo, ut quod juxta Christum est materia confessionis sufficiens, fiat aliquando mate-

materia necessaria, seu quæ certis in occasionibus debeat adhiberi. Sic licet azimus panis non sit necessaria Eucharistiæ materia, efficere potest, & de facto effecit Ecclesia, ut Latini nonnisi in azimo pane consecrarent: unde materia, quæ non est necessaria necessitate Sacramenti, fit per Ecclesiæ legem necessaria necessitate præcepti.

Inst. Non potest Ecclesia mutare materiam Sacramentorum: atqui mutaret, si posset efficere, ut peccata venialia necessario clavibus subjicienda essent: quia efficeret, ut quod est materia libera, fieret materia necessaria: ergo.

R. neg. min. & dico præceptum materiæ alioqui vere sufficientis non cadere in substantiam, sed in modum dumtaxat. Quapropter si præcipiat Ecclesia, ut Sacerdotes vino solum albo utantur in Missa, nihil utique circa substantiam materiæ sacrificii immutabit, secus si præciperet, quod nusquam præceptura est, ut consecratio fieret in aqua.

Obj. 2. Peccata venialia quocumque tempore, aliter quam per confessionem remitti possunt: atqui si necessario Paschali, v. g. tempore confitenda essent, non aliter possent quam per confessionem remitti: ergo.

R. neg. min. Peccata enim venialia Paschali, sicut & alio quocumque tempore remitti possunt per solam contritionem: sed non remittuntur actu, quia veram contritionem non habet, qui Ecclesiæ præceptum, & quidem facile impleri, implere non vult. Quapropter Ecclesia venialium confessionem non imperat præcise, ut ea dimittantur, sed ut fideles majus gratiæ augmentum percipiant ex Sacramenti usu, & semel saltem in anno proprio Pastori innotescant, *ne lupus intra gregem lateat*. Ita S. Thomas Suppl. q. 6. art. 3. in corp. qui tamen in resp. ad 3. hæret. & vacillat.

Obj. 3. Tam gravis est pœna, quam legis suæ transgressoribus comminatur Concilium Lateranense, ut verisimile non sit eidem obnoxios fieri, qui venialia sola confiteri neglexerint: ergo.

R. 1. rem de se levem, accedente Dei, aut Ecclesiæ præcepto gravem fieri posse. Sic leve quid, vel potius nihil in se erat comestio pomi, quæ tamen Adam, ejusque posteros perdidit. Sic leve quid est, quod Clericus in sacris, ut sitim leniat, popinam rapide ingrediatur, & tamen id Ambiani, Novioduni, aliisque pluribus in locis sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibitum est.

R. 2. neg. ant. omissio enim confessionis Paschalis scandalum præbet, eludendæ Ecclesiæ legi inservit, quamdam proprii Pastoris despicationem denotat: ergo graviter puniri potest.

Cœterum, qui opinionem nostræ oppositam cum pluribus tenebunt, saltem *ad præceptum Ecclesiæ implendum* agere debent, *ut se Sacerdoti repræsentent, & se ostendant absque conscientia mortalis esse, & hoc eis pro confessione reputabitur*. Ita S. Thomas ubi supra ad 3. fuit enim hic impeditus S. Doctor.

Quæres 5. an qui venialia dumtaxat totum per annum confessus est, teneatur confiteri die anni ultima, si ea peccet mortaliter.

Affirmat Lugo n. 162. quia, inquit, præceptum annuæ confessionis est præceptum de confessione ab ipso Christo imperata, cui Ecclesia semel in anno satisfieri voluit: atqui præceptum Christi cadit in mortalia sola; ergo cum ab eo, qui venialia, licet pluries, confessus fuit, impletum non fuit, necessum est, ut impleatur per confessionem peccati mortalis nuper commissi.

Aliter censemus, quia nobis persuasum est Ecclesiæ, atque ipsius Christi legem ab eo impleri, qui nonnisi venialia habens, venialia solum confitetur.

Præcepit equidem Christus, ut mortalia clavibus Ecclesiæ subjicerentur; at nec per se, nec per Ecclesiam præcepit, ut, qui jam hoc anno confessus est, ea statim, & illico confiteatur, aut alioqui reus sit legis Ecclesiasticæ; quod addo, quia disputant Theologi, an qui mortaliter deliquit, quam primum ad confessionem, aut contritionem recurrere teneatur.

Quæres 6. an qui post confessionem recordatur mortalis peccati, quod sibi alia sua peccata confitenti excideret e memoria, illud hoc anno confiteri teneatur.

R. negat. quia jam vere satisfecit præcepto Christi, & Ecclesiæ, quo jubetur solum, ut quis ea, quæ post sufficiens examen meminit, peccata confiteatur. Aliud esset, si quis ex negligentia graviter culpabili, vel peccati oblitus esset, vel debita caruisset contritione; quia per confessionem voluntarie nullam non satisfit præcepto Ecclesiæ, prout definierunt adversus laxiores casuum arbitros Alexander VII. & Clerus Gallicanus an. 1700. Et vero Ecclesia præcipit confessionem piam, hominisque cum Deo reconciliativam, qualis esse nequit confessio voluntarie sacrilega. An autem qui inculpate oblitus est peccati, idem ante Eucharistiæ sumptionem deponere teneatur; an non eidem sufficiat *pro tunc* absolutio, qua idem peccatum indirecte remissum est, prout sentiebat D. Gibert, non est hoc loco discutiendum. Ut ut est, constat eum, qui peccati alicujus oblitus est, non debere diu confessionem ejus differre.

Quæres 7. an reus peccati, quod hic & nunc declarare non tenetur; (puta; quia declarando frangeret sigillum confessionis, aut se vel alium gravi damno, vel corporali, vel spirituali exponeret) debet alia confiteri peccata, ut præcepto satisfaciat.

Negat Henno ibid. modo is prævideat sibi paulo post elapsum annuæ confessionis tempus, ad futuram occasionem peccatum illud declarandi: nisi tamen immineat periculum scandali, vel sumenda sit Eucharistia. Ratio est, inquit, quia prudenter præsumi potest dilationem hanc ab Ecclesia concedi, propter omnimodam confessionis integritatem. Mihi tamen multo tutius visum fuerit, ea confiteri peccata, quæ actu confiteri possum, quia certissima est Ecclesiæ lex confessionem urgens, certa vero non est dilatio, quam ab ea concedi supponit adversarius.

Quod dicit idem eum, qui venialia sola haberet cum mortali, quod hic & nunc confiteri nequit, a confitendo immunem esse; ejus quidem principiis congruit, sed repugnat nostris. Supra enim probavimus eum, qui venialia solum habet, ad eorum confessionem teneri.

Quæres 8. an sub initium anni sequentis confiteri debeat, qui intra annum confessus non est, & an unica hac confessione pro anno præsenti, & præterito satisfaciat.

R. ad 1. affirmat. quia annus non assignatur ut terminus, quo elapso, cesset obligatio legis, sed ut spatium, ultra quod eadem obligatio differenda non sit; sicut ergo, qui summam, quam in Paschate solvere debuit, & non solvit, eamdem, quam primum potest, solvere tenetur; sic & a pari. Aliud est de præcepto jejunii, vel recitationis Horarum: hæc enim ita certis diebus affixa sunt, ut cum iis extinguantur, etsi eorum omissio seria pœnitentia expungi debeat. Cæterum, qui quam primum potest, non confitetur, peccat deinceps, & continenter donec confiteatur; tamdiu enim transgreditur legem, qua superiori anno ad confessionem obligabatur, & cujus obligatio crescit, & augetur in dies, quamdiu differtur eadem confessio. Ita P. Simonnet T. 9. p. 239.

R. ad

R. Ad 2. etiam affirmat. Ratio est, quia quoties eadem materia eodem tempore, duplici præcepto imperata est, toties utrumque præceptum uno actu adimpletur; ut patet in præcepto jejunii vigiliæ in aliquam quatuor temporum feriam incidentis: porro eadem est in præsenti casu materia, quæ anni superioris, & currentis præcepto imperatur, nimirum confessio. Et vero si res aliter se haberet, qui per annos 20. confessus non fuit, eodem anno vicies confiteri deberet; quod totius Ecclesiæ praxi repugnat.

Si tamen ex speciali locorum lege annua confessio certo tempori annexa sit, ut in Gallia quinædenæ Paschali, haud dubie, qui antea confessus esset, denuo confiteri teneretur, prout docet Suarez disp. 36. sect. 4. n. 5. teneretur etiam ex probatiori opinione prævenire confessionis tempus, qui prævideret futurum, ut debito tempore confiteri non possit, sicut die Festa tenetur Missam diluculo audire, qui videt se alioqui eidem hac die non esse interfuturum.

Quæres 9. quis intelligatur nomine proprii Sacerdotis, cui annuam confessionem fieri vult Synodus Lateranensis.

R. Quæstionem hanc fuse, & erudite pertractatam esse a clariss. Tournelyo, quem consule, & a quo edisces per proprium Sacerdotem eum intelligi, cujus jurisdictioni subjacet quis immediate; (qualis est in Parochia Rector, Superior in Monasterio, Sacerdotes Nosocomiis quibusdam præfati; & ideo ajunt aliqui, non dixit Concilium Parocho, sed Sacerdoti) salvo tamen Superiorum, Episcopi scilicet, & Romani Pontificis jure.

Ergo, inquies, poterunt Regulares sola Papæ auctoritate freti, Sæcularium confessiones invitis locorum Episcopis excipere.

R. Si potest Papa ubique terrarum confessiones excipere, potest & committere, qui excipiant; sed potestas ejus ad Canonum normam exerceri debet; unde quia violarentur Episcoporum jura, quia quandoque parum periti excipiendis confessionibus præficerentur, quia serius interdicerentur ministerio, quos quandoque ab eo statim retrahi vel decet, vel necesse est; merito constitutum fuit, ut Regularis, sicut & Sæcularis nemo, tanti momenti ministerio, nisi a proprio loci Episcopo applicaretur, prout dixi p. 98. Aliud esset, si Episcopus nonnisi hæreticos, aut qui Calvinisticam cœnam agerent, excipiendis fidelium confessionibus deputaret; aut novus quis exurgeret Odo Castilloneus; tunc enim si suo deessent officio Comprovinciales Episcopi, teneretur, qui omnium Ecclesiarum sollicitudinem habere debet, Romanus Pontifex, huic universi gregis parti idoneos Sacerdotes subministrare, prout facit in Anglia, &c.

Quære 10. an valida sit confessio Paschalis facta sine Parochi consensu seu Regulari, quem approbaverit Episcopus, seu alterius Parochiæ Sacerdoti generaliter tantum approbato.

R. Ad 1. affirmat. quia si *proprii Sacerdotis officium, & jus in proprii Episcopi dignitate nobilius, & excellentius continetur*, prout declaravit an. 1657. Clerus Gallicanus, possunt Episcopi, eos, quos aptiores judicaverint, excipiendis fidelium confessionibus præficere, Parocho etiam contradicente. Unde idem Clerus contra Librum N. Bouffe, cui titulus: *De l' obligation des fideles de se confesser a leur Curé*, statuit *fideles, qui Paschalis Communionis gratia confitentur non solum suis Episcopis, eorum Vicarii Generalibus, & Pœnitentiariis, verum etiam quibuslibet Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ab Episcopis ad hanc functionem approbatis, Lateranensis Concilii præceptum de annua confessione implere; eamque clausulam*: De consensu Parochorum, *quæ ab*

Episcopis apponi solet in Litteris approbatoriis eorum, quos excipiendis suorum Diœcesanorum confessionibus deputant, ex condescensu non ex necessitate apponi. Præiverat jam ab an. 1484. Facultas Parisiensis, cum hanc Joannis Lallerii thesim proscripsit. *Confessi Religiosis Mendicantibus præsentatis, & acceptatis secundum formam Decretalis*, dudum, *non sunt absoluti, & tenentur eadem peccata confiteri Curato*. Vide Gallicani Instrumenta Tom. 1. p. 672. 679. & seq.

R. Ad 2. cum Haberto, vel Episcopus consentit saltem tacite, ut Diœcesani sui cuilibet approbato Sacerdoti confiteatur, vel stricte urget executionem Decreti Lateranensis. Si primum valet confessio. Si secundum non valet; & ideo in Diœcesibus Remensi, Suessionensi, Catalaunensi, & Virdunensi statuitur confessionem hanc esse iterandam. Hinc si Regularis nonnisi sub Parochi beneplacito approbatus esset, deficiente istius consensu non posset facultatibus suis uti; quia penderent a conditione non impleta.

Quæres 11. an Parochi facile Parochianis concedere debeant licentiam extra Parochiam confitendi.

R. Cum S. Thoma in Suppl. qu. 8. art. 4. ad 8. *Peccaret Sacerdos, si non esset facilis ad præbendum licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis*. Non est ergo, ut notat Haberet, unde sibi blandiatur aliqui, quod Parochianos omnes adduxerint, ut sibi confiteantur, Inde enim sæpe oriuntur sacrilegia usque ad mortem pravo Sacramentorum usu continuata. Quin ubi solus laborat Sacerdos, expedit, ut aliquoties Sacerdotes extraneos advocet, horteturque, & urgeat Parochianos, ut iisdem se sistant: si enim levamen istud Monialibus *bis, aut ter in anno* offerre debeat Episcopus ex Trid. Seff. 25. de Regul. c. 10. quantominus erit id denegandum rudioribus, & rusticis, qui cum serviliter magis a Parocho pendeant, & ingenii sint imbecillioris, plus etiam malæ verecundiæ sortiti sunt a natura.

Quæres 12. an tanta esse debeat hæc Parochi facilitas, ut quibuslibet concedere debeat licentiam adeundi, quos voluerint ex Sacerdotibus ab Episcopo approbatis.

R. Negat. quia fieri potest, ut ex Sacerdotibus approbatis alii obreptitie approbati sint; alii sint quidem indubie periti, sed, vel in praxi laxiores, aut æquo rigidiores, alii demum nullatenus noverint pœnitentem, qui nisi adeat hominem, a quo sit fama notus, celabit usuras, iniquos contractus, & gravem in officii sui exercitio negligentiam. Itaque potest aliquando Parochus generalem plebi suæ licentiam largiri, quemcumque in tota vicinia volet Confessarium eligendi ex approbatis: aliquando certum assignare debet Confessarium, aut potius unum e tribus, aut quatuor. Quod si de personis bene moratis sermo sit, quæque Parocho, quem quotidie vident, & quicum familiariter vivunt, interiora sua detegere erubescunt, non est, quod ad hunc, vel illum arctentur; nisi forte ad improbum Ministrum sibi non satis notum recurrere velint.

Quæres 13. an Parochus parochiani sui confessionem audire possit extra Diœcesim propriam.

R. Posse, modo id fiat sine scandalo, aut Parochi alterius offensione. Ratio est, quia jurisdictio sine strepitu exercenda extra proprium territorium

exer-

exerceri potest. Aliud est de Regularibus: hi enim ex Bulla *Superna* Clementis X. data an. 1670. *non possunt in alia Diœcesi absque Episcopi diœcesani approbatione audire* confessiones eorum etiam, qui *subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati*.

CAPUT QUINTUM.

De præcepto annuæ Communionis.

Certum est 1. Eucharistiæ perceptionem adultis sufficienti ad hoc ratione utentibus necessariam esse necessitate præcepti divini; idque expresse docent hæc Christi verba Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Certum est 2. ejusdem Sacramenti receptionem semel in anno, & quidem *in Pascha* necessariam esse necessitate præcepti Ecclesiastici. Patet id ex supra citato Concilii Lateranensis textu. Superest igitur, ut quædam solvantur difficultates, quæ hic proponi solent.

Quæres itaque 1. quinam Ecclesiastico Communionis præcepto teneantur.

R. Teneri eos omnes, qui sat rationis habent, ut juxta Apostoli præceptum Corpus Domini dijudicent. Is autem rationis gradus aliis ocius puta circa an. 10. aliis serius nempe circa an. 14. contingit. Si tamen puer aliquam Eucharistiæ discretionem habeat, etsi non tantam, quanta merito desideraretur, si liceret per tempus, debet is in periculo mortis sacro Viatico refici, ut præcepto divino satisfaciat, prout docent Suarez, Palao, Habert pag. 614. P. Antoine, & alii, *quorum sententiam*, ait Ethica amoris n. 743. *utpote magis piam censeo practicandam, maxime dum puer cum aliqua devotione petit, vel desiderat.*

Ex dictis colliges peccare parentes, & Parochos nisi curent, ut, crescente in pueris rationis lumine, crescant & dispositiones ad dignam tanti Sacramenti perceptionem necessariæ.

Quæres 2. quid per Paschæ tempus a Lateranensi Concilio IV. Communioni assignatum intelligi debeat.

R. Ex Eugenio IV. Bulla *Fide digna*, data an. 1440. & ex communi fidelium praxi intelligi quindenam, quæ a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis effluit. Alicubi tamen, seu ex consuetudine, seu ex necessitate, vel privilegio plus conceditur temporis: unde si invaluerit legitima, & præscripta consuetudo huic legi satisfaciendi quolibet Quadragesimæ die, *cujusmodi est Conimbricæ, multisque aliis locis, sufficeret se conformare illi*: ait Navarrus Manual. c. 21. n. 44. *Hortamur tamen*, addit idem Doctor, *ne quis protinus a prima confessione in annum integrum dilata communicet, sed expectet aliquamdiu ad arbitrium prudentis Confessarii; & postea denuo confessus ea, quæ memoriæ occurrerint, & interea perpetrarit, mundius ad illam purissimam, sanctissimamque Cœnam accedat.*

Quæres 3. an qui Communionis præceptum stato tempore non implevit, eidem quam primum satisfacere teneatur. Negat non solum S. Antoninus, sed eorum etiam aliqui, qui confessionem suo tempore omissam, quam primum fieri debere existimant: sic Medina. Nihilominus

R. Affirmant cum S. Thoma, Azor, Suarez, Sylvio in 3. q. 80. a. 11. & aliis

& aliis multo communius: 1. quia ex dictis supra in Resp. ad 8. q. qui confessionem suo tempore neglexit, quam cito potest, culpam hanc reparare tenetur: atqui nulla est solida ratio, quæ obstet, ne ad idem teneatur respectu Communionis. 2. quia, ut bene Navarrus ibid. n. 45. Ecclesia præcipiendo Communionem in Concilio Lateranensi duo reipsa præcipit, nimirum, & ut communicetur semel *ad minus in anno*, & ut si semel solum communicetur, id fiat *in Pascha*: ergo præceptum Ecclesiæ directe, & primario cadit in ipsam Communionem; & secundario tantum in hoc vel illud tempus: ergo iterum licet elapso tempore Paschali præceptum quoad circumstantiam temporis impleri jam nec possit, nec debeat, potest tamen, & debet impleri quoad ipsam rei substantiam. Unde falsum est, quod dicunt Toletus, aliique adversarii, præceptum Communionis se habere ad Pascha, sicut habet se præceptum audiendæ Missæ ad diem Festum; ac proinde utrumque transire cum tempore, cui affixum est. Melius sane dixerint rem ab Ecclesia præceptam habere se, ut debitum, cui solvendo certum præscribitur tempus, non ut eo elapso finiatur debitum, sed ne ultra protrahatur ejusdem solutio. Quapropter in praxi tenendum est cum Suarez, Azor, aliisque pluribus, eum qui Paschali Officio defuit, novam semper admittere culpam, quoties data opportunitate legem Ecclesiæ non implet. Est enim ea lex, & affirmativa quatenus Communionem imperat, & implicite negativa, quatenus Communionis dilationem ultra Pascham prohibet: porro præceptum negativum semper, & pro semper obligat.

Quæres 4. an qui prævidet futurum, ut in Paschate communicare non possit, teneatur prævenire.

R. 1. si prævidet futurum, ut reliquo anno communicare non possit, tenetur ad præveniendum. Ratio est, quia se habet sicut is, cui præceptum est, ut aureos centum solvat ad minus semel in anno, idque in Paschate: atqui is, si prævideat se toto post Pascha tempore, futurum solvendo imparem, prævenire tenetur: ergo a pari. Et vero currit annuæ Communionis obligatio sicut obligatio audiendæ Missæ in Dominica; vel juxta adversarios obligatio ejusdem Communionis in tota Paschali quindena: ergo sicut Missam ante solitum tempus audire debet, qui videt se alioqui eam auditurum non esse; sicut die Resurrectionis ad sacram synaxim accedere debet, qui ipsa nocte navim Sacerdotibus destitutam conscensurus est; sic a pari in proposito. Aliud esset, ait Auctor Collat. Andeg. de Euchar. p. 282. si quis ab ultima Paschali Communione denuo communicasset: hæc enim, inquit, nova Communio vicem haberet anticipatæ Communionis. Id ego facile admiserim, si secunda Communio eodem facta esset anno, quo anticipandum est; secus si præcedenti. Quamquam, ut monet Pontas v. *Communio*, cas. 24. satius est, ut qui hoc etiam anno Eucharistiam recepisset, eamdem adhuc ante Paschale tempus reciperet.

R. 2. Si prævideat, quis se nonnisi diu post Pascha, eodem tamen anno communicaturum esse, melius est, ut præveniat, sicut melius est, ut Horarum tempus anticipet, qui alioqui multum ab eo recedere tenebitur: quia, ut ait S. Antoninus, prævenire diligentiæ est, tardare vero negligentiæ. Imo cum exigat Ecclesia, ut ad minus semel in anno communicent fideles, quod non facit, qui vix intra 15. vel 18. menses semel eo officio defungitur, operæ pretium est, ut qui eo in casu versantur, nihil agant inconsulto Confessario. Ita Sylvius ibid. quæsit. n. 3. a quo caute minus recedere videtur Henricus a S. Ignat. p. 759.

Quæres

Quæres 5. an qui prævenit Paschale tempus, qui timebat obicem, qui defuit, rursum in Paschate communicare teneatur, si possit.

Affirmant plures; quia, inquiunt, non satisfecit alteri obligationis parti, quæ est, ut quisque in ipso Paschate communicet. Hæc tamen ratio non omnino urget; quia sicut tempus, in quod Communio justa de causa prorogatur, æquivalet Paschali, sic & eidem æquivalere videtur tempus, quo justa itidem de causa ex pii Confessarii opinione anticipata fuit Communio. Quoniam vero neque hæc ista ratio major est omni exceptione, stricte monendus est quisquis Communionem anticipavit, ut denuo cum potest, in Paschate sacro Christi Corpore reficiatur. *Vide Lugo de Eucharistia disp. 16. a n.* 74. *ad* 82. Indubie porro qui extra casum anticipationis prædicto modo factæ, vel ipso Passionis Sabbato communicasset, ad novam in quindena Paschali Communionem teneretur.

Quæres 6. quid de eo sentiendum sit, qui in Paschate non communicat, quia censura ligatus est.

R. Non peccare eum, quod in sensu composito censuræ a sacra mensa recedit, sed quod forte censuram, qua irretitus est sibi per absolutionem relaxari non curat. Sic reus est, qui debitam Communionem omittit ex odio, aut voluntate non ignoscendi, aut non restituendi, vel non faciendi aliud quidpiam, ad quod sub mortali reatu tenetur; is enim nove peccat; nemini namque malitia sua debet prodesse. Navar. ibid. n. mihi 50.

An autem injusto percussus anathemate, possit clanculum aut in extranea Regione ad Eucharistiam accedere, prout docet idem Navarrus, expendi in Tract. de Censuris part. 1. c. 1. sub finem.

Quæres 7. ubi Communio annua debeat fieri.

R. Sumendam esse Eucharistiam in propria Parochia, de manu proprii Pastoris, alteriusve ab eo deputati. Constat id, tum ex Libris Ritualibus, variisque Synodis, tum ex consuetudine, quæ vim legis habet, & ita Lateranense Decretum interpretata est. Non ergo satisfaceret præcepto, qui in Ecclesiis Regularium communicaret, uti declaravit sacra Congregatio an. 1638. & 1682. ex consuetudine tamen receptum est, ut Sacerdotes satisfaciant huic præcepto, ubicumque celebrent; prout animadvertunt Ethica amor. n. 753. Simonnet, & alii. Vidi tamen & Episcopos, qui in Paschali quindena saltem semel sacrum facerent in Parochia, cujus intra limites ad tempus commorabantur; idque consulendum est, nisi quid obstet.

Cœterum censent Barbosa de offic. Parochi part. 1. cap. 1. & post eum Boudartius Tract. 3. §. 6. q. 1. Ethica ibid. n. 754. Parochiæ nomine non venire Ecclesiam Cathedralem, nisi respectu eorum, qui sunt de Parochia Cathedralis. Unde, ait Lugo Respons. Moral. dub. 15. Cathedralis non est generalis omnium Diœcesanorum Parochia, ut hinc constat, quod nullum sit matrimonium coram Parocho illius sine proprii Parochi licentia contractum. Imo, nec qui ab inscio loci Episcopo Eucharistiam suscepisset, præcepto satisfecisse videretur: quia non intendit Episcopus a communi lege citra causam dispensare: unde qui extra Parochiam Paschali Officio fungi cogitat, is, vel proprii Parochi, vel Episcopi licentiam obtinere debet. Quod de annua Communione, hoc de prima dicendum: unde & hæc ex usu communi in propria Parochia fieri solet, imo vetat Rituale Paris. ne quis *ad primam Communionem, etiam extra tempus Paschale, nisi in sua Parochia admittatur*, utique sine Parochi proprii, vel Episcopi licentia.

Quæ-

Quæres 8. an, qui alias intra quindenam communicavit, aut communicaturus est in propria Parochia, possit ipsa Resurrectionis die ad sacram Cœnam accedere in Ecclesia Regularium.

Ratio dubitandi desumitur ex Bullis Pauli III. & Pii IV. qui dum fidelibus liberam faciunt Communionem apud Regulares, diem Paschatis excipiunt. Censent tamen Suarez, Barbosa, Henricus a S. Ignatio, & alii communissime diem illam non materialiter accipi in prædictorum Pontificum Constitutionibus, sed formaliter, nimirum pro die, quam quis elegit, ut annuæ Communionis præcepto satisfaceret.

Hanc tamen opinionem in praxi teneri nolim, 1. quia, ut refert Joannes Vviggers q. 80. art. 31. dub. unic. Sacra Congregatio Tridentini Concilii interpres censuit die 22. Maii an. 1610. quod *si quis intra tempus Paschale de manu Parochi Eucharistiam acceperit, vel intendat, priusquam Octava Paschalis labatur, de manu illius ad satisfactionem Ecclesiæ accipere, non tali tamen licitum esse ipso die Resurrectionis de Religiosorum manibus communicare*. Negat quidem Henricus a S. Ignat. nu. 755. declarationem hanc in Belgio usu receptam esse: at eam tamen, ut disciplinæ regulam citat Boudartius Canonicus Insulensis; 2. quia id præscriptum videtur Can. 9. Concilii Burdigalensis, ubi sic habetur: *Nemo ad diem Paschæ Eucharistiam ab alio, quam a proprio Parocho, seu Curato sumere præsumat*. Imo in quibusdam Diœcesibus puta Lingonensi, & Parisiensi vetitum est *omnibus Præsbyteris, tam Sæcularibus, quam Religiosis etiam mendicantibus, ne quibusvis personis quantumcumque illis notis, nec etiam cujusvis confraternitatis, aut societatis prætextu sacram Eucharistiam tempore Paschali absque Parochi consensu administrent*. Atque adeo ita docet præter jam citatos Auctor Theor. & Prax. Sacram. Tom. 1. pag. 312.

Ritual. Parif. pa. 63.

Cæterum præscribit idem Rituale Paris. ut qui *ex debita licentia in aliis Ecclesiis communicaverint, proprio Parocho fidem ejus rei faciant in scriptis intra mensem post reditum suum: secus, pro non communicatis censeantur quoad præceptum Ecclesiæ*.

Quæres 9. qua ratione gerere se debeat Parochus erga infirmos, qui ante quindecim Paschatis dies communicavere.

R. Iis intra quindenam deferendum esse sacrum Christi Corpus, prout præscribit Rituale Paris. ibid. si tamen moribundus, qui paulo ante Palmarum Dominicam Viaticum recepisset, non posset hac die, aut proxime sequentibus jejunus communicare, haud teneretur iisdem diebus communicare; imo nec id posset sine Episcopi licentia; quia Parisiis v. g. Burdigulæ, &c. secunda Viatici receptio a prima *saltem dies decem* distare debet; qua a lege solus Ordinarius dispensare potest. Ita Fromageau v. *Communion*, cas. 2. quod vero tradit idem Doctor voculam *decem* intelligi posse *inclusive*, ita ut, qui Viaticum recepit Dominica die, idem rursus recipere possit die Martis sequentis hebdomadæ, quia in casu favorabili lex benigne interpretanda est; id, inquam, dubium videri potest ob annexam vocem *saltem*: unde nisi accedat constans locorum praxis, satius fuerit ad Episcopum recurrere: præsertim cum inter unam, & alteram Viatici receptionem assignent communiter Summistæ trium hebdomadarum, aut unius mensis intervallum, ut quis pluries eodem lecto detentus, communicet non jejunus; prout observatum est a. Cabassutio Lib. 3. c. 5. n. 10.

Quæres 10. an advenæ, & peregrini Paschali Officio satisfacere possint per Communionem apud Mendicantes factam. Quæstio, ut patet, movetur

solum

solum de viatore, qui ratione itineris sui non potest tota quindena Paschali propriam adire Parochiam, alioqui enim ad proprium Parochum remittendus esset.

R. Negat. contra Cajetanum, Navarrum, Azor, Lugo, aliosque non minimi nominis Doctores non paucos. Ratio est 1. quia transitoria peregrinorum in hoc, vel illo loco mora eosdem vere facit huic, vel illi Parocho subditos; quatenus præbet ipsis domicilium, eo modo, quo sunt capaces: unde si hic lethali morbo corripiantur, nonnisi a Parocho Viaticum recipere debent; si hic decedant, ibidem non alibi, nisi id exegerint speciatim, tumulandi sunt; si peste infecti fuerint, non possunt ad Mendicantes remitti, sed visitari debent a Parocho; 2. quia in dubio gravi pars tutior minus tutæ, præsertim cum agitur de Sacramentis, præferri debet: porro tutius est, ut advena communicet in Parochia in loco, ubi obiter commoratur; sic enim ne ipsi quidem Regulares præcepto satisfieri diffitentur; contra vero, ne ipsi quidem Regulares Communionem in Ecclesia sua factam indubie habebunt, ut impletivam præcepti: ergo. Ita ferme Suarez, quem citat, & sequitur P. Antoine Tom. 4. p. 91.

Quod spectat ad Sæculares, qui sunt de Monasteriorum exemptorum familia, ii cum tam a Parochia, quam ab Ordinario exempti sint per Tridentinum Sess. 25. de Regular. c. XI. in ipso Monasterio Eucharistiam in Pascha recipere possunt. Ita multi, quos citat, & sequitur Henricus a S. Ignat. n. 757.

Quæres 11. an qui mediam anni partem in una Parochia transigit, mediam in altera, possit quam volet ad annuam Communionem eligere.

R. *Posse aliquem duobus locis habere domicilium*, ut patet ex Leg. 6. ff. *Ad municipalem*, &c. & c. 3. *De sepultur.* in 6. cum ergo possit quis, ubicumque domicilium habet, Paschalibus Officiis fungi, palam est in hoc casu liberum esse hic, vel illic communicare. Si quis tamen multo plus in uno, quam in alio loco commoraretur, præferendum esset ad Communionem domicilium majoris moræ. Etsi vero, qui Parisiis actu degit, possit se recipere in villam ibidem communicaturus, satius tamen est generaliter loquendo, ut ubi actu manet, hic recipiat Sacramenta. Ita Pontas v. *Communion*, cas. 25. *L. 50. tit. 1.*

Quæres 12. an Confessarius rationabili de causa Communionem Paschalem pœnitentis differre possit.

R. Non posse modo, sed & sæpius debere; ut si judicet necessariam esse pœnitenti confessionem generalem; item si probare velit, an concubinam ejecturus sit, an cum inimico rediturus in concordiam, &c. Et vero quoties alioqui teneretur Director Sanctum dare canibus; quin & potest Confessarius confessionis auditionem differre, non quidem, ut pœnitentis mollitiem foveat, sed ut ei sufficientis examinis, aut inchoandæ pœnitentiæ tempus concedat: hæc enim dispensationis species haud reservata est Superioribus. Atque ita docet idem Pontas v. *Confession*, cas. 38. Cæterum, qui Communionem differt, cum differre debet, non peccat; at peccavit tamen, cum negligentia sua in eo se constituit statu, ut differre deberet.

Quæres 13. an pœnitens proprio nutu, atque sui humiliandi causa possit annuam Communionem differre.

R. Cum S. Thoma 3. p. q. 80. art. 11. ad 1. *quod sicut Gregorius dicit in Pastorali, illa vera est humilitas, cum ad respuendum, quod utiliter præcipitur, pertinax non est*; porro, quis e pertinacia excuset eos, qui contra sanctissimas, & centies repetitas Ecclesiæ leges pro phantasia sua a Communione recedunt? Male ergo Diaconus Parisius semel, & iterum abstinuit a Paschali

men-

mensa. Male in hoc, ut in aliis pluribus Assectarum suorum laudes meruit. Male objecta sunt in ejus gratiam quorumdam Solitariorum exempla; qui sane nihil inconsultis Præsulibus fecere, & aliunde vixerunt ante Concilium Lateranense, quo Cœna Paschalis tam stricte imperata est. Idem sentit Pontas v. *Communion*, cas. 22.

Quæres 14. an, qui mane Eucharistiam recepit Officio Paschali facturus satis, eadem die, si forte ad interitum vergat, Viaticum Domini recipere teneatur.

Constat imprimis generatim loquendo hominibus sanis illicitum esse pluries eadem die accedere ad sacram synaxim; atque id liquet ex omnium consensu, & ex consuetudine vim legis habente, cui multum favet Innocentius III. c. 3. *De celebr. Missar.* quæstio igitur procedit de homine jam morituro.

R. Triplex est ea de re opinio: prima docet Viaticum hoc in casu recipi posse, & debere; secunda censet recipi posse, sed necessarium non esse, ut recipiatur; tertia nequidem recipi posse contendit.

Prima nititur 1. praxi timoratorum. Nempe vero *Patres societatis domus Professæ Panormitanæ id practicarunt in persona P. Besconæ, qui cum mane celebrasset, & in lethalem morbum post prandium incidisset, iterum eodem die communicavit per modum Viatici. Idem factum in morbo lethali R. P. Aquavivæ Generalis S. J. refert Amicus*: sed minus accurate; Aquaviva enim mane communicaverat non per modum Viatici; an autem ante mediam ejusdem diei noctem communicaverit, an paulo post, incertum est: quamquam Lugo ubi infra n. 60. agnoscere videtur geminam hanc ejus una die Communionem.

2. Quia extat divinum sumendi Viatici præceptum: atqui præceptum hoc non implevit, qui ante periculum mortis recepit Corpus Domini; quia præceptum illud ipsi mortis articulo alligatum est. Unde sicut, qui mane amoris actum elicuit, novum imminente mortis periculo elicere tenetur: sic & a pari. Ita Ethica amoris, Yiambert, Hurtadus, & alii quidam. Accedere potest auctoritas Ritualis Metensis, apud P. Antoine, qui tamen ex adverso pugnat.

Tertiam opinionem tam communiter amplectuntur Doctores, ut asserat Lugo disp. 16. n. 15. se nullum legisse Auctorem, qui contrariam typis mandaverit. Vasquez enim solum docet, quod concedunt omnes, eum, qui pridie bene valens communicavit jejenus, juste posse die sequenti urgente morbo communicare non jejunum. Hæc secunda opinio tamdiu in praxi tenenda videtur, donec contraria consuetudo contrariam legitime introduxerit. Ratio est 1. quia saniores Theologi pene omnes oppositam sententiam tenent, vel in specie cum casum hunc expendunt, vel saltem generaliter, cum indistincte pronuntiant licitum non esse bis die eadem communicare extra Missam, nisi forte ob Sacramenti reverentiam necesse sit, ut Eucharistia ab aliquo consumatur; quæ unica exceptio firmat regulam in contrarium.

2. Quia alioqui fieri posset, ut homo bis intra mediam horam communicare teneretur, puta si statim post Communionem vulnere, vel morbo oppressus incurreret mortis proximæ periculum. Porro consequens in praxi numquam visum est; *nec fieri sine scandalo posset, ut si aliquis ægrotus ex devotione communicaret, statim revocaretur Parochus, dum ad Ecclesiam redderet, ut iterum eidem ægroto jam morienti Communionem daret; quia, vel prius periculose non ægrotabat, vel non acceperat Communionem cum intentione accipiendi Viaticum: ergo signum est, quod juxta sensum fidelium in eo casu nec sit obligatio id faciendi, nec possit licite fieri.* Ita Lugo n. 56.

3. Ideo

3. Ideo censent Adversarii bis in hoc casu una eademque die communicandum esse, quia Communio in exitu vitæ præcepta sit jure divino: atqui hæc ratio non est cogens. Prob. min. quia dici potest, vel hominem hunc divino jam satisfecisse præcepto, vel in hoc casu non urgere præceptum divinum. Et quidem 1. dici potest eum, qui mane communicavit, jam satisfecisse præcepto divino. Scilicet enim id unum exigit divina lex, ut homo in exitu vitæ communicet: atqui stat hominem hunc reipsa communicasse in exitu vitæ; neque necessum erat, ut sciret se uno tantum passu a morte dividi, ideoque explicitam haberet intentionem communicandi per modum Viatici; sicut necesse non est, ut quis festa die Missam audiendo, sciat diem hanc esse festam; quia solum exigit Deus, ut ponat quis rem ab Ecclesia præceptam, cum generali intentione implendi præceptum quodcumque occurrerit. Et an vero, an non satisfaceret divinæ legi de ultima Communione, qui hodie sanus, & bene valens Eucharistiam reciperet, quia seu a Deo per revelationem, seu aliunde didicisset, se cras occisum iri?

2. Dici potest non urgere hoc in casu præceptum Dei; prout in Gallia non censetur urgere quoad reos capitali supplicio afficiendos; nec ullibi urget, si, ut ægroto detur Viaticum, Missa sine Altari, & vestibus sacris celebranda sit. Et vero, ut scite notat Cabassutius loco jam citato n. 11. Deus non ita absolute pleraque præcepit, quin præceptorum suorum modificationem in iis, quæ sunt positivi juris reliquerit prudentiæ Ecclesiæ; cum alioqui gravia ex rigidiore præcepti observatione nascerentur incommoda, præsertim si talium incommodorum evitatio spectet quoque ad jus divinum in materia diversa. Sic licet panes Propositionis comedere stricte prohibitum esset Laicis omnibus Levit. 24: 9. hujus tamen prohibitionis modificationem a summo Sacerdote admissam approbavit Christus Matth. 12. sic abolita jam lege licuit Paulo justa de causa circumcidere Timotheum Act. 16.

Dices: Tam potest quis ipsa Communionis die denuo communicare per modum Viatici, quam possit non communicare jejunus; primum enim non magis prohibetur, quam secundum; imo minus; cum clara sit lex, quæ Communionem interdicit non jejuno; ambigua vero, quæ binam eadem die Communionem vetat: atqui potest æger non communicare jejunus, ut norunt omnes.

Confirm. Potest Sacerdos, si jejunus sit, bis die eadem celebrare, ut det Viaticum moribundo: ergo a fortiori infirmus, cujus solius causa gemina hæc celebratio permittitur, poterit bis communicare, ut Viaticum recipiat.

R. neg. maj. imo vero agumentatio hæc novam nobis probationem subministrat; quia sicut expressa opus fuit Ecclesiæ licentia, ut posset æger communicare non jejunus, sic & expressa opus esset licentia, ut posset idem bis die una communicare: porro expressa hæc licentia nullibi generaliter concessa legitur; sicut nec concessum est, ut quis sine sacris vestibus celebret, etiamsi futurum sit, ut celebrationis hujus defectu, æger sine Viatico decessurus sit.

Ad confirmat. nego rursus Sacerdotem etiam jejunum bis celebrare posse, ut ægro Viaticum deferat. Id quidem aliquando licitum fuit, non in hoc tantum casu, sed etiam cum dicenda erat Missa pro defuncto, aut in gratiam Episcopi, alteriusve Magnatis, qui alioqui sacrum omissurus fuisset: verum his contraria, & universali consuetudine, quæ legi æquivalet, derogatum est: unde nunc ab eo solum, qui duas regit Parochias, binæ Missæ die una celebrari possunt, idque Festis solum, & Dominicis diebus, ut notat Burdigalense Concilium an. 1583. Ita Pontas v. *Messe*, cas. 15. post Sambovium.

Quod

Quod spectat ad praxim timoratorum, qua nititur Henricus a S. Ignatio, hæc parum probat per se solam; quia, ut notat ibid. Lugo num. 51. *quod semel, aut iterum fit in repentinis casibus, non æquivalet auctoritati eorum, qui de re cogitantes scribunt; facile enim fieri potest, ut in subita illa turbatione non occurrant rationes omnes, & ideo eligatur id, quod tutius, & utilius existimatur animæ ægrotj.*

Quæres 15. an præcepto annuæ Communionis satisfiat per Communionem sacrilegam.

Affirmarunt quidam primi subsellii Doctores his nixi principiis: 1. quod Ecclesia actus mere internos, ut punire nequit, sic nec præcipere potest; 2. quod finis præcepti non cadat sub præcepto, sed sola rei præceptæ substantia; unde, qui sacrilege confirmationem recipit, ejusdem recipiendæ præceptum implet: atqui rei præceptæ substantiam ponit, qui peccata confitetur; etiamsi non attingat finem, qui est reconciliatio sua cum Deo, vel uberior justificationis gradus: ergo. His tamen non obstantibus,

R. negat. cum omnibus hodie Theologis: 1. quia non magis implet quis legem Ecclesiæ per Communionem sacrilegam, quam impleat naturę legem de alendo corpore omnibus impositam, per comestionem venenosi cibi; atqui hanc dubio procul non implet hoc modo: ergo nec illam, &c. 2. quia præcipit Ecclesia, ut *omnis utriusque sexus fidelis suscipiat reverenter Eucharistiæ Sacramentum*: atqui non suscipit *reverenter*, qui suscipit impie, & sacrilege; 3. quia hæc propositio inter damnatas ab Innocentio XI. n. 55. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem*, damnata est a Clero Gallicano an. 1700. n. 16. ut *temeraria, scandalosa, erronea, impietati, & sacrilegio favens, & illudens præceptis Ecclesiæ*. Iisdemque pene notis confixa est n. 18. hæc, quæ jam reprobata erat ab Alexandro VII. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*.

Nec nocent miseræ cavillationes, quibus decepti sunt tot præstantis famæ Theologi. Unde

Ad 1. Patet ex iis, quæ dicta sunt in Tract. de legib. c. 5. art. 1. sect. 2. actus internos etiam directe præcipi posse ab Ecclesia. Et id præcipue locum habere debet, cum Ecclesiæ præceptum quædam est divini præcepti determinatio, ut in præsenti: tunc enim Ecclesia idem necessario præcipit, quod Christus: porro Christus piam, & sanctam Corporis sui manducationem imperavit; unde sicut non satisfacit Ecclesiæ legi, qui recipit hostiam, quam scit non esse consecratam; sic nec qui indigne communicando; judicium sibi manducat, & bibit. Adde, quod etsi Ecclesia non posset directe præcipere rem mere internam; hanc tamen præcipere possit, cum alioqui actus exterior, quem imperat, non fieret utiliter in ordine ad finem intentum.

Ad 2. Pia Eucharistię receptio est intrinsecus Communionis ab Ecclesia præceptę finis: porro quidquid sit de fine extrinseco, constat finem intrinsecum necessario cadere sub pręcepto.

Confirm. Substantia Communionis non consistit pręcise in manducatione quasi materiali Corporis Christi, sed in manducatione ejus tanquam cibi, *quo alantur, & confortentur animæ viventes vita illius*, uti docet Tridentinum Sess. 13. cap. 2. atqui non est animę cibus, sed vera mors Communio sacrilega: ergo.

Quod addunt per sacrilegam Confirmationis receptionem impleri Ecclesię præceptum, nullius est momenti: 1. quia id ad minus ęque probaret prę-

ce-

ceptum divinum Communione sacrilega adimpleri : cum Deus magis principaliter hujus Sacramenti receptionem præcipiat, quam Ecclesia ; 2. quia Confirmatio etiam male recepta magnum habet effectum, characteris scilicet impressionem ; secus Eucharistia ore sacrilego recepta ; 3. quia cum character ille iterari non possit, necesse est, ut qui male Sacramentum hoc recepit, in sua hac qualicumque receptione sistat ; in id tamen enitens, ut seria pœnitentia revocet Spiritum roboris, quo sua culpa caruit.

Hinc colliges 1. eum, qui sacrilegæ Communionis in Pascha reum se fecit, teneri & crimen hoc aperire, & quamprimum poterit Ecclesiæ legem nova Communione exequi ; 2. ægrum, qui indigne Viaticum recepisset, idem quoque denuo recipere debere, & hoc ipsa eadem die, si eadem die credatur moriturus : modo tamen id sine scandalo fieri possit, quod in praxi difficile videtur.

Quæres 16. quid agendum Parocho erga eos e suis, quos Paschali Communioni defuisse novit.

R. Qui Paschali Officio defuere, vel vivunt, vel supremum diem obiere. Si primum, corripiendi sunt secreto, & instanter monendi, ne hoc Christianæ pietatis munus differant. Si renuunt ob duritiem cordis, comminabitur Parochus e suggesto, generalibus terminis scilicet, se eos Episcopo denuntiaturum esse : si necdum cedant minis, denuntiandi erunt ; & tunc res tota penes Episcopum erit, cui a Parocho parendum.

Si secundum, vel Episcopus necdum contra eos sententiam tulit, vel jam tulit, ut potest, & forte raro debet. Si tulit sententiam, non potest Parochus hominem impœnitentem Ecclesiastica donare sepultura. Si non tulit, bene consulet sibi Parochus, si Episcopum interroget quid facto opus sit, ejusque mandata exequantur. Si vero ad Episcopum, ejusve Vicarios Generales recurrere nequit, sive ob locorum distantiam, sive quia turbas tumultumque metuit, non potest auctoritate propria Ecclesiasticam sepulturam negare Parochiano suo : est enim negatio hæc effectus censuræ, quam comminatur quidem, sed non infert Concilium Lateranense, & quam Parochus per se decernere nequit. Idque in Gallia certius est, quam alibicumque ; quia in rebus disciplinæ notorietas facti apud Gallos locum non habet. Ita ferme Auctor Theor. & Prax. Sacram. Pontas v. *Communion*, cas. 25. ubi id locum habere vult, etiamsi jam Parochus juxta Episcopi Mandatum palam, & ex cathedra nominasset eos, qui in Paschate non communicaverunt, eorumque nomina declarasset Promotori, ut contra eos ageretur.

CAPUT SEXTUM.

De Præcepto solvendi Decimas.

UT materiam hanc non solum ex parte Ecclesiastici præcepti, sed paulo fusius pertractem, explicandum 1. quid, & quotuplicis sint generis decimæ ; 2. an, & quibus, ac quo titulo debeantur ; 3. qua ex re debeantur, a quibus, quo tempore, & modo ; 4. quatenus, & quo pacto præscribantur ; 5. paucula dicenda erunt de decimis feudalibus. *Ad tit. 30. Lib. 3. Decretal.*

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sint Decimæ, & quomodo dividantur.

Decima juxta vim nominis est, Portio ex decem una; juxta communem nominis usum definiri solet: Decima pars omnium fructuum, & proventuum juste acquisitorum, Deo, ejusque Ministris quotannis solvenda.

Dicitur 1. *decima pars*, quæ vox locum habet generis, ut, quæ conveniat decimis quibuscumque etiam ad profanum finem ordinatis, & de quibus sæpe mentio fit in civili jure, ut Leg. 3. Cod. *De metall.* ubi privati fossores decimas de metallis solvere jubentur.

Dicitur 2. *omnium fructuum, & proventuum*; quia ex c. 23. *De decimis*, &c. *Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, decimas erogare tenetur*: quæ an hodiernæ disciplinæ congruant, expendemus.

Prov. 22. Dicitur 3. *juste acquisitorum*, secundum id c. 27. 1. q. 1. *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursus scriptum est* Prov. 3. *Honora Dominum de tuis justis laboribus*.

Hæc tamen multipliciter limitantur a Canonistis: 1. enim, inquiunt, decimæ prædiales etiam ex rebus injuste, & illicite acquisitis debentur; quia sunt onus ipsi terræ inhærens, transiensque ad quemvis possessorem: quapropter, ait S. Thomas art. 2. q. 87. art. 2. ad 2. *Si aliquis ager sit emptus de usura, de fructu ejus tenetur usurarius decimas dare; quia fructus illi non sunt ex usura, sed ex Dei munere*.

2. Limitantur etiam in decimis personalibus, quæ licet ex rebus illicite simul, & invalide acquisitis non debeantur, ex iis tamen debentur, quæ illicite acquisitæ sunt; & nihilominus valide retinentur; qualia sunt bona, quæ prodeunt ex *meretricio, histrionato, & aliis hujusmodi*. Hæc secunda limitatio, nec omnino congruit cum iis, quæ diximus in Tract. de Justitia part. 3. cap. 1. art. 4. nec ullius est usus in Gallia, prout paulo post patebit.

Dicitur 4. *Deo, ejusque Ministris solvenda*. Nam *Deus* decimas *in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse decimas, & primitias asseverans*, ex Innocentio III. cap. 26. h. t. cui consonat Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 12. cum autem Deus hominum dona per se non recipiat, quid æquius, quam ea conferri iis, qui Dei vices agunt, & a negotiis sæcularibus avulsi pro eò legatione funguntur.

Decimæ dividuntur 1. in prædiales, personales, & mixtas.

Prædiales, quæ etiam reales, eæ sunt, quæ solvuntur de omnibus terræ fructibus, agrorum v. g. pratorum, vinearum, arborum, hortorum, sylvarum; item de proventibus perceptis ex prædio rustico, vel urbano, puta domus elocatione, molendina, piscina, agro. Huc referunt multi decimas, quæ percipiuntur ex animalium fœtu, aut fructu, puta ex agnis, ex butyro, caseo, melle, &c. & ii decimas mixtas rejiciunt, de quo statim.

Personales sunt pars decima lucri personalis, ejus nimirum, quod provenit ex negotiatione, artificio, militia, scientia, mercatura, secundum illud c. 66. XVI. q. 1. quod ex Augustino, & Anselmo desumptum est: *De militia, de negotio, de artificio redde decimas*. Porro reales inter, & personales decimas illud est discriminis, quod reales debentur, non deductis expensis, personales vero iisdem deductis, prout docent Barbosa, Gonzalez, aliique com-

communiter. Verum hæc nihil ad nos, cum nullæ sint in Gallia decimæ personales: neque id Galliæ solius proprium est, sed & viget in Germania, ut notat Pickler h. t. n. 6.

Decimæ mixtæ eæ dicuntur, quæ partim proveniunt a natura, partim ab industria hominis; quales sunt eæ, quæ percipiuntur ex animantibus brutis, v. g. ex eorum fœtibus, lacte, lana, &c. Hi enim proventus, ait Polman, mixtim oriuntur ex prædiis, in quibus pascunt pecudes, & industria humana. Tertia hæc decimarum species a Canonistis pluribus rejicitur; quia alioqui prædiales omnes decimæ pro mixtis habendæ forent, cum frumentum, vinum, oleum, ac ipsa fœna plus, aut minus humanæ exigant industriæ: porro nemo hactenus decimas prædiales mixtarum nomine donavit.

2. Decimæ prædiales subdividuntur in majores, seu grossas, & minores, quæ etiam minutæ, & virides dicuntur. Majores eæ sunt, quæ percipiuntur ex majoribus fructibus, ut frumento, filigine, hordeo, avena, vino, & oleo. Minores, quæ ex rebus minoribus percipiuntur, puta fabis, pisis, lentibus, milio, ciceribus, lino, cannabe, rapis, cepis, lana, caseo, butyro, &c. ad minores revocantur, quæ prodeunt ex animalium partu, agellis videlicet, vitulis, suculis, pullis, &c. eaque decimarum species vocatur carnatica, *de charnage*. Sunt, qui velint decimas dici majores, aut minores non habita ratione rei, sed quantitatis, quæ pro soli varietate varia est. Certe fœni perceptio, quæ inter minutas decimas censeri solet, majores inter censetur quibusdam in locis, ubi fœna præcipuæ sunt Parochiæ opes: atque idem est de decimis lignorum. Ita Hericourt part. 4. c. 1. n. 2. & Bouchel v. *Dimes* c. 4. n. 3. ex quo colligere est quæstionem hanc, quæ de nomine esse videtur, magni in re esse momenti; quia si olerum decimæ in locis, quæ sola habent olera, ad grossas decimas revocentur, eæ non ad Parochum pertinebunt, sed ad primarios, si qui sint, decimatores.

Subdividuntur 2. in veteres, seu antiquas, & novales. Antiquæ petuntur ex terris jam antiquitus cultis: novales ex terris noviter cœptis coli, secundum id Innoc. III. c. 21. *De verbor. significat. Eam credimus Prædecessorum nostrorum intentionem fuisse .·. ut novale intellexerint agrum de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset*. Est & alia novalium acceptio minus propria, de qua inferius Artic. 3.

3. Dividuntur decimæ in stricte Ecclesiasticas, & temporales. Stricte Ecclesiasticæ sunt eæ, quæ juxta primævam suam institutionem Clericis hodiedum intuitu spiritualis eorum ministerii solvuntur. Temporales, quæ etiam Laicæ, feudales, vel infeudatæ dicuntur, eæ sunt, quæ ad dictum finem primitus institutæ, vel usurpatæ sunt a Laicis, vel in eos ab Ecclesia justis de causis translatæ, nimirum, ut Ecclesiam tuerentur. Eæ decimæ dicuntur feudales, quia *jus utile* decimandi in feudum datum est Laicis, *jure directo*, & quasi radicali penes Ecclesiam remanente. Quod si spiritualis titulus omnino extinctus sit, ita ut ipsum proprietatis jus in Laicos translatum fuerit, quod quidem a solo Papa fieri potest, tunc eæ decimæ sunt mere laicales, & ut ajunt, sæcularizatæ.

4. Dividuntur in ordinarias, & extraordinarias. Ordinariæ eæ sunt, de quibus hactenus dictum est; extraordinariæ, quæ apud nos vocantur *decimes*, eæ sunt, quæ olim de Paparum consensu Beneficiis pro quantitate redditus impositæ sunt in gratiam Principum, idque ad tempus determinatum. Verum hujus subsidii concessio a Francisci I. temporibus perpetua evasit, prout præsagierat Petrus Blesensis Epist. 2. *Bouchel ibid. cap. 1. n. 1.*

5. Dividuntur insolitas, & insolitas. Solitæ eæ sunt, quæ in loco præstari consueverunt; insolitæ, quæ pendi non solent. Illas exigere possunt decimatores, istas non possunt. Unde cum Canonici Briocenses decimas lini petiissent; aliunde vero probassent incolæ loci, se nec plus solito sevisse lini, nec usquam ejusdem lini decimas pensitasse, in horum favorem judicavit Consilium Regium die Febr. 17. an. 1694. prout refert Du Perrai Tract. de Decimis p. 242. idque conformiter ad celebrem hunc Constitutionis Philippinæ textum: *Senescallus defendat singulos a nova exactione decimarum.* Aliquando tamen concessæ sunt decimæ fructuum quorumdam, ex quibus hactenus eædem decimæ perceptæ non fuerant: & ad id duo requiri videntur, 1. ut iidem fructus percipi non potuerint, sive, quia ignoti erant, sive, quia erant rariores, quam ut decenter exigi possent. 2. ut iidem fructus fructibus decimabilibus subsistuantur in tanta quantitate, ut nisi percipiantur a decimatore, is grave damnum passurus sit. Sic pars decima sesamæ* quam necdum experti erant Vesuntini agri, a supremo Provinciæ hujus Senatu addicta est plerisque decimatoribus, prout refert J. Dunod Regius in Universitate Vesuntina Antecessor in Gallico Tractatu de Decimis, pag. 68.

* *Blé de Turquie.*

His decimarum speciebus additur una quædam, quæ sequelæ dicitur, gallice *dime de suite, ou de sequele*; eaque locum habet, cum Parochus unus in alterius Parochi territorio decimas capit, quia pars hujus territorii a parochiano suo incolitur, præsertim ope animalium, quæ in Parochia non *cultura*, sed *domicilii* pascunt, & pernoctant.

ARTICULUS SECUNDUS.

An, quibus, quo jure, & titulo debeantur Decimæ.

Decimæ spectari possunt, vel quoad substantiam, & materialiter; quatenus nempe sunt stipendium Ecclesiæ Ministris ad decentem eorum sustentationem concessum; vel formaliter, prout constant certa, & determinata quantitate, decima scilicet parte, tum fructuum, tum hujusmodi fructuum. Sit jam

Conclusio I. Decimæ quoad substantiam sumptæ debentur jure naturali, divino, canonico, & civili.

Prob. 1. pars: quia jus naturale, naturalisque æquitas postulant, ut, qui nobis obsequium præstant, his congruum stipendium rependamus: ergo cum Ecclesiæ Ministri fidelibus obsequium præstent, sive ea, quæ salutis sunt edocendo, aut diu, noctuque Sacramenta deferendo, seu pias preces, gemitusque suos pro iis effundendo; exigit vox ipsa naturæ, ut hi illis congruum præbeant stipendium; quod secundum dicta, idem est cum decimis materialiter spectatis. Quin & ea justitiæ lex ita gentium omnium cordibus insita est, ut Ethnici ipsi Sacerdotibus suis necessaria quæcumque semper suppeditaverint; uti constat ex Gen. 47. v. 22. aliisque pluribus exemplis, quæ videris apud Forgetum, vel, quod idem est apud Bonchel ibid. c. 1. n. 6. Equidem ignota est apud Orientales decimarum pensitatio, forte ob Legem 39. Cod. *De Episcop.* Verum ibi decimarum vices habet solutio tributi Imperatoriis legibus constituti, quod generaliter expressum est in Novell. 3. & 43. Justiniani, & tandem taxatum Aurea Bulla Isaaci Comneni *Van-Espen cap.* 1, *n.* 14. 15. & 16.

Prob. 2. pars: quia ex Christo apud Matth. 10. *Dignus est operarius* Evan-

Evangelicus *mercede sua*: unde Apostolus 1. Cor. 9. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Et vero, ait idem ibid. *Quis militet suis stipendiis unquam? .˙. Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Merito igitur *Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino* dicuntur *institutæ*, c. 14. *De decimis*, cui concinunt c. 24. & 26. eod. & capita plura 16. q. 2. & 7.

Prob. 3. pars, 1. ex toto tit. *De decimis*, qui etiam in 6. Clementinis, & Extravag. reperitur. 2. ex Tridentino Sess. 25. de Reformat. cap. 12. ubi sic: *Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur .˙. cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadant*.

Prob. 4. pars ex Capitularibus Regum Francorum, ubi sic lib. 2. c. 39. edit. Baluz. *Qui decimas post crebberrimas admonitiones, & prædicationes Sacerdotum solvere neglexerint, excommunicentur* *. *Juramento vero eos constringi nolumus propter perjurii periculum*. Simile quid sanxit an. 829. Ludovicus Pius, ibid. lib. 5. c. 101. In idem annis labentibus conspirarunt Reges Christianissimi, atque inter alios S. Ludovicus an. 1269. Philippus Pulcher an. 1303. & præ cœteris Carolus IX. Edicto 8. Martii an. 1560. Hæc porro de decimis formaliter sumptis dicta, pro iisdem penes substantiam acceptis concludunt a fortiori.

An autem decimæ etiam formaliter sumptæ Juris sint divini controvertitur. Veteres quidam Canonistæ, ut Abbas, Hostiensis, Innocentius, &c. decimas saltem prædiales etiam in nova Lege a Deo præceptas esse contendunt. Nituntur ii 1. variis Juris Canonici textibus, qui decimas *præcipiente Domino, divina constitutione, juxta divinæ legis auctoritatem, &c.* solvendas esse perhibent; 2. Matth. 23. ubi Christus de solutione decimarum loquens, ait: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*; 3. Matth. 5. ubi idem Salvator: *Nisi*, inquit, *abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum*: ergo ad minus solvendæ sunt decimæ, prout a Pharisæis pendebantur. Verum hæc solvi possunt. Unde

Ad 1. Patres, & Pontifices decimas divino jure deberi dixerunt, non quia extet lex divina, quæ decimam fructuum partem pendi præcipiat; sed partim, quia Clericis divino jure debetur sustentatio, quæ decimarum nomine non male exprimitur; partim, quia lex de solvendis decimis ab Ecclesia condita est ad normam legis a Deo Judæis olim traditæ; partim, quia quandoque jus divinum dicitur, quod divinæ legi consentaneum est. Ita Sylvius congruenter D. Thomæ 2. 2. q. 87. art. 1.

Ad 2. verba ista: *Hæc oportuit facere*, pro eo tempore dicta sunt, quo vigebat lex Mosaica. Imo nec vox, *oportuit*, strictam necessitatem denotat, cum ex probabiliori Interpretum sententia non deberentur decimæ mentæ, anethi, & cymini, sed solum *de area, & torculari*, ut dicitur num. 18. v. 27. & 30. idest de frumento, vino, & oleo.

Ad 3. Argumentatio hæc nimis probat, scilicet Christianos ultra decimam partem debere Sacerdotibus; cum decimam hanc tam exacte solverent Pharisæi. Sensus ergo Christi est fidelibus agendum esse, ut Pharisæos

* Præcipit etiam Tridentinum Sess. 24. cap. 12. ut qui decimas *subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur*; verum hæc hodiernæ Regni disciplinæ adversantur; quia quæ civili via obtineri possunt, per censuras obtineri non debent.

jugi perfectionis interioris studio superent, caveantque, ne ut illi virtutem totam in exteriori apparatu constituant, futuri alioqui *similes sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt .·. omni spurcitia*. Ibid. 23. 26.

Quo autem tempore decimæ prout fere nunc solvuntur, pensitari cœperint, non constat omnino. Id sat pluribus receptum est sæviente ethnicorum Principum æstu decimas necdum Ecclesiasticos inter proventus numeratas fuisse. Indicat id satis aperte Cyprianus Lib. de unit. Ecclesiæ, cum ait: *Nunc de patrimonio nec decimas damus*. Idem S. Doctor testatur Ep. 66. sportulas decimarum vicem subiisse, prout eam in Epist. notat Rigaltius.

Extincta persecutione, & refrigescente simul, ut moris est, fidelium erga Pastores suos munificentia, aucta etiam Christianorum multitudine, cujus inopiæ subveniendum erat, senserunt piissimi quique Ecclesiæ Doctores e re esse, ut Præpositi Christiani gregis certos statosque redditus haberent. Hinc decimas ad imitationem Judæorum suadere cœperunt Hieronymus in cap. 3. Malach. Chrysostomus Hom. 5. in Epist. ad Ephes. Aug. Enarrat. in Psal. 146. atque ea lex æquitati aliunde tantopere consona, ita brevi erevit, ut S. Cæsarius Arelatensis, qui exeunte sæculo quinto vixit, in Sermone de reddendis decimis hæc efferat: *Decimæ ex debito requiruntur; & qui eas dare noluerit, res alienas invasit*. Obligationem hanc sequenti sæculo certius expressit Synodus Matisconensis II. Can. 5. ubi decimarum solutionem quasi rem ratam præcipit his verbis: *Statuimus, ac decernimus, ut mos antiquus a fidelibus reparetur; & decimas Ecclesiasticis famulantibus cæremoniis populus omnis inferat: quas Sacerdotes in usum pauperum, aut in captivorum redemptionem prærogantes, suis orationibus pacem populo, ac salutem impetrent. Si quis autem contumax nostris statutis saluberrimis fuerit, a membris Ecclesiæ omni tempore separetur*.

Hanc legem, quam omnium ea de re legum antiquissimam esse censent non pauci, confirmaverunt leges aliæ complures, seu a Conciliis, seu etiam a Principibus editæ. Omnium instar erit Sanctio Caroli Magni in Capitulari ejus an. 801. his expressa verbis, quæ decimarum necessitatem, Cap. 6. & scopum mire declarant: *Unusquisque Sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat, ut sciant qualiter decimas totius facultatis Ecclesiis divinis debite offerant*, & cap. 7. *Sacerdotes populi suscipiant decimas, & nomina eorum quicumque dederint scripta habeant, & secundum auctoritatem canonicam coram testibus dividant, & ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem; secundam autem ad usum pauperum, vel peregrinorum .·. misericorditer cum omni humilitate dispensent; tertiam vero sibimet partem ipsi soli Sacerdotes reservent*.

Ut autem pateat, quid per Sacerdotes, de quibus loquuntur prædicta Decreta, intelligi debeat juxta veterem, & novam Ecclesiæ disciplinam, sit

CONCLUSIO II. Decimæ omnes olim Episcopo loci solvebantur, ab eo cæteris Ministris pro merito, & exigentia distribuendæ: verum hodierno jure decimæ Parochis solvuntur, nisi obstet contraria consuetudo.

Prob. 1. pars ex Can. 1. 16. q. 7. ubi sic loquitur S. Greg. VII. *Decimas sub manu Episcopi esse censemus, ut ille, qui cæteris præest, omnibus juste distribuat .·. quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, & alii detrimentum patiantur*. Consonat c. 3. ead. caus. & qu. ubi Episcopus, qui decimas laicis, *vel, quod gravius est, etiam consanguineis*, distribuit, *non* autem *Sacerdotibus propriæ Diœcesis, divini præcepti transgressor, & inter ma-*

ximos

ximos hæreticos, & antichristos non minimus esse declaratur ab eodem Pontifice. An vero disciplina hæc ubique fuerit in usu, ad minus dubium faciunt Canones mox citandi.

Prob. 2. pars, 1. ex vita Joannis VIII. qui ante Gregorium VII. floruit. Ibi sic: *Decimas unumquemque fidelem illi Sacerdoti dare censuimus, in cujus Parochia eum procul dubio constat ... manere*. Idem adstruunt plura ejusdem ætatis decreta, quæ refert Gratianus 16. q. 1. Can. 42. & seq. sed luculente Innocentius III. qui consultus, utrum in Parœciis, quarum decimæ non a Pastore, sed ab aliis antiquitus colliguntur, novalium decimæ ab ipso Pastore, an ab iis, qui cæteras decimas colligunt, percipiendæ sint, respondet: *quod cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, decimæ novalium, quæ fiunt in Parochiis earumdem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur, nisi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationabilis causa ostendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere*. Atque hinc manavit illud Canonistarum axioma, Campanile esse solum Parocho titulum ad decimas.

2. Ex Concilio Cabilonensi II. an. 813. quod, ut sua Parochis assereret jura contra Episcopos, & Abbates quosdam, qui non sinebant dari decimas Ecclesiis, ubi coloni eorum audiebant Missam, decernit *ut Episcopi, & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suum, & fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant: familiæ vero ibi dent decimas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt*. Atque ea lex, ait Van-Espen ibid. c. 3. n. 10. tam stricte observatur jam dudum, ut nullam hodie in Parochialium Ecclesiarum decimis portionem habeat Episcopus; nisi forsan ex particulari conventione, vel titulo aliqua earum pars ipsi reservata fuerit.

Dixi: *nisi contraria obstet consuetudo*: 1. enim communis omnium fere Doctorum sententia contra Glossam tenet, *quartam* singularum decimarum partem de jure communi debitam esse Episcopis; prout colligere est ex cap. 13. & 16. *De officio Judic. ordin.* item & ex cap. 4. *De præscript.* ubi definit Alexander III. quod *Clericus* præsertim Parochus (ab hoc enim de decimis jam collectis *quartam* accipit Episcopus, prout observat Barbosa de offic. & potest. Paroch. p. 3. cap. 28.) *ab impetitione* ejusdem *Episcopi, quadragenali præscriptione temporis se posse tueri videtur*. Unde colligit Fagnan. in c. *Cum contingat*, 29. h. t. n. 13. quartam decimæ Parochianæ partem Episcopis debitam esse; & idipsum cum aliis docet Reiffenstuel hic n. 107. Addit is quidem quartam hanc contraria consuetudine multis in locis esse sublatam; verum, quod multis in locis sublatum est, non ubique sublatum est.

2. Cum decimæ olim penes Episcopos forent, hi aliquam eorum partem quarta majorem sibi quandoque, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicis reservaverunt: & id citra injustitiæ labem fieri potuit, tum quoad Episcopos, quorum aliquando breves erant redditus, & onera gravia, tum quoad Canonicos, qui genuini sunt, & ut ajunt, nati Antistitum consiliarii.

3. Quia ad erigenda, vel dotanda Monasteria concessæ sunt Parochiales decimæ Monachis, qui Parochorum primitivorum nomine fructus percipiunt, & *congruam* Vicariis *portionem* ad victum suppeditarunt.

4. Quia infeudatæ decimæ laicis concessæ, vel penes eos hactenus remanserunt, vel ab iis ad alias, quam Parochiales Ecclesias in quarum territorio percipiebantur, translatæ sunt. His de causis factum est, ut Parochi complures

non capiant decimam, sibi laboris, & operarum titulo cœteroqui competentem. In his tamen standum est consuetudini legitime præscriptæ; tum quia is demum abusus cœteris gravior est, qui abusus omnes emendare tentat; tum quia viris paulo avidioribus lucri multa abusum olere videntur, quæ primævis regulis consentiunt: sic enim antiquitus non Parochis solis, sed & Canonicis, (quos, si suo recte officio defunguntur, utilem Ecclesiæ operam navare nemo negaverit) constitutæ erant decimæ, ut patet ex c. 21. & 26. h. t.

Conclusio III. Decimæ pensitari debent titulo religionis, & justitiæ.

Prob. 1. pars, ex cit. c. 26. ubi docet Innocentius III. quod *Deus decimas in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse decimas, & primitias asseverans*: atqui, quod debetur in testificationem universalis dominii Dei, illud indubie debitum est titulo religionis: ergo.

Prob. 2. pars; quia decimæ debentur, ut pars stipendii, quo se, egenosque sustentare debent Clerici decimatores: *Decimæ namque tributa sunt egentium animarum*, Can. 66. 16. q. 1. jam vero debitum est ex justitia, quod debitum est titulo stipendii: ergo.

Hinc peccant graviter, qui decimas vel subtrahunt, vel ex iis componunt, quæ in area, vel torculari deteriora sunt; aut non solvunt ubi juxta locorum consuetudinem solvi debent. Hinc c. 66. 16. q. 1. *Si tardius dare* decimas *peccatum est, quanto pejus est non dedisse*, & iterum: *Hac est Dei justissima consuetudo, ut si illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti*, & c. 8. ead. causa q. 7. *Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modo autem, quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas; modo autem totum tollitur: hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus*. Vide c. 3. Malachiæ.

Saltem, inquies, non sunt pensitandæ decimæ Clericis, qui aliunde abundantes habent redditus; aut qui eas malos in usus impendunt.

R. ad 1. decimas Clericis etiam ditibus solvi debere; quia decimæ non penduntur Clericis præcise, ut egenis, sed 1. quia præcepit Deus saltem mediante Ecclesia, ut hac ratione supremum ejus in omnem terram dominium agnoscant homines, prout docet Innocentius III. c. 26. h. t. 2. quia, qui decimas percipiunt, ministrant spiritualia; nemo autem essi dives propriis stipendiis militat; nec debet quis, quia pauper non sit, jure suo privari. Adde, quod Clerici quidquid e decimis superfluum est honestæ sustentationi, in egenos, aut pias causas impendere debent.

R. ad 2. cum eodem Innocentio III. ibid. quod fideles *prætextu nequitiæ Clericorum nequeunt* decimas aliis, quam *quibus ex mandato divino debentur, pro suo arbitrio erogare: cum nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter domini voluntatem*. Hæc tamen aliquando in praxi limitari posse judicarunt Doctores, quos citavimus in Tract. de Justitia part. 2. alias 3. c. 2. art. 6. sect. 3. Ne quis tamen restrictione ibid. apposita abutatur, revocandum est in mentem, damnatam esse a Concilio Constantiensi assertionem hanc: *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferre eas*.

Quæres, quid sentiendum de Parocho, qui quia dives est, decimas non exigit.

R. Parochum hunc peccare graviter, 1. quia hac sua agendi ratione cau-

causa esse potest cur contra decimarum pensitationem præscribant Parochiani, ut infra dicemus: hinc autem grave subiret detrimentum Parochia sua, cujus bono utpote non suo, sed Dei, consulere tenetur; 2. quia, ut alibi diximus, Beneficiarii redditùum suorum domini non sunt, sed dispensatores vinculati, qui proinde eos nonnisi in pias causas erogare possunt: ergo cum quis decimas omnes omnibus dimittit, ac consequenter tam divitibus, quam egenis, Ecclesiæ bonis pessime abutitur. Imo si Parochus eos solum, qui vere egeni sint, a decimarum onere eximat, necessum est, ut ab iis impetret scriptum, quo vel ipse, vel successores sui adversus præscriptionem tueri se possint. Ita Pontas v. *Dime*, cas. 6.

Quæres rursus, an Parochus possit homini decimas injuste neganti vim inferre, elve Sacramenta, aut divina negare.

R. negat. cum Navar. L. 3. Consil. 2. de Decimis, Rebuffo, & aliis communiter: 1. quoad vim res est manifesta, tum quia Parochus in gregem suum externi fori jurisdictionem non habet; tum quia si haberet, non posset, sicut nec alius quivis, Judex esse in propria causa, Leg. 10. ff. *De Jurisdict.* Quoad Sacramenta vero, esset quoque culpandus, qui ea ob negatas sibi decimas subtraheret; quia forte, qui eas negat, ab iis immunem se credit justa de causa. Unde res ad legitimum Judicem deferri debet, cui si non obsequatur debitor, poterit aliquando arceri a Sacramentis tanquam iniquus, & notorius alieni boni detentor.

ARTICULUS TERTIUS.

Qua ex re Decimæ solvi debeant.

Circa res e quibus præstandæ sunt decimæ, Quæres 1. an eæ ex universis fructibus, qui in loco crescunt, solvi debeant.

R. Stando in jure communi, decimæ *de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, de negotio & artificio, de universis leguminibus, de proventibus molendinarum, piscinarum, fœno*, uno verbo *de omnibus omnino proventibus decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ*. Ita habetur c. 3. 5. 22. 23. 26. hoc tit. juncto c. 66. 16. q. 1. quæ tamen pro negotiatione, & artificio limitantur ad res juste acquisitas, prout dictum est supra.

Dixi: *stando in jure communi*: quia ejus dispositio, nec quoad decimas personales ubique servatur, nec quoad universalitatem prædialium; cum quibusdam in locis ejusdem etiam Diœcesis alii percipiant decimas solum majores; alii etiam minutas, alii hanc vel illam minutarum partem.

Utrum autem minutorum fructuum decimæ debeantur, cum hi cum majoribus granis mixtim feruntur, & colliguntur, gravis est controversia, & parens litium, quæ non semper eodem modo a Judicibus diremptæ sunt. Quandoque enim addictæ non sunt Parochis decimæ, nisi major esset grani decimabilis quantitas; quandoque ad abigendas colonorum fraudes, etiam ob minutam rei decimabilis quantitatem adjudicatæ sunt rei totius decimæ; quandoque demum, (hæc tandem invaluisse videtur Jurisprudentia) æstimata est rei decimabilis quantitas, & hinc decimæ proportionaliter addictæ sunt. *Vide Dunod. p. 92.*

Quæres 2. an non aliquando solvi possint decimæ ex fructibus, qui in aliena Parochia nascuntur.

R. geminam sub quæstione proposita latitare difficultatem. Prima est, an qui in una Parochia domicilium habet, de prædiis, quæ in aliena possidet Parochia, decimas dare teneatur ei, a quo recipit Sacramenta. Secunda est, an cum Parochia in plures subdividitur Ecclesias, possit matrix Ecclesia solitis decimis privari, quæ Ecclesiis recens constructis accrescant.

Quod ad primum attinet, decimæ prædiales solvi debent Parocho, cujus intra limites existunt prædia, nisi in contrarium sit loci consuetudo. Patet id ex c. 13. h. t. ubi universaliter, & indistincte statuitur, ut si *terræ .. intra certam alicujus Ecclesiæ Paræciam fuerint, decimas earum eidem Ecclesiæ assignari* faciat Episcopus. Hujus autem Sanctionis ratio affertur duplex: 1. quod decimæ prædiales sint onus rebus ipsi inhærens: porro in oneribus realibus non inspicitur colonus, sed locus ubi res sita est; secundum id Leg. 4. ff. *De censibus. Qui agrum in alia civitate habet, in ea civitate profiteri debet, in qua ager est: agri enim tributum in eam civitatem debet levari, in cujus territorio possidetur*; 2. quia *difficile nimis videtur, ut una Ecclesia* in territorio, imo & quandoque *in Episcopatu alterius recipiat decimas; cum ex hoc* locorum, & *Episcopatuum fines confundi non immerito viderentur*, cap. 18. eod. tit.

Dixi: *nisi extet in contrarium loci consuetudo*; huic enim, utpote quæ in decimarum materia sicut in aliis pluribus vim habeat legis, incunctanter adhærendum erit, prout statuitur eod. cap. 18. Cui consonat id capitis 20. ibid. *Æquum est, ut illi Ecclesiæ decimæ personales reddantur* a fidelibus, *in qua Ecclesiastica percipiunt Sacramenta. Decimas vero messium, vel fructuum arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitantur; tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum*.

Neque, ajunt Canonistæ, consuetudo hæc prorsus iniqua est; tum quia si Parochus vicinus in Parochia tua e Parochiani sui prædio decimas legat, tu pari jure erga Parochianum tuum uti poteris; tum quia si tibi necessaria desint, jus habes ad decimas materialiter sumptas, seu ad honestam sustentationem, ad quam ii etiam concurrere tenentur, qui, vi consuetudinis, alieno Parocho decimas de prædiis intra limites tuos positis pensitant.

Sed quid, si terra hactenus dumis horrida, incoli cœperit, fructusque pariat decimis obnoxios, & nesciatur cui Parocho subjaceat.

Sunt qui, decimas loci hujus ab Episcopo, ut universali Diœcesis Parocho percipi velint; alii easdem ab ipso assignari volunt cui Parochiæ volet: & utrumque permittit Alexander III. c. 13. h. t. alii demum eas vicinos inter Parochos dividendas esse censent. Ita, qui rem relinquit dubiam, F. J. Dunod. p. 43. Nulla est ex his opinionibus, quæ in praxi non possit inservire. Quidni enim si Episcopus pauper hujusmodi decimas sibi assumat? quidni si vicinorum Parochorum alter sit dives, inops alter, eas huic, non illi adjudicet? quidni si dives sit Episcopus, & Parochi in bonis æquales, decimæ ex æquo dividantur inter utrumque?

Quod spectat ad alterum difficultatis caput, censent Layman, Pirhing, & alii quidam, erecta noviter per divisionem Parochia, jus percipiendi decimas ipso facto transire ad novum Parochum in limitibus sibi assignatis: verum doctrina hæc, etsi rationi admodum consentanea videtur, ab aliis impugnatur ut parum congrua Tridentino, quod Sess. 21. cap. 4. statuit, ut *Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus*: porro si nova Ecclesia ex ipsa sui erectione, & ipso fa-

facto jus haberet percipiendi decimas in limitibus suis, necessum non esset, ut ei ab Episcopo assignaretur portio competens, neque hæc Episcopi arbitrio, sed ipso jure assignaretur. Unde S. Congregatio Concilii interpres, ad preces Romæ an. 1617. declaravit, prædiales decimas, etiam de limitibus Parochiæ noviter erectæ, remanere, ut antea, penes Ecclesiam matricem, nisi Episcopus certos assignando limites, eorumdem decimas simul assignaverit. Ita refert Fagnan in c. *Cum contingat*, 29. h. t. n. 42. & seq. eique, utpote tunc Congregationis Secretario habenda fides. Idem docet cum communi aliorum Reiffenstuel eod. tit. n. 104.

Hæc duæ opiniones facile satis conciliari possent, si, ut aliquibus placet, Tridentinum, & interpres ejus Congregatio per Ecclesiam matricem, intelligeret Ecclesiam *baptismalem*, sic dictam, quod ad eam adhuc deferri debeant Baptismi recipiendi gratia infantes intra limites Parochiæ noviter erectæ nati: hoc enim posito, nova Parochia non esset Ecclesia vere, & perfecte Parochialis, sed quasi ex earum numero, quæ in Gallia vocantur *succursales*: porro nihil mirum, quod erecta succursalis decimas non capiat, nisi eæ sibi speciali titulo assignentur. Aliud esset, ut plurimum, si plena fieret, & integra dismembratio; quamquam, ut notat Dunod ibid. p. 51. possit aliquando *matrix* Parochia in Parochia *filiali* decimas percipere, si ita conventum sit in facto dismembrationis. Cœterum plenas eas dismembrationes odit Ecclesia, nec nisi gravibus de causis patitur, prout observat Cardinalis de Luca discursu 16. in Trident. n. 3.

Quæres 3. an novalia Parochis omnibus debita sint. Pro solutione quæstionis

Not. 1. novalia dupliciter sumi posse, proprie, & improprie. Novalia proprie sunt fundi, qui cum, vel nunquam, vel nonnisi ultra memoriam hominum culti fuerint, nunc novissime coli cœperunt, ut cum paludes in vineas, aut loca vepribus hirsuta, gallice *Landes*, in agros frugiferos vertuntur: novalia hoc sensu sumuntur cap. 1. & 21. *De verb. signif.* Novalia minus proprie sumpta, sunt fundi, qui cum olim fructus a decimis immunes ferrent, nunc novam experti culturæ speciem, fructus decimabiles pariunt.

Not. 2. extra dubium esse novalium decimas pertinere ad Parochos, qui cœteras loci decimas percipiunt. Unde quæstionis sensus est, an Parochi, qui decimatores non sunt, novalium decimas percipere debeant. His præmissis

R. decimas novalium hactenus incultorum Parochis deberi, 1. quia ita expresse definiit Innocentius III. cit. cap. 29. hoc tit. ubi sic: *Cum perceptio decimarum ad Parœciales Ecclesias de jure communi pertineat, decimæ novalium, quæ fiunt in Parœciis earumdem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur; nisi ab iis, qui alias percipiunt decimas, rationabilis causa ostendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere*. Idem decernit Alexander IV. c. 2. ibid. 2. quia ita ferunt hujus Regni leges, ut patet ex Declaratione Ludovici XIV. data die Januarii 29. an. 1686. ubi sic: *Voulons que les portions congrues, que les decimateurs sont obligès de payer aux Curès ou aux Vicaires perpetuels, demeurent à l' avenir fixèes dans toute l' etendue de notre Royame, &c. à la somme de trois cens livres par chacun an, & ce outre les offrandes, les honoraires, & droits casuels, quo l' on paye, tant pour les fondations, que pour d' autres causes: ensemble les dimes novales sur les terres, qui seront defrichèes depuis que lesdits Cures ou Vicaires perpetuels auront fail l' option de la portion congrue, au lieu du revenu de leus Cure ou Vicairerie, en consèquence de notre presente Declaration.* Quibus ex verbis colliges novalia dimissa a Parochis, qui con-

congruam portionem optaverunt, ab iisdem jam reperi non posse, sed ea tantum, quæ a prædictæ optionis temporibus surrexerunt: imo nec ista efficaciter peterent contra decimatores, qui privilegium habent fruendi novalibus quibuscumque. Hinc etiam post citatam mox Declarationem anni 1686. decimæ recentium novalium pluries contra Parochos assignatæ sunt Monachis Cluniacensibus; utpote, qui speciale habeant privilegium, quo Parochorum juri derogatur. Vide Hericourt de Decimis n. 9. pag. 589. & animadverte cum eodem n. 8. praxim alicubi observatam, puta in districtu Tholosano, & Attrebatensi, ut Parochi, novalium quæ hactenus inculta fuerant, decimas nonnisi per aliquot annos, quinque v. g. aut decem percipiant, principiis juris contrariam esse: quia nihil concessum est antiquo Decimatori juris in fundum minime frugiferum; nec potuit idem Decimator præscribere, quod nunquam possedit.

Suas etiam Episcopis in decimis quorumdam novalium partes attribuit Ludovicus idem XIV. Edicto mensis Februarii an. 1657. ubi hæc habentur articul. 7. *Voulons, & ordonnons, qu'aux Paroisses où les Eveques jouissent d'une portion de la grosse dime, ils soient maint maintennus en la possession, & jouissance d'une portion égale, en la dime des Novales; comme les Curés en la possession de la quatrième partie des novales, aux lieux où les Eveques jouissent de toute la grosse dime.* Verum notat Hericourt ibid. n. 7. Edictum illud, utpote ne in una quidem suprema Regni Curia verificatum, vim legis non habere: unde etiamnum divisi sunt circa punctum istud Jurisconsulti, aliis contendentibus Episcopos jure sibi per Edictum concesso frui debere, aliis negantibus.

An primitivi Parochi jus habeant ad decimas novalium præ Vicariis perpetuis, nova est controversia. Negat idem Hericourt, 1. quia stat aliquem Parochi primitivi titulo gaudere, nec tamen decimis ullis frui; ergo; ut ex sola Parochi primitivi conditione nullum exurgit jus ad decimas, sic nec ad perceptionem novalium; 2. quia Episcopi, qui Monachis concessere *altaria*, id est Parochiarum proventus, non alios, quam qui tunc temporis percipiebantur reditus, concessisse censendi sunt, cum bonorum omnium donatio præsentia solum complectatur, non futura. Aliud esset si primitivus Parochus speciale haberet privilegium ad omnes prorsus etiam futurorum novalium decimas; quale habent Cluniacenses, quale & habet Regia S. Dionysii Abbatia, utrumque a Majori Consilio recognitum, & conservatum. Huic autem privilegio æquivaleret, vel titulus, vel immemorialis possessio, ex qua idem titulus legitime præsumeretur.

Quod attinet ad cœtera novalia, triplex eorum occasione proponi potest quæstio. Prima, an si fundus rei decimabilis ferax, versus sit in fundum non decimabilem, v. g. ager frumentarius in sylvam, ex eo, ut antea decimæ solvi debeant; 2. an econtra debeantur decimæ ex fundo, qui ex minime decimabili factus est ratione fructuum decimabilis; 3. an posito, quod inde debeantur decimæ, eæ debeantur Parocho, qui cœterorum fructuum decimas non percipiat.

Quod spectat ad primam quæstionem fatentur omnes 1. eum qui agros suos non colit, non teneri ad decimas in specie. Dico. *in specie*; quia si mutua inter fundi proprietarium, & decimatorem facta esset conventio de tali summa singulis annis solvenda, ad eam teneretur proprietarius, sive agrum coleret, sive non; nisi ager chasmate, aut aquis periisset. Ita Grimaudet in Gallico Tractatu de Decimis Lib. 3. cap. 3.

2. Uni-

2. Unicuique licitum esse fundi sui culturam immutare, quia rei suæ quisque moderator est, & arbiter.

An autem facta hac fructuum fundi conversione, debeat quis decimas e fructibus novis, qui in loco non sunt decimis obnoxii, serio disputatum est. Asseruere multi, imo omnes Tempore Fevreti, ut patet, ex Tract. de Abusu L. 6. c. 1. n. 4. qui plura hanc in rem citat Tholosani, & Parisiensis Senatus Consulta. Ratio est 1. quia decimæ sunt onus rei, seu fundi; porro onus cum ipsa re transit; 2. quia alioqui penes proprietarium esset decimatores fraudare jure suo; cum ad id sufficeret soli superficiem immutare.

Opposita tamen opinio tuta est practice, nisi subsit dolus: 1. quia sicut qui fundum minime decimabilem vertit in decimabilem, eo ipso debet decimas, quas non debebat antea; sic a contrario in proposito casu: neque enim æquum est, ut decimator in hypothesibus oppositis commodum semper sentiat, & nunquam onus; 2. quia si proprietarius decimas non debeat, cum fundi sui culturam negligit; non est cur debeat, cum fundi superficiem immutat; 3. quia decimæ cum sint *quarta pars fructuum*, debentur ratione fructuum, non ratione fundi. Atque ita judicatum est tum a Senatu Vesuntino, tum a Majori Consilio. *

Ab hac tamen regula excipiendi essent casus doli, & excessus; nescilicet tot jugera verterentur in culturam a decimis immunem, ut inde notabile damnum perciperent decimatores; quem in sensum judicavere Senatus Aquisextiensis, Tholosanus, &c. De quo vide citatum Dunod pag. 75.

Nec est, quod objicias proprietarium posse ex dictis totius fundi sui culturam negligere; nec tamen ob id venire posse in suspicionem doli.

Nam 1. rarum est, ut qui non desipit, agros suos omnes relinquat incultos; 2. si forte id contigerit, potest Parochus a Magistratu obtinere licentiam eosdem agros excolendi pro rata portionis sibi debitæ, & tunc deductis impensis omnibus decimas capiet, sicque sibi providebit. In hoc tamen casu si Parochus v. g. jugera duo Henrici incolenda tradat, vel eidem Henrico, vel alii cuipiam, non poterit decimas in iis præripere; quia, quos percipiet fructus, æquivalebunt decimis, ad quas solas jus habet. Ita Pontas v. *Dimes*, cas. 5.

Quod attinet ad secundam quęstionem, an scilicet fundus, qui olim, vel nullos ferebat fructus, vel ferebat fructus a decimis liberos, nunc autem decimabiles parturit, possit decimari, hęc inquam quęstio soluta manet ex dictis: unde tota, quę superest difficultas, in eo consistit, an iidem fructus novalium instar pertineant ad Parochum, an ad decimatorem, qui alius sit a Parocho. Qua de re

Dico 1. si fundus nullos unquam tulerit fructus, & nunc incipiat parere decimabiles, ii communi jure pertinent ad Parochum: quia hic tota, & plena occurrit ratio novalium, quorum fructus ad Parochum pertinent, ex quo etiam congruam portionem elegit, ut supra dictum est: quamquam alicubi horumce fructuum decimæ, ut jam observavi, nonnisi ad aliquot annos assignentur Parochis, eo prætextu, quod novalia post quinquennium, aut decennium desinant esse novalia; quæ ratio seipsa corruit; quandoquidem juxta vetus effatum: *Semel novale, semper est novale*.

Dico

* Non desunt Arresta, quę adjudicent decimas fructuum quos, quis perceperit e fundo antea decimabili; & hęc facilius obtinentur ab iis, qui probare possunt, se, licet e tali fructu decimas non percipiant, eas tamen ex eodem fructu percipere, quoties is nascitur in fundo olim decimabili Vide, & concipe, si potes, Duperai L. 2. c. 12. Vide, & Papon. L. 1. Arrest. tit. 12. c. 5. ubi refert Senatusconsultum, quo a petitione sua ejectus est Parochus, qui decimas piscium stagni ex arabili fundo procreati requirebat.

Dico 2. si vel ex sulcis, vel ex titulis, aut seniorum testimonio constet tellurem aliquam olim cultam fuisse, fructus ex ea nunc prodeuntes, ad decimatorem non ad Parochum pertinere videntur: 1. quia terræ eæ veram novalium rationem non habent; cum ex probabilibus indiciis constet, eas olim cultas fuisse; 2. quia cum olim cultæ sunt, decimator suum in eas jus habuit; quod quidem jus defectu culturæ suspendi potuit, nec tamen debuit extingui; 3. quia varia supremorum Senatuum Placita definierunt non esse novalem fundum, qui olim etiam ultra memoriam hominum cultus fuerat, imo in quo creverant arbores centum annis majores. Vide Hericourt ibid. n. 8. & Dunod. p. 33. & 34. unde allata supra ab Innocentio III. novalis definitio explicatur per hanc S. Hieronymi, quæ habetur cap. 1. *De verb. signific. Novale est ager nunc primum præcisus*; seu, ut loquitur Cujacius, *primum aratrum expertus*.

Si tamen probabile foret terram, quæ olim exculta est, tunc temporis novalem fuisse, aut versam eam fuisse aratro non ad culturam, sed ad venustatem loci, decimæ ejus Parocho, non alii decimatori adscribendæ forent. Interim hinc colligent Parochi, invigilandum sibi esse circa terras, quæ aliquando vertuntur aratro, absque eo, quod iis mandentur semina. Indubie enim lapsu temporum, vel ipsis ex sulcis præsumentur novalia non esse, quæ vere novalia erunt.

Quæres 1. quid Juris circa decimas sequelæ.

R. sequendum id Lucii III. cap. 20. *De decimis. Decimas messium, vel fructuum arborum, si qui coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant, quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur, tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum*. De ea insolita decimarum specie vide Hericourt n. 20. & animadverte eas non deberi, cum alterius Parochiæ incola, licet terram bobus suis exerceat, non pro se, sed pro alio laborat.

Quæres 2. an e fructibus hortorum, aut loci septi decimæ solvi debeant.

R. decimæ ex hortis communibus non solvuntur nisi quibusdam in locis. Si tamen fundus arabilis, aut vinea muro circumcluderetur, ex utroque decimas pendi necesse foret. Quin & ex septo leguminum dumtaxat feraci deberentur decimæ, si in eo conclusa esset pars magna terrarum, quæ prius decimis obnoxia fuisset. Cœterum si in frumentaria terra extent arbores frugiferæ, moris est, ut decimator ex iis decimas non percipiat, etsi aliunde decimas capiat ex arboribus. Alicubi tamen contraria invaluit consuetudo; & id est, quod gallice dicimus: *Dimer sur le haut, & sur le bas*. Hericourt ibid. n. 26. & 27.

Quæres 3. cui solvendæ sint lanæ, & agnorum decimæ.

R. ei solvi solent, cujus in territorio pernoctant potissimum hyemali tempore; non ei, cujus intra limites pascuntur, nisi aliter consuetudine receptum sit. In dubio res hujusmodi ex vicinarum Parochiarum usibus definiuntur. Si animalia ex æquo duobus in locis habitent, æquum est, ut decimæ eorum dividantur: si plus in uno, quam in alio loco, testatur Forget c. 4. n. 6. moris esse in Gallia, ut adhuc fiat divisio inter Parochos servata proportione temporis, quo animalia in Parochia manserint, & pabula receperint. Quamquam, ut notat Rebuffus q. 6. n. 27. sæpius observatur, ut is decimas capiat, cujus intra limites frequentius pascuntur animalia. Unde in his omnibus standum est consuetudini, quæ sola pene circa minores decimas legem facit, ut notat Duperrai Lib. 2. cap. 7. p. 338.

Hericourt num. 28.

A R-

ARTICULUS QUARTUS.

Qui ad Decimas teneantur.

QUæstio est, an ad decimas teneantur pauperes ipsi, Episcopi, Religiosi, Parochi, qui sua in alienæ Parochiæ limitibus prædia habent. Qua de re

Dico 1. ne ipsi quidem pauperes a decimarum præstatione liberi sunt. Ratio est, quia decimæ quocumque tandem titulo debeantur, vere debitæ sunt. Porro pauperes sua sicut alii debita pensitare tenentur, nisi, vel in extrema sint necessitate, vel eamdem ex debitorum solutione sint experturi; de quo vide, quæ dixi Tom. 1. ubi de causis a restitutione excusantibus.

Exigit tamen Pastoralis charitas, ut si ad asserenda sua Ecclesiæ jura percipiantur decimæ ex miserorum bonis, eæ iisdem in æquivalenti restituantur: præsertim, cum decimæ sint *tributa egentium animarum*, ex Can. 66. xvi. q. 1. quod si ob urgentem inopiam aliquando decimas ipsas remitti contingat, sequendum est id, quod monuimus sub finem Articuli 2. Non raro tamen partitur substantiam suam Parochus inops cum inope colono; dum decimator alter luxurians bonis, miserabilem rusticum suffocat, dicens: *Redde, quod debes*. Nempe impletur omni ævo id Prov. 12. *Viscera impiorum crudelia*.

Cœterum non hæretici tantum, sed & infideles, ac *Judei compellendi sunt ad dandas decimas de domibus, & possessionibus aliis, de quibus, antequam ad Judæos quocumque titulo pervenissent, Christiani dare consueverant*, nimirum, *ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes*. Ita Innoc. III. cap. 18. *De usuris*. An autem ii decimas debeant ex bonis, quæ penes Judæos semper fuerint, controvertunt Canonistæ: sed hæc passim inutilia sunt, quia Judæi realia bona tenere passim prohibentur.

Dico 2. receptum est, ut Episcopi, ex Episcopalis * mensæ reditibus decimas non præstent. Habentur enim, & sunt Episcopi. Diœcesis suæ totius primarii Parochi. * M. n.

Idem pari jure dicendum de Parochis, qui fundos Parochiæ suæ annexos in alterius Parochia possident. Imo communis Canonistarum opinio tenet Clericos simplices non teneri ad decimas fructuum, quos e Beneficio suo percipiunt, nisi in casu paulo post assignando. Assertionis hujus ratio desumitur ex cap. 2. *De decimis*, ubi sic: *Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc legamus: non enim Levitæ a Levitis decimas accepisse leguntur*; qui textus etsi varias patitur interpretationes, nostro tamen sensu a Barbosa, Rebuffo, & aliis communiter post Glossam intelligitur.

Aliud est 1. cum Clerici, quicumque ii sint, sæcularia possident bona: tum quia, quoad hæc ejusdem sunt cum cœteris fidelibus conditionibus; tum quia res transit cum onere suo. Unde etiam si Episcopi rem decimarum oneri subjectam acquirant titulo temporali, ex iis decimam pendere tenebuntur: secus, si quid Ecclesiæ suæ uniendum compararent; istud enim jam fiet bonum Ecclesiasticum. Si tamen res a Parocho acquisitæ, jam antea alii Ecclesiæ decimas deberent, ad eas Parochus teneretur; cum decimator jure sibi jam acquisito spoliari non debeat. Et ita judicatum est ann. 1699. & confirmabitur ex modo dicendis. *Hericou t num. 31.*

Aliud est 2. juxta majorem Doctorum partem, cum Beneficia dotata sunt ex prædiis, ex quibus antequam in dotem assignarentur, solvebantur de-

decimæ; hæc enim prædia, licet jam sint Ecclesiastica, debent decima parocho, cujus intra limites sita sunt, sive is proprius sit Beneficiarii Parochus, sive non. Ita Fagnan in cap. *Nuper* 34. h. t. n. 10. Barbosa, & alii communiter contra Pirhing. hic n. 42. Ratio autem est, 1. quia prædia hæc, ut & aliæ quævis res transeunt cum onere suo. 2. quia alioqui privaretur Ecclesia prior jure jam acquisito; quod admittendum non est, quandoquidem uni consulendum sit cum alterius jactura, ex c. 13. xi. q. 3. 3. quia citato cap. *Nuper*, statuitur, ut Cistercienses, aliique regulares, de prædiis ad fundanda nova Monasteria acquisitis, *etiamsi ea propriis manibus, aut sumptibus excolunt, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur*; idque, *ne occasione privilegiorum suorum, Ecclesiæ*, seu Parochiæ *ulterius prægraventur*.

Dico 3. *Religiosi, tam exempti, quam non exempti, de terris, & possessionibus acquisitis hactenus, & amodo acquirendis decimas integre* solvere tenentur *illis Ecclesiis, quibus eædem possessiones, & terræ prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio sint muniti*; ita statuebat circa ann. 1258. Alexander IV. cap. 2. *De decim.* in 6. Ratio est, tum quia huc redeunt rationes mox allatæ ubi de Clericis: tum quia abstrahendo a privilegiis, & inspecto jure communi Regulares Parochis erant subjecti, & ab iis percipiebant Sacramenta, ut patet ex Can. 6. 7. 40. & 46. xvi. qu. 1.

Hodie tamen, uti notat Reiffenstuel. Minorita h. t. n. 53. Religiosi omnes aliquo saltem modo a solvendis decimis immunes sunt per privilegia partim communi juri inserta, partim specialiter concessa.

Circa hæc porro privilegia multa docent exteri Canonistæ, ut 1. quod nullius sint momenti, nisi dentur cum clausula derogatoria Conc. Lateranensis, ex quo desumptum est cap. *Nuper*, supra citatum; unde privilegium, ut hac in parte valeat, hanc, ut parem habere debet clausulam: *Non obstante aliqua Constitutione etiam in Concilio generali habita*. 2. quod in generali privilegiorum communicatione quantumvis ampla, non communicetur privilegium immunitatis a decimis; (idque etiamsi expressa fiat mentio de decimis; quia alioqui concessa immunitas ad decimas extraordinarias restringetur, neque de solitis, & prædialibus intelligenda erit.) Ratio est, quia communicatio privilegiorum non se extendit ad ea, quæ nonnisi cum magna difficultate conceduntur; porro difficile admodum conceditur immunitas a decimis. Atque ita pluries definierunt Rota, & S. Congregatio teste Fagnan ibid. n. 33.

Nobis vero circa immunitatem a decimis privilegio Pontificio concessam, pauca hæc observare sufficiet, nimirum 1. privilegia hæc, non valere in Galliis, nisi confirmata sint regio diplomate debite *verificato*. Sic confirmata sunt privilegia Ordinum Cisterciensis, Militensis, & Præmonstratensis.

Cap. xi. De decim. 2. Eadem privilegia ad ea tantum prædia extendi, quæ *propriis manibus, vel sumptibus* colunt Regulares, non ad ea, quæ elocant; quæ tamen limitatio fallit in Præmonstratensibus, quamdiu non locant ultra novenium.

3. Regulares etiam exemptos a decimis, decimas debere ex alienis prædiis, quæ ipsi conducunt, & recipiunt *ad firmam*, cap. 8. h. t.

4. Si quæ Monachos inter, & decimatores inita sit conventio, debere eam servari, etsi deinceps obtentum sit immunitatis privilegium, c. 3. eod.

5. Cessare privilegium, cum eo non obstante decimas per 40. annos continuo, & sine lite solverunt Regulares; quia: *cum tanto tempore contra in-*

indulta prrivilegia decimas solverint, eis renuntiasse tacite præsumuntur: porro *liberum est unicuique suo Juri renuntiare*, cap. 6. & 15. *De privil. & excessib.*

6. Privilegia quibuscumque concessa, personis inhærere non rebus; unde, qui fundos decimarum expertes acquirunt a privilegiatis, ad decimas tenentur, & has quidem solvere debent quandoque Parocho, quandoque universali decimatori. Parocho quidem, si prædium a privilegiatis venditum, ante a decimis liberum fuerit, quam decimandi jus concessum fuisset decimatori; eidem vero decimatori, si ante privilegium decimas perceperit ex prædicto prædio; quia postulat æquitas, ut cessante causa, per quam quis a jure suo excidit, is jus idem suum recuperet. Ita Hericourt ibid. a n. 32. ad 41. neque hinc multum differt J. Dunod, nisi quod privilegia etiam a Rege confirmata negat prodesse, si magnum decimatori præjudicium inferant; quia regula *de non tollendo jure quæsito*, in decimis, sicut in Beneficiis valere debet. Addit idem nullum valere privilegium contra decimas oneroso, fundationis v.gr. titulo debitas. Vid. pag. 60. & seq.

Quæres utrum decimarum reliquationes locum habeant in Gallia.

Negat Hericourt n. 29. ubi ait ratum, & constans esse illud Gallicani Juris pronuntiatum: *Les dimes ne s' arreragent point*; ita ut elapso semel fructuum perceptorum anno, jam decimæ exigi non possint; unde anno 1633. cecidit causa Parochi, qui decimarum restitutionem judicio persequebatur. Hæc tamen exterioris fori dispositio nihil juvat forum conscientiæ; cum iniquus quilibet damnificator, qualis indubie est, qui Pastorem decimis fraudat, ad restituendum jure naturali obligetur.

Nota in Gallicanis Tribunalibus ad restituendum plus, aut minus cogi eos, qui decimas perceperint sine jure percipiendi. Extat ea de re apud Duperrai celebre Parisiensis Senatus Placitum, quo nobilis quædam familia excidit a jure petendarum decimarum, quas per annos 140. perceperat. Neque tamen huic impositum est totius restitutionis, sed earum dumtaxat decimarum, quas posterioribus annis perceperat.

ARTICULUS QUINTUS.

Quo tempore, & modo Decimæ præstari debeant?

Circa percipiendarum decimarum tempus nulla est, quæ moram injicere possit, difficultas. Fructuum enim decimæ debentur tempore, quo iidem fructus colliguntur; qua quidem de collectione decimatorem moneri oportet, seu per promulgationem temporis vindemiæ, & messium, ut apud nos sancitum est Edicto Melodun. ann. 1579. art. 29. seu aliter: tuncque quidquid peribit decimarum, peribit decimatori. Quod si quis obnoxius pensitationi decimarum, easdem extra Parochiam transferat, licitum est decimatori in eas * regiam manum injicere. Imo manipuli omnes ante decimarum solutionem sublati, una cum carris, & æquis in lucrum decimatoris confiscari debent, ex citato citati Edicti articulo. Neque etiam messes relictis in agro decimis de nocte transferre licet. Hericourt ibid. n. 15. Vide & Dunod p. 80. & 81. * *Saisir.*

Non licet pecudes ad pastum ducere in agros, nisi sublatæ sint decimæ: sed quia juvandus non est decimator cum onere nimio debitoris; erit is a detrimento per gregem suum decimis illato liber, nisi intra triduum a sublatis frugibus efferantur decimæ. Ita Boloniensis Consuetudo art. 36. apud Hericourt n. 16.

Si

Si plures jus habeant individuum ex eodem fundo decimas percipiendi; penes Parochum erit electio. Ita sæpius judicatum est. Vide Duperrai part. 2. c. 14. si ex eodem fundo semel, & iterum in anno prodeant fructus, debent utrique decimas. Contrarium tamen quoad legumina judicatum est die 14. Aug. ann. *1666.* contra Ambianensis Ecclesiæ Capitulum, uti refert Simon apud Marechal de Juribus honorificis, Tom. 2. pag. 137. edit. 1735.

Quod pertinet ad decimas pecorum, servanda est loci cujusque consuetudo, quoad tempus, quoad numerum, & quoad lanas, quæ aliquando ex ovibus etiam otiosis penduntur, aliquando solum ex iis, quæ ferendo partui idoneæ sunt.

Ex consuetudine etiam definiendum, quo anni tempore solvendæ sint eædem carnariæ decimæ. Alicubi sancitum est, ut intra Paschalem quindenam, alibi, ut die Junii prima, alibi, ut feria quinta in Cœna Domini pendantur, alioqui vero jam Parochi sumptibus enutriantur animalia. Interim non tenetur Parochus lactentes adhuc pullos recipere, sibi cœteroqui inutiles futuros, ut notat Forgetus c. 4. n. 5. Porro, ut pinguiores gregis agnos, aut vitulos exigere nequit decimator, sic nec macilentiores, aut morbidos offerre debet colonus: unde media via, quæ ab extremis pari gradu declinat, incedendum. Vereatur Parochus, ne asper exactor avaritiæ notam sustineat: vereatur Parochianus, ne dona sua Caini donis similia despiciantur a Deo. *Intulistis de rapinis claudum, & languidum .·. numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? Maledictus dolosus, qui .·. immolat debile Domino.* Malach. 1.

Si, ut alicubi sapienter observatur, moris sit, seu præsente, seu, si adesse recuset, absente Parocho, agno decimales signare, jam hi si pereunt, peribunt damno decimatoris; tantumque de pelle tenebitur colonus, præstito tamen juramento decimale animal sua nequaquam culpa periisse. Ita censuit, ac per modum *Regulamenti* definiit Curia Parisiensis die Maii 27. ut ex Forgeto tradit Van-Espen ead. part. 2. tit. 33. c. 8. n. 25.

Sed quid, si dominus gregis gregem vendiderit paulo ante tempus tonsitationis, & fœtuum, an in decimatoris fraudem egisse censendus erit? Erit, & non erit pro circumstantiarum diversitate. Veniet utique, nec immerenter in suspicionem fraudis, si eas solum vendiderit oves, quæ partui vicinæ erant; si clanculum, & in loco parum distanti a Parochia, si proximis consanguineis, aut affinibus, si modico pretio venenum dederit. Sin autem palam, & in frequenti rei pascuariæ foro, ac quanti æquum, erat distraxerit, deerit suspicio doli; nec redarguendus erit, qui decimas debet ex fœtibus, sed fœtas oves servare non tenetur. Læsæ tamen charitatis; aut religionis reus esset qui ex Pastor odio, aut sordidi quæstus fuligine, hanc agendi rationem sectaretur. *Vide Forget. cap. 4. num. 7.*

Circa modum solvendi decimas quædam expediendæ sunt difficultates. Unde

Quæres 1. an decimæ solvi debeant ante *campi partem*, vel *partum*, ut alii dicunt, gallice *champart*.

R. affirmar. secundum id Lateranensis Concilii anno 1215. habiti: *Statuimus ut .·. exactiones tributorum, & censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum onere suo transit, ea per censuras Ecclesiasticas decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur.* Cap. 33. *De decimis*, &c. atque id toties confirmavere Senatuum Regni omnium Consulta, ut res jam nihil in Galliis habeat dubii.

Et

Et vero decimæ antiquiores sunt censuali quocumque jure, & nobiliori titulo præstantur. Ita Hericourt n. 18. Forget, aliique passim citati; quibus adde Pontas hic cas. 8.

Quæres 2. an nullam expensarum rationem habere debeat decimator.

R. Decimas prædiales deberi ante omnem expensarum deductionem, prout cum cœteris docet Cabassut. L. 2. cap. 29. nu. 3. unde fit, ut ne seminis quidem licet jam decimati ratio habeatur. Solent tamen, ut notat Zipoeus Consult. 1. *ex æquo, & bono ad animandos agricolas ad steriles myricas aratro subjiciendas, glebas a vepribus, & sentibus occupatas purgandas, sylvas inutiles exscindendas*, &c. *solent* inquam, *quibus jus est decimarum, cultoribus ad aliquos annos immunitatem decimarum, ex toto, vel in partem tribuere, pro gravitate sumptuum*.

Quinimo, ait Van-Espen ibid. cap. 8. n. 17. *si publice expediat terras aliquas* aquis prævias *ageribus cingi; idque sine magnis, & notabilibus expensis fieri nequeat, interdum æquitas exigere potest, ut etiam auctoritate publica decimatores pro proportione decimarum in aliquam partem expensarum vocentur; uti loco citato monet Zipoeus*.

Quæres 3. an in materia decimarum valeat transactio (gallice *abonnement*) vi cujus decimæ non *in specie* solvantur, sed in certa granorum, aut pecuniæ quantitate, de qua conventum sit.

R. 1. hujusmodi transactiones speciem alienationis continere; adeoque in iis exigi formalitates ad alienationem Ecclesiastici boni necessarias; quas fuse legeris apud Dunod in speciali ea de re Tractatu.

R. 2. prædictas pactiones, si fiant servatis servandis, nihil habere mali; quin & aliquando prodesse posse, cum de minutis decimis agitur: hæc enim propter rei exilitatem, & incertitudinem, plerumque parturiunt dubia, & difficultates, quæ semel determinata summa redimuntur. Hinc Rebuffus apud Fagnan ibid. n. 24. *Valida videtur consuetudo, quod loco animalium solvatur certa pecuniarum summa nomine decimæ*. Et vero Alexander III. cap. 2. *De transact.* hæc habet: *Statuimus; ut si super decimis inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata, & inconcussa persistat*.

R. 3. Transactiones prædictas adeo minimi ponderis esse apud nos, ut Duperrai in Tract. de Portione congrua part. 2. cap. 30. inter principia apud Gallos in materie decimali recepta, istud reponat: Decimas in specie solvendas esse, non obstantibus quibuscumque pactis, aut transactionibus inter Curati prædecessores, & Parochiæ incolas. Atque ita pluries judicatum fuit a Curia Parisiensi, non obstante possessione, aut consuetudine, quæ hominum memoriam excederet. Ratio hujus juris multiplex exhibetur, 1. quod Beneficiario, qui merum Beneficii usumfructum habeat, bona ejusdem alienare interdictum sit; 2. quod vir pecuniæ avidus grande successori suo damnum crearet; 3. quod plerumque ad hujusmodi transactiones pene inviti trahantur Parochi, seu magnatum formidine, seu morosis incolarum difficultatibus, qui debitum pensum solvere detrectant. Ubi notabis cum Duperrai Tract. de Decim. p. 405. a Beneficiario, qui sibi decimas *in specie* a Judicibus addici requirit, non impugnandam esse possessionem facti, qua ut plurimum tuetur se adversarius, & quam non raro probaret efficacissime, sed possessionem juris; ita ut unice contendat abusivam esse possessionem, quæ sibi objicitur.

Si tamen transactiones decimatorem inter, & eos, qui decimas debent initæ, cunctis vestitæ essent formalitatibus ad alienationem Ecclesiastici boni requisitis, existimat Hericourt n. 13. easdem a supremis Curiis confirmatum iri; & sic varia, quæ hanc in rem prodierunt Senatuum Consulta secum invicem conciliari posse opinatur. Certe in hac hypothesi nequaquam militarent rationes, ex quibus transactiones istas in irritum ducere solent Magistratus.

Circa formam decimarum sequendi sunt locorum usus. Alicubi decimus rerum fascis, alicubi undecimus, aut minor tribuitur decimatori. Idem est de decimis pecudum. Quod si postremi fasces ad numerum lege constitutum non assurgant, erunt ii jungendi cum fascibus alterius campi, qui ad eumdem dominum pertinent. Sin autem, etiam ex his postremis tribuenda erit pars decima. Idem servari debet quoad pecudes; ita ut, vel fiat æstimatio numeri excidentis, vel jungatur partus anni primi cum partu anni subsequentis. Ita Duperrai 2. p. c. 10. cui titulus: *Des la dimes des fur numeraires*. Fatetur tamen idem is Scriptor extare contraria ea de re Senatuum judicia.

ARTICULUS SEXTUS.

De Præscriptione Decimali.

DUplex in præsenti materia haberi potest præscriptio; activa, quæ jus tribuat decimas ante non perceptas; & passiva, quæ eximat a decimis antea pensitatis. De utraque dicendum. Sit itaque

SECTIO PRIMA.

De Præscriptione activa.

NOn præscriptionem tantum, sed & alias obtinendi decimarum juris vias expendam in præsenti, quod ut fiat,

Quæres 1. an, & a quibus jus percipiendi decimas præscriptione acquiri possit.

R. Ad 1. Affirmat. atque ita definiit tum praxis universalis, tum Alexander III. in textu statim citando.

R. Ad 2. decimas laicales, seu infeudatas præscribi posse, tum ab Ecclesia, tum a Laicis; decimas vero Ecclesiasticas ab Ecclesia contra Ecclesiam posse præscribi, non item a Laicis, quantacumque sit istorum possessio.

Prob. 1. pars. Si Laici contra Laicos decimas feudales præscribere possint, a fortiori poterit id Ecclesia, ad quam decimæ nativo jure pertinent: atqui Laici contra Laicos præscribere possunt decimas feudales; prout satis communiter docent Jurisconsulti: 1. quia passim receptum est, ut, *quæ sunt quæsibilia privilegio, sint quæsibilia præscriptione, data capacitate personæ*: porro Laici capaces sunt decimarum ab alio Laico possessarum; 2. quia decimæ Laicales naturam, & conditiones habent boni patrimonialis, & æque sub commercium civile cadunt, unde ut donari, sic & vendi possunt: ergo, & cæterorum bonorum legibus, ac proinde præscriptioni obnoxiæ sunt; 3. quia si Ecclesiastici contra Ecclesiasticos decimas præscribere queant; quidni easdem Laici contra Laicos præscribant? Atque ita post Felinum, Pontanum, Henrisium docent, aut docere videntur

tur

tur Duperrai part. 2. c. 6. p. 334. Dunod p. 119. Hericourt ibid. n. 46. *

Fatendum tamen, quod & patebit ex dicendis Sect. 2. neutram hujus nostræ assertionis partem certis in Tribunalibus receptam videri.

Prob. 2. pars. Ex c. 6. *De præscript.* ubi in hæc verba rescribit Alexander III. *Ad aures nostras pervenit, duas Ecclesias litigasse super decimis, quas una earum in alterius Parœcia annis 40. possedit, tuæ fraternitati tenore præsentium innotescat, quod de jure divino, & humano melior est conditio possidentis: quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit.*

Prob. 3. pars. Quia non est capax præscribendi, nisi, qui prius est capax possidendi: atqui Laici nullam ad decimas pure Ecclesiasticas capacitatem habent; sicut nec ad Ecclesiastica Beneficia, quarum decimæ sunt appendices: ergo *cum Laici decimas detinere non possunt, eas nulla valent præscribere ratione.* Cap. 7. *De præscript.*

Confirm. ex celebri judicio, quo die 11. Martii an. 1711. decimarum percipiendarum jure spoliata est Comitissa *de Neuchese*, cujus predecessores easdem decimas per annos plusquam 140. perceperant. Probabat hæc quidem se suosque auctores decimas possedisse, imo & hanc possessionem a prioribus Parochis Parochiæ *de Louverne* agnitam fuisse, sed quia, nec probabat decimas suas esse feudales, nec probare poterat vitium primitivum continuata possessione tegi, & aliunde *frustra probatur, quod probatum non relevat*, juste cecidit causa. Vide Arrestum hoc apud Duperrai Tract. de Decimis, p. 508. Idem docet Dunod p. 119. his verbis, quæ transcribendi duxi: *S'il constoit, que depuis le Concile de Latran une dime a été Ecclesiastique, le Laique, qui la tiendroit, pourroit etre condamné à la rendre, quelque long tems qu'il en eut joui, a moins qu'il ne fit censter d'un privileges, ou qu'il ne put le faire présumer; ce qui est rare, & difficile.*

Quæres 2. quoto opus sit tempore ad præscriptionem activam decimarum.

R. 1. Ecclesiam a Parochiali diversam, contra Ecclesiam Parochialem non præscribere, nisi cum possessione 40. annorum concurrat titulus, vel defectum tituli suppleat possessio immemorialis. Ita Bonifacius VIII. c. 1. *De præscript.* in 6. juncto c. 6. supra citato. Ratio est, quia *licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides, ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit; sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi; nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat.* Ita idem Bonifacius ib. atqui ex eodem Pontifice ib. & ex ratione, jus commune contrarium est ei, qui contra Ecclesiam Parochialem præscripsisse contendit; cum decimæ primario in favorem Pastorum institutæ sint: ergo.

Xx 2 Sed

* L'Eglise ayant perçu la dime d'une Paroisse pendant 30. années, a acquis une prescription lègitime contre le Seigneur Laique, qui tenoit auparavant cette dime comme infeodee. Un Laique, peut aussi prescrire la dime infeodée contre un autre Laique par l'espace de 30. ans. Ceux, qui sont sujets à cette dime en prescrivent aussi la quotité per le meme tems. Mais un particulier ne peut objécter an Décimateur Laique qu'il est en possession immèmoriale de ne point payer la dime de fruits qu'il recueille sur sour hèritage. *Et infra*: Les habitans ne peuvent oposer de leur chef la prescription au proprietaire de la dime infeodèe. *Ex his, si quid savio, sequitur decimas laicales, non a quocumque Laico, sed ab his solum, qui & ipsi decimas feudales habent, præscribi: unde Duperrai quæstionem his proponit verbis pag.* 333. Une autre especes est de sçavoir, si un Seigneur laique, qui a des dimes infeodèes, en peut prescrire contre un autre Laique.

Sed quid, si Parochiam, contra Parochiam præscriptione uti velit?

Scinduntur hic Canonistæ; alii decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes sufficere putant. Ita Covarruvias L. 1. Var. resol. c. 17. n. 8. Pirhing. h. t. n. 117. & alii non pauci. Rationem dant, quod in tali casu non resistat, sed assistat potius, cum expresse declaret in controversia, an decimæ ad hanc, vel illam Parochiam pertineant, standum esse consuetudini diu obtentæ, c. 18. & 20. h. t. atqui tempus decem annorum habetur pro diuturno, ex Lege Cod. *De præscript. longi temporis, &c.* ergo.

Alii tamen, & probabilius in hoc etiam casu requirunt 40. annos, cum bona fide, licet non cum titulo. Ratio est, quia licet non resistat jus præscribenti in hoc casu, unde fit, ut sola cum annis 40. sufficiat bona fides sine titulo; haud tamen cessat alia juris dispositio, quæ generaliter requirit, ut immobilia Ecclesiæ bona nonnisi annorum 40. spatio præscribantur.

Confirm. Ecclesia Parochialis non est in decimarum materia pejoris conditionis, quam alia quæcumque Ecclesia non Parochialis, vel pia causa, ut Monasterium, Capitulum, Hospitale, & similia: atqui, nec Clericus quivis privatus, nec Parochus, Capitulumve, aut alia causa pia, præscribere potest contra Ecclesiam non Parochialem, &c. quoad immobilia bona, nisi an. 40. spatio cum bona fide; secundum illud Alexandri III. c. 7. *De præscript. Illud autem te scire volumus, & tenere quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam annorum 40. Romana Ecclesia non admittit, licet quidam Canones*, quibus derogatum est posteriori jure, *comprobent tricennalem, &c.* ergo. Vide, si vacet, ea, quæ T. 1. diximus de Præscriptione, ubi & animadversum est quasdam esse Ecclesias, contra quas non valet 40. annorum præscriptio.

R. 2. ad id, ut Ecclesia decimas infeudatas præscribat, sufficere, & requiri possessionem 30. annorum sine titulo: cum titulo autem possessionem annorum 20. inter absentes, & annorum decem inter præsentes. Ita Hericourt n. 6. ubi has præscriptiones non ubique admitti subindicat; quod & patebit ex Majoris Concilii Decreto sub finem Sectionis 2. citando.

Quæres 3. an non alia, quam præscriptionis via comparari possit jus decimandi.

R. Jus illud juxta Decretales multis insuper modis acquiri: & quidem 1. Privilegio Rom. Pontificis, quo fit, ut Regulares multi, ac etiam Beneficiarii simplices pluribus in locis decimas percipiant.

2. Per transactionem, ut cum exorta lite, an Parocho, an Regularibus, aliisve Clericis debeantur hujus, vel illius loci decimæ, convenit inter litigantes, ut una pars Parocho, alia aliis cedat. Hic porro cavenda simoniæ labes, quæ in has conventiones facile irrepit. Cæterum, etsi juxta Fagnan in c. *Veniens* 8. *De transact.* aliosque complures nisi omnes, etsi, inquam, transactiones hujusmodi privata etiam auctoritate factæ, ipsos transactores ligant; haud tamen ligant successores eorum, si factæ sint absque auctoritate legitima Superioris, quia tunc *inter personas factæ potius, quam inter Ecclesias videntur*, eod. c. 8. *De transact.* unde *tantum suos obligant auctores, non etiam successores*, prout in simili ait Trident. Sess. 6. c. 4.

3. Per compromissum in unum, vel plures arbitros, quorum sententiæ stare debent, qui in decimarum causa litigantes, suam eis causam commiserint, ex c. 1. *De arbitris*. Quia tamen non decet, ut Laicus in talibus arbitretur, c. 8. eod. & Decretum est, *ut Laici negotia Ecclesiastica tractare non præsumant*, cap. 2. *De judiciis*, compromissarii e Clericorum grege eligendi sunt, nisi Seculares una cum Clericis in arbitros eligi permiserit Superior

rior Ecclesiasticus, c.9. *De arbitris*. Ideo autem Superioris Ecclesiastici consensus requiritur, quia ex compromisso hujusmodi sequi debet quædam Ecclesiastici boni alienatio, quæ ne indirecte quidem fieri potest absque consilio Ecclesiastici Superioris juxta id Reg. 39. in 6. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ex illo sequuntur*.

4. Permutatione, qua Ecclesia hæc cum illa decimas pro decimis, vel alio jure spirituali commutat. Arg. c. 6. & c. final. *De rerum permut.* Hic porro requiruntur etiam ordinariæ solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiarum necessariæ; quia permutatio inter alienationis species expresse numeratur, c. *Nulli* 5. *De reb. Ecclesiæ alienand.* &c.

SECTIO SECUNDA.

De Præscriptione passiva.

TRia hic præcipue veniunt discutienda, 1. an, & quousque, qui decimis obnoxii sunt, contra decimæ Ecclesiasticæ pensitationem præscribere valeant; 2. an idem possint contra decimas infeudatas, quod possunt adversus Ecclesiasticas; 3. quo tempore præscribatur immunitas ab onere decimarum, posito quod præscribi possit. Circa quæ

Dico 1. si decimæ spectentur materialiter, præscribi non possunt; si formaliter possunt quidem præscribi stando in jure naturali; at positivo regni jure præscribi, ut plurimum prohibentur, nisi quoad quotam, & id raro.

Prob. 1. pars. Decimæ materialiter sumptæ, sunt ex dictis stipendium Ecclesiæ Ministris ad legitimam eorum sustentationem debitum: atqui contra stipendii hujus debitum præscribi non potest; quia contra onus jure naturali impositum præscribi nequit: ergo.

Prob. 2. pars. Decimæ formaliter acceptæ, sunt certa certorum fructuum portio: atqui contra portionis hujus solutionem præscribi potest stando in jure naturali. Ad id enim satis est, ut portio illa neque naturali lege, neque divina præcepta sit: atqui rem ita se habere probabilior est multorum contra paucos opinio. Unde, nec prioribus Ecclesiæ sęculis pendebantur decimæ formales, nec hodiedum in Orientali Ecclesia pensitantur. Porro *durum esset dicere, quod omnes homines Italiæ, & Orientalium partium damnentur, qui decimas non solvunt*, ait S. Thomas Quodlib. 2. art. 2. Consonat id Lateranensis Concilii, c. 32. *De decimis*. *In aliquibus Regionibus quædam permixtæ sunt Gentes, quæ secundum suos ritus decimas de more non solvunt, quamvis censeantur nomine Christiano*, & infra: *Illæ decimæ necessario solvendæ sunt, quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata*. Ergo sic ubi obtineat consuetudo, ut decimæ non solvantur, nulla erit eas solvendi obligatio, nisi ex earum defectu necessaria sustentatione careant Ecclesiæ Ministri, quia tunc *debentur ex lege divina:* porro, si consuetudo a decimis eximat, eximet a fortiori præscriptio, nisi obsit lex positiva; cum consuetudo locum totum, præscriptio nonnisi privatos quosdam eximat. Atque hinc colliges Senatum Vesuntinum, qui decimas ex toto præscribi judicat; licet a consuetis Regni legibus recedat, haud tamen recedere a jure naturali. *Vid. Dunod. p. 102. & seq. 122. & seq.*

Obj. 1. Laici decimas active præscribere non possunt: ergo nec immunitatem ab eis. Prob. conseq. Ideo Laici jus decimandi præscribere non pos-

sunt, quia juris hujus sunt incapaces: atqui si præscriberent immunitatem a decimis, jam capaces essent juris decimandi. Reipsa enim decimas perciperent ex agris suis; cum decimas non solvere, idem sit, ac eas retinere, & sic ex prædiis suis percipere: ergo.

R. ad 1. neg. conseq. ad 2. neg. min. Sicut etiam non dicitur Parochus decimare agros suos, quia ex iis decimas non solvit, sic nec villicus a decimis liber, decimas e fundo suo percipere dici potest. Ratio est, quia nulli fructus decimarum rationem habent, quamdiu decima eorum pars non est separata, aut pro decimis designata.

Obj. 2. Si immunitas a decimis præscriptione acquiri potest, dicendum erit immunitatem hanc nihil habere spiritualis: atqui id falsum est; alioqui enim eadem immunitas vendi posset, & emi; quod admitti nequit.

R. non deesse, qui immunitatem a decimis vendi, & emi posse credant; ita inter alios, Moneta in materiis decimalibus celeber. Rationem dant, quod exemptio a decimis mera sit recuperatio libertatis a natura concessæ; vel, si mavis, emptio futurorum fructuum, quos quis e fundo suo præstare teneretur: porro, inquiunt, licet pretio recuperare libertatem suam, & fructus futuros emere.

Alii tamen plures ex adverso pugnant, & in hac venditione, nisi spirituale a temporali per auctoritatem Pontificiam separetur, simoniacam labem deprehendunt; quia venditor jure spirituali cedit pro temporali pretio; unde tam simoniæ reus est, quam qui jus patronatus venderet alteri. In hac tutiori sententia dicendum est ad objectionem propositam, 1. immunitatem a decimis legitima præscriptione comparatam nihil in se, vel in causa habere spiritualis; quia ex parte præscribentis, mera est recuperatio libertatis pristinæ; ex parte vero Parochi, merus est non usus, isque admodum gratuitus juris activi ad decimas; 2. eamdem immunitatem, si pecunia comparetur, pendere a causa spirituali; quia conceditur per renuntiationem positivam, nec sane gratuitam juri spirituali; unde cum emptio sit simoniaca, quoties simoniaca est venditio, neutra hic immunis esse potest a culpa. Secus ubi est sola præscriptio.

Prob. 3. pars, ex Regni hujus disciplina, secundum quam nemo in territorio decimis obnoxio sese ab eis immunem prætendere potest, allegata etiam immemoriali consuetudine. Hericourt n. 24. Fevret. L. 6. c. 2. n. 2.

Dixi 1. *ut plurimum*, quia in tractu Sequanorum, seu Burgundiæ Comitatu viget præscriptio decimæ etiam quoad substantiam, ut paulo ante annotavi.

Dixi 2. *nisi quoad quotam*. In utroque enim Senatu Divionensi, & Vesuntino, quisquis sufficienti tempore minorem, quam alii ejusdem loci incolæ quotam pensitavit, a graviori cœterorum portione liber judicatur. Quamquam existimat Dunod. p. 126. necessum esse, ut præsumi probabiliter possit, possessionem solvendi minorem quotam a titulo incœpisse.

In cœteris Galliis, ait idem Dunod. ibid. difficile posset privatus, immemoriali etiam adjutus possessione, suam a communi aliorum quota immunitatem tueri; quia viget apud nos effatum istud: *Una eademque res non debet diverso jure censeri*. Plura eam in rem Arresta refert Duperrai part. 2. c. 8. adversus privatos, qui ad solvendam communem loci quotam adacti fuere. Hæc regula fallere potest in decimis insolitis, juxta eumdem ibid. p. 360. & in minutis decimis juxta alios. Addit Simon apud Marechal Tom. 2. p. 109. Dominos Parochiarum admitti ad probandum, se minori, quam alios quota

ta

ta decimas solvisse. Quin & censet, eos, si partem decimarum possideant, præscribere posse immunitatem pro *dominio* suo; quia decimator, inquit, contra decimatorem præscribere potest. Hæc tamen ratio non est admodum efficax: quia in rebus diversi plane generis non valet illatio ab uno ad aliud: porro decimæ a Laicis possessæ prorsus differunt ab iis, quas percipiunt Clerici, qua tales. Hæ enim spirituales sunt; aliæ non item, unde sub commercium cadunt.

Dico 2. Si res in se spectentur, statuendum erit valere præscriptionem etiam ex parte Laicorum contra decimas laicales. Et quidem 1. debet id esse indubium in locis, ubi valet eadem præscriptio contra decimas Ecclesiasticas; 2. idem ubicumque admittendum videtur; quia decimæ eæ cum omnes secularium bonorum qualitates habeant, ita ut etiam vendi possint, debent eorumdem bonorum oneribus subjacere, ac proinde esse præscriptibiles. Quod enim ajunt in decimis feudalibus inspici primævam originem, quæ Ecclesiastica est, nihil habet solidi: cur enim ad removendam præscriptionem attendetur primæva rerum origo, & hæc eadem in cœteris flocci fiet.

Majoris forte est momenti, quod addit Duperrai, nimirum decimas feudales constituere partem census Dominicalis; hunc porro in Consuetudine Parisiensi, aliisque pluribus impræscriptibilem esse. Verum ratio hæc ad summum probaret pro locis ubi rejicitur quæcumque Dominicalium jurium præscriptio. Ut ut est, duo hic certa sunt, 1. paucos esse, qui contra Dominum feudalem decimas præscribere curent; quia quod non solverent Domino, hoc solvere tenerentur Parocho; juxta tritum id apud nos: *Nullam in Gallia solum sine decimis*; 2. judicatum esse, tum a Parisiensi Curia, tum a Majori Consilio immunitatem a decimis feudalibus præscribi non posse. Vide Duperrai 2. part. c. 6. p. 335. & c. 17. p. 478. & ex Arresto Majoris Consilii collige, ne a Monasteriis quidem privilegiatis contra decimas infeudatas præscribi; quia, inquiunt, Romanus Pontifex nullum cuipiam jus tribuere potuit in bona secularium, aut si tribuit, tribuit abusive. *Dunod p. 121.*

Dico 3. Ubi moris est, ut decimæ contra Ecclesiam ex toto, vel quoad quotam præscribantur a Laicis, opus est possessione immemoriali. Ita docet qui pleniorem consuetudinis hujus notitiam habere debuit J. Dunod p. 125. ubi & censet necessum esse, ut in utroque casu præsumi possit titulus.

At vero in cœteris Regni partibus ubi decima, ne quidem quoad quotam præscribi solet a privatis contra Parochos, vix, ac ne vix quidem sufficeret etiam Regularibus minime privilegiatis possessio ultra memoriam hominum inchoata. Ita an. 1660. judicavit Majus Consilium contra Monachos quosdam. Par fuit an. 1684. judicium Parisiensis Senatus contra privatum, qui Abbati cuipiam decimas recusabat, immemoriali nixus possessione; unde colligere est nihilo facilius præscribi per Laicos immunitatem a decimis contra Clericos quoslibet, quam contra Parochos. *Dunod p. 121.*

Quod si de Clericis contra Clericos sermo sit, & neutri Parochiale Officium habeant, extra dubium videtur, nisi aliter locali lege constitutum sit, posse ab iis præscribi decimarum exemptionem: si enim activum jus decimarum præscribere possint, quidni immunitatem a decimis? Tunc autem eodem temporis spatio ad utramque præscriptionis speciem opus esse videbitur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Decimis infeudatis.

QUæ fuerit prima feudalium decimarum origo, non omnino convenit inter eruditos. Alii decimas feudales censent primitus fuisse Jura regia, quæ a Principibus concessa fuerint iis, quorum obsequia remunerare voluerunt. Alii & melius, decimas eas existimant fuisse primo Ecclesiæ bona, quæ, vel a Principibus parum scrupulosis usurpata, vel iisdem, ut Ecclesiam tuerentur ad tempus concessa, ab iisdem servata aliquamdiu, tandem, & præcipue paulo post initium sæculi octavi a Carolo Martello sæcularibus tradita sunt. Et hæc opinio, ut Auctorum cujuscumque conditionis numero, sic & rationum pondere priorem vincit: 1. quia decimæ in Ministrorum sustentationem jam a Chrysostomi, Ambrosii, & Augustini tempore commendabantur, ut aliquid non ex mera prorsus decentia pendendum: quis vero fideles, necdum omnes ea ætate benefaciendi pertæsos, his exhortationibus aures cordis, & corporis præclusisse putet? 2. quia jam ante Carolum Martellum, qui circa ann. 741. facto functus est, decimæ Clericis ex præcepto reddebantur, ut patet ex Conciliis Turonensi, & Matisconensi II. sæculo sexto habitis; idemque ante Carolum Martellum pro ditionibus suis imperaverat Ina Angliæ Rex; 3. quia ubi animadversum est de decimis, perinde ac Laicis bonis disponi, seu, ut loquitur Paulus Emilius, *sacrum jus decimale viris militiaribus* tribui a C. Martello, undique reclamarunt omnium Ordinum Ecclesiastici, furtum, & injustitiam redarguentes: itane vero totius Ecclesiæ animos invaserat stupor, & vertigo, ut audacter diceret suum esse, quod constanti usu suum non erat, sed regium? Plura id genus videris apud Duperrai 1. p. c. 3. His præmissis,

Quæres 1. an decimæ feudales tuta conscientia retineri possint.

R. ex vulgari regula hodie ubique recepta decimas infeudatas licite retineri posse a Laicis, qui eas possederint ante Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. habitum an. 1179. supponit, id Alexander IV. cum c. *De decim.* in 6. ait: *Illas decimas intelligimus posse a Religiosis de manibus Laicorum recipi, vel acquiri, quæ ante Lateranense Concilium ipsis Laicis in feudum perpetuo fuere concessæ.* Res quidem stricte expensa non minimum habet difficultatis: sed quid facto melius, quam tritam a cunctis pene sapientibus viam ingredi. Accedit, quod decimæ olim alienari justis de causis potuerint, ut etiamnum possunt; unde cum veteres tituli, ut plurimum, sive incendio, sive Anglorum deprædatione perierint, non raro fieret, ut bonæ fidei possessor, tanquam invasor alieni boni ad restitutionem cogeretur.

Quæres 2. quomodo probetur decimarum infeudatio.

R. id probari, vel ex ipso infeudationis titulo, qui Concilium Lateranense præcesserit; vel, quod ob veterum titulorum excidia merito admittitur, ex possessione immemoriali, non quacumque, sed quæ, nec vi, nec clam, nec precario, nec quopiam contradicente habita sit, & feudalis esse constet ex veteribus investituris. Unde viget id apud nos: *L'infeodation se prouve par des aveux, foi, & hommages, reprises en denombremens, avec une possession centenaire.* Duperrai p. 455. Dunod p. 24.

Quæres 3. an decimæ ad Ecclesiam reversæ ad primigeniam suam institutionem revertantur.

R. af-

R. affirm. si quidem sermo sit de decimis, quæ pure, & simpliciter ad Ecclesiam redeant: eæ enim ex tunc, & deinceps censentur res mere Ecclesiasticæ, etiamsi certo constet eas jure infeudationis pertinuisse ad Laicos. Ita declaravit S. Ludovicus apud Molinæum in Consuetud. Parif. §.68. n. 21. hinc, teste eodem Molinæo, decima hujusmodi jam est a jurisdictione Sæculari immunis; sive remittatur Ecclesiæ Parochiali, ad quam de jure communi spectat, sive alii Ecclesiæ, vel Collegio Ecclesiastico. Neque tunc requiritur licentia Regis, nec debentur ulla *amortisationis* jura, ut ex Loveto notat Van-Espen c. 4. n. 44. addit idem n. 45. ex Chopino pluries judicatum fuisse decimas feudales, si Ecclesiæ vendantur, non subjici retractui Gentilitio.

Quod si Laicus decimam suam Ecclesiæ tradat in feudum, & cum onere feudali erga tradentem: item si decimale feudum ad Ecclesiam transeat non per se, sed cum prædio temporali, cui annexum est, tunc decima, etsi sive per se, sive cum universitate prædii amortisata, semper remanet feudalis, & profana; quia non possidetur ecclesiastice, sed sæculariter.

Quæres 4. an, si qua hodie fiat decimarum Ecclesiasticarum alienatio, vel infeudatio cum requisitis conditionibus, hæc licita sit.

Negat Van-Espen ibid. n. 48. sed citat Hericourt n. 47. Senatus Consulta duo; quibus, qui etiam post Lateranense Concilium decimas oneroso titulo, & cum debitis solemnitatibus comparaverant, in earum possessione confirmati sunt.

Quæres 5. quis sit rerum decimalium Judex.

R. Ecclesiasticum Judicem de petitorio jus dicere, Sæcularem vero de possessorio. Verum pene semper in hisce partibus absorbetur petitorium a possessorio; quia cum possessorium jam judicatum est, non licet Ecclesiastico Judici Sæcularis judicium reformare. *Vide Brunetum Tract. de Procurat. Officialis, p.* 522.

Cur autem possessorii cognitio ad Judicem Sæcularem deferatur, rationes has reddit Fevretus in Tract. de Abusu Lib. 6. c. 2. n. 7. 1. quia possessio est quid facti, ad ea autem, quæ sunt facti, Judicis sacri potestas non extenditur; 2. quia Regis est, ejusve Judicum eos, qui bonis suis spoliati sunt, restituere; 3. quia Ecclesia ne indirecte quidem ad damna, & interesse condemnare potest. Nihilominus judicium de petitorio non ubique est idæa chimerica, ut videre est apud Dunod pag. 145.

AP-

APPENDIX

De Propositionibus ad moralem disciplinam spectantibus

Ab Apostolica Sede, & Clero Gallicano condemnatis.

CUM præsens Volumen paucula quædam adhuc complecti possit; existimavi me rem Lectori, nec injucundam, nec certe inutilem præstiturum esse, si Propositiones, quæ, vel nimia laxitate, vel severitate nimia censuram promeruerunt, hic eo fere ordine recenserem, quo a Romanis Pontificibus proscriptæ fuerunt. Ne vero censuræ gradus, & motiva, ab omnibus facile non perciperentur; notas, seu ut ajunt, *qualificationes* pluribus earum a Gallicano Clero in generalibus anni 1700. Comitiis inustas, ad uniuscujusque Propositionis calcem retuli, & adjunctis quibusdam, præsertim D. Thomæ testimoniis demonstravi vix ullam earum esse, quæ a Doctore Angelico, cujus est, & esse debet summa in moralibus auctoritas, jam pridem non fuerit reprobata. Quod antequam exequar, brevem qualificationum, quæ ab Ecclesia adhiberi solent, notitiam præmittere placuit, itaque

Propositio hæretica est ea, quæ directe, & immediate adversatur veritati a Deo revelatæ, & per Ecclesiam propositæ.

Propositio erronea ea est, quæ opponitur veritati, quæ licet in se immediate revelata non sit, certo tamen eruitur ex Propositionibus, quarum alia est de fide, alia evidenter constat ex lumine naturali.

Propositio hæresi proxima est ea, quam major, & sanior Theologorum pars ex Scriptura, aut Traditione judicat esse hæreticam; etsi absolute, & simpliciter non audeat pronuntiare eam esse hæreticam, eo quod graves quidam Theologi contendant censuram hanc eidem inuri non debere.

Propositio hæresim sapiens ea est, quæ licet sensus sani, & pravi capax sit, attamen sensum pravum, sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum loci, temporis, & personarum, prævalentem involvit, vi cujus nata est grandem suspicionem, & probabile judicium de hæresi ingerere.

Propositio de hæresi suspecta, est ea, quæ licet catholici, & heterodoxi sensus capax sit, præbet tamen, sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum, fundamentum sufficiens, non quidem ad judicandum probabiliter, quod auctor sit hæreticus, sed solum ad id prudenter, & sine temeritate suspicandum.

Ex his intelligi potest, quid sit Propositio proxima errori, vel sapiens errorem, vel suspecta de errore. *Sicut ergo*, ait Lugo disp. 20. de Fide, sect. 3. n. 90. *si quis neget propositionem, quæ plerisque*, vel fere omnibus, *videtur esse de fide, nec posse sine hæresi negari, propositio* ejus *dicitur hæresi proxima: sic quando negatur propositio, quæ plerisque videtur esse conclusio theologica, nec posse sine errore negari, propositio negans erit proxima, cum eadem omnino sit cum proportione ratio*, &c.

Propositio male sonans, juxta Polmanum, est Propositio opposita circumspecto sermoni, in argumento cum hæreticis controverso.

Propositio piarum aurium offensiva, juxta eumdem, est ea, quæ cultui Dei, vel Sanctorum adversatur.

Alii tamen, ut Melchior Canus, Card. Laurea, Turrecremata, & Panormo,

mo, Propositionem male sonantem cum Propositione piarum aurium offensiva confundunt; juxta eos autem Propositio male sonans, aut piarum aurium offensiva est ea, quæ quamvis bonum in sensum flecti queat, pravum tamen habet sensum sano, & catholico prævalentem; vel circa agenda; vel si circa credenda, non sic ut sensus prævalens sit omnino hæreticus, sed aliqua infra hæresim pravitate infectus. Hæc postrema divisio necessaria est, ut Propositio male sonans ab ea distinguatur, quæ hæresim sapit.

Propositio temeraria ea est, ait Illust. Bossuetus in Defensione declarat. Cleri Gallic. par. 1. lib. 3. cap. 3. quæ nove, insolenter, & audacter nulla Doctorum auctoritate dicitur. Seu, ut ajunt alii, quæ in materiis Theologicis, vel communi SS. Patrum doctrinæ, vel constanti Theologorum sententiæ contradicit absque gravi rationis, vel auctoritatis fundamento.

Propositio scandalosa est ea, quæ dat occasionem ruinæ spiritualis, sive inclinando ad peccatum, sive avertendo ab exercitio virtutis.

Propositio schismatica est ea, quæ viam scissioni unitatis Ecclesiasticæ aperit, retrahendo scilicet fideles ab obedientia debita Superioribus Ecclesiasticis, ac præcipue Romano Pontifici totius Ecclesiasticæ unitatis centro; sive negando eum esse Ecclesiæ caput, & tunc Propositio est schismatice hæretica; sive simpliciter ipsi, ejusque legibus obedientiam denegando, non ex deceptione mentis, quæ ab eo auctoritatem excludat, sed ex aliquo passionis, odiive impetu, & motivo; & tunc Propositio est simpliciter schismatica.

Propositio seditiosa est ea, quæ ab obedientia Principibus sæcularibus debita retrahit, & ad excitandos in Republica tumultus conducit. Propositiones hujusmodi, qua parte Principes respiciunt, a quibusdam vocantur *rebelles*: qua vero parte respiciunt cives, eorumque scissuram important, vocantur *seditiosæ*.

Propositio blasphema ea est, quæ continet convicium, & irreverentiam contra Deum, vel in se ipso, vel in Sanctis ejus. *Sicut* enim *Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit: ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti redundat in Deum*, ait S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. Propositio blasphema aliquando hæreticalis est, ut si quis videns malos bonis affluere, diceret Deum injustum esse; aliquando non, ut si quis falsi aliquid dicat contra Deum, sed quod expresse, & immediate fidei non repugnet.

Propositio divinæ pietati derogans non distinguitur specie a Propositione blasphema.

Propositio impia est ea, quæ aufert, vel imminuit pietatem, & gratitudinem debitam, sive Deo, ut supremo nostrum omnium Patri, sive parentibus, consanguineis, Superioribus, & benefactoribus.

Propositio injuriosa, seu contumeliosa in hoc differt a blasphema, quod hæc Deo; illa autem alicui, vel statui, vel personæ extra Deum injuriam inferat.

Propositio captiosa est ea, quæ sub specie veritatis, aut pietatis in errorem inducit. Talis erat hæc Arianorum Propositio in Concilio Ariminensi: *Si quis dixerit Filium Dei esse creaturam, ut sunt cæteræ creaturæ, anathema sit.*

Propositio Dei verbo contraria est ea, quæ opponitur veritati revelatæ quidem, sed quæ nondum ut talis supremo Ecclesiæ judicio definita est.

Propositio falsa juxta quosdam ea est, quæ objecto suo dissentit dissensione fidei nociva; juxta alios vero, & melius, ea est, quæ connexionem neces-

necessariam habet cum Propositione expresse damnata, quæcumque tandem sit censura, quæ huic Propositioni inusta est: & in hoc differt a Propositione erronea, quæ necessariam habet connexionem cum Propositione, non quomodocumque damnata, sed damnata expresse, ut hæretica. His præmissis, quæ solide, sed late prosequitur Auctor *Prælectionum contractarum*, jam sigillatim recensendæ sunt variæ Propositiones laxiorum, vel rigidiorum Casuistarum, quæ a variis Pontificibus damnatæ fuerunt.

Propositiones viginti octo ab Alexandro VII. damnatæ, die 14. Septembris, anno 1665. ut minimum tanquam scandalosæ.

I. HOmo *nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

De eadem sic Clerus Gallicanus in sua censura an. 1700. quarta Septembris. *Hæc Propositio est scandalosa, in praxi perniciosa, erronea, fidei, & Evangelii oblivionem inducit.*

Repugnat D. Thomæ 2. 2. q. 44. art. 2. ad 1. ubi sic: *Dantur præcepta de actibus virtutum*: atqui præcepta hæc specialia sunt, & specialiter obligant. Eadem enim est omnium virtutum Theologicarum ratio: atqui ex eodem S. Thoma 1. 2. q. 100. art. 10. *Actus charitatis cadit sub præceptum legis, quod de hoc specialiter datur*: ergo.

Et vero fides specialiter præcipitur Hebr. 11. his verbis: *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est*; & Joan. 1. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus*. Spes præcipitur Psal. 4. *Sperate in Domino*. Charitas Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum*; & alibi toties, ut lex tota ad præceptum charitatis quadantenus revocari videatur; ergo tenetur fidelis ad actus virtutum Theologicarum, non solum per accidens, puta cum eos elici necesse est, ut vitetur grave aliquod peccatum, quod nemo unus negavit; sed per se, & ex vi specialis præcepti. Vide, quæ diximus, ubi de primo Decalogi præcepto.

II. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Censura Cleri Gallicani: *Doctrina hac Propositione contenta falsa est, scandalosa, contraria juri divino, & humano, tam ecclesiastico, quam civili, imo & naturali.*

Repugnat Concilio Tridentino, quod *detestabilem duellorum usum fabricante diabolo introductum* esse declarat Sess. 25. cap. 19. quæ sane declaratio vix quidquam prodesse potest, si duellum ad evitandam timiditatis notam acceptare liceat, quia semper notam hanc verebuntur homines mundani. Vide dicta ad quintum Decalogi præceptum.

III. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 2629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.*

Patet ex hujus Propositionis censura, quid faciendum in praxi. In hac enim materia, aliisque similibus mere positivis, sufficit pro omni expositione declaratio S. Sedis explicantis Constitutiones suas.

IV *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

Re-

Repugnat D. Thomæ in Suppl. q. 20. art. 2. *Potestas Ordinis*, ait, *quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda: sed, quia ad usum hujusmodi potestatis requiritur jurisdictio, quæ a majoribus in inferiores descendit, ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus inferiori judicium non committat*, & iterum: *Quandoque est consuetudo in aliquo Episcopatu, quod enormia crimina ad terrorem reserventur Episcopo*: ergo Prælati Regulares, absque Superiorum Ecclesiasticorum consensu, a censuris reservatis absolvere non possunt. Porro potestas absolvendi ab hæresi etiam occulta nedum Sæculares, sed etiam subditos suos, jam non competit Regularibus, prout declaravit Sacra Congregatio an. 1628. de quo consule Dominicum Vivam in examine hujus propositionis. Vide etiam, quæ dixi, ubi de præcipuis Regularium obligationibus.

V. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

Repugnat D. Thomæ 2. 2. q. 37. art. 7. in corp. *Quædam peccata*, ait S. Doct. *occulta sunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel spiritvale, puta si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines a fide avertat*, ut avertere solet id hominum genus, quorum sermo, ut cancer serpit: *& quia ille, qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur*. Tunc autem non requiret discretus Judex, ut probes, sed ut criminis indicia declares, & exponas. Vide, quæ dixi in Tract. de Chr. ubi de Correct. fraterna, & ad octavum Decalogi præceptum.

VI. *Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

Hæc Propositio puerili distinctione denuntiandi necessitatem eludit; quia vero hæc necessitas fundatur præsertim in Bulla *Universi* a Gregorio XV. emissa die 30. Augusti an. 1622. quæ in Gallia promulgata non est, idcirco non est, quod fusius hic immoremur. Vide pauca quædam in nostro de Charitate Tractatu, loco mox laudato.

VII. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

Eadem est ratio Propositionis hujus, quæ præcedentis; an enim sollicitans, qui sollicitati confessionem excipit, potest eum eximere a lege eidem per Superiores legitimos imposita. Mera igitur sunt hæc subterfugia ad eludendas Superiorum leges.

VIII. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.*

In hac Propositione regnat auri sacra fames omnibus Christianis, præcipue vero Sacerdotibus severe interdicta. Veritas censuræ hinc patet, quod Ecclesia, quæ ut continuo, & indefesse loquitur Doctor Angelicus errare non potest, non patiatur, ut Sacerdos de specialissima Sacrificii parte pro nutu disponere, eamque a se pro nummis ablegare possit: cum ex ejusdem Ecclesiæ præcepto pro se Missam offerre debeat, ut patet ex his Offertorii verbis: *Pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis meis*. Præiverat Apostolus Hebr. 7. ubi docet, Sacerdos *necessitatem* habere, *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*

IX. *Post*

IX. *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

Hæc Propositio titulo duplici reprobanda, 1. quia justitiam lædit. Quo enim titulo Sacerdos collato alteri minori stipendio alteram stipendii partem sibi retinet? 2. quia negotiationem importat Clericis in materia etiam profana, & a fortiori in materia sacra prohibitam, prout docet S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3. Hinc colligunt Viva, & alii accuratiores, eum, qui per alium celebrat, teneri ex justitia ad conferendum eidem stipendii excessum, quem penes se, & nullo ex titulo servaverat.

X. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem; etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Hæc Propositio repugnat his D. Thomæ verbis in Supplem. q. 71. art. 14. ad 2. *Suffragium* Missæ *distributum in multos minus prodest singulis, quam prodesset, si fieret pro uno tantum.* Repugnat etiam rationi, quia quidquid sit de participatione unius, ejusdemque Sacrificii in plures distributi, certe stipendium non datur Sacerdoti tanquam pretium fructus Sacrificii, sed tanquam aliquid a lege, vel consuetudine statutum ad Ministri sustentationem: porro nulla lex permisit unquam plura pro uno Sacrificio recipi stipendia, sed id omni, & quocumque tempore in Ecclesia Christi inviolate prohibitum est; & multo magis cum intervenit promissio contraria, juramento confirmata.

XI. *Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est temeraria, erronea, & confessionis integritati derogat.*

Repugnat expressissimis D. Thomæ verbis in Suppl. q. 10. art. 5. ad 3. *Aliquis tenetur iterum confiteri, cum ad memoriam peccatorum venerit. Sicut pauper* (q. 2. art. 3. ad 2.) *qui non potest solvere, quod debet, tenetur, cum primo potest.* Quid efficacius ad perimendum hujus Propositionis errorem? Et vero, ait Viva, se habet secundum quid ad secundum quid, sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ergo sicut, qui nullatenus peccata deposuit, eadem licet per sinceram contritionem sibi dimissa deponere tenetur, quam primum potest; ita & ea quis deponere tenetur, quæ sibi e memoria exciderant, & deinceps animo occurrunt.

XII. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

Censura Cleri Gallicani: *Doctrina hac Propositione contenta falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, in hæresim, & schisma inducens, Concilio Tridentino contraria, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructiva, invalidis confessionibus viam aperit, jam olim a summis Pontificibus, & a Clero Gallicano damnata.*

Vide, quæ dixi supra contra Propositionem quartam. Vide & locum, ad quem remisi.

XIII. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste probato.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ Propositionis præcedentis. Vide, quæ dixi, ubi de obligationibus Regularium.

Hæc Propositio id habet insuper mali, quod Mendicantes scientiæ suæ

Ju-

Judices constituat, ac proinde Judices in propria causa, quo semel posito jurisdictio omnis, & subordinatio penitus subvertitur.

XIV. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.*

Censura Cleri Gallic. *Haec Propositio temeraria est, erronea, sacrilegio favet, & praeceptis Ecclesiae illudit.*

Repugnat rationi, quae satis docet non magis impleri praeceptum confessionis per confessionem voluntarie nullam, quam praeceptum restitutionis per exhibitionem monetae falsae. Repugnat etiam S. Thomae, secundum quem ad poenitentiam requiritur *ex parte ipsius, qui suscipit Sacramentum .... contritio*, quae *est de essentia* Sacramenti. Quaero autem, an contritio voluntarie nulla, & sacrilega fit de essentia Poenitentiae. Vide, quae dixi, ubi de Praecepto quarto, & quinto Ecclesiae.

XV. *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

Repugnat D. Thomae 3. par. q. 90. art. 2. *Requiritur ex parte poenitentis*, ait S. Doctor, *quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione.* Sane ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 8. *Poenae satisfactoriae magnopere a peccato revocant, & quasi fraeno quodam poenitentes coercent ... medentur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actibus tollunt*: atqui ii effectus saltem ex praecipua sui parte haberi non possent, si sufficeret poenitentiam uni impositam, per alium impleri. Quanta inde iis praesertim, qui opum divites sunt, peccandi, & numquam satisfaciendi facilitas!

XVI. *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Censura Cleri Gallic. *Haec Propositio est falsa, temeraria, Concilio Tridentino contraria.* Quod proinde consulendum est praesertim Sess. 23. c. 15. ubi decernitur, *nullum etiam Regularem posse confessiones Saecularium etiam Sacerdotum*, ac proinde etiam Parochorum *audire, nec ad id idoneum reputari, nisi, aut Beneficium Parochiale habeat, aut ab Episcopis idoneus judicetur, & approbationem obtineat.* Et vero, ne ipsis quidem Episcopis extra propriam Dioecesim versantibus licet sibi in Confessarium eligere Sacerdotem, qui approbatus non sit, prout re diu graviter expensa definiit Gregorius XIII. apud Vivam hic n. 7.

XVII. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice, coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.*

Censura Cleri Gallic. *Haec Propositio est scandalosa, erronea, Decalogo aperte repugnat, caedibus patrocinatur, & Magistratibus, ipsique humanae societati certam perniciem intentat.* Haec ipsa Cleri censura suam secum probationem trahit. Vide, quae dixi ad quintum, & octavum Decalogi praeceptum.

XVIII. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quae praecedentis. Et vero, ubi apud eos, qui homicidam hanc Propositionem evomuerunt, ubi, inquam, patientia Christiana? ubi illud Christi: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes!* ubi moderamen inculpatae tutelae a Theologis omnibus requisitum?

XIX.

XIX. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est erronea, crudelitatem, privatamque vindictam approbat.*

Repugnat & rationi, & auctoritati. D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 3. *Principibus habentibus publicam auctoritatem solum licet malefactores* (quibus sane annumeranda est adultera, quæ juxta legem Moysis lapidanda erat) *occidere, non autem privatis personis*, qualis est maritus relative ad vitam uxoris. *Vir* enim *non est Judex uxoris, & ideo non potest eam interficere, sed coram Judice accusare*; in Supplem. q. 60. art. 1. ad 1. ubi quæstionem hanc ex professo versat Doctor Angelicus. Præiverat Augustinus L. 2. de Adult. conjug. ubi occisionem hanc vocat *rem nefariam*, & merito, tum quia non licet quemquam inauditum damnare, cum Deus ipse Adamum audire voluerit, dicens: *Adam ubi es*? Forte enim innoxia est uxor, & a stupratore oppressa; tum quia si rea sit conjux, & sponte successerit libidini, in æternum damnabitur, quo malo nullum esse gravius potest.

XX. *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio falsa est, temeraria, cavillatoria, ac præceptis Ecclesiasticis illudit.*

Et vero, quia pœnæ non arbitrariæ, sed ipso naturali jure impositæ, obligant independenter a sententia Judicis: atqui restitutio ab iis facienda, qui horas omisere, non solum Ecclesiæ legibus, sed ipso naturali jure imposita est. Quia ipso naturæ jure constitutum est, ut qui ex pacto ad aliquid faciendum tenetur sub certis conditionibus, nihil acquirat, quando iisdem conditionibus deest. Vide, quæ dixi in Tract. de Religion. par. 2. cap. 2. n. 3. sect. ult. & in Tract. de Legibus cap. 5. ubi de Lege pœnali.

XXI. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.*

Repugnat D. Thomæ quodlib. 1. quæst. 7. art. 1. *Præbendatus debitum, quod debet Deo, per se ipsum debet exsolvere*; si per se ipsum debet: ergo non sufficit, ut per alium. Nec nocet, quod Propositio loquatur de Beneficiario studiis vacante. Neque enim Officii sancte recitati pensum, studiorum fructus retardare potest; cum Dei benedictionem inducat. Certe si juniores Beneficiarii non satis haberent intervalli, ut magnum Ecclesiæ Officium recitarent, non deberent ab eo propria auctoritate abstinere, sed recurrere ad Episcopum, qui in his casibus non dispensat absolute, sed solius B. Virginis Officii recitationem indulget; prout diximus eodem T. 1. ubi de recitatione Officii.

XXII. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, hæresim simoniacam, sacra Scriptura, Canonibus, & Pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis, sive intentionis directionem inducit.*

Repugnat primis Christianismi principiis. Certe si semel stet non vendi

Be-

Beneficium, quia solum venduntur temporalia ejus emolumenta, jam nec ipse quidem Giezi simoniæ reus judicari potest. Longe aliter S. Th. q. 100. art. 4. *Beneficia*, inquit, *Ecclesiastica*, quoad fructus temporales *nullo modo vendere licet, quia eis* fructibus *venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici*. Vide, quæ passim dixi in Tract. de Simonia cap. 3. concl. 2.

XXIII. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.*

Censura Cleri Gallicani: *Doctrina hac Propositione contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, Ecclesiasticorum mandatorum incuriam inducit, jejunii leges pravis artibus eludit.*

Repugnat saniorum quotquot fuerunt Theologorum judicio. Apud eos enim omnes receptum est istud S. Th. 1. 2. q. 96. art. 4. *leges* non Ecclesiasticæ solum, sed & civiles, *habent vim obligandi in foro conscientiæ*, ac proinde per se, & ex natura rei, & secluso contemptu: ergo peccat mortaliter qui eas in materia gravi infringit. Vide, quæ dixi in Tract. de Legibus, cap. 5. art. 1. sect. 5. punct. 2. Vide, & Tom. I. ubi de Temperantia.

XXIV. *Molities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.*

Hæc adeo horrenda sunt, ut refutatione non indigeant: *Inter vitia, quæ sunt contra naturam*, ait S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 12. ad 4. *infimum locum tenet peccatum immunditiæ*, seu mollitiei, *quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum: gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species ... post hoc autem est vitium sodomiticum, cum ibi non servetur debitus sexus*. Vide, quæ dicta sunt ad sextum Decalogi præceptum.

XXV. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto; dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Repugnat vel ipsi rationi. Quasi vero fornicatio non sit crimen majus simplici tactu etiam mortaliter malo; quasi quoque forsnicatio non pariat effectus, circa quos pœnitentem interrogari necesse est, puta, an ex ea subsecuta sit proles, an & cujus dispendio enutriatur, an virgo deflorata fuerit, &c. Vide, quæ dixi in loco mox citato.

XXVI. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio falsa est, perniciosa, verbo Dei contraria, & Judicum corruptelas inducit.*

Longe aliter D. Thomas 2. 2. q. 71. a. 4. ad 3. *Justitia*, inquit, *non declinat in unam partem magis, quam in aliam*: ergo ubi plena est utrinque æqualitas, plenum servare debet æquilibrium, absque eo, quod statera ejus in unam potius, quam in aliam partem, auri pondere inclinetur. In hoc ergo casu id agere debet Judex, ut partes amice conveniant, aut, ut rem de qua litigatur, ex æquo dividant inter se. Vide in Tract. de Judicum obligationibus.

XXVII. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio quatenus silentium, & tolerantiam pro Ecclesiæ, vel Sedis Apostolicæ approbatione statuit, falsa est, scandalosa, saluti animarum noxia, patrocinatur pessimis opinationibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam, viam parat.*

Hæc Propositio ex omni parte peccat, & quidem 1. quatenus juniorum Libros, veterum placitis præponere videtur, contra id S. Cœlestini I. Epist. 1. *desinat novitas lacessere vetustatem*; 2. quatenus supponit Apostolicam Sedem tacito assensu probare quidquid solemni judicio non improbat. Quasi vero, vel omnia, quæ singulis diebus exurgunt opinionum portenta, singulis diebus configere possit, vel pudendas eas approbaverit, aur permiserit opiniones, quæ a Theologis primum, deinde ab Episcopis reprobatæ, tandem ab ipsis Romanis Pontificibus crescente malo confixæ sunt. Et vero Innocentius XI. & Alexander VIII. in Decretis suis monent, non censendas esse approbatas alias Propositiones ibi non expressas, etiamsi Sedi Apostolicæ exhibitæ sint, ut damnentur; 3. quia cum nulla pene sit Propositio tam horrenda, quæ approbatores suos non habuerit, nulla quoque erit laxitas, quam practice sequi illicitum sit.

XXVIII. *Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio seditiosa est, Apostolicæ doctrinæ; ac dictis Dominicis aperte contradicit.*

Et vero Luc. 20. ait Christus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Et Rom. 13. ait Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ... itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Vide, quæ dixi in Tractatu de Leg. c. 5. art. 1. sect. 1.

Damnatæ ab eodem Pontifice Propositiones 17. laxiores, ut minimum tanquam scandalosæ, *die 18. Martii 1666.*

XXIX. *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XXIII.

" Idem etiam motivum, quia, qui sæpius modicum quid comedendo ad notabilem quantitatem devenit, se habet, ut, qui sæpius modicum quid furando, ad gravem summam pervenit; & is utique gravis tandem peccati reum se constituit. Vide quæ dixi Tom. I. sive de Temper. art. 2. sect. 4. sive de Just. c. 4. a. 3.

XXX. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis. Vide, quæ dixi eodem Tom. I. ubi de Temperantia.

XXXI. *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XXIII.

Utramque hanc Propositionem prædamnavit Angelus Scholæ 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. his verbis: *Si immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas dietas*, pedestres nimirum, vel onerosas *faciendi, vel etiam multum laborandi ... & simul cum hoc non possint Ecclesiæ jejunia observari; non obligatur homo ad jejunandum:* ergo a jejunio non excusantur ii, de quibus agunt prædictæ Propositiones. Vide, quæ dixi ubi de Temperantia art. 2. sect. 3.

XXXII. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova; & lacticinia in Quadragesima, obliget.*

Repugnat D. Thomæ v. 2. q. 147. art. 8. ad 3. *In quolibet jejunio*, ait S. Do-

S. Doctor, *interdicitur esus carnium, in jejunio autem Quadragesimali interdicuntur ova, & lacticinia*: ergo evidens est ab ovis, & lacticiniis per Quadragesimam esse abstinendum iis in locis, ubi huic consuetudini ex generali, vel speciali Superiorum dispensatione derogatum non est: sicut ei quoad lacticinia in Gallia derogatum est. Quamquam & multæ sunt in hoc Regno Diœceses, in quibus modica pecuniæ summa pro lacticiniorum redemptione a singulis solvitur, ut in Diœcesi Boloniensi.

XXXIII. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.*

Propositio plane absurda, non enim magis restituuntur fructus injuste percepti, per eleemosynas præcedentes, quam bono pauperi ereptum eidem restitutum censeatur per eleemosynas eidem, vel alii cuilibet antea factas. Et vero eleemosyna de se gratuita est, quod autem gratuito datur, justitiæ debitum non expungit.

XXXIV. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

Propositio falsa, quia sola Officii præscripti recitatio satisfacere potest, nisi quandoque excuset bona fides aliud pro alio recitantis; quo etiam in casu compensanda venit Officiorum inæqualitas. Vide, quæ dixi in Tract. de Religione, ubi de Officio divino.

XXXV. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.*

Eadem, quæ in præcedentibus absurditas; quasi nempe unius, & integri Officii recitatio, unicuique diei per Ecclesiam affixa non sit. Vide hic uberes, sed amaros probabilitatis fructus; certe stando in Propositione XXIII. superius relata, poterat unusquisque practice sequi opiniones mox adductas ante judicium Sedis Apostolicæ; sunt enim omnes non in uno solum, sed & in pluribus Libris juniorum.

XXXVI. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XII. idem, & censuræ motivum.

XXXVII. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

Fictitia erat hæc revalidatio, atque etiamsi genuina fuisset, jam non esset in vigore post censuram hujusce Propositionis, quæ novam prædictarum Indulgentiarum revocationem importat.

XXXVIII. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.*

Censura Cleri Callic. *Hæc Propositio est falsa, perniciosa, apertum Concilii Tridentini Decretum intervertit.*

XXXIX. *Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XXXVIII.

Æquitas censuræ utriusque Propositionis ex sola Tridentini Concilii lectione manifesta est, & aperta. Sane vero quis unquam id fieri *quamprimum* contendet, quod aliquando ad unum vel alterum mensem protraheretur.

XL. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem, carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Repugnat D. Thomæ 2. 2. q. 154. art. 5. *Oscula*, inquit, *sunt peccata mortalia, secundum quod libidinosa sunt*: atqui oscula ob delectationem carnalem,

lem, vere sunt libidinosa; & falsum supponunt, qui ea a periculo consensus ulterioris secludi supponunt. Quare enim placet osculum, nisi quia stimulat, & rapit cor hominis in id, ad quod de se, & propriæ corruptionis pondere vergit, & inclinatur. Vide hæc late, & latius fortassis expensa, ubi de sexto Decalogi præcepto.

XLI. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ab oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illa nimis ægre viveret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, hæretica, aperte repugnans præcepto Christi jubentis manum, pedem, oculum quoque dextrum scandalizatum abscindere, & projicere.*

Hæc Cleri censura suam secum probationem habet omni majorem exceptione. Vide, quæ dixi in Tractatu de Peccatis, ubi de occasione proxima.

XLII. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio, in qua mutato tantum mutui, & usuræ nomine licet res eodem recidat, per falsas venditiones, & alienationes, simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes, & fraudes vis divinæ legis eluditur, doctrinam continet falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto, ac non scripto contrariam, jam a Clero Gallicano reprobatam, Conciliorum, ac Pontificum Decretis sæpe damnatam.*

Ratio Censuræ est, quia obligatio non repetendæ sortis ad certum tempus, est mutuo intrinseca. Vide, quæ fuse dixi Tom. I. in Tract. de Contractibus part. 2. cap. 3. art. 3. concl. 3.

XLIII. *Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquam per decem annos.*

Existimarunt aliqui cum Soto, animas, ut ajunt, *purgantes*, ultra annos decem non torqueri, quæ cerebri feriantis imaginatio, Propositionis præcedentis fundamentum erat; verum hæc ab omnibus rejecta est: qui ergo legata in perpetuum habent, eadem in perpetuum implere tenentur ex justitia, quia pacta legitime sancita prorsus servari necesse est. De his breviter dixi Tom. I. de Relig.

XLIV. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante cessant censuræ.*

Hujus Propositionis falsitas aperte patet, tum ex constanti usu Ecclesiæ, quæ pœnitentes in excommunicatione fato functos, etiam post mortem absolvit, tum ex aliis, quæ dixi in Tractatu de Censuris, p. 1. c. 5. art. 2.

XLV. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

Sua sunt Libris prohibitis pericula, & multi sunt; qui eos legendo etiam ut id, quod malum est, resecent, & corrigant, magno se seductionis discrimini objiciunt. Vide, quæ dixi sub finem Tractatus de Fide.

Propositiones 65. ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. damnatæ, ut minimum tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ.

I. NOn *est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut peri-*

periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Censura Cleri Gallic. *Doctrina hac Propositione contenta est respective falsa, absurda, perniciosa, erronea, probabilitatis pessimus fructus.*

Vide, quæ dixi in Tract. de Conscientia, ubi omni auctoritatum genere probavit nequidem probabiles esse opiniones illas, quas juniores Casuistæ docebant permissas, & licitas esse in concursu aliarum, quæ simul, & tutiores sunt, & probabiliores. Sane Propositio, de qua agitur eo etiam titulo ridicula est, & absurda, quod non attendat in dubia collatione cujuscumque Sacramenti, grave semper reperiri periculum irreverentiæ. Immania probabilitatis consectaria, malæ arboris fructus pessimi, ex decursu magis, ac magis innotescent.

II. *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ Propositionis præcedentis, idem & motivum, toties in Jure Canonico repetitum, quod nempe in dubiis, & a fortiori in iis, quæ sunt plus quam dubia, qualia sunt minus probabilia, viam debeamus eligere tutiorem. Vide insuper quæ super dixi, ubi de obligationibus Judicum.

III. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum, aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo statuit.*

Eamdem in citato de Conscientia Tractatu a fundamentis subversam reperire est.

IV. *Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ primæ Innoc. XI. ut eadem Censuræ ratio.

V. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, erronea, impia, primum, & summum mandatum irritum facit; atque Evangelicæ legis spiritum extinguit.*

VI. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis.

VII. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentium. *Præcipitur*, ait D. Th. 2. 2. q. 44. art. 5. *ut tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligamus.* An ex tota virtute diligit, qui semel in vita, aut singulis quinquenniis diligit? an censeretur filius impositam sibi a Deo de honorandis parentibus legem adimplere, si semel in vita aut per quinquennium debitam patri reverentiam præstaret? Hæc quorum Turcas puderet, quomodo animis volvere; ac multo magis verbis exprimere ausi sunt viri Christiani? vide, quæ dixi in Tract. de Charitate.

VIII. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, & ad Epicuri scholam ableganda.*

Repugnat D. Thomæ 1. 2. q. 18. art. 9. sic loquenti: *Cum rationis sit ordinare actus a ratione deliberativa procedentes, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali.* Porro quis, nisi Epicuri alumnus, voluptatem dixerit finem esse cibi, & potus. Vide quæ dixi in Tractatu de Actibus humanis, ubi de necessitate omnes, & singulos actus ad Deum referendi.

IX. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

Longe aliter D. Thomas in Suppl. q. 4. art. 5. *Duobus solum modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procurandæ prolis, & debiti reddendi: alias autem ibi est peccatum ad minus veniale.* Vide dicta ad sextum Decalogi præceptum.

X. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

Censura Cleri Gallic. *Hujus Propositionis doctrina scandalosa, & perniciosa est, piarum aurium offensiva, & secundo charitatis præcepto contraria, respective hæretica, & omnem vel in ipsis parentibus, & liberis humanitatis sensum extinguens.*

XI. *Præcepto diligendi proximum satisfacere possumus per solos actus externos.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis.

Utraque Propositio præceptum fraternæ charitatis directe subvertit. Certe proximum sicut nos, & post Deum diligere jubemur. Deum autem, & nosmetipsos nonexterius solum, sed & interiori, ac formali actu diligere præcipimur. Unde Angelus Scholæ, 2. 2. q. 25. art. 9. *Effectus*, inquit, *& signa charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur.* Vide dicta ubi de Præcepto Charitatis.

XII. *Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, Evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdat.*

Hujus Censuræ veritas, & æquitas per se patent, & amplius adhuc ex iis elucescent, quæ dixi agendo de eleemosyna in Tractatu de Charitate. Fundamentum erroneæ hujus Propositionis hoc fuit, quod liceat ditissimis, ipsisque adeo Regibus servare sua ad suum, suorumque statum augendum; quo semel jacto principio, vix locupletissimi quique superfluum habebunt, cum ambitio, & effrænis cupiditas nunquam dicant, *Satis est*. Aliter sentit S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 5. ad 3. ubi definit, mortaliter peccare eum, qui non dat eleemosynam ex iis, quæ sibi necessaria non sunt *secundum præsentem statum. Nec oportet*, inquit, *quod* homo *consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum*, puta, sui, suorumve ad statum altiorem promotiones: *hoc enim esset de crastino cogitare.*

XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ; sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ decimæ Innocentii XI.

Censuræ ratio est, quia ex D. Thoma 2. 2. q. 26. art. 9. *Id, quod habet majorem rationem boni, est magis diligendum, & quod Deo similius:* ergo cum proximi vita majus sit bonum, quam ejusdem opes, & ex parte vitę majo-

majorem cum Deo similitudinem habeat, magis vitam ejus, quam bona diligere debemus. Et vero proximum sicut nos diligere tenemur. Quis porro vellet, ut alius de sua vita tristaretur, & de morte sua naturali gauderet?

XIV. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis, eadem & ratio Censuræ.

XV. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est falsa, scandalosa, execranda, pietati erga parentes contraria, viam crudelitati, & avaritiæ aperiens.* Adde & ab ipsis Ethnicis procul amandata, cum inter ferrei sæculi calamitates hanc enumeraverint, quod

Filius ante diem, patrios inquirit in annos.

Refellitur abunde ex iis, quæ ad præcedentes Propositiones dicta sunt. De his vide dicta ad quartum, & quintum Decalogi præceptum.

XVI. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

Repugnat his D.Thomæ verbis 2. 2. q. 62. a. 1. *De actibus fidei dantur præcepta in lege divina. Dicitur enim Eccli.2. Qui timet Deum credite illi.* Et vero, si fides non cadat sub præceptum speciale, non peccat specialiter infidelis, qui fidem sibi sufficienter propositam amplecti detrectat; quod repugnat & D. Thomæ 2. 2. q. 10. art. 1. & constanti saniorum Theologorum judicio.

XVII. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ primæ Alexandri VII. ad quam recurre.

XVIII. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio scandalosa est, præceptis Evangelicis, & Apostolicis aperte contraria, & hæretica.*

Audiatur S. Thomas 2. 2. q. 3. art. 2. *Apostolus dicit ad Rom. 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et infra: *Si aliquis interrogatus de fide* (auctoritate publica) *taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide,* peccaret mortaliter. *In hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.* Vide Tractatum de Fide.

XIX. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

XX. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quã habebat supernaturalem.*

Utriusque hujus Propositionis doctrina, subtilis quidem, si Philosophice consideretur, sed Theologice magnopere erronea. Fidei enim certitudo, & firmitas non mensuratur ex motivis, & rationibus, quæ ad Fidem tanquam præambula inducunt; sed ex operatione Dei, quo movente accipit humana mens *verbum auditus Dei, non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei*; ideoque illud ea jam certitudine amplectitur, quæ omnem aliam, seu moralem, seu naturalem excedit: ergo, qui audito Christi Evangelio ab hominibus aliquando nulla miracula patrantibus, Alcorani deinceps prædicationem audit ab hominibus, qui, ut Joannes, & Mambres per præstigia illudunt, imprudenter prorsus assensum fidei sibi propositæ datum rejicit, & repudiat. Ita ferme Martinus Steyartius Tom. 1. edit. 1736.

XXI. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, & Apostolicam fidei definitionem evertit.*

Si vera sit hæc Propositio, jam 1. æternam salutem consequi poterit quoddam hominum genus in fide scepticum, nihil in Religione tenens certum, sed suam singulis Christianismi Sectis probabilitatem inesse existimans, desperansque de assequenda in tantis varietatibus certitudine. Longe aliter S. Th. 2. 2. q. 2. art. 4. *Actus, qui est credere*, inquit, *habet firmam adhæsionem*; 2. nemo fidelis tenebitur paratus esse vitam perdere potius, quam deserere fidem; quis enim vitam pro notitia solum probabili, & erroris periculo obnoxia profundere teneatur? 3. posset quis post intensos, & iteratos contritionis actus credere fide supernaturali se justificatum esse; cum ea justificatio probabiliter oriatur ex illa præmissa revelata universali, quod contritus gratiam consequatur: atqui consequens repugnat Trid. Sess. 9. c. 9.

XXII. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio in Deum Remuneratorem, & in Christi Mediatoris nomen contumeliosa est erronea, & hæretica.*

Repugnat expresse Apost. ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: ubi non minus requiritur explicita fides Dei remuneratoris, quam explicita fides Dei unius; & hanc tamen nemo negat necessariam esse etiam necessitate medii. Et vero fides est basis, ac fundamentum spei nostræ, cum sit *sperandarum substantia rerum* ex eodem Apostolo: ergo fides non in Deum simpliciter, sed in Deum, ut a quo bona sperata expectantur, ferri debet; ac proinde habere pro objecto Deum quatenus remuneratorem. Hinc S.Th. Lect. 2. hic: *Non solum*, inquit, *est necessarium credere, quod Deus sit, sed quod habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.*

XXIII. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

Censura Cleri Gallicani eadem, quæ præcedentis.

Ratio Censuræ hæc est, quod *per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum est justificationis causa, unde talis cognitio non sufficit ad justificationem*: Verba sunt Doctoris Angelici 1. 2. q. 113. art. 4. ad 2. Et vero inter principium justificationis, & justificationem ipsam aliqua intercedere debet proportio: ergo cum justificatio sit supernaturalis, necesse est, ut & supernaturalis sit fides, cui illa innititur. Hinc Trident. Sess. 6. Can. 3. *Si quis*, inquit, *dixerit, sine Spiritus sancti adjutorio hominem credere .·. posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

XXIX. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Repugnat D.Th. 2.2. q. 98. art. 3. ad 2. *Ille*, inquit, *qui jocose*, ac proinde in qualibet alia re levi, *perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis augeat; & ideo non excusatur a peccato mortali.* Consuetudo autem jurantes tunc demum excusabit, ait Steyartius ubi sup. pag. 23. cum de illa tollenda serio laborabunt. Vide quæ dixi ubi de Juram. c. 3. a. 4.

XXX. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, bonæ fidei illudens, & Decalogo contraria.*

Repu-

Repugnat D. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 3. *Cum voces, inquit, sint naturaliter signa intellectuum, innaturale est, & indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente:* porro, qui jurat sine animo jurandi, exterius simulat id, quod reipsa, & intus non facit; ergo vere mentitur, & peccat. Vide ibidem dicta.

XXVI. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive alio quocumque fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, illusoria, erronea, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperit, & sacris Scripturis adversatur.*

XXVII. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ propositionis præcedentis.

Utraque repugnat his D.Th. verbis 2.2.q. 89. a. 7. ad 4. *Debet juramentum servari secundum intellectum ejus, cui juramentum præstatur. Unde Isidorus dicit: Quacumque arte verborum, quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo cupit.*

Nec nocet quod aliquando grave proximi malum per amphibologias, & non aliter averti possit; nam ut bene S. Thomas ibid. q. 100. art. 4. *Non licet aliqua inordinatione uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum.* Quis porro æquivocationes nihil habere inordinati contendere ausit? Vide quæ contra amphibologias, & mendacia diximus Tom. 1. ubi de Juramento, & ad octavum Decalogi præceptum.

XXVIII. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excusat, publicæ potestati contra Dei mandatum adversatur.*

Nec obstat, quod si non jures, crimen occultum fatearis; quia imputare tibi debes, quod te eas in angustias conjeceris. Adde quod Lex non intendat, ut occultum tui crimen reveles, sed ut ab officio, quod male ambiisti, & quod in Reipublicæ detrimentum exercebis te te retrahas. Unde tunc non imponitur præceptum justo rigidius, sed rationabile, & quod ad bonum publicum valde conducit.

Confirm. quia quando Superior promovendos ad Ordines interrogat de natalibus, de censuris, de irregularitatibus, aut eos, qui matrimonium contrahere volunt, de impedimentis; etsi nulla tunc præcesserit infamia, aut semiprobatio, datur tamen obligatio candide respondendi, adeoque occultum dedecus manifestandi, nisi tamen velint, is a matrimonio, illi ab Ordinibus abstinere, ergo a pari in casu proposito.

XXIX. *Urgens metus gravis, est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

Audia-

Audiatur S. Thomas, qui pestilentem hanc doctrinam aperte damnat 2. 2. q. 93. art. 1. *Mendacium*, ait ex Augustino, *maxime perniciosum est, quod fit in his, quæ ad Christianam religionem*, ac proinde, quæ ad Sacramenta, potissimam Christianæ religionis partem, *pertinent. Est autem mendacium, cum aliquis exterius significat contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto; & ideo si per cultum exteriorem aliquid falsum significatur*, ut revera significatur, cum simulatur administratio Sacramentorum, puta cum metu mortis datur indigno hostia non consecrata, *erit cultus perniciosus*. Hinc olim condemnati *Libellatici*, qui numerata pecunia a Magistratibus Etnicis obtinebant libellos fidem facientes, ipsos Cæsarum edictis de cultu idolorum, quæ tamen non adoraverant, obsecutos fuisse. Hinc recentius damnati illi, qui intentionem ad Deum, aut crucem in sinu gestatam dirigentes, thus coram idolo adolebant. Probanda tamen, ait Steyaert, praxis Confessariorum, qui pœnitenti, quem non absolvunt, dant benedictionem; ne apud alios suspicionem incurrat.

XXX. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est scandalosa, erronea, mundano honori servit, ultionem, & homicidia excusat.*

Permittit quidem D. Thomas, ut is, cui mors intentatur, vim vi repellat. Verum calumnia non est proprie vis, ut saniores quotquot fuere Theologi advertunt: aliaque, quam percussionis via repelli potest, implorato scilicet Magistratus auxilio, quod si non juvet, dicendum cum Propheta Rege: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Et vero, quis nisi mundano spiritu refertus, existimet verum, solidumque honorem tam fragilem esse, ut a quocumque nebulone colaphum, aut fustem per injuriam infligente, viro honorato injuriam hanc pro Christo patienter sustinenti, auferri possit; Vide dicta ad quartum Decalogi præceptum.

XXXI. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio legi Dei, & ordini charitatis divinitus instituto contraria est, perniciosa, & erronea.*

XXXII. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

XXXIII. *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedrã; vel præbendam cõtra earũ possessionem injuste impedientem.*

Censura Cleri Gallic. eadem quæ XXXI. præcedentis.

Horret animas eas audire Propositiones, quæ ipsis etiam Clericis tribuunt feralem licentiam ferro, veneno, aut alio mortis genere grassandi in eos, qui sibi quoad Beneficiorum possessionem adversantur. Bene hic Steyaert: *De viris sanguinum salva me* Domine.

XXXIV. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est scandalosa, erronea, infandis homicidiis, & parricidiis procurandi apta*: Homicidii *enim* festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.

XXXV. *Videtur probabile omne fœtum, quamdiu in utero est, carere anima-* *tatio.*

rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis.

Jungatur hæc Propositio cum superiori, & manifestum erit fœtum quamdiu est in utero matris occidi posse a puella, mortem, vel infamiam, quæ semper imminet, pertimescente. O extremum absurditatis! De his quinque Propositionibus consule, quæ dicta sunt ad quintum Decalogi præceptum.

XXXVI. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio quatenus furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & Reipublicæ perniciosa.*

Vide, quæ dixi in Tractatu de Justitia; interim compara hanc doctrinam cum superiori doctrina de occidendo fure, & omnia stragibus plena habebis. Furabuntur pauperes ob necessitatem, quæ sæpe est, & sæpius judicatur gravis; occident divites ob boni sui dilapidationem, saltem quoties aureum sibi unum subripi videbunt, aut subripiendum pertimescent. Inde quæ, & quanta malorum strues!

XXXVII. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.*

Peccat hæc Propositio, quatenus quemlibet famulum in propria causa Judicem constituit. Quod si semel admittatur, nulla erit in familiis pax, nullus ordo, nulla securitas. Vide quæ dixi, tum in Tractatu de Justitia, tum ubi de quarto Decalogi præcepto.

XXXVIII. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est falsa, perniciosa, & furta etiam gravia approbat.*

Repugnat rationi; qui enim grandem per modica furta summam deprædatus est, jam incipit esse detentor rei alienæ in magna quantitate, ac proinde peccati mortalis reus, nisi summam hac arte partam restituat.

XXXIX. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur restitutionem istius damni illati.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio falsa est, temeraria, fraudibus, & dolis patrocinatur; & justitiæ regulis repugnat.*

Repugnat D. Thomæ 2.2.q. 62. art. 7. ubi *ad restitutionem* obligatur, *quicumque est causa injustæ acceptionis*, & id quidem, ait S. Doctor, *contingit, movendo ad ipsam acceptionem, quod fit præcipiendo, consulendo*, &c. Vide, quæ dixi in Tractatu de Justitia, parte 3. c. 2. art. 5. sect. 4.

XL. *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XLII. Alexandri VII.

Vide Tractatum nostrum de Contractibus 2. p. c. 1. in Appendice, ubi ex professo probatum est contractum mohatra, usuram esse non tam palliatam, quam apertam.

XLI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Cen-

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XLI. Alexandri VII. Vide eumdem Tractatum c. 3. art. 5.

XLII. *Usura non est, dum aliquid ultra sortem exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XLII. Alexandri VII. Censuræ hujus æquitas esse patebit ex eodem Tractatu.

XLIII. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

Longe aliter S. Thomas 2. 2 q. 110. art. 3. ad 4. *Non est licitum mendacium officiosum dicere, ad hoc quod aliquis alium a quocumque periculo*, etiam mortis, ut ex contextu evidens est, *liberet*. Si mendacium hujusmodi a peccato veniali non vacat, quomodo a mortali vacabit falsi criminis exprobratio. Vide dicta superius, ubi de octavo Dei præcepto.

XLIV. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Censura Cleri Gallic. *Hujus Propositionis doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus, & impostoribus portam aperit; & clare detegit quam nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.*

Adde, quod istud Dei præceptum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, sic semper intellectum fuerit, ut graviter in materia gravi obligaret. Porro gravis est materia quælibet accusatio de crimine, quod quis reipsa non perpetravit.

XLV. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ VXII. Alexandri VII.

XLVI. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ ejusdem Propositionis XXII. Alex. VII. Hæc opinionum portenta in nostro de Simonia Tractatu, confutata reperies.

XLVII. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio Concilio Trid. contraria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti animarum, quæ a Pastorum delectu præcipue pendet, adversatur.*

Hujus Propositionis errorem nervose, & breviter præsuffocavit S. Thomas his verbis 2.2. q. 63. art. 2. ad 3. *Necesse est eligere* ad Beneficia, *meliorem, vel simpliciter, vel in ordine ad bonum commune*. Vide quæ fuse disserui T. I. ubi de Beneficiis c. 2. art. 1. sect. 2.

XLVIII. *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse mala, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videtur.*

Censura Cleri Gallic. *Doctrina hac Propositione contenta scandalosa est, perniciosa, castarum, & piarum aurium offensiva, & erronea.*

Cen-

Censuræ veritas, & æquitas ex se patent. *Fornicatio*, ait S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. *est contra naturam prolis educandæ*, *& ideo est peccatum mortale*, ac proinde non ideo solum vitiosa, quia prohibita. Certe si fornicatio non nisi a positiva Dei lege habeat quod peccatum sit, Gentiles qui legem hanc nesciebant, inculpabiliter fornicati fuere; quod repugnat Apostolo 1. Cor. 6. & Ephes. 5. ubi fornicatio inter vitia per se mala, & quæ per Christi gratiam abluenda sunt, enumeratur. Sed de his prolixius ad 6. Decalogi præceptum.

XLIX. *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset; sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Repugnat D. Thomæ q. 15. de Malo, artic. 1. Repugnat Apostolo mollitiem recensenti inter ea peccata, quæ Ethnicos solam naturæ legem cognoscentes in perpetuum damnare potuerunt. Repugnat vel ipsis Paganis; quos inter Martialis vir alioqui levissimus, a nobis adductus est ubi de sexto eodem Decalogi præcepto.

L. *Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XLVIII. Innocentii XI.

Repugnat Apostolo generatim, & indistincte pronuntianti, Rom. 7. quod mulier *vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*. Repugnat & Augustino, quem tamen in fœditatis suæ patrocinium adducere conati sunt Pseudocasuistæ. *Non est ita existimandum*, ait L. 1. de Sermone Dom. c. 17. quod *hoc fœmina, viro permittente facere posse videatur*, hoc enim *omnium sensus excludit*. Vide dicta ad idem sextum Decalogi præceptum, ubi de Adulterio.

LI. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, verbis Dominicis, & Apostolicis aperte contraria, & hæretica; quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? & digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Censura hæc suam secum probationem defert. Apposite S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. ad 1. *Non solum peccat ille, qui peccatum exequitur, sed etiam qui quocumque modo peccati causa est, vel cooperator.* Vide quæ dixi in Tract. de Justitia, & quæ dicam in Tract. de Charitate, ubi de scandalo.

Nota cum Steyartio tenebrosam erroneæ Casuistarum Theologiæ profunditatem. Cum audis *notabile detrimentum*, magni aliquid concipis. Cum veneris ad rem ipsam, nihil detegis. Potest juxta eos occidi homo; utique pro re gravi. Sed quænam ea est? *regulariter aureus unus*, vel ad summum paulo plures, sed quibus, nec vitam bovis in macello emas. Potest & occidi, qui honorem alterius invadit. Sed invadere censetur, qui dat alapam, ictumve fustis, aut dicit: *Mentiris*. Potest famulus magistri libidinibus cooperari, si id faciat *metu notabilis detrimenti*. Cujusnam vero? an mortis. Non ita sane, sed ne torvis oculis aspiciatur.

LII. *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est scandalosa, ad violandas leges, tum Civiles, tum Ecclesiasticas, & Apostolicas viam aperit, ac proinde superiorum auctoritate prohibenda.*

Vide

Vide, quæ dixi in Tract. de Legibus, ubi abunde probatum est, id quod docet S. Th. 1. 2. q. 96. art. 4. *leges* etiam civiles, & a fortiori ecclesiasticas *habere vim obligandi in foro conscientiæ*, & quidem graviter in materia gravi, & secluso quocumque contemptu. Vide etiam dicta, ubi de Ecclesiæ præceptis.

LIII. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.*

Ratio est, quia plures diversorum sacrorum partes non magis sacrum unum efficiunt, quam caput Joannis, pectus Petri, & pedes Pauli simul sint unus homo. Sane si quatuor diversarum Missarum partes audiens, Missam integram audiisse censeatur, quidni & eam audiisse censeatur; qui decem; aut viginti partes simul audierit. O miseros parentes nostros, qui hæc compendia nescierunt! Ex Propositionis hujus censura obiter colliges cum Steyartio, eum qui Missam audit a Consecratione ad finem, non satisfacere Ecclesiæ præcepto, si aliam posthac audiat a principio ad Consecrationem. Vide dicta ad 3. Decal. præcep.

LIV. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ XX. Alexandri VII.

Idem prorsus ac si dixeris, qui centum debet, & nonnisi decem solvere potest, non tenetur ad decem. Nec ridiculum minus est fundamentum assertionis, quam assertio ipsa; ex ea tamen inferebant noviores Casuistæ eum, qui totum vel jejunii, vel Missæ audiendæ præceptum implere nequit, ne ad eam quidem partem teneri, quam potest: quod si in restitutione sibi facienda non admisissent, cur in rebus Deo debitis tam facile admiserunt? Vide dicta ubi de Officii divini recitatione.

LV. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Censura Cleri Gallic. *Doctrina hac Propositione contenta temeraria est, scandalosa, erronea, impietati, & sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.*

Repugnat Concilio Lateranensi, secundum quod *omnis utriusque sexus* debet *reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum* suscipere; si *reverenter* ergo non sacrilege, sed cum debita animi præparatione. Fundamentum impiæ hujus assertionis hoc erat, & quod modus præcepti sub præceptum non cadat; & quod Ecclesia actus internos præcipere nequeat. Fallit utrumque; tum quia præceptum Ecclesiæ sic impleri debet, ut nihil fiat contra finem actus præcepti, qui in Communione est unio cordis cum Christo; tum quia Ecclesia cum Communionem, aliaque ejusdem generis multa præcipit, non tam præceptum condit novum, quam determinet divinum; tum denique, quia non inepte probatur actus interiores ab Ecclesia præcipi posse. Vide, quæ dixi in Tractatu de Legibus, & ubi de quarto, & quinto Ecclesiæ præcepto.

LVI. *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, erronea, impia, & sacris litteris contraria.*

Audiatur vel ipsa ratio, & rationi consonans S. Th. 3. part. q. 80. art. 4. ad 5. *Apostolus dicit 1. ad Corint. 11. Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, id est condemnationem. Dicit autem Glossa ibidem, quod indigne manducat, & bibit, qui in crimine est*; ergo, qui est in peccato mortali, si hoc Sacramentum accipiat, damnationem acquirit: atqui est in crimi-

crimine, & peccato, qui *gentiliter* vivit, seu qui instar ethnici; Dei, & Ecclesiæ leges nescit; suisque criminibus habenas laxat; ergo frequens ejus Communio nedum nota sit prædestinationis, est econtrario nota reprobationis, & quidam æternæ damnationis prodromus.

LVII. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est hæretica.*

Repugnat Concilio Tridentino sic definienti: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Vide superius dicta ad Propositionem XXIII. Innocentii XI.

LVIII. *Non tenemur Confessori interroganti fateri peccati alicujus consuetudinẽ.*

Censura Cleri Gallic. *Doctrina hac Propositione contenta falsa est, temeraria, in errorem inducit, sacrilegiis favet, Christianæ simplicitati, Ministrorum Christi judiciariæ potestati, confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni, ac fini derogat.*

Repugnat vel ipsi rationi, quæ aperte declarat medico spirituali non secus ac corporali jus esse, ut interrogando cognoscat, an inveteratum sit, necne, malum, quod sibi curandum proponitur. Solide S. Thomas in Supplem. q. 9. art. 2. ad 1. *Unum peccatum per se consideratum non ita demonstrat malam dispositionem peccantis.. quia in unum peccatum aliquis quandoque labitur ex ignorantia, vel infirmitate: sed multitudo peccatorum,* seu eorum consuetudo, quod in id idem redit in præsenti, *demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem.* Quis porro dixerit indifferens esse confessioni, an pœnitens ex infirmitate, an ex magna, & inveterata corruptione peccaverit?

LIX. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis, v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.*

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis.

Repugnat D. Thomæ, ubi supra, sic ille: *De necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, quod si non faciat, non est confessionis simulatio*: sed qui dimidiate tantum confitetur, non omnia, quæ in memoria habet, peccata deponit; ergo non vere sed simulate, & ideo invalide confitetur. Nec obest magnus pœnitentium concursus; nemo enim ante recentiores etiam somniando cogitavit causam hanc sufficere, ut qui a confessione quantum fieri poterit perfecta, & integra excusetur. Jungatur hæc Propositio cum undecima ex iis, quæ ab Alexandro VII. proscriptæ sunt, & apparebit Casuistas invenisse artem, vi cujus, qui flagitiosissima quæque commiserat, liber erat ab iis confitendis.

LX. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

Censura Cleri Gallic. *Hæc Propositio est erronea, & ad finalem impœnitentiam ducit.*

Repugnat naturæ pœnitentiæ, quæ vetat, ne Confessarius quemquam absolvat, nisi prudenter judicet eum vere de peccatis dolere, & serio dispositum esse ad *emendam*, ut loquitur S. Thomas. Quis autem id de eo judicet, in quo nullam emendationis spem deprehendit. Vide, quæ dixi Tom. II. ubi de peccati occasionibus, & ubi de obligationibus Confessariorum.

LXI.

LXI. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

Censura Cleri Gallic. ead. quæ XLI. Alex. VII. idem & motivum Censuræ.

LXII. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

Censura Cleri Gallic. eadem quæ XLI. Alexandri VII.

LXIII. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.*

Censura Cleri Gallic. eadem quæ XLI. Alexandri VII. Circa hæc recurre ad citatum nostri de Peccatis Tractatus locum.

LXIV. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

Censura Cleri Gallic. eadem quæ XXII. Innocentii XI.

Dicitur Hebr. 1c. ait S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 3. *Sine fide impossibile est placere Deo*: atqui inter mysteria, quorum fides ad placendum Deo est necessaria, primas tenent mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, ex eodem S. D. ibid. art. 7. & unanimi Theologorum suffragio. Vide, quæ dixi agendo de Fide.

LXV. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.*

Virulentum hoc dogma ex æquo confutavimus in loco mox allegato. Ecquis in animum sibi inducat fidem desidem, otiosam, quæque ita non erumpit in actum, ut quasi in animo obliteretur, ad justificationem sufficere? Hinc colliges non modo beneficio absolutionis privandum esse pœnitentem, qui Religionis mysteria primaria ignorat, sed etiam an ignoret, ex professo esse interrogandum, si probabilem hujus ignorantiæ suspicionem, sive ex modo confitendi, seu aliter præbeat. Quia cavendum Confessario, ne indignum absolvat.

Propositiones duæ de omnipotentia donata, & subjecta creaturæ; quæ die 23. Novembris an. 1679. ab Innocentio XI. damnatæ sunt ut temerariæ ad minimum, & novæ.

I. *DEus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.*

II. *Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.*

Si quibus probari possint prædictæ duæ theses, iis utique, qui concursum indifferentem in actu primo admittunt: & hi tamen fatentur iisdem thesibus jure merito præfixum fuisse nigrum theta a Pontifice Romano. Scilicet enim concursus Dei, qualiscumque fingatur, non est concursus subjectionis, sed dignationis, ac dominii; cum sit concursus Dei plenissime Domini voluntatis creatæ, & actuum liberorum. Et vero si omnipotentia voluntati creatæ subdita foret, non posset esse eadem creata libertas in manu omnipotentiæ divinæ: sicut non potest in manu subditorum esse voluntas Principis: porro luce meridiana clarius est libertatem creatam esse in manu omnipotentiæ, juxta id Proverb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*, & Jerem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita & vos*. Sed de his, quæ incauto exciderunt mihi, & nihil ad Moralem spectant, adi Dominicum Viva pag. 533.

Proposi-

Propositiones duæ de Confessione, diversis temporibus proscriptæ.

I. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.*

Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod (Propositio) sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur: Statuerunt (Consultores Romani die 18. Nov. 1682.) dictam Propositionem quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione, sive limitatione .... mandantes etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ Ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant.

II. *Licet per literas, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

Hæc Propositio die 20. Junii an. 2602. damnata est a Clemente VIII. Bulla 87. *ad minus uti falsa, temeraria, & scandalosa.* Vetatque idem Papa sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & sibi reservatæ: *ne deinceps ista Propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.*

Circa utramque hanc thesim plura proponi possunt scitu dignissima, ut legere est apud Vivam, sed quia hæc suse tractantur, ubi de Pœnitentia, ibidemque fortassis a nobis aliquando expendentur, ea omittimus in præsenti.

Propositiones duæ ab Alexandro VIII. damnatæ 24. *Augusti* 1690.

I. *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali. Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative, hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

Censura Summi Pontificis, & Cleri Gallicani. *Hæc Propositio est hæretica*; talem vero esse patebit ex iis, quę dixi agendo de necessitate charitatis. Primam hujus partem clare perimunt hęc S. Thomę verba 1.2. q. 89. art. 3. ad 3. *Cum homo usum rationis habere incœperit .. hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo*, ad ejusdem amorem. Vide etiam, quę dixi in Tract. de Peccatis, pręcipue vero in nova ejusdem editione. Reliqua Propositionis pars jam confutata est, ubi de aliis Propositionibus ad amorem Dei spectantibus.

II. *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Censura Summi Pontificis, & Cleri Gallicani. *Hæc Propositio scandalosa est, temeraria, piarum aurium offensiva, & erronea.*

Breviter, sed nervose S. Thomas 1.2.q.71.art.2. ad 4. *Ejusdem est rationis, quod peccatum sit contra ordinem rationis humanæ; & quod sit contra legem æternam*: ergo dari nequit peccatum, quod rationi adversetur, id est Philosophi-

cum, quin eo ipso legi æternæ dissentiat, & quin consequenter sit Theologicum. Vide, quæ eam in rem scripsi in Tractatu de Peccatis.

Hactenus laxiorem doctrinam præeunte Sede Apostolica insectati sumus, rigidiorem nunc, & quæ in oppositum scopulum impingit, eadem præeunte Sede Apostolica impugnabimus: sic tamen ut nullam affingamus notam iis Propositionibus, quæ ad dogma, non autem ad praxim pertinent, & circa quas utiliter consulentur Tractatus de Gratia honorati Tournely.

Propositiones 31. *ab Alexandro VIII.* 7. *Decembris* 1690. *damnatæ* tanquam temerariæ, scandalosæ, malesonantes, injuriosæ, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneæ, schismaticæ, & hæreticæ respective, *id est, ita ut nulla sit Propositio, in quam non cadat saltem aliqua ex prædictis censuris, & nulla quoque sit censura, quæ non conveniat alicui Propositioni.*

I. *IN statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

Si res ita sit, prava desideria, quæ homo invitus patitur, & involuntarii concupiscentiæ motus totidem erunt peccata, quod a Tridentinis Patribus in Calvino & a Pontificibus Romanis in Baio damnatum est. Vide, quæ dixi, tum in Tractatu de Actibus humanis, tum & in Tractatu de Peccatis. Breviter S. Thomas in 2. dist. 30. q. 1. artic. 2. *Ad culpam personæ, requiritur voluntas personæ, ad culpam vero naturæ, non requiritur nisi voluntas in natura illa.*

II. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Repugnat S. Thomæ 1.2. q. 76. art. 2. *Patet, quod nulla ignorantia invincibilis, est peccatum.* Vide, quæ dixi in Tract. de Actibus humanis.

III. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

Hanc confutavi Tom. I. in Tractatu de Conscientia, ubi mediam pro virili viam ingressus sum inter eos, qui vel *probabilitatem quantumvis tenuem* obtrudunt cum Probabilistis; vel *opinionem etiam inter probabilissimam* respuunt cum Rigoristis.

IV. *Dedit Christus semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.*

De ista, & duabus sequentibus agunt Theologi, ubi de Gratia.

V. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.*

VI. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, a gratia sufficienti libera nos, Domine.*

VII. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.*

Falsa est hæc Propositio pro utraque parte. Scilicet datur actio supernaturalis, puta actus fidei, spei vel timoris, quæ non est charitas: datur & actio naturalis moraliter bona, quæ proinde non est mala carnis concupiscentia. Errorem hujus Propositionis jugulat Aug. Ser. 349. his verbis: *Charitas alia est divina, alia est humana; alia humana licita, alia illicita ... licita est humana charitas, qua uxor diligitur, &c.* Vide Tract. nostrum de Act. hum. c. 4. art. 1. sect. 2.

VIII. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Falsa est hæc Propositio; neque magis necesse est infidelem in omni opere peccare, quam fidelem in omni opere sanctum esse. Vide Tournely de Gratia.

IX.

IX. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.*

Falsa est hæc assertio, quia non peccat, qui ordinate agit; porro agit ordinate, qui peccatum etiam præcise, ut turpe est, & humanæ naturæ infensum detestatur: quia peccatum etiam ut turpe, & naturæ disconveniens detestationem meretur. Ita Steyaert T. 1. p. 336. qui addit detestationem, seu odium peccati respicere posse meram ejus turpitudinem, sine respectu offensæ Dei, quæ eidem peccato inest; sic tamen, ut detestans, ad actum illum se excitat ex aliqua Dei dilectione, aut alio motivo, quod nullatenus possit redargui. Quamquam, ut notat Viva, inde etiam peccat ista hæc Propositio, quod supponat peccatum, ut naturæ contrarium, odio haberi posse sine ullo prorsus ad Deum respectu. Utique, qui peccatum odit ut contrarium naturæ, odit illud ut prohibitum a supremo Legislatore, & ut repugnans legi æternæ, quæ Deus est, ut cum aliis dixi in Tract. de Peccatis c. 1. art. 1. Interim nota eos, qui peccatum odio haberi volunt cum *respectu ad Deum offensum*, exigere, ut quisque oderit peccatum, quatenus est offensa Dei summe boni, ac proinde eosdem arbitrari illud dumtaxat peccati odium ab omni culpa vacare, quod ex charitatis motivo procedit. Patet id vel ex ipsa Prop. 7. quam paulo ante suo ordine retulimus.

X. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

Confutata est a nobis in Tractatu de Spe, & Charitate.

XI. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Si vera sit assertio hæc, nulla erunt opera moraliter bona; malum erit id omne, quod fit ex notitia unius Dei; malus erit actus fidei, spei, & timoris ab homine, actu, vel habitu per charitatem non operante procedens: quæ omnia totidem sunt apud alios, quam Jansenii asseclas, falsa, & absurda.

XII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.*

Repugnat Concilio Trid. Sess. 6. Can. 28. Vide, quæ dixi T. I. c. præamb. de virtutibus moralibus art. 2. concl. 3. & in Tract. de Fide.

XIII. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.*

Repugnat D. Thomæ. *Cum*, ait S. Doctor 2. 2. q. 17. art. 5. *spes habeat Deum pro objecto*, (in quantum scilicet est beatitudo æterna, ut ibidem docet S. Thomas art. 7.) *manifestum est, quod spes est virtus Theologica:* absit autem, ait Franciscus Van Rast Dominicanus, ut peccet quis virtutis Theologicæ actus exercendo. Vide citatos jam Tractatus de Spe, & Charitate.

XIV. *Timor gehennæ non est supernaturalis.*

XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Utriusque Propositionis idem sensus, idem & error; breviterque refellitur nitida hac, & simplici S. Thomæ ratiocinatione: *Nullum malum est a Spiritu sancto*: atqui timor etiam servilis est a Spiritu sancto. *Unus* enim *spiritus est, qui facit duos timores, scilicet servilem, & castum*; *ergo timor servilis non est malus*. Neque solum non est malus, sed etiam est supernaturalis, cum sit a Spiritu sancto, & *procedat ex actu Dei convertentis cor* dispositive, prout tradit S. Doctor. 3. p. q. 85. art. 5. ad 3. 2. 2. q. 19. art. 4.

XVI. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia,*

 aut

cum, quin eo ipso legi æternæ dissentiat, & quin consequenter sit Theologicum. Vide, quæ eam in rem scripsi in Tractatu de Peccatis.

Hactenus laxiorem doctrinam præeunte Sede Apostolica insectati sumus; rigidiorem nunc, & quæ in oppositum scopulum impingit, eadem præeunte Sede Apostolica impugnabimus: sic tamen ut nullam affingamus notam iis Propositionibus, quæ ad dogma, non autem ad praxim pertinent, & circa quas utiliter consulentur Tractatus de Gratia honorati Tournely.

Propositiones 31. ab Alexandro VIII. 7. Decembris 1690. damnatæ tanquam temerariæ, scandalosæ, malesonantes, injuriosæ, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneæ, schismaticæ, & hæreticæ respective, *id est, ita ut nulla sit Propositio, in quam non cadat saltem aliqua ex prædictis censuris, & nulla quoque sit censura, quæ non conveniat alicui Propositioni.*

I. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

Si res ita sit, prava desideria, quæ homo invitus patitur, & involuntarii concupiscentiæ motus totidem erunt peccata, quod a Tridentinis Patribus in Calvino & a Pontificibus Romanis in Baio damnatum est. Vide, quæ dixi, tum in Tractatu de Actibus humanis, tum & in Tractatu de Peccatis. Breviter S. Thomas in 2. dist. 30. q. 1. artic. 2. *Ad culpam personæ, requiritur voluntas personæ, ad culpam vero naturæ, non requiritur nisi voluntas in natura illa.*

II. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Repugnat S. Thomæ 1.2. q. 76. art. 2. *Patet, quod nulla ignorantia invincibilis, est peccatum.* Vide, quæ dixi in Tract. de Actibus humanis.

III. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

Hanc confutavi Tom. I. in Tractatu de Conscientia, ubi mediam pro virili viam ingressus sum inter eos, qui vel *probabilitatem quantumvis tenuem* obtrudunt cum Probabilistis; vel *opinionem etiam inter probabilissimam* respuunt cum Rigoristis.

IV. *Dedit Christus semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.*

De ista, & duabus sequentibus agunt Theologi, ubi de Gratia.

V. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.*

VI. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, a gratia sufficienti libera nos, Domine.*

VII. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.*

Falsa est hæc Propositio pro utraque parte. Scilicet datur actio supernaturalis, puta actus fidei, spei vel timoris, quæ non est charitas: datur & actio naturalis moraliter bona, quæ proinde non est mala carnis concupiscentia. Errorem hujus Propositionis jugulat Aug. Ser. 349. his verbis: *Charitas alia est divina, alia est humana; alia humana licita, alia illicita ... licita est humana charitas qua uxor diligitur, &c.* Vide Tract. nostrum de Act. hum. c. 4. art. 1. sect. 2.

VIII. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Falsa est hæc Propositio; neque magis necesse est infidelem in omni opere peccare, quam fidelem in omni opere sanctum esse. Vide Tournely de Gratia.

IX.

IX. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.*

Falsa est hæc assertio, quia non peccat, qui ordinate agit; porro agit ordinate, qui peccatum etiam præcise, ut turpe est, & humanæ naturæ infensum detestatur: quia peccatum etiam ut turpe, & naturæ disconveniens detestationem meretur. Ita Steyaert T. 1. p. 336. qui addit detestationem, seu odium peccati respicere posse meram ejus turpitudinem, sine respectu offensæ Dei, quæ eidem peccato inest; sic tamen, ut detestans, ad actum illum se excitet ex aliqua Dei dilectione, aut alio motivo, quod nullatenus possit redargui. Quamquam, ut notat Viva, inde etiam peccat ista hæc Propositio, quod supponat peccatum, ut naturæ contrarium, odio haberi posse sine ullo prorsus ad Deum respectu. Utique, qui peccatum odit ut contrarium naturæ, odit illud ut prohibitum a supremo Legislatore, & ut repugnans legi æternæ, quæ Deus est, ut cum aliis dixi in Tract. de Peccatis c. 1. art. 1. Interim nota eos, qui peccatum odio haberi volunt cum *respectu ad Deum offensum*, exigere, ut quisque oderit peccatum, quatenus est offensa Dei summe boni, ac proinde eosdem arbitrari illud dumtaxat peccati odium ab omni culpa vacare, quod ex charitatis motivo procedit. Patet id vel ex ipsa Prop. 7. quam paulo ante suo ordine retulimus.

X. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

Confutata est a nobis in Tractatu de Spe, & Charitate.

XI. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Si vera sit assertio hæc, nulla erunt opera moraliter bona; malum erit id omne, quod fit ex notitia unius Dei; malus erit actus fidei, spei,& timoris ab homine, actu, vel habitu per charitatem non operante procedens: quæ omnia totidem sunt apud alios, quam Jansenii asseclas, falsa, & absurda.

XII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.*

Repugnat Concilio Trid. Sess. 6. Can. 28. Vide, quæ dixi T. I. c. præamb. de virtutibus moralibus art. 2. concl. 3. & in Tract. de Fide.

XIII. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.*

Repugnat D. Thomæ. *Cum*, ait S. Doctor 2. 2. q. 17. art. 5. *spes habeat Deum pro objecto*, (in quantum scilicet est beatitudo æterna, ut ibidem docet S. Thomas art. 7.) *manifestum est, quod spes est virtus Theologica*: absit autem, ait Franciscus Van Rast Dominicanus, ut peccet quis virtutis Theologicæ actus exercendo. Vide citatos jam Tractatus de Spe, & Charitate.

XIV. *Timor gehennæ non est supernaturalis.*

XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Utriusque Propositionis idem sensus, idem & error; breviterque refellitur nitida hac, & simplici S. Thomæ ratiocinatione: *Nullum malum est a Spiritu sancto*: atqui timor etiam servilis est a Spiritu sancto. *Unus* enim *spiritus est, qui facit duos timores, scilicet servilem, & castum*; *ergo timor servilis non est malus*. Neque solum non est malus, sed etiam est supernaturalis, cum sit a Spiritu sancto, & *procedat ex actu Dei convertentis cor dispositive*, prout tradit S. Doctor. 3. p. q. 85. art. 5. ad 3. 2. 2. q. 19. art. 4.

XVI. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut*

aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

Si vera sit hęc Propositio, nunquam concedi potest absolutio, nisi jam pręmissa pœnitentis satisfactione, cum lex Christi ab hominibus tolli non possit: atqui hoc universę Ecclesię, atque ipsi rigidiorum Casuistarum praxi repugnat, qui quotidie mutuas sibi absolutiones sub onere pręstandę deinceps satisfactionis impendunt: ergo merito reprobata est hęc Propositio. Et vero absolutio concedi potest, & de facto sępe conceditur homini sensibus destituto, qui nullam proin satisfactionem ponere potest.

XVII. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.*

Idem, qui pręcedentis assertionis error. Non invertit ordinem pœnitentię praxis mox absolvendi eos, qui legitimis instructi sunt dispositionibus; sed praxis absolvendi eos, qui peccato adhęrent, qui Ecclesię consuetudinem carpunt; qui in legitimos Pastores debacchantur; qui tota die veritatem, & charitatem inclamant, & utramque in praxi respuunt.

XVIII. *Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

Indicat Apostolica Sedes in hujus Propositionis censura, quid habeat pro abusu, quid pro usu.

XIX. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

Est plane falsa. *Contritio*, ait S. Th. in Supplem. q. 1. art. 2. *solum de illis peccatis potest esse, quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos perveniunt, & quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum .. ideo de ipso non potest esse contritio*, nec proinde a fortiori pro eo agenda est toto vitę decursu pœnitentia.

XX. *Confessiones apud Religiosos factę, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidę.*

Injuriosa est Ecclesię, quæ alioqui male Religiones instituit, male etiam Religiosorum utitur ministerio. Injuriosa etiam est Religiosis, in quibus animam diabolo venditam, & pene omnimodam pietatis, ac scientiæ privationem supponit. Hujus Propositionis excessum jam pridem prędamnavit S. Thomas in Guielmo de Sancto Amore, Religiosorum impugnatore.

XXI. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.*

Continet judicium insigniter temerarium in materia gravi. Eadem de causa, eademque temeritate suspicabitur Parochianus, vel de Parocho, qui leviorem imponet pœnitentiam, ne pingui obligatione frustretur; vel de Vicariis, aliisque inferioribus Sacerdotibus, qui per rura vini, & frumenti *quæstum* faciunt, non nego quosdam utrinque esse, qui officio suo desint. *Iliacos intra muros peccatur, & extra:* sed quorumdam vitia, corpori toti adscribenda non sunt; nec si proditor Judas, alii continuo Apostoli omnes proditionis redarguendi.

XXII. *Sacrilegi sunt, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

Contra assumi potest id S. Thomę 2.2. q. 10. art. 12. *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda.* Est autem nunc Ecclesię consuetudo, quod Communio non differatur, donec quis condignam de peccatis suis egerit pœnitentiam, seu satisfactionem; idque nedum pro sacrilegio habendum sit, consonat parabolæ filii prodigi, cui sincere ad patrem reverso occisus est in epulum

lum *vitulus saginatus*. Nec puto, ait Steyaert; dilata Davidi fuisset Eucharistia, si jam instituta fuisset, donec pœnitentiam omnem sibi impositam subiisset.

XXIII. *Similiter arcendi sunt a Communione, quibus nondum inest amor purissimus, & omnis mixtionis expers.*

I nunc; & quære, qui sacra Eucharistia reficiantur; quære, inquam, in alio Orbe, qui novi figmenti homines habeat, in hac enim peccati terra *in multis offendimus omnes*, non est, qui sæpius non peccet, qui dixerit se peccatum non habere, ipse se seducit: ergo nullibi, aut fere nullibi est amor ille purissimus, & omnis mixtionis expers, quem ut prævиam ad Eucharistiæ Sacramentum dispositionem requirit præcedens Propositio. Mundi erant Apostoli, cum Christi Corpus in ultima Cœna recepere. Quæro, an iis adhuc tam infirmis inesset amor omnis mixtionis expers.

XXIV. *Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Maria Virgine in die Purificationis suæ, per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione; & quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba legis.*

Hæc assertio, si de *macula peccati* intelligatur, non notas meretur, sed flammas; si vero de *macula legali*, falsa etiam est, & aurium piarum offensiva. Non erat partus ille purissimus, obnoxius legi; nec ex eo, quod Christus, & Maria hoc in puncto legem adimpleverint, colligi magis potest, eos legem adimplere debuisse, quam ex eo, quod Christus baptismum receperit, colligi queat, eum indiguisse baptismo. Errorem hujus Propositionis breviter, & solide confutat Angelus Scholæ ex ipso Levitici textu c. 12. ubi ea solum mulier declaratur immunda, quæ *suscepto semine* prolem parit. 3. p. q. 47. a. 4. ad 1.

XXV. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

Refellitur ex hodierna Ecclesiæ praxi, & consuetudine, quæ, teste Augustino ipso, cujus auctoritate præcipue innituntur Propositionis hujus assertores, ea, quæ sunt contra rectam fidem, & bonos mores non approbat, nec tacet, nec facit. Sed de his fusius agunt Theologi in Tractatu de Incarnatione.

XXVI. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.*

Repugnat D. Thomæ 3. p. q. 25. a. 5. ad 3. *Beata Virgo*, inquit, *secundum se ipsam est venerationis capax*. Et vero B. Virgo in se ipsa, licet non a se ipsa, est Dei mater, virgo virginum mundissima, creatura omnium post sacram Christi humanitatem sanctissima: ergo laus, quæ ei defertur, non relative solum, ut imaginibus, non ob mirum Christi contactum, ut vivificæ cruci, sed eidem *secundum se ipsam* non est vana, sed pia, & religiosa.

XXVII. *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus*: In nomine Patris, &c. *prætermissis illis*: Ego te baptizo.

Repugnat D. Thomæ 3. p. q. 66. art. 5. & cœteris ferme præter Morinum Theologis. Adi Tractatum de Baptismo a Tournelyo nostro editum.

XXVIII. *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit*: Non intendo, quod facit Ecclesia.

Propositio hæc, ne ipsis quidem externæ, ut ajunt, intentionis defensoribus placet, cum juxta eos exterior omnis ritus, & forma Sacramentorum observari possit, absque eo, quod verum conficiatur Sacramentum, de quo legantur Contenson, Juenin, & P. Serry. Verum ea de re consulendus Tract. de Bapt.

XXIX. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concil. Oecumenicum auctoritate, atque id fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

XXX. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

Repugnat hæc doctrina, tum D. Thomæ 2. 2. q. 10. art. 12. tum præcipue Augustino ipsi: *Hæc*, ait in sua ad Bonifacium Epist. c. 1. *quæ duabus Epistolis Pelagianorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere Sanitatem non tam discenda, quam examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, examinanda constitui*. Qui Augustinianam se doctrinam sectari profitentur, hoc præclarum Augustini factum imitentur.

XXXI. *Bulla Urbani VIII.* In eminenti, *est subreptitia*.

Non alia de causa Bullam hanc subreptitiam esse judicarunt Propositionis auctores, quam quia Baii, & Jansenii doctrinam condemnat; quod posteriorum Pontificum Constitutionibus multo amplius peractum est. Has autem ad unam omnes subreptitias esse, vel etiam obreptitias credent Janseniani si volent, non credent quotquot sunt vere Catholici.

HIC quoque de amicorum sententia referendas duxi Propositiones, tum Michaelis de Molinos, tum Illust. quondam Cameracensium Archiepiscopi. Iis autem suam sigillatim apponere notam, nec vacat, neque necesse est, cum & errores illi prorsus obsolevisse videantur, & satis confutari maneant ex iis, quæ supra dixi in Tractatu de Spe.

Propositiones 68. Michaelis de Molinos damnatæ ab Innocentio XI. die Novembris an. 1687. tanquam hæreticæ, suspectæ, erroneæ, scandalosæ, blasphemæ, piarum aurium offensivæ, Christianæ disciplinæ relaxativæ, & eversivæ, & seditiosæ respective.

I. *Oportet hominem suas potentias annichilare; Et hæc est via interna.*

II. *Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse solus Agens; & ideo opus est, se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.*

III. *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.*

IV. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.*

V. *Nihil operando anima se annichilat, & ad ipsum principium reddit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima se ipsam annichilat in esse operativo.*

VI. *Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio; & non oportet Deum cognoscere; & hoc modo recte proceditur.*

VII. *Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione; nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.*

VIII. *Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat necne, nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet, ut corpus exanime manere.*

IX. *Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.*

X. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.*

XI. *Ad*

XI. *Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non est opus reflectere.*

XII. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.*

XIII. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.*

XIV. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis; & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii:* Petite, & accipietis, *non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.*

XV. *Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.*

XVI. *Non convenit indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est justitiæ divinæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.*

XVII. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.*

XVIII. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.*

XIX. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.*

XX. *Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes: quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur; ejus locutio est operatio; & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.*

XXI. *In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei in præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum; sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.*

XXII. *Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse; & idem dicitur de amore.*

XXIII. *Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distingunt quatuor gradus: Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit: Qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat absque eo, quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; & hac cessante animo regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo, quod amplius redeat ad secundum, aut primum.*

XXIV. *Qualescumque cogitationes in oratione occurrant; etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec*

voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei: imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

XXV. *Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio, & resignatio, resignatio, & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.*

XXVI. *Tres illæ viæ, Purgativa, & Illuminativa, & Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica: cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.*

XXVII. *Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum; & male agit cum ea desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.*

XXVIII. *Tædium rerum spiritualium bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius.*

XXIX. *Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, signum bonum est.*

XXX. *Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.*

XXXI. *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.*

XXXII. *Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, & fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgant motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.*

XXXIII. *Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca sunt æqualia.*

XXXIV. *Verbis, & lingua gratias agere Deo non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu* Pater noster *recitare.*

XXXV. *Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, & activitate, alias non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. V. Sanctos, aut Humanitatem Christi, quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.*

XXXVI. *Nulla creatura, nec B. V. nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.*

XXXVII. *In occasionem tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore & resignatione permanere.*

XXXVIII. *Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.*

XXXIX. *Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.*

XL. *B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque ope exteriori*

XLI.

XLI. *Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo illarum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata; quia his non adest consensus.*

XLII. *Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.*

XLIII. *Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annichilent, & se Deo resignent.*

XLIV. *Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.*

XLV. *S. Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit*: Non quod volo bonum hoc ago; sed quod nolo malum hoc facio.

XLVI. *Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annichilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via: Et hæc est via facilior, & tutior.*

XLVII. *Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est, se ipsum inquietari: sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri; & sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.*

XLVIII. *Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquiettet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.*

XLIX. *Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eo tempore, quo* mundas habebat ad Deum preces. (*Sic interpretando locum ex c.* 16. *Job.*)

L. *David, Jeremias, multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.*

LI. *In sacra Scriptura multa sunt exempla violentarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent. De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit; de Eliseo, qui pueris maledixit; de Elia, qui combussit Duces, cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta; vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.*

LII. *Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.*

LIII. *Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia; regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dicti violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumerem a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica*

logica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia, & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelat, & animam in contrarium non potest dubitare.

LIV. *Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, & cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.*

LV. *Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.*

LVI. *Duæ leges, duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut sit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.*

LVII. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.*

LVIII. *Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.*

LIX. *Via interna sejuncta est a confessione, a Confessariis, & a casibus conscientiæ, a Theologia, & Philosophia.*

LX. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt; & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem; & supplet ipse tanta gratia præservante, quantum in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est in illis impossibile.*

LXI. *Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam, quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.*

LXII. *Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.*

LXIII. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum, quinimo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles,* * unde sint, *ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.*

* Deest in quibusdā impressis.

LXIV. *Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis ad statum contemplativi: primo, quia non habet fidem adeo puram; secundo, quia non est adeo humilis; tertio, quia non adeo curat propriam salutem; quarto, quia caput refervatum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.*

LXV. *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voci obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & Director intrant.*

LXVI. *Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima, quoad internum gubernari debeat ab Episcopo; quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia, nec sacra Scriptura, nec* Concilia, *nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores*

eam

eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

LXVII. *Dicere quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non judicat de occultis; & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & simulationibus.*

LXVIII. *In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum animæ, & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanæ.*

En nefaria Molinosi commenta, quæ dum in Ecclesia sanctæ Mariæ super Minervam legerentur coram confertissima populi multitudine, plebs effusissimis vocibus conclamabat: *Damnetur ad ignem, ad ignem*. Sed lenis Inquisitio Romana, miserum senem, (qui principiis suis adhærens per annos duodecim a Sacramentali confessione abstinuerat, & cujus in Scriniis reperta duodecim millia Epistolarum, satis judicabant, quam late errores suos sparsisset) addixit carceri perpetuo, ubi pœnitens obiit die 28. Novembris ann. 1692.

Prædictorum errorum summa hæc est, 1. homini enitendum esse, ut facultatum suarum activitatem cohibeat, adeoque quantum ad ipsas maneat in quiete (unde commenti hujus sequacibus inditum est nomen Quietistarum) & sic de nulla re curam habeat, non de inferno, non de paradiso, non de propriis defectibus, &c. Proposit. I. II. IV. VI. VII. VIII. IX. &c.

2. Abjiciendam esse, tum orationem, qua quidpiam petatur; tum quamlibet corporis mortificationem. Proposit. XIV. XXXVIII. &c.

3. Id locum habere etiam, cum quis insolitis tentationibus quatitur, & impuras quascumque carnis rebelliones experitur; quia hæc meræ sint dœmonis violentiæ, quæ ad fornicationem usque progredi possint, & de facto pluries progressæ sint absque ullo homini peccato, quia absque ullo ejus consensu. Proposit. XLI. XLII. LI. &c.

4. Obscœna hæc, si quandoque in corpore exurgant, non esse Confessario aperienda, ut quæ nequidem sint veniales culpæ; imo, quæ animum in via interna progredientem magis uniant Deo. Proposit. XLVII. XLVIII. LII. &c.

Hæc porro eo usque fidei, communique Christianorum sensui adversantur, ut nulla indigeant confutatione. *Intelligendum est*, ait S. Thomas 1. par. q. 105. art. 5. *sic Deum operari in rebus, quod tamen ipsæ res propriam habeant operationem*; & 2. 2. q. 180. art. 3. *Vita nostra hic dicitur operatio, cui homo principaliter intendit*: non ergo *gratiæ inimica est activitas naturalis*; sed hæc cum illa concurrere debet.

Per jejunium, vigilias, & alia hujusmodi retrahitur homo a peccatis luxuriæ, & a quibuscumque aliis peccatis, ait idem S. Thomas 1. 2. qu. art. 1. Unde Apostolus I. Cor. 9. *Castigo corpus meum*, &c. & Rom. 8. *Si facta carnis mortificaveritis, vivetis*; non ergo *crux voluntaria mortificationum pondus est infructuosum*, &c.

Dominus, ait idem Angelus Scholæ 2. 2. q. 83. art. 5. *docuit discipulos*, utique divinæ voluntati resignatos, *determinate*, quædam *petere*; ac ea præsertim, *quæ continentur in petitionibus orationis Dominicæ*, ac proinde ne non succumberent tentationi; ergo *non convenit* tantum, sed & prorsus necesse est, *ut* is etiam, *qui divinæ voluntati resignatus est, a Deo rem aliquam petat*.

Cœ-

Cœtera, quæ pudor pene prohibuit referre, prohibet confutare. Perpendat quis impium Molinosi systema, statimque gnosticum hominem deprehendet, qui suos, suasque ad nefaria quæque flagitia pellicere voluit, eisque omnem adimere scrupulum, veritus dumtaxat, ne, vel Confessario, vel Superiori, quisquis ille foret, infamia sua detegeretur.

Propositiones tres, & viginti desumptæ ex Libro, cui titulus: Explication des Maximes des Saints ... par Messire Francois de Salignac de Fenelon Archeveque, Duc de Cambrai: *& ab Innocentio XII. die* 12. *Martii ann.* 1599. *proscriptæ*, *ut* temerariç, scandalosç, male sonantes, piarum aurium offensivç, in praxi perniciosæ, ac etiam erroneæ.

I. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla mixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.*

II. *In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ omittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.*

III. *Id quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate: oportet se intra hos limites continere, ut finatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo; quod adeo durum est animabus adhuc sibi affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.*

IV. *In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & desiderata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.*

V. *In eodem statu sanctæ indifferentiæ, nihil nobis, omnia Deo volumus: Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.*

VI. *In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem meritorum nostrorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.*

VII. *Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam omnia externa reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quod interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.*

VIII. *Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus, quam maxime desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionata. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.*

IX. *In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.*

X. *Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce dicens*: Deus,

Deus

Deus meus, ut quid dereliquisti me? *In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse propii, quoad æternitatem.*

XI. *In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis, & intimis spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.*

XII. *Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturę sui proprii interesse, & justę condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.*

XIII. *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.*

XIV. *In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione: nam totum, quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris.*

XV. *Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur... Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitio amoris interessati.*

XVI. *Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.*

XVII. *Animę contemplativę privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis..Primo in fervore nascente earum contemplationis..Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.*

XVIII. *In statu..passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec nunquam fit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.*

XIX. *Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata, nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua fælicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.*

XX. *In confitendo debent Animę transformatę sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.*

XXI. *Sancti Mystici excluserunt a statu Animarum transformatarum exercitationes virtutum.*

XXII. *Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa Traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exertitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.*

XXIII. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.*

En totum systema Illustrissimi Archipręsulis, qui accepta Romani Pontificis Constitutione, Cathedram statim conscendit; populo suo, a quo tenera charitate diligebatur prohibuit, ne quis deinceps Librum suum vel legeret, vel retineret apud se; & coram multitudine in lacrymas, & singultús erumpente, Librum eumdem eo prorsus modo reprobavit, quo ab Apostolica Sede reprobatus erat.

Systematis hujus errores sunt duo præcipui, alter quod non modo possibilis sit, sed & de facto existat habitualis status charitatis puræ, in quo nul- *Prop. 1.11. III.XX..L.*

lam

Jam amplius partem habeant timor pœnarum, & desiderium remunerationis: adeo ut anima nihil sibi velit, ne quidem perfectionem, & beatitudinem suam. Alter, quod *animæ invincibiliter persuasum esse* possit *persuasione reflexa, se juste reprobatam esse a Deo:* unde ei *tunc permittere potest Director, ut simpliciter acquiescat justæ condemnationi, quam sibi a Deo inflictam credit.*

Prop. IX X. XII.

Primum caput ex professo confutavimus, ubi de Spe, sect. 4. punct. 2. concl. 3. Secundi capitis error hinc patet, quod persuasio reprobationis adversatur spei: porro spes in statu viæ prorsus necessaria est; eaque *adveniente charitate perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus,* ait S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 8. Hinc juxta S. Doctorem q. 23. de verit. art. 8. ad 2. *Si alicui talis revelatio* de futura sui reprobatione *fieret, deberet intelligi non secundum modum prophetiæ, prædestinationis, vel præscientiæ, sed per modum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur supposita conditione meritorum.* Non posset igitur Director animæ huic permittere, ut simpliciter acquiesceret *jactura sui proprii interesse, & justæ condemnationis.* Er vero posita hac in propriam reprobationem consensione, anima jam pro æterna sua salute, nec deberet, nec posset orare: atqui id falsum esse liquet ex iis, quæ contra Mysticos diximus Tom. I. ubi de Oratione c. 2. art. 7.

Plus adhuc erroris habet, quod statuit Illustrissimus Auctor Prop. X. XIII. & XIV. male ibi desperatio nomine sacrificii commendatur. Male involuntariæ perturbationes attribuuntur Christo, qui quantum voluit, & non ultra passus est, ut cum Scripturis docet S. Thomas 3. p. q. 47. art. 1. Male pars inferior a partis superioris regimine quasi avulsa exhibetur, ita ut actus pratis inferioris *in anima probata* prorsus cæci sint, & involuntarii. Certe si superior pars non invigilet actibus potentiarum inferiorum, ii in peccatum animæ imputabuntur, ut docet S. Th. 1. 2. q. 174. art. 3. ad 2. qui secus senserit, viam sternet sibi ad periculosiora quæque Molinosi commenta; a quibus tamen procul absuit piissimus Archipræsul Cameracensis.

DECRETA DE INDULGENTIIS.

De 17. Februar.

Anno 1687. prodierunt Romæ Decreta duo circa Indulgentias, quorum priori præscribitur Officium Immaculatæ Conceptionis, quod a Paulo V. approbatum dicebatur cum Indulgentia dierum centum; quod quidem Officium ab his incipiebat verbis: *Eja mea labia nunc annuntiate*: & desinebat cum Oratione: *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem*, posteriori vero reprobantur, ut *partim conficta; & plane falsa, partim ut apocrypha, vel alio ex capite nullæ, & quæ nemini suffragari possint, ideoque jam non sint proponendæ*, Indulgentiæ complures.

Tales, ait Decretum, sunt illæ in primis, uti asserunt, concessæ a Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis J. C. D. N. *Precor te, piissime domine*, &c.

Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, & vulgo dici soler, Campagnolæ, & S. Victoriæ.

Ab Eugenio III. revelationi de plaga in humero J. C. factæ S. Bernardo.

Ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis.

A Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai a Tolentino in ejus Festo.

A Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis.

Ab Alexandro VI. imagini B. Mariæ, vulgo dictæ Laghetti (seu parvi lacus.)

A Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci .... (suas tamen, & veras habent Confratres Archiconfraternitatis cordigerorum S. Francisci.)

Recitantibus Orationem Angelicam ad pulsum horologii.

Et Imagini Conceptionis Mariæ Virginis immaculatæ, in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est.

A Pio

A Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum.
A Clemente VIII. dicentibus Orationem : *O magnum mysterium*.
Ut Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant Montis-Seriati, Avenione impressæ.
Tum aliæ pro animabus Christifidelium defunctorum impressæ Matriti 20. Julii 1606.
A Paulo V. cantantibus Hymnum: *Te matrem Dei laudamus*, *Te Mariam virginem confitemur*; vel, si die Sabbati intererint, dum idem cantatur.
Et Coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ Medalias appellant, ab eo (Paulo V.) benedictis, Frederico Cardinali Borromæo supplicante an. 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur.
Et ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus: *Laus sanctissimo Sacramento*.
Ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti.
Et Sacerdotibus celebrata Missa, dicentibus: *Ave filia Dei Patris, Ave mater Dei Filii*.
A Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac vespere, consuetam Antiphonam: *Angelus Domini, &c.* & in fine, *Deo gratias, & Maria*.
Ac demum aliæ a nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis mysteriorum Passionis D. N. J. C. prece magni Ducis Etruriæ.
Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die a pœnis Purgatorii affirmant.
Tales aliæ Perusii Confraternitatis SS. Sebastiani, & Rochi.
Et Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani.
Vales demum aliç Cruce-Signatorum S. Eustorgii, Mediolani, Arimini, & Bononiç.
Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii.
Vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi.
Aut S. Petri Montis Todoni die Festo Inventionis Sanctissimæ Crucis.
Vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula.
Vel celebrantibus Missas S. Augustini.
Aut alias V. in honorem V. Festivitatum B. Virginis.
Vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ.
Aut Antiphonam: *O passio magna, &c.* in memoria Passionis Jesu.
Aut Rosarium S. Annæ, (quod Congregatio Sacra non probat.)
Aut Orationem, quæ impressa cum Imagine S. Annæ circumferri solet: *Ave gratia plena, &c.* (quæ Oratio prohibetur.)
Aut Officium Conceptionis B. Virginis immaculatæ, quod afferunt a Paulo V. probatum fuisse.
Aut Orationem: *Deus, qui pro nobis in sancta Sindone, &c.* (excipitur Indulgentia centum dierum an. 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus.)
Aut aliam: *Ave filia Dei*, post Communionem recitandam.
Vel aliquo conspicuo signo venerantibus Ss. Eucharistiæ Sacramenti nomen.
Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum, veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant pro dicentibus Orationem illam vere piam: *Deus, qui pro Redemptione mundi*.
Tum, quæ impressæ fuerunt Paviæ an. 1670. sub hoc titulo: *Sommario delle Indulgenze concesse dalla Santità di N. S. Papa Leone X. all' Immagine della Concezione della Gloriosa Vergine Maria*.
Vel Pisauri * sub nomine B. Joannæ an. 1606. evulgatæ. *Pesaro.
Vel Barletæ, seu Baruli a recitantibus quasdam non sane malas Orationes lucrandç.
Vel Parmæ a visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias tertii Ordinis Sancti Francisci. *Pistoye, Gastale.
Vel Pistarii, & Vastallæ * a recitantibus Orationem: *Ave sanctissima Maria, Mater Dei, Regina Cœli*. Et aliæ

Et aliæ in peculiari impresso Libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravanensibus tributæ dicuntur.

Vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis immaculatæ, quod ex duodecim Globulis precariis constat.

Vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis sanctæ Claræ.

Vel mensuræ altitudinis J. C. Domini nostri.

Vel imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti.

Vel Orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ.

Et indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ SS. Brigittæ, Mectildi, & Elizabeth, vel B. Joanni de Cruce.

Ei concessæ, ut asserunt, Granis, quæ aliquod ex tribus Granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.

Omnes vero, & singulas jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas declarat, &c. Easque in futurum ullo in loco ut veras publicari, & lucrandas fidelibus proponi vetat: foliaque, & libros ubi sie proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ. Nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus: Vel ante Breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex*, editum 23. Maji an. 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum etiam Mendicantium: Vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium: *Quæ salubriter*, *&c.* habitas per aggregationem, vel Communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo, vel cœtu quocumque; vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona; etiamsi earum, vel ejus mentio speciali, & individua facienda esset; nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

Porro summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ Confraternitatibus Ss. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita non permittuntur.

Indulgentias vero Stationibus urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat.

Semel autem dumtaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.

De quibus Relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolate servari jussit. Datum Romæ die 7. Martii 1678. Aloysius Card. Homo-Deus, &c.

Hic obiter annotabo Indulgentias, quæ *ad perpetuam memoriam* conceduntur, reipsa perpetuas esse, nec indigere renovari; quidquid in contrarium scripserint Pontas, Babin, aliique plures Galli. Ita expresse ante aliquot annos respondit Card. Oliverius Congregationis Indulgentiarum Præses, ea de re a Præposito Congregationis Missionis consultus.

F I N I S.

